SC.21.Pl.7.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
30 A
2
FONDO ... ROMENSE
MAIX
124.8

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTRUCTIO
PRO SE PRÆPARANTIBUS
AD AUDIENDAS
CONFESSIONES.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTRUCTIO
PRO SE PRÆPARANTIBUS
AD AUDIENDAS
CONFESSIONES

Proficua, & utiliſſima Epiſcopis, Vicariis, Parochis, Confeſſariis, & Clericis, ac cæteris Theologiæ ſtudioſis,

IN DUAS PARTES DISTRIBUTA.

AUCTORE

FRANCISCO MARIA CAMPIONI
Congregationis Matris Dei, Cleri Examinatore Apoſtolico, &c.

PARS PRIMA.

DICATA

Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. D.

PETRO BARBADICO
Venetiarum Patriarchæ, Dalmatiæque Primati; &c.

Editio prima Veneta poſt tertiam locupletiorem Romanam.



VENETIIS, M.DCCXII.
Apud Jo: Baptiſtam Recurti ſub Signo Religionis.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime

PATRIARCHA

EA eſt ILLUSTRISSIME; ET REVERENDISSIME PATRIARCHA operum de morum, & conſcientiæ regulis diſſerentium vel dignitas, vel utilitas; dignitas qua nos ſummo bono jungere ſtudent, & per beatitudinem honeſtatis quodammodò Deos facere; utilitas, qua ad rectam inſtituendæ vitæ rationem vitia detegunt, & è latebris ſuis erumpere cogunt virtutibus locum factura, ut ſe ſatis ſuperque commendatione ſua tueantur, nec ut faventibus animis excipiantur ullo indigere patrocinii ambitu videantur. Id ſanè huic operi meis typis nunc primum recuſo feliciter contigit,

Digitized by Google

ut vix editum , iterùm illicò , & tertio typographorum urgeret operas , quibus novas editiones molirentur ; adeò ex claritate docendi , & ſecuritate doctrinæ , ſummæ celebritatis ſibi æſtimationem comparavit . Diſtractum undique , & omnium manibus uſurpatum penè viſum eſt neceſſarium ; & illo jam pluribus diœceſibus noto diutiùs etiam iſta carere minimè patiebatur . Attamen & ut libro major auctoritas , & ut lecturis major conciliaretur aviditas , non ſine Mecænate , & tanto quantus es tu , digniſſime Præſul , edere ſtatui . In publicum prodibit nova dignitate ſuffultus , & ambitioſo famulatu primùm tibi pedibus advolutus , deinde ponè ſequens , & ex tuo ſibi nomine nomen faciens eò famam ſuam extendi confidit , quò perveniet & tua . Nec iſtam ILLUSTRISSIME PATRIARCHA , à tuis majoribus repetere opus eſt . Excellunt utique illi vel laude belli , vel pacis gloria ; & in eos congeſta Paludamenta , Togæ , Legationes , Infulæ , Purpuræ , Summæ , & Principes Dignitates , univerſam Rempublicam ſe in unam diffudiſſe domum oſtendant : habent illi , ſed ſibi habeant quo ſe extollant , & poſteritati commendent . Tu ſanè hac luce non eges ; habes quod in te tuum miremur , quo te familiæ tuæ non degenerem probes , quo familiæ decora , & ſerves , & augeas . Teſtem dabo non famam quæ ſæpe aut mentitur , aut fallitur , ſed ipſam veritatem , oculos nempè diœceſis tuæ . Qua vigilantia , qua cura Paſtoralis oneris officia præſtas , & imples norunt omnes , & prædicant ; ita ut Eminentiſſimi illius Paſtoris , quæ à ſe divelli ægrè ſunt paſſi , jamdiu te in ejus vicem ſubrogato minimè deſiderent . Creſcit in dies , & fulgentioribus emicat ra-

diis

diis Eccleſiarum decor & nitor, poſtquàm eas pro munere inviſens omnia in meliorem ordinem redegiſti. Jam floret, jam matureſcit benè morati Cleri fæcunda ſeges, morumque Eccleſiaſticorum diſtrictus Cenſor, & diligentiſſimus Cultor tum prava dirigis, tum reparata conſervas, & melioribus, ſalubrioribuſque doctrinis inſtruendos curans ad Eccleſiaſtica munera nonniſi pollentes litteris promoves, adeò ut Sacerdotes Eccleſiis, non Eccleſias Sacerdotibus tradas. Quis verò Prudentiam in regimine, liberalitatem in pauperes, Benignitatem in omnes tuam ſatis prædicet? Epiſtolæ anguſtiæ laudibus tuis deficiunt, quin quævis diſerta diffuſaque oratio impar eſſet. Liceat mihi tamen dumtaxat Humanitatem tuam, ſi ut par eſt venerari, & extollere nequeo, ſaltem experiri. Excipe fauſto vultu librum, quem nomini tuo conſecro, & illum Clero commendes, quod pro tuo in Clerum amore, illumque erudiendi deſiderio à te factum iri confido. Hæc libri dignitas erit, hæc mea felicitas, ob quam dum beatus audire geſtio, demiſſo & venerabundo obſervantiæ cultu me præfero

Dominationis Tuæ Illuſtriſs. & Reverendiſs.

Humill. Addictiſs. Obſequentiſs. Famulum
Joannem Baptiſtam Recurti.

A P-

APPROBATIO.

JOANNES BERNARDINI

Rector Generalis Congreg. Cleric. Reg. Matris Dei.

CUm opus inſcriptum: *Inſtructio pro ſe præparantibus ad audiendas Confeſſiones &c.* compoſitum à P. Franciſco Maria Campiono noſtræ Congreg. probatum fuerit à duobus noſtris Teologis, quibus illud examinandum commiſimus, quantum ad Nos ſpectat, facultatem concedimus, ut tertiò typis mandari poſſit.

Datum Romæ ex noſtris Ædibus S. Mariæ in Porticu in Campitello. Hac die 23. Septembris, anno 1711.

Joannes Bernardini Rect. Gen.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per atteſtato del Secretario noſtro nel libro Stampato in Roma nell'anno 1704. intitolato: *Franceſco Maria Campioni &c. Inſtructio pro ſe præparantibus ad audiendas Confeſſiones diviſa in duas Partes*, non eſſervi cos' alcuna contro Prencipi, e buoni coſtumi concedemo licenza à Gio: Battiſta Recurti, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Luglio 1712.

(Marin Zorzi Reſor.
(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reſor.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

I N.

INDEX CAPITUM

PRIMÆ PARTIS.

Caput I. PRæfatio, in quà innuitur finis, argumentum, & Methodus Operis. pag. 1.
Cap. II. Damna, & Utilitates Mali, ac Boni Confeſſoris. 3.
Cap. III. Compendium Doctrinæ Magiſtri Sententiarum circà Sacramentum Pœnitentiæ. 5.
Cap. IV. Diſpoſitiones, quas in Peccatore ad juſtificationem ſeſſ. 6. c. 6. requirit Tridentinum. 11.
Cap. V. Compendium doctrinæ Tridentini ſeſſ. 14. de Pœnitentià. 13.
Cap. VI. Compendium Doctrinę Catechiſmi Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ. 14.
Cap. VII. Doctrina Ritualis Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ, ac Notæ ad illam. 18.
Cap. VIII. Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. de Confeſſione, & Notæ ad illud. 21.
Cap. IX. Conſtitutio Clementis X. pro parte, quæ tangit adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ. 23.
Cap. X. Litteræ patentes Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Card. Vicarii pro facultate audiendi confeſſiones in Urbe, ejuſque Diſtrictu, & Notæ ad illas. 24.
Cap. XI. Reſtrictus Monitorum S. Caroli pro Confeſſariis. 29.
Cap. XII. Preparans ſe ad confeſſiones curabit ſcire ſequentia circa Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ. 35.
Cap. XIII. De partibus materialibus hujus ſacramenti. 38.
Cap. XIV. De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 45.
Cap. XV. Adducuntur Canones antiqui Pœnitentiales. 47.
Cap. XVI. Obſervationes in prædictos Canones. 58.
Cap. XVII. De Excommunicatione. 60.
Cap. XVIII. De Reſervatione Caſuum, & Cenſurarum. 64.
Cap. XIX. Dantur Canones in Bullà Cœnæ Domini. 69.
Cap. XX. Catologus Cenſurarum, irregularitatum, & Pœnarum Eccleſiaſticarum. 74.
Cap. XXI. Quis, & qualitèr debeat abſolvere ab Excommunicatione. 95.
Cap. XXII. De Recidivo, Conſuetudinario, Conſtituto in occaſione proximà, & conſtituto in periculo proximo. 97.
Cap. XXIII. De Indulgentiis quoad praxim. 99.
Cap. XXIV. De ipſo pœnitentiæ Sacramento. 103.
Cap. XXV. Dantur propoſitiones in materià morum probibitæ ab Alexandro VII. 104.
Cap. XXVI. Dantur propoſitiones probibitæ ab Innocentio XI. 109.
Cap. XXVII. Dantur propoſitiones Michaelis de Molinos probibitæ ab Innocentio XI. 114.

Cap.

Cap. XXVIII. *Dantur propoſitiones prohibitæ ab Alex. VIII.* 122.
Cap. XXIX. *Obſervationes generales in prop. prohibitas.* 125.
Cap. XXX. *Præparans ſe ad confeſſiones debebit magni ſemper facere doctrinam S. Thomæ.* 126.
Cap. XXXI. *Præparanti ſe ad confeſſiones proponitur diſtinctio actuum internorum.* 127.
Cap. XXXII. *De Paſſionibus Animæ.* 130.
Cap. XXXIII. *De Principiis bonorum actuum.* 132.
Cap. XXXIV. *Quid circà peccatum in genere debeat particulariter addiſcere præparans ſe ad confeſſiones.* 134.
Cap. XXXV. *De Ignorantià, quæ habet cauſare, vel excuſare peccatum.* 141.
Cap. XXXVI. *An peccatum alias mortale, quia contrà legem, reddi poſſit veniale, & quomodo.* 146.
Cap. XXXVII. *An peccatum de ſe veniale reddi poſſit mortale.* 149.
Cap. XXXVIII. *De legibus in generali.* 150.
Cap. XXXIX. *De Conſcientià.* 157.
Cap XL. *Recapitulatio hujus primæ partis circa hoc Sacramentum.* 382.
Cap. XLI. *Colliguntur principaliora circa Juriſdictionem Confeſſoris.* 386.
Cap XLII. *Colliguntur, quæ faciunt ad ſequelam Confeſſionis, & Excommunicationis.* 390.
Cap. XLIII. *Recapitulatio Actuum Internorum.* 392.
Cap. XLIV. *Compendium Inſtructionis ſuper Præcepto Paſchali, de ordine Clementis XI. editæ ab Eminentiſſimo Cardin. Vicario, de Anno 1708.* 395.
Cap. XLV. *Colliguntur nonnulla ſuper Bulla Cœnæ.* 397.
Cap. XLVI. *Colliguntur nonnulla circa Theſes damnatas.* 400.
Cap. XLVII. *Interrogationes faciendæ pænitentibus.* 406.

INDEX

INDEX CAPITUM
SECUNDÆ PARTIS.
De Virtutibus & Vitiis in particulari.

Caput I. DE *Fidei Virtute. pag.* 165.
Cap. II. *De Actu externo Fidei.* 170.
Cap. III. *De donis Intellectus, & Scientiæ correſpondentibus Virtuti Fidei.* 172.
Cap. IV. *De peccatis Commiſſionis per ſe oppoſitis Virtuti Fidei.* 173.
Cap. V. *De peccatis Commiſſionis per accidens oppoſitis Virtuti Fidei.* 176.
Cap. VI. *Edictum Sanctæ Inquiſitionis de obligatione denunciandi delicta ſpectantia ad ipſum Tribunal.* 179.
Cap. VII. *De Abſolutione à peccatis contrà Fidem.* 180.
Cap. VIII. *De Virtute Spei, & ejus Actibus.* 181.
Cap. IX. *De Dono Timoris.* 182.
Cap. X. *De Peccatis Commiſſionis oppoſitis Spei, & Dono Timoris.* 184.
Cap. XI. *De Charitate, & ejus Objecto.* 186.
Cap. XII. *De Actibus, & Præceptis Charitatis.* 189.
Cap. XIII. *De Sapientiæ Dono correſpondente Charitati.* 193.
Cap. XIV. *De Peccatis contrariè oppoſitis Charitati, & Dono Sapientiæ.* 193.
Cap. XV. *De Prudentia, Virtute Cardinali, & Dono Conſilii correſpondente.* 200.
Cap. XVI. *De peccatis per defectum oppoſitis Virtuti Prudentiæ.* 204.
Cap. XVII. *De peccatis per exceſſum oppoſitis Virtuti Prudentiæ.* 204.
Cap. XVIII. *De Juſtitia in genere, ſecunda Virtute Cardinali.* 206.
Cap XIX. *De Juſtitia Legali, & Vitiis oppoſitis.* 207.
Cap. XX. *De Juſtitia Diſtributiva, & peccatis eidem oppoſitis.* 211.
Cap. XXI. *De Juſtitiâ Vindicativa, & Peccatis eidem oppoſitis.* 214.
Cap. XXII. *De Juſtitia Commutativa, & ejus Actu, qui eſt Reſtitutio.* 215.
Cap. XXIII. *De Peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ in genere.* 218.
Cap. XXIV. *De Peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ circa vitam proximi.* 219.
Cap. XXV. *De Peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, per quæ facto infertur damnum rebus proximi.* 222.
Cap. XXVI. *De peccatis verborum in judicio contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ.* 224.
Cap. XXVII. *De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, & quæ verbo committuntur extra judicium.* 226.
Cap. XXVIII. *De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ quæ committuntur in commutationibus voluntariis.* 228.
Cap. XXIX. *Aſſeruntur Decretales B. Pii V., & Siſti V. circa Cenſus, Cambia, & Contractus Societatis.* 232.
Cap. XXX. *Quædam Obſervationes in prædictas Bullas.* 236.
Cap. XXXI. *De Religione, ejuſque Actibus internis.* 237.
Cap. XXXII. *De Actibus Religionis externis, per quos exhibemus noſtra Deo.* 241.
Cap. XXXIII. *De Voto.* 245.
Cap. XXXIV. *De Actibus Religionis, quibus aſſumuntur res divinæ.* 249.
Cap. XXXV. *De Actibus externis Religionis, quibus aſſumitur nomen divinum.* 251.
Cap. XXXVI. *De Peccatis per exceſſum contrariè oppoſitis Religioni.* 254.
Cap. XXXVII. *De peccatis externis per defectum contrariè oppoſitis Religioni.* 259.
Cap. XXXVIII. *De Virtute pietatis, & Vitiis eidem oppoſitis.* 266.
Cap. XXXIX. *De Obſervantia, Obedientia, & Vitiis oppoſitis.* 268.

Cap.

Google

Cap. XL. *De Virtutibus Retribuentibus, & Vitiis contrariè oppoſitis.* 270.
Cap. XLI. *De Veracitate, ac Vitiis eidem contrariè oppoſitis.* 272.
Cap. XLII. *De reliquis duabus Virtutibus annexis Juſtitiæ, ſcilicet, Affabilitate, ac Liberalitate, Vitiiſque oppoſitis.* 274.
Cap. XLIII. *De Dono Pietatis correſpondente Juſtitiæ.* 275.
Cap. XLIV. *De Fortitudine, ut eſt Virtus, & Donum, Vitiiſque oppoſitis.* 276.
Cap. XLV. *De Magnanimitate, & Magnificentia, Virtutibus Fortitudini annexis, Vitiiſque oppoſitis.* 279.
Cap. XLVI. *De reliquis duabus Virtutibus Fortitudini annexis, nempè, Patientia, & Perſeverantia, Vitiiſque oppoſitis.* 282.
Cap. XLVII. *De Temperantia in genere, ejuſque partibus Integralibus.* 283.
Cap. XLVIII. *De primis duabus ſpeciebus Virtutum contentarum ſub genere Temperantiæ.* 285.
Cap. XLIX. *De Vitiis contrariè oppoſitis Abſtinentiæ, ac Sobrietati.* 288.
Cap. L. *De Virtutibus, quæ refrænant Concupiſcentiæ Tactus.* 301.
Cap. LI. *De Actu Caſtitatis.* 302.
Cap. LII. *De Peccatis contrariè oppoſitis Caſtitati.* 305.
Cap. LIII. *De Pudicitia, peccatiſque contrariè oppoſitis.* 308.
Cap. LIV. *De tribus Virtutibus annexis Temperantiæ, ſcilicet, Continentia, Manſuetudine, Clementia, Vitiiſque oppoſitis.* 310.
Cap. LV. *De Humilitate, peccatiſque eidem contrariè oppoſitis.* 315.
Cap. LVI. *De reliquis Virtutibus annexis Temperantiæ.* 319.
Cap. LVII. *Recapitulatio Virtutum Theologicarum, peccatorumque illis oppoſitorum.* 326.
Cap. LVIII. *Recapitulatio eorum, quæ dicta ſunt de Reſtitutione, ſpectante ad Juſtitiam commutativam.* 331.
Cap. LIX. *Recapitulatio peccatorum contrà Juſtitiam Commutativam.* 335.
Cap. LX. *Recapitulatio dictorum de Actibus Religionis.* 337.
Cap. LXI. *Recapitulatur doctrina de peccatis per exceſſum Religioni oppoſitis.* 339.
Cap. LXII. *Recapiulatio peccatorum per defectum Religioni oppoſitorum.* 340.
Cap. LXIII. *Recapitulatio dictorum de Temperantia.* 344.
Cap. LXIV. *Recapitulatio doctrinæ de Sacramento Pœnitentiæ juxtà Examen S. Caroli.* 346.
Cap. LXV. *Eadem, quæ præcedenti Capite proponuntur magis in particulari.* 350.
Cap. LXVI. *Recapitulantur dicta de Excommunicatione, & inferuntur quædam magis generalia de Suſpenſione, Interdicto, & Irregularitate.* 356.
Cap. LXVII. *Inſtruitur Confeſſor in praxi circà ſuum miniſterium.* 359.
Cap. LXVIII. *Sequitur eadem materia Praxis.* 367.
Cap. LXIX. *Sequitur eadem materia Praxis circa primum, & ſecundum Decalogi præceptum.* 371.
Cap. LXX. *Sequitur eadem materia Praxis circà quintum Decalogi præceptum.* 374.
Cap. LXXI. *Sequitur eadem materia Praxis pro Vitiis Capitalibus.* 377.
Cap. LXXII. *Concluſio totius operis.* 379.

IN-

INSTRUCTIO

Pro Præparantibus ſe ad audiendas Confeſſiones.

CAPUT PRIMUM.

PRÆFATIO,

In quâ innuitur finis, argumentum, & Methodus Operis.

1 EODEM motivo, quo in opere nuper edito inſtruxi Ordinandos, ducor nunc, ut ſcribam Inſtructionem pro præparantibus ſe ad Confeſſiones excipiendas: quantò enim gravius eſt miniſterium, tantò majori diligentiâ curandum eſt, ut exerceatur dignè, ac laudabiliter. Alias Confeſſarius exponit ſe periculo infinitorum criminum, quæ juvabit hìc innuere, ſaltem in confuſo: nàm credo veriſſimum, quod dicitur Jer. 12. Deſolatione deſolata *eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.* Multi aſſumunt munus Confeſſarii, omninò ignorantes, quale ſit hoc munus, unicè reſpicientes ad ſtipendium, per Superiores Eccleſiæ deſtinatum, exercentibus tale munus. Cognoſcuntur moveri hoc tantùm fine, quia, ſi deinde contingit eos remanere proviſos de pingui beneficio Parochiali, cujus principaliſſima obligatio eſt adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, vix ampliùs adminiſtrant, ſed omnia committunt Vice Parocho.

2. Sciat igitur Sacerdos anhelans audire confeſſiones, hæc ſequentia: ſi pro fine principali intendat ſtipendium, peccat graviſſimo Simoniæ mentalis peccato toties, quoties renovat hunc actum: ſecundò agnoſcens, vel debens agnoſcere ſe omnino inſufficientem audiendis confeſſionibus, peccat, quando examini ſe exponit, & quando petit, vel accipit litteras patentes Epiſcopi, vel alio modo acceptat juriſdictionem: tertiò peccat toties, quotiès audit confeſſiones, committens tot ſacrilegia, quot audit Pœnitentes: quartò eſt reus omnium Sacramentorum, quæ confert invalidè, v. g. ſi abſolvit à reſervatis &c. quintò eſt reus omnium injuſtitiarum, quæ committit Pœnitens, v. g. non reſtituendo, ubi obligatur reſtituere; & illum Confeſſarius ex ignorantiâ graviter culpabili deobligavit; in quo caſu obligatio reſtituendi cumulatur Confeſſario, cum omnibus conditionibus annexis reſtitutioni, quòd ſtatim teneatur ad omnia damna &c. ſextò inſuper eſt reus peccatorum, quæ committendi periculo ſe exponit, etiamſi actu per accidens non committat: ſeptimò etiamſi neminem audiat, ſi eſt paratus audire quemlibet ad ſe venientem, reus eſt tot ſacrilegiorum; quot paratus eſt committere, & magis eſt reus in hoc genere, quàm publica meretrix in ſuo, quia in quolibet loco hæc poteſt habere pauciores concurrentes, quam Confeſſarius, ſed præſertim in Urbe populosâ, & in Eccleſiâ magnæ frequentiæ: octavò peccat totiès, quotiès advertens ſe omninò inſufficientem, non adhibet debitam diligentiam, ut per ſtudium competens fiat ſufficiens.

3. Ne in tot peccata labatur Sacerdos cupiens audire Confeſſiones, propoſui, ſicut illum inſtruxi ad ſuſcipiendos Ordines, ita inſtruere ad audiendas Coſeſſiones. In hoc genere, diebus noſtris penè infiniti ſunt libri ſpectantes ad Theologiam Moralem, ne

igitur actum agam, judicavi procedere juxtà Methodum, quam ſequuntur in examinandis Confeſſariis Examinatores ab Apoſtolicâ Sede in Urbe conſtituti. Ordinariè hi non examinant ſuper caſus difficiles, aut hinc inde controverſos inter Catholicos. Unicuique ſuper his permittunt ſequi, quod judicaverit magis congruum in Dominio; nihilominùs in approbando exigunt ſcientiam ſufficientem circà Theologiæ Moralis prima principia, circà Pœnitentiæ Sacramentum &c. Inſuper quod hæc ſcientia ſit non Theorica tantùm ſed & practica: v.g. non tantùm ſciat furtum eſſe peccatum, ſed in praxi ſciat interrogare Pœnitentem circa ſpeciem, & numerum ſurtorum, quò judicet in praxi, quot peccata commiſit, quam pœnitentiam mereatur &c. Hæc praxis eſt maximè neceſſaria, prætermittiturque cum ingenti Pœnitentium præjudicio. Mater ſe accuſat, quòd v. g. maledixerit filiis; niſi Confeſſarius exquirat, an ore tantum, vel etiam ex animo maledixerit, ignorat genus peccati, num ſit veniale, vel mortale. Accuſat ſe juraſſe: ſpeciem peccati nequit agnoſcere Confeſſarius, niſi exquirat, an juramentum fuerit aſſertorium, vel promiſſorium: an habuerit intentionem jurandi &c. quæ tamen explicatio ſpeciei, ac numeri neceſſaria eſt ad validitatem ſacramenti: Hac methodo procedunt Examinatores Urbis, quam plures primò fatētur ſibi omninò ignotam, ſed deinde addunt eſſe omninò neceſſariam, & quia crediderim vix eſſe, qui tractent hoc Ordine Theologiam Moralem, ideò judicavi ſcribere hoc opus; & qui noverunt ideam, unanimes me extimularunt ad ſcribendum.

4. Pro hac praxi neceſſaria eſt aliqua ſcientia Theologiæ Moralis, ſaltem ordinaria, ſed univerſalis circà omnia peccatorum genera, quæ ſolent frequentari in loco, ubi quis audit confeſſiones; quod etiam conſiderant Examinatores Romani: pro villâ exigunt ſcientiam peccatorum, quæ communia ſunt ruſticis; pro Civitate, ſcientiam peccatorum, quæ frequentiùs in eâ ſolent committi. In Urbe maximè neceſſaria eſt cognitio Simoniæ, Bullę de datis, & acceptis pro obtinendâ gratia & juſtitiâ ab Apoſtolicâ Sede &c. Ubi Cives ut plurimum negotiantur, neceſſaria eſt cognitio Uſuræ, Contractuum &c Officium Epiſcopi eſt invigilare, ut admittendi ad Confeſſiones, præcipuè ſciant de peccatis frequentioribus, vel reſervatis in ſuâ Diœceſi, eorumque remedia. Et idem deberent exigere à Concionatoribus: nec enim in loco humili opus eſt exagerare damna ambitionis, vani ornatus &c. A multis annis audivi ſæculares tribuentes huic uni Concionatorum imprudentiæ tenuem animarum converſionem, quam aſſerebant antiquis temporibus multò majorem, quod, ſcilicèt, iſti (ſed non illi) adventantes ad loca ſuæ prædicationis informabantur de vitiis frequentioribus in populo; & illa arguebant, ubi non nemo ex noſtris eamdem ubique concionem repetit, nullo habito reſpectu, an poſſit competere tali populo.

5. Quia tamen libri publicè propoſiti non poſſunt reſtringi ad unam, vel duas civitates; ideò ſcribenti neceſſe eſt attingere materiam omnem virtutum, ac vitiorum, quia Confeſſarius in confuſo ſaltem debet ſcire dubitare de omnibus peccatis, & etiam debet ſcire eodem modo virtutes, ut videat, quando peccatur in omittendo actus virtuoſos; & ita ego procedam. Præparantis ſe ad Confeſſiones erit pro ſuâ prudentiâ, ubi agitur de aliquo peccato reflectere, an dominetur tale peccatum in loco ſuæ juriſdictionis; & cognito, quod ibi frequentetur, ſæpiùs, ac ſtudioſiùs de illo tractare. Spero autem, quòd omnes approbabunt hunc meum qualemcunque laborem, ſi eâ benignitate animi, ac patientiâ legerint hanc operam, quà ordinandi dignantur legere *Inſtructionem pro ipſis editam*.

6. Ego ſanè quod promitto, curabo exequi. Tradam hanc notitiam univerſalem, abſtinens à caſibus difficilioribus, quos videre poterunt apud ſublimiores Theologos, qui profundius examinant materias. Imò & oro, & obteſtor, ut nunquam ſuper illis judicium ſuum proferant, niſi quolibet caſu raddicitùs examinato apud iſtos. Exemplum ſumant à Juriſtis. Hi habent Inſtitutiones & civiles, & criminales, & Eccleſiaſticas: habent volumina ſuarum legum; nihilominus ubi debent judicare, an caſus ille particularis compræhendatur ſub tali principio, vel lege, ſemper evolvunt libros, qui agunt de tali materia. Theologus etiam ita debet procedere: nam ſepiùs una circumſtantia facit non eſse peccatum, quod aliàs eſset peccatum; nec id ſemper poteſt quilibet determinare à ſeipſo ex ſolâ cognitione principiorum, ſed indiget directione.

7. Et

7. Et nihilominùs quia juxtà Apoſtolum debitores ſumus ſapientibus,& inſipientibus, pro iis,qui optant in ſtudio Theologiæ Moralis jacere profundiores radices, aſſignabo paſſim loca, in quibus de prædictâ materiâ tractat S. Thomas facilè Princeps Theologiæ tùm Scholaſticæ, tùm Moralis; & ordinariè aſſignabo loca tantùm ex ſuâ ſummâ. Equidem Angelicus in aliis ſeptemdecim tomis ſæpiſſimè multò diffuſius examinat materias morales, & caſus difficiliores in particulari, nihilominùs ego ſcribens pro præparantibus ſe ad audiendas confeſſiones, video in hoc magno numero pauciſſimos habere opera omnia Sancti Doctoris, cum Summa teratur omnium manibus ; quare pro pluribus eſſet ſuperflua hujuſmodi citatio ex aliis tomis; Inſuper qui habent, nullo negotio poterunt ſupplere meo deffectui. Currit enim annexa operibus Tabula Aurea Petri Bergomenſis, quæ eſt Index copioſus rerum memorabilium in operibus Angelicis. Hanc conſulat; quod ſi Tabulæ citationes ex ſe ipſo non facilè percipit, adeat aliquem ex Patribus Dominicanis, val alium in doctrinâ S Thomæ verſatum ; hujus enim ductu compræhendet omnia horæ vel uno quadrante.

8. Aliqua in hoc meo opere, videbuntur primâ facie ſatis obſcura. Id provenit;quia nec in ſcholis docentur, nec apud Caſuiſtas inveniuntur explicata; contingetque Lectori, ut contingit audienti novas voces non tamen terreatur quiſquis ille eſt : curet intelligere, cum forte ſint velut elementa Theologiæ Moralis. Id apparebit in iis, quæ dicentur de noſtris internis actibus, quorum tamen cognitio niſi habeatur, Confeſsarius nequit perfectè dirigerè animas.Si prima vice non percipiuntur, ſeptiès repetita percipientur, & placebunt.

9. Notabit Lector quandoque nonnulla repeti ; & fortè id fuerit in aliquo caſu mea inadvertentia:ut plurimùm tamen id contingit,quia rationes S.Thomæ ſunt veluti principia univerſalia plurimarum,de quibus proptereà quando agitur, neceſſe eſt repetere principium illud univerſale, ut detur legitima ratio. Habet ſæpiſſimè idem S. Doctor. Suam utramque ſummam, & Scholaſticam, & contra Gentes ille fundat ſuper eo unico principio, (ut deducitur ex c.14. contra Gentes l.1.) quod Deus omninò ſit immobilis,ſeù quod idem non poſſit ſecundùm idem eſſe in actu, & in potentiâ. Hoc principium, utpotè fundamentum Theologiæ totius, neceſſe habet ſæpiùs inculcare ; non proptereà hæc repetitio eſt ſuperflua, nec generat faſtidium, ſed imò aperit viam, ut ſemper faciliùs penetretur ; & ſic videantur plures propoſitiones deducibiles ex tali principio. Et ego curabo nihil repetere ex ſuperfluo, ſed tamen ſæpiùs attingam principia, & rationes univerſales.

10. Denique condonandum mihi erit, ſi minùs Latinè loquar. Nemo Theologorum Moralium profitetur elegantiam ſermonis;& ſanè prudenter : Vigent noſtris temporibus peccata quædam inter Chriſtianos, quæ, Philoſopho teſte. Et hic. Gentilibus tunc temporis erant innominata, quæ ſcilicet, ipſe vocat Beſtialia ; ad differentiam nominatorum quæ dicit humana.Certè in his explicandis nemo poteſt exigere candorem ſermonis, ſed ſufficit, ſi aliquo modo explicet illorum ſubſtantiam; quòd ſi cuilibet Morali difficilis eſt candor latini ſermonis; multò minus hic erit exquirendus à me, qui ſcribo non doctis, ſed Sacerdotibus ordinariis volentibus ſe præparare ad audiendas confeſſiones, & ut plurimum verſatis in latinitate uſuali, non politâ. His dandum eſt lac potus, non eſca, ut ſolent Examinatores Romani, nunquam in examine obligantes illos ad reſpondendum Latinè, quia cognoſcunt plures Nationes, præſertim Italos, maximam pati difficultatem, in utendo Latinis verbis, maximè, quando ex improviſo interrogantur.

CAPUT II.

Damna, & Utilitates Mali, ac Boni Confeſsoris.

1 Confeſsarius poteſt eſse in ſe malus,& tamen non eſse malus Confeſsarius: eſt in ſe malus ille qui ſuum officium exercet in peccato mortali ; & ſi exerceat, ut debet, peccat quidem graviter peccato ſacrilegii , ſed non eſt malus Confeſſarius, quia non abutitur ſuo officio in damnum Pœnitentium. Si latro fieret Judex, eſset malus in ſe, ſed non malus Judex, quando judicaret ſecundùm leges. Hic non loquor de Confeſsario in ſe malo , qui tantum ſibi nocet : Cap. 1. numer. 2. innui mala plurima, quę ſibi infert Confeſsarius malus ex

defectu ſcientiæ neceſſariæ. Malus pro hac parte nocet etiam plurimùm Pœnitentibus; verumtamen nocet, quaſi negativè, quatenus non confert illa bona, quæ tenetur conferre: Id pariter prætermitto, ſed loquor tantùm de confeſſario malo inferente damna poſitiva Pœnitenti. Et hæc præpono deſumpta ex oraculo duorum Pontificum Romanorum, ſcilicet, Pii Quarti, & Gregorii XV. expreſſo in Conſtitutione, quæ incipit: *Univerſi Dominici gregis*, edita de anno 1622. die 30. Auguſti.

2. Confeſſarius malus In hac vocatur *Peſtis* inficiens eum, cui *alios ſanandi officium eſt commiſſum*: Vocatur *Sal infatuatum*, quod non valet ultrà, *niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, qui Pœnitentibus *pro medicina venenum*, *pro pane aſpidem porrigit*: qui *ex cæleſti Medico infernalis Veneficus*, *ex Patre ſpirituali Proditor execrabilis animarum redditur*: qui *loco reconciliandi Pœnitentes Creatori noſtro, graviori eos peccatorum mole onerant, & tradunt in manus Diaboli*: qui *non verentur facere injuriam Salvatori Noſtro Jeſu Chriſto* quos in animum ſibi nequeunt inducere hi duo Pontifices, quod In caſibus ibi aſſignatis *de fide Catholicâ rectè ſentiant*: eoſque propterea declarant ſuſpectos de hæreſi.

3. E'contra Tridentinum ſeſſ.14.cap.3. innuit utilitates boni Confeſſoris, dùm ait: *Res, & effectus Sacramenti* Pœnitentiæ, *quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax, ac ſerenitas, cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet*. Enumerat quatuor effectus: primò juſtificationem peccatoris; & hic ſemper habetur, quantùm eſt ex vi Sacramenti: ſecundò pacem conſcientiæ: tertiò ſerenitatem: quartò vehementem conſolationem ſpiritus. Hi tres ultimi effectus non habentur in omni Pænitente, ſed in eo, qui eſt pius, & ſumit cum devotione, nec ſemper habetur in iſtis, ſed *interdùm*. Debet eſſe vir pius, hoc eſt, ex dono intenſo Pietatis reſpicere Deum ut Patrem: Debet ſumere cum devotione. Devotio autem eſt actus voluntatis elicitus à Religione, quo Pœnitens promptum ſe exhibet ad ea, quæ tangunt cultum Dei.

4. Cum his diſpoſitionibus Pœnitens accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ, *interdùm* conſequitur pacem conſcientiæ. Pax numeratur inter Beatitudines ſeptimo loco, & tertio inter fructus Spiritus Sancti. (Differentiam Beatitudinum à fructibus vide in *Inſtructione pro ordinandis* c.12.n.8.) & Pœnitens conſequitur pacem vel ut fructum; vel ut Beatitudinem, quia Concilium non diſtinguit. Pax dicit coordinationem hominis ad Deum, ad proximum, & in ſeipſo: quare Pœnitens ita diſpoſitus ex vi Sacramenti *interdum* conſequitur, quod ſua conſcientia, magis, quàm juſtorum ordinariorum ſit ſubjecta voluntati divinæ, reſpiciat proximum ut reſpiciendus eſt, & in ſeipsà ſit pacata, non habens contrarietatem dictaminum, ita ut modò timeat eſſe inimica, modò non timeat, ſed credat ſe amicam; hæc magis, illa minùs juxta excellentiam pacis, quâ fruitur. Præterea appetitus ſenſitivus ſi placentia ſibi ſuggerit conſcientiæ, non ſuggerit quaſi rebellis, & volens dominari, ſed cumdebita ſub ordinatione, quam ſemper præfert verus ſubditus civiliter.

5. Concilium magis explicat hanc pacem in tertio effectu, nempè, ſerenitatem: Cœlum dicitur ſerenum, quando non obſuſcatur nubibus; & pariter Cônſcientia dicitur ſerena, quando non obfuſcatur nubibus aut timore inordinato, ne non peccata ſibi ſint remiſſa.

6. Tandem vehemens conſolatio ſpiritus afficit Pœnitentem, qui mille peccatis obvolutus, ubi ſe ad Sacramentum diſpoſuit, oratione, jejunio, & eleemoſinâ, plus quàm ordinariis, ſtatim ac abſolvitur, percipit in ſe ſatis diſtinctè, ruptas eſſe catenas, quibus tenebatur conſtrictus: Ante confeſſionem videbantur ſuo collo imminere montes: poſt abſolutionem ſentit ſe liberatum ab omni jugo.

7. Cum hæc quatuor dicantur effectus ſacramenti, præparans ſe ad confeſſiones ſciat propterea cauſari in nobis ex opere operato, virtute ſanguinis Chriſti applicati per Sacramentum. Quia verò ſæpiùs illi continget dubitare, quomodo Sacramenta cauſantia effectum ex opere operato, poſſint hunc effectum in uno cauſare minorem, in alio majorem, imaginentur ſibi Principem, qui habeat plures Vaſſallos captivos Barbarorum exigentium pro redemptione, & pro reſtituendis Bonis, quæ antea poſſidebant, mille numos aureos, quingentos pro redemptione, & quingentos pro cæteris bonis: Princeps autem edicit, ut de regio ærario ſolvantur quadringenti, quando conſangui-

nei captivorum erogent centum: & præterea pro recuperatione bonorum edicit, quòd de regio ærario dabit tantumdem, quantum de proprio conſanguinei erogabunt: ſi decem, Princeps, addet alia decē: ſi viginti, addet alia viginti &c. Hoc modo procedit Chriſtus in Sacramētis: pro juſtificatione, ſi v.g. Pęnitens de ſuo, adjutus à Deo ponat diſpoſitiones ab ipſo requiſitas, ex theſauro ſuorum meritorum ponit multò majus, ut poſſit juſtificari: & circà reliquos effectus obſervat proportionaliter ordinem prædictum.

8 Concilium addit c. 5. *Hujuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis videri poſſet, niſi tot, tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quę omnibus dignè ad Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Loquitur de primo effectu: nam ait conferri *omnibus*, & *certiſſimè*. Igitur in juſtificatione nobis conferuntur *tot & tanta commoda*, & *conſolationes*.

9. Catechiſ. Rom. P. 2. c. 5. n. 37. hęc habet. *Quantum curæ, & diligentiæ in explicandà* confeſſione *Paſtores ponere debeant, ex eo facilè intelligent, quòd omnibus ferè piis perſuaſum eſt, quidquid hoc tempore ſanctitatis, pietatis, & religionis in Eccleſiâ, ſummo Dei beneficio conſervatum eſt, id magnâ ex parte Confeſſioni tribuendum eſſe*. Nihil majus dici poteſt ad explicandas utilitates boni Confeſſoris. Omnis ferè ſanctitas, pietas, & Religio Eccleſiæ tribuenda eſt eorum miniſterio in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento.

10. Promovendæ huic ſanctitati, pietati, ac religioni Confeſſores innumeri inſudant & Sæculares, & Regulares. Unicè tamen commemorabo S. Philippum Nerium. Optabat junior ſe transferre ad Miſſiones Indicas: Deus tamen eidem oſtendit Romam fore ſuas Indias, ubi *Sacerdos ex obedientia factus, in confeſſionibus audiendis ad extremum uſque diem perſeverans, innumeros pœnè filios Chriſto peperit*. Imò etiamnùnc perſeverat, & perſeverabit per Sacerdotes ſuæ Congregationis diffuſæ per totum orbem, etiam in Indiis Occidentalibus; & dùm hæc ſcribo, inſtantiſſimè petitur pro vaſtiſſimo Sinarum imperio.

11. En ante pręparantem ſe ad audiendas Confeſſiones, *vita, & mors: bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*: verumtamen advertat eo in loco Eccli. 11. addi: *Oculi Domini ad timentes eum, & ipſe agnoſcit operam hominis*, ut unicuique reddat *ſecundum opera ejus*.

12. Porrò ex Rituali duo præcipuè reddunt bonum Confeſſorem, bonitas, & ſcientia tàm ſpeculativa, quàm practica, quæ dicitur Prudentia; & ex duabus in Conſtitutione Clementis X. de privilegiis Regularium §. 6. *præcipua* eſt *vitæ integritas, ac morum honeſtas*. Ego tamen in præſenti opere non diſſeram de hac primà, quam facillimè poteſt præparans ſe ad confeſſiones acquirere per alios libros inumeros. Ero totus in ſcientià obdicta c. 1. n. 2.

CAPUT III.

Compendium Doctrinæ Magiſtri Sententiarum circà Sacramentum Pœnitentiæ.

1 ANtequam in particulari examinem ſingulas virtutes, & peccata, præparanti ſe ad confeſſiones proponenda ſunt generalia, ex quorum, veluti principiorum cognitione faciliùs ſuo loco videbit, rationes fundatiſſimas concluſionum particularium; & ante omnia propono doctrinam Magiſtri, ex quo cæteri Theologi hauſerunt, & hauriunt. De Pœnitentià, & ut virtus eſt, & ut Sacramentum eſt, Magiſter agit ſatis diffuſè in quarto à decima quarta ad vigeſimam tertiam diſtinctionem, inſerens aliquas quęſtiones ſcholaſticas pro praxi quidem utiles; At ego eas prætermittam gratià brevitatis, quia Confeſſoribus ordinariis non ſunt omninò neceſſariæ, qui vult profundiùs penetrare Theologiam Moralem, eas legat in fonte. Porrò in iis, quæ adduco, non me verbis alligo, ſed ſenſui: licebitque mihi ſenſum explicare per voces noſtro tempore notas, & communes.

Diſtinctio Decima Quarta.

2 POEnitentia longè poſitis à Deo neceſſaria eſt, ut appropinquent. Ex Hieronymo eſt ſecūda tabula poſt naufragium: qui veſtem innocentiæ baptiſmalis peccando perdidit, remedio Pœnitentiæ poteſt reparare. Prima Tabula eſt baptiſmus, ubi deponitur vetus homo, & induitur novus. Secunda Pœnitentia, quà poſt lapſum reſurgimus, dùm vetuſtas reverſa reppellitur, &

novitas perdita reſumitur. Poſt baptiſmum prolapſi valent renovari per pœnitentiam, non per baptiſmum. Licet ſæpiùs pœnitere, ſed non baptizari. Baptiſmus tantùm eſt Sacramentum: pœnitentia dicitur & Sacramentum, & virtus mentis: Eſt enim pœnitentia, interior, & exterior. Exterior eſt Sacramentum, interior eſt virtus, & utraque eſt cauſa ſalutis. A pœnitentiâ cæpit Joannis prædicatio Matth. 3. *Pœnitententiam agite*. Quod Præco docuit, poſt Veritas prædicavit, ſumens exordium ſermonis à pœnitentiâ. Pœnitentia dicitur à puniendo, quæ quis illicita commiſit. Pœnitentiæ virtus timore concipitur. Pœnitentia ex Gregorio eſt *anteacta deflere*, *& flenda non committere*. Qui ſic alia deplorat, ut alia committat, adhùc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat.

3. Diffunditur hìc Magiſter circà duas opiniones tùnc temporis celebres. Altera, & vera docebat, poſſe adhùc peccari poſt pœnitentiam. Altera contrà non poſſe peccari, & ſi peccatur, non fuiſſe veram pœnitentiam. Fundabatur in duobus principiis omninò falſis: primum, quod Charitas ſemel habita non poſſit amitti: Et hunc errorem S. Thomas repellit 2.2.q 24.a.11. ſecundum, quod omne peccatum poſt pœnitentiam commiſſum ita aggravetur, ut non ampliùs poſſit remitti. Hunc idem Angelicus repellit 3.p.q.84.ar.10. oſtendens poſt pœnitentiam poſſe levius peccari; ſed & ſi gravis peccaretur, Dei Miſericordiam eſſe multò majorem. Huic ſententiæ Magiſter adhæret, oſtendens ad veram pœnitentiam ſufficere, quod, quando pœnitet, non habet animum alia committendi, & curet ſatisfacere; quod ſi deinde peccet, prima pænitentia dicitur inanis, &c. quia non perducit ad ſalutem. Per pænitentiam acquiſierat jus ad gloriam; ſed eo iterùm peccante, mortificatur tale jus, ita, quod nequit homo conſequi gloriam; ſi tamen ſecundò pæniteat, recuperando charitatem, recuperat illud jus ſibi conveniens ex vi primæ pænitentiæ, ita quod in cælo habebit præmium prædictæ pænitentiæ; ſed ſi exiſtens in peccato mortali faciat opera bona, hæc dicuntur mortua, non mortificata: quare cum reſurgit per pænitentiam, non vivificantur illa opera in peccato facta, ita quod eorum præmium ſit habiturus in cælo. Ut igitur fructuoſa ſit Pænitentia, ſemper debet dolere pænitens, memor dixiſſe Chriſtum Jo. 5. *Vade*, *& ampliùs noli peccare*; non dixit: *Non amplius peccâ*, ſed *amplius noli peccare*, prohibens, quod in nobis oriatur etiam ipſa voluntas peccandi. Quare ſemper virtualitèr ſaltem dolere debet, imò guadere de tali dolore, & dolere, quod non ſemper poſſit actu dolere. Omnis tamen dolor ſit regulatus à fide. Quod ſi aliquando legatur unica tantùm eſſe Pænitentia, intelligitur hoc, non de Pænitentia, ut eſt Virtus, aut Sacramentum, ſed de Pænitentia ſatisfactoria, Canonica, publicâ, & ſolemni, (de qua videatur etiam Pontificale Romanum.) Hæc in pluribus Eccleſiis unica tantùm vice poterat imponi pro delictis gravioribus.

Diſtinctio Decimaquinta.

4 IN hac Magiſter diſputat, an Peccator poſſit pænitere de uno peccato ſine alio. Ad id probandum primò arguit per authoritates. Præcipua eſt illa Nahum 1. *Non conſurget duplex tribulatio*; & ſecundum aliam lectionem: *Non iudicabit Deus bis in idipſum*. Unde videntur ſequi, quod peccatore agens pænitentiam de uno peccato, in hac vita, non ampliùs in alia ſuper eodem caſtigetur à Deo. Secundò arguit ratione. Qui confitetur unum peccatum, aliis omiſſis, & implet pænitentiam ſibi à Confeſſario impoſitam, ubi omnia iterùm confitetur, non videtur obligandus ad novam ſatisfactionem.

5. Ad primum reſpondetur admittendo lectionem, ſed addimus Deum flagellare quinque modis: primò Juſtos, ut Job, quò per patientiam creſcant in meritis: ſecundò juſtos, ut Paulum, ne ſuperbiant: tertiò alios, ut Mariam ſororem Moyſis, quò puniantur de peccatis commiſſis: quartò in Dei gloriam, ut cæcus ille Jo.9. quintò incipit in hac vitâ flagellare peccatores, quò deinde continuet eos flagellare in aliâ; quare ex hoc numero eſt ille, qui unum peccatum ſine aliis confitens, adimplet pænitentiam impoſitam: incæpit enim de illo peccato caſtigari hìc, ut ſeverius deinde continuetur caſtigari in inferno.

6. Ad ſecundum reſpondetur illam non fuiſſe veram, & Chriſtianam Pænitentiam in Evangelio prædicatam: dicitur enim Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; quæ ex Auguſtino ca.72. Ench. eſt *peccatorum*

cauſas excidere; *nec ſuggeſtionibus eorum aditum indulgere*. Peccator iſte faciens eleemoſinas,non ſibi blandiatur illoChriſti dicto Luc.11.*Date elemoſinam*, *& ecce omnia munda ſunt vobis*. Elemoſina, ut proſit, debet eſſe ordinata, incipiens à ſeipſo, juxtà illud Eccl. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo*; & iſte peccator ſibi eſt crudelis, non miſericors: nam Pſ.10. *qui diligit iniquitatem*, *odit animam ſuam*. Ideò Matth.2. dicitur: *Mundate*, *quæ intus ſunt*; & quia ſcriptum eſt Actibus 15. *Mundans fide corda eorum*: immundus eſt, qui facit eleemoſinam ſine fide per dilectionem operante. Deus quidem non abominatur opus bonum peccatoris; imò dicitur Matth. 23. *Hæc oportuit facere*, *& illa non omittere*. Sed tamen illud opus bonum, utpotè non elicitum ex charitate, non eſt ſatisfactiorum; quod convenit tantum pęnitentiæ ſatisfacienti de præteritis, & emendanti futura; qualis non fuit pænitentia Judæ pænitentis de proditione Chriſti, & committentis poſteà homicidium ſui. Tamen plenè intelligatur, quid ſit emendare futura; nèc enim importat ſolùm reſtituere damnum illatum, ſed principalitèr importat propoſitū efficax non ampliùs peccandi; & in hoc includitur propoſitum efficax ſtatìm reſtituendi, quia *non dimittitur peccatum*, *niſi reſtituatur ablatum*.

Diſtinctio Decimaſexta.

7 CONſiderat hìc Magiſter tres partes Sacramenti Pænitentiæ, ſcilicèt, Cordis Contritionem, Oris Confeſſionem, Operis Satisfactionem. In qualibet harum ex Auguſtino: *Conſideret qualitatem criminis in loco*, *in tempore*, *in perſeverantia*, *in varietate perſonæ*, *& quali hoc fecerit tentatione*, *& in ipſius vitii multiplici executione*. Quibus verbis innuitur conſiderandas eſſe circumſtantias mutantes ſpeciem, & alias notabilitèr aggravantes intrà eandam ſpeciem (ſi poſſunt notabilitèr variare Confeſſoris judicium.) Debentque circà omnes iſtas verſari tres illæ partes ſacramenti Pænitentiæ: Pænitens enim debet de illis conteri ſaltem univerſalitèr, ita ut motivum doloris includat omnes, & ad melius eſſe convenit de omnibus dolere in particulari; debet omnes explicare in confeſſione, quantum poteſt; & debet de omnibus ſatisfacere Deo. Doleat, quod in uno peccans factus eſt omnium reus per ingratitudinem: Deo enim quoad ſubſtantiam recedendi ab ipſo, ita fuit ingratus, ac ſi commiſiſſet homicidium. Inſuper factus eſt omnium reus, quia juſtitiam amittens, amiſit cæteras virtutes, quibus ſuſtentaretur, ne peccaret, amiſit, v.gr. Caſtitatem, quà amiſſa facillimè cadet in luxuriam, &c.

8. Ita dolens, confiteatur diſtinctè, confeſſuſque ſatisfaciat, præſertim eleemoſinis, quas Deus reſpiciet, quia Gen.4. ubi primùm *Reſpexit ad Abel*, poſteà etiam reſpexit *ad munera ejus*. Meminerit in eleemoſinis Deum reſpicere affectum dantis, non quantitatem dati: Non accedat ſtatim ad communionem, ſed præparet ſe, præſertim per grande deſiderium communicandi, dolens, quòd adhùc non ſit perfectè diſpoſitus pro communione. Caveat à falsà pænitentià, quæ talis eſt ex Gregorio c. *Falſas* d.5., quando non ſit *ſecundum authoritates Sanctorum*, *pro qualitat e criminum* ſi Contritio, Confeſſio, & Satisfactio non ſint proportionatæ peccatis, & quales ex Evangelio, & Eccleſia exigunt Sancti.

9. Tres ſunt virtutis Pænitentiæ ſpecies: Una ante baptiſma, juxtà illud Act.2. *Agite pœnitentiam & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Altera mortalium poſt baptiſma commiſſorum: Tertia venialium: Juſti enim veracitèr, & humilitèr dicunt quotidiè *Dimitte nobis debita noſtra*; adduntque jejunia, orationes, & eleemoſinas, quæ tamen ut habeat vim in venialia, conjungi debent alicui diſplicentię de ipſis venialibus; & plurimum prodeſt cōfeſſio ſacramentalis. Hæc opera ſatisfaciunt etiam pro mortalibus, ſed debent eſſe multò perfectiora; nàm debent conjungi diſplicentiæ,quæ ſaltèm appretiativè ſit ſuper omnia, ſacrificio cordis contriti, & humiliati, veræ orationi, qua dicatur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, & hæc oratio talis ſit, ut ſaltem virtute ſacramenti, conſequatur gratiam juſtificantem, & charitatem.

Diſtinctio Decimaſeptima.

10. SOlùm innuam tres caſus hìc diſputatos, quia noſtris temporibus ſunt omninò clari. Primus eſt, an Contritio ſine Confeſſione juſtificet. Dicitur, quod Contritio eſt duplex, alia imperfecta, & alia perfecta charitate. Hæc, non illa im-

perfecta, & alia perfecta charitate. Hæc, non illa juſtificat ante confeſſionem: Secundus eſt, an ad remiſſionem peccati requiratur abſolutio Sacerdotis? Dicitur, quod in utroque dolore, ad remittendum peccatum, requiritur abſolutio Sacerdotis; diverſimodè tamen: Ad Contritionem charitate perfectam ſufficit abſolutio in voto, ſeu propoſitum ſubiiciendi peccata clavibus, & accipiendi Abſolutionem: Ad imperfectam requirur actualis abſolutio, virtute cujus, tanquam inſtrumenti nobis applicentur merita Chriſti quibus conjuncta contritio noſtra operetur illam remiſſionem, ad quam ex ſe non poterat ſufficientèr diſponere. Tertius eſt, an non Sacerdos poſſit abſolvere. Super hoc vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 34. n. 15. 16. 17.

Diſtinctio Decima Octava.

11 HIc agitur de duobus clavibus: prima eſt ſcientiæ: ſecunda ſolvendi, & ligandi. Circà clavem ſolvendi, opinio Magiſtri hodiè rejicitur. Sed quia præparanti ſe ad confeſſiones fortè proderit ſcire, quid ego circà illam, ex S. Toma hauſerim, expono meam opinionem, quam poterit examinare, ſi ſit fundata, necne. Igitur homo peccans mortalitèr primò perdit gratiã Dei: ſecundò fit Reus pœnæ æternæ: tertiò remanet macula in eſſentia animæ vi cujus etiam dormiens dicitur peccator, & inimicus Dei, per modum quo poſt actualem mutilationem brachii, homo dormiens adhùc dicitur mancus, & deformis, & ita in Voluntate Potentia Animę, quanquam non ſit ampliuspeccatum, ex illa macula in eſſentia animæ homo dicitur, & eſt Peccator: quartò per peccatum incurrimus tenebras interiores, Ignorantiam in Intellectu, vi cujus ignoramus primariò, quæ facienda ſunt propter Deum: Malitiam in voluntate, vi cujus inclinamur ad amandum nos ipſos, non Deum. Infirmitatem in Appetitu. Iraſcibili, vi cujus cedimus arduis, quæ occurrunt in Dei ſervitio: Concupiſcentiam, vi cujus inclinamur ad bona ſenſitiva. Ut hæ interiores tenebræ ſingularum potentiarum fugentur, neceſſaria eſt in unaquaque ſpecialis gratia Dei, nam intellectu illuminato, niſi ulterius adjuvetur voluntas, utpotè adhùc mala, non poterit amare Deum; & illuminato intellectu, ac rectificata voluntate, niſi confortetur ſpecialitèr Iraſcibilis, non poterit ſuperare contraria. Idem dic de Concupiſcibili.

12 Quatuor hęc vincula ſolvit Sacerdos per abſolutionem, quæ eſt inſtrumentum ad illa ſolvenda operans in virtute Chriſti: primò enim ſolvit à captivitate dæmonis, cauſans miniſterialitèr gratiam ſanctificantem, quâ redditur amicus Dei: ſecundò ſolvit reatum pœnæ æternæ, & reatum etiam pœnæ temporalis, vel in toto, vel in parte: tertiò ſolvit à maculâ: quartò ſolvit à tenebris interioribus. Et prima tria ſolvit per gratiam ſanctificantem, quæ eſt effectus communis omnis Sacramenti: quartum verò tollit per gratiam ſacramentalem, quæ eſt ſpecialis effectus hujus ſacramenti; nam virtute Abſolutionis, ſuo loco, & tempore prædictis quatuor potentiis datur auxilium, & gratia actualis, quà poſſint vitare peccata, major, vel minor, juxtà majorem, vel minorem diſpoſitionem Pœnitentis, ſed præcipuè ſecundum quod miſericordia Dei reſpicit nos.

13. Sed quia horum vinculorum ſolutio nequit haberi ſine diſpoſitione Pænitentis, videamus, quid, & qualitèr influat Pænitens, quid, & qualitèr Sacerdos abſolvens. Nulla forma introducitur in ſubjecto naturaliter, niſi præviè diſponatur ſubjectum: forma ignis non introducitur in lignum, niſi præviè calefiat, & exſiccetur lignum. Caleſit autem ſucceſſivè per ſeptem gradus caloris, quibus introductis, generatur forma ignis, quæ producit ſibi ultimam diſpoſitionem, nempè, octavum gradum. Hic ex Angelico eſt ordo naturalis, cui certè in introductione formæ ſanctificantis, Deus non eſt omninò alligatus, ſed ſine præviâ diſpoſitione poteſt ſanctificare miraculosè. An velit facere hoc miraculum, ſolus ipſe poteſt dicere; ejus autem locutio eſt Sacrâ Scripturâ, ex quâ imo contrarium apparet, quod nullatenùs adultum Deus velit ſanctificare, ſine præviâ diſpoſitione: *qui enim creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.* Miraculoſa fuit converſio S. Pauli, non tamen ſine præviâ diſpoſitione, & præſertim ſine diſpoſitione ultimâ: Illam conſideremus. Saulus ardens Act. 9. minarum, & cædis petebat Damaſcum vincire diſcipulos. In itinere audit Chriſtum: & exclamat: *Domine, quid me vis facere?* Diſpoſitiones ad gratiam ſunt fides Dei Unius, & Remuneratoris. Credebat hæc, ut Hæbreus. Præterea fides Trinitatis, Incarnationis, Mortis, & Re-

ſurre-

ſurrectionis Chriſti. Sciebat Jeſum natum, crucifixum, & mortuum. Tùnc cognovit reſurrexiſſe dicens ad illum, ut viventem: *Domine:* Cognovit ut Dei Filium: *Prædicabat Jeſum, quoniam hic eſt Filius Dei*. Cognovit Spiritum Sanctum, dicente Anania: *Miſit me Jeſus .. ut .. implearis Spiritu Sancto*. Baptizandus etiam cognovit in baptiſmo virtutem ſanctificandi, quæ omnes ſunt præviæ diſpoſitiones: ultimam enim, quæ eſt ſimùl cum formâ ſanctificante Tridentinum attingit ſeſſ.6.c.7. illis verbis: *Hanc Diſpoſitionem, ſeù præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ .. eſt .. ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum* Spiritus Sancti: Hæc voluntaria ſuſceptio fuit utique in Paulo Miraculum fuit quod ordniariè diſponitur ſucceſſivè peccator timore pænarum, dolore primùm imperfectiori, deinde perfectiori, ſicuti lignum calore primùm remiſſiori: poſtmodum intenſiori. Paulus autem ſine tot motibus, ſtatim habuit dolorem perfectum & voluntariam ſuſceptionem gratiæ.

14. His expoſitis, declarandum eſt, quid valeat abſolutio Sacerdotis: Magnum reverà eſſet beneficium, ſi Deus concederet, ut ego proferens aliqua verba, poſſem ex Chriſti meritis, introducere formam ignis cum octavo gradu caloris (qui eſt ultima diſpoſitio) poſtquam lignum recepit quatuor gradus caloris, quando ipſe Deus ſe ſolo agens, non introducit, niſi poſt ſeptem gradus. Ita proportionaliter Deus ſe ſolo juſtificans, non introducit formam ſanctificantem, niſi poſt talem, ac tantam juſtificati diſpoſitionem, quam ipſe novit, & nos præciſè ignoramus; ſed ex meritis Chriſti dedit virtutem Sacerdoti abſolventi, ut det Pænitenti gratiam, & voluntariam ſuſceptionem gratiæ, quæ eſt ultima diſpoſitio exiſtens ſimùl cum gratia, & producta ab homine tanquam cauſa particulari; à Deo tanquam cauſa univerſali, & à Sacerdoti tanquam inſtrumento Dei per merita Chriſti. Ita explico vim abſolutionis, quam alii alitèr, & fortè melius explicabunt. Exemplum formæ ignis eſt ſatis ad propoſitum; ſed caveas, ne velis eſſe idem omninò; nàm circà dolorem multi non requirunt gradus remiſſos, & intenſos, ut in calore. De hoc non eſt diſputandum, quia nihil prodeſt.

15. Altera pars Clavis ligat: primò ad Pænitentiam, ſeù ſatisfactionem, quam Pænitens tenetur ſub mortali adimplere quam primum (Relaxatio pænarum per Indulgentias conceſſas à legitimo Superiore ſpectat ad clavem ſolvendi:) ſecundò ligat per excommunicationem, vi cujus Dæmon accipit majorem poteſtatem in excommunicatum, & quæ illum privat fructu orationum in Eccleſia factarum, fructu benedictionum, & omnium aliorum ſuffragiorum.

Diſtinctio Decima Nona.

16 Hic agitur de Clavi ſcientiæ, quæ dicitur talis, quia dat poteſtatem judicandi, ſeù exercendi judicium in Chriſtianos: nec enim in ullo caſu poteſt quis dare ſententiam, niſi habeat poteſtatem judicandi; & prætereà niſi ſimul ſubditi ſint, qui judicantur: nam Rex Galliæ, quà Rex habet poteſtatem judicandi, ſed non Hiſpanos, quia iſti non ſunt ſubditi, quò uſque non ſubdantur. In ordinatione Sacerdotis datur poteſtas judicandi, ſeù clavis ſcientiæ: per conceſſionem juriſdictionis Epiſcopus illi aſſignat ſubditos. Poteſtas judicandi poteſt eſſe ſine ſcientia ad judicandum ſicuti Rex adhuc puer habet poteſtatem, ſed non ſcientiam: E contrà Magnus Legiſta habet ſcientiam neceſſariam ad judicandum, ſed non poteſtatem, niſi quando creatur Judex, & quando creatur Judex, non judicat, niſi aſſignentur, ſeù determinentur ſubditi, ad quos judicandos habeat juriſdictionem. Sine poteſtate judicandi judicium Theologi, & Legiſtæ eſt doctrinale; cum poteſtate judicandi, & cum juriſdictione eſt authoritativum. Tamen, ut hoc ſit rectum, debet præcedere ſcientia. *Dolendum eſt*, inquit Magiſter, *atque lugendum: Multi enim ſcientiæ, quâ eminere debent, exortes, ſacerdotii gradum recipere præſumunt, vitâ, & ſcientiâ eo indigni, qui nec ante Sacerdotium, nec poſt, ſcientiam habent diſcernendi, qui ſint ligandi, vel ſolvendi*. Quando abſque ſcientia ſufficienti, habens juriſdictionem, uteretur clave ſcientiæ, ſeù poteſtate judicandi, peccaret mortalitèr, niſi in extrema neceſſitate. Sed ſi *bona fide* accedat Pænitens, remanet abſolutus; ſi *mala fide*, invalidè abſolvitur, quia accedit, & cum peccato, utpotè cooperans peccato Confeſſoris. Hic, ut exerceat rectè ſuum officium, faciat, quod præcipit Auguſtinus: pri-

mò

mò non abſolvat in peccato mortali: ſecundò ſciat diſtinguere ſpeciem, & numerum peccatorum, & circumſtantias explicatu neceſſarias: tertiò adjuvet Pænitentem, qui neſcit, vel erubeſcit explicare peccata: quartò ſit *benevolus*, *paratus erigere*, *& ſecum onus portare* quintò *doceat perſeverantiam &c.*

Diſtinctio Vigeſima.

17 HIc agitur de pænitentià in fine vitæ: dicitur in tali articulo nemini hoc ſacramentum eſſe negandum. Ob imminens periculum damnationis æternæ aliquando perfici penitentiam, quæ tali periculo, ut imminente non apprehenſo, foret imperfecta, vel nulla. Confertur igitur hoc ſacramentum peccatori moribundo, ſed non ideò eſt validum. Datur pænitentia, ſed non certitudo Pænitentiæ. Non dico, quod damnabitur, ſed nèc, quod ſalvabitur. Igitur *tene certum dimitte incertum*. Certus es faciens pænitentiam, quando potes peccare. In articulo mortis facis non potens ampliùs peccare; ideò tunc peccata te deſinunt, non tu peccata. Videris pænitere ex neceſſitate, timore pænę, non amore Dei, cum Deus velit charitatem, non neceſſitatem, nec ſolum timorem. *In ſolo enim timore non vivit homo*: Nemo abſque charitate poteſt ſalvari. Hanc difficilè concipit pænitens in extremo. A Dei amore tunc retrahunt, uxor, filii, mundus illicitè amati. Non tamen eſt deſperandum: Deus uti poteſt hac magnà miſericordia: ſed ſi contritio non ſit perfectiſſima, ſatisfaciendum erit pænis Purgatorii, quæ excedunt pænas omnes Martyrum. Eaſdem patietur pænitens in ſanitate, ſed non plenè ſatisfaciens; etiamſi contigerit id ex negligẽtia Confeſſoris non imponentis pęnam proportionatam; quæ moribundo indicanda tantùm eſt, ut adimpleat, ſi convaluerit. Si magnus, ac publicus Peccator in fine vitæ petat confeſſionem, & moriatur ante Confeſſoris adventum, juvandus erit ſuffragiis Miſsarum, orationum &c.

Diſtinctio Vigeſima Prima.

18 QUatuor hìc elucidãtur: primo utrum in alia vità remittantur peccata; & quidem mortalium reatus quoad culpam, nequit deleri, ſed tantum reatus quoad pænã peccatorum in præſenti dimiſsorum quoad culpam. Venialia quoad culpam remittuntur per actum ardentis charitatis, quem eliciunt animæ ſeparatæ, quando exierunt ex hac vita cum aliquo affectu ad illa; quoad pænam; per cruciatus Purgatorii patientèr toleratos. Et ſunt in triplici genere: quædam vocantur ſtipula, ſcilicèt leviſſima, quæ ſicut palea facillimè conburuntur, ſeù totalitèr delentur: quædam fænum, paulò graviora, & ut fænum, indigent majori tempore, quo comburantur: quædam vocantur lignum, quod difficilius comburitur.

19. Secundò determinat explicandas eſse in confeſſione ſpeciem, numerum, & circumſtantias neceſſarias peccatorum, ſi fieri poſſit: ubi hoc fieri non poteſt, explicet, quod poteſt ſaltem in genere. Omittens legitimè unum peccatum, ſi habeat, juxtà d. n. 7. dolore univerſalem (in motivo ſaltem) abſolvitur ab explicatis directè, ab omiſſo indirectè. Notat S. Th. ſuppl. qu. 10 art. 5. quòd peccatorum, quæ confitetur, ratione erubeſcentiæ dimittur aliqua pars pænæ temporalis ſolvendæ in Purgatorio, sèd non peccati, quod omittit, quia de hoc non patitur erubeſcientiam. Venialia ſufficit conſiteri in genere, ſed utiliſſimum eſt, ea etiam conſiteri in ſpecie, præſertim, quando ſint frequentia. Quæ leviora quotidiè committuntur ex merà fragilitate, dimittuntur per confeſſionem in genere non ſacramentalem, ter in die factam in Miſſa, ad Primam, & ad Completorium, dummodò dicentes *Confiteor*, &c. adjungamus aliquem animi dolorem proportionatum.

20. Tertiò quærit, an mentiri quis poſſit in Confeſſione. Reſpondetur, ſi mendacium ſit circà peccatum mortale, invalidam eſſe confeſſionem, & committi ſacrilegium. Eodem modo, ſi ſit de veniali, quod ſit materia totalis. At ſi non eſt totalis materia, erit veniale peccatum.

21. Tandem quartò quærit de ſigillo, vi cujus Confeſſor tenetur cælare quidquid audivit in confeſſione; quod ſi ſciretur, redderet odioſam confeſſionem. Sacri Canones deponunt Confeſſorem, qui violat ſigillum.

Diſtinctio Vigeſima Secunda.

22 QUæritur an peccata ſemèl dimiſſa redeant: v. gr. perfectè contrito remittitur nunc peccatum; deinde negligit con-

confiteri, an iterùm fiat reus peccati olim dimiſſi: vel ſic: Hodie dimittitur mihi peccatum in confeſſione: cras iterùm pecco; an cras redeat peccatum hodiè dimiſſum. Super hoc articulo Magiſter videns dicta Patrum, & Scripturæ, quæ videbantur varia, nihil determinavit, ſed humilitèr concluſit, *ſtudioſo Lectori judicandum relinquo addens mihi tutum fore, ac ſaluti propinquum, ſub mensâ Dominorum micas edere.* Tamen S. Thomas, & communitèr alii docent maculam peccati ſemèl ablatam non ampliùs redire, ſed ſequens peccatum aggravari ex ingratitudine contra Deum, qui totiès remiſit, & totiès offenditur.

23. Denique quia in omni ſacramento reperiuntur hæc tria *Sacramentum tantùm: Res Sacramenti tantum*, & *Res ſacramenti, ac ſacramentum*: pro primo in ſacramento Pænitentiæ aſſignat, actus ſenſibiles, & externos ſignificantes internam remiſſionem: pro ſecundò internam remiſſionem ſignificatam: pro tertiò act us illo externos cum remiſſione internâ.

CAPUT IV.

Diſpoſitiones, quas in Peccatore ad juſtificationem requirit Tridentinum ſeſſ.6. cap.6.

1 PRæparans ſe ad confeſſiones curabit hęc omnia comprehendere perfectè, ut adjuvet ſuo tempore Pænitentes rudiores, qui deficerent in illis. Hodiè plurimum frequentantur confeſſiones, nec tamen correſpondet fructus. Id autē maximâ ex parte provenit, quòd ignorentur diſpoſitiones neceſſariæ. Sciuntur quidem in genere datæ In *Inſtructione pro ordinandis* c.11.n.26. neceſſariæ omni Chriſtiano etiam rudiori, ſed ignorantur ſpeciales actus, quorum notitia multum dirigeret Confeſſarium; nec indoctum vulgus, utpotè incapax poteſt percipere. Igitur judicavi multùm expedire, quod hic omnes particularitèr obſerventur. Non tamen decido an omnes hi actus debeant eſſe formalitèr in ipſo juſtificando, vel an ſufficiat, ut ſint virtualiter ut aliqui prætendunt. Nolim enim hic ego diſputare de mente Concilii. Addo ſolum, quod ſi aliquæ diſpoſitiones poſſunt concurrere virtualiter tantum, hæc virtualitas eſt explicanda ſecundum dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c.14. n.9.

2. *Diſponuntur*, iniquit Concilium, *ad juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti*. Prima diſpoſitio tota ex parte Dei, eſt duplex *gratia* excitans, & adjuvans; ita ut nomine gratiæ excitantis intelligatur illuminatio intellectus, & nomine adjuvantis motio appetitus intellectivi, & ſenſitivi, vel alio quocumque modo intelligant Scholaſtici utramque gratiam.

3. *Fidem ex auditu concipientes*. Secunda diſpoſitio eſt actus potentiæ intellectivæ, quo ex ſenſu auditus concipitur fides. Conſideret unuſquiſque, an iſte actus pertineat ad donum Intellectus, ut præambulum, iuxtà ea, quæ ait S. Thomas 2.2. q.7.a.5. c. & ad 1.

4. *Liberè moventur in Deum.* Tertia eſt motus liber voluntatis, qui voluntatis, qui à Scholaſticis dicitur *pia affectio*; & per illam complacemus de Deo, juxtà conceptum præcedentèr à nobis formatum.

5. *Credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt.* Quarta diſpoſitio eſt actus fidei, tendens in omnia revelata, & promiſſa; unuſquiſque conſiderer, an omnia poſſint credi tantùm implicitè, vel omnia ſuo ordine, ita quod explicitè ſint credenda neceſſaria neceſſitate medii. Ut notavi; nolo hic de meo quicquam dicere. Singuli videant, quid congruat menti Patrum per dicta verba explicatę.

6. *Atque illud imprimis juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Credendus eſt explicitè hic articulus in particulari, quod juſtificatio, ſeù jus ad gloriam habetur per gratiam Dei, per redemptionem noſtram completam à Chriſto Jeſu, qui eſt ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis; Porrò fuit completa redemptio per Incarnationem, Paſſionem Mortem, & Reſurrectionem Chriſti:

7. *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes.* Quinta diſpoſitio eſt actus intellectus; quo ſe homo agnoſcat peccatorem.

8 *A divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur.* Sexta diſpoſitio eſt actus voluntatis, ut Iraſcibilis, quo timet ſibi pænam; Timor ordinate ſequens ad fidem de Deo Remuneratore boni, ac mali, & ad cognitionem, quod homo ſit peccator:

9. *Ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe convertendo.* Septima diſpoſitio eſt conſideratio intellectus de Dei miſericordia, quæ per conſequens ſupponitur credita, & nunc judicat, quod ignoſcet ſibi ut ignovit aliis.

10. *In ſpem eriguntur.* Octava diſpoſitio eſt

eſt actus Spei à voluntate, ut Iraſcibili, elicitus poſt notatum actus, & hęc ſpes firmat deſiderium.

11. *Fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitiam fore*. Nona diſpotio eſt novus actus, qui dicitur fiducia, & in quem influit, ut quiſque videt, fides de Deo, de ejus miſericordiâ, & de Chriſto cauſante in nos remiſſionem peccatorum per ſua merita.

12. *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*. Decima diſpoſitio redit ad voluntatem: eſt enim amor initiativus Dei, ut à quo eſt omnis noſtra juſtitia.

13. *Propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*. Undecima diſpoſitio nominatur alius actus voluntatis, qui tamen ſupponit, quod intellectus reflectat ad ſua peccata; & hic actus voluntatis eſt odium peccati, non tamen qualecunque odium; Notetur enim illa particula cauſalis *propterea*, quæ importat odium procedere per influxum, ſeù in virtute diſpoſitionum priùs enumeratarum. Quia loquitur de juſtificatione per baptiſmum, ideò ponitur odium peccati, quale ſufficit ad pænitentiam ante baptiſmum. Applicando proportionatè hanc doctrinam juſtificationi peccatoris baptizati, odium iſtud eſſe debebit, quale requiritur in ſecundâ ſpecie Pænitentiæ, ſcilicèt, mortalium poſt baptiſma, quæ ex ſeſſ. 14. c. 2. exigit magnos noſtros fletus, & labores.

14. *Denique dùm proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata*. Duodecima diſpoſitio ponuntur tres actus voluntatis, vel ſaltem unus qui ſit virtualitèr triplex, nempè propoſitum baptiſmi, inchoationem novæ vitæ & obſervantiæ mandatorum. In baptizato requiritur propoſitū ſacramenti Pænitentiæ. Qui actus in voluntate præſupponunt ſpeciales actus præcedentes in intellectu: tùm quia nihil volitum, quin præcognitum: tùm quia, ut ait S Thomas ſuppl. q. 2. a. 4. Contritio ex parte propoſiti *habet aliquid de actu prudentiæ adjunctum*. Has duodecim diſpoſitiones Concilium enumerat c. 6. decimam tertiam innuit c. 7. his verbis.

15. *Hanc diſpoſitionem, ſeù præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ .. eſt .. ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorū.* Juſtificatio ſequitur ad præcedentèr dictas diſpoſitiones, ſed non in eodem, inſtanti: quare nulla ex illis duodecim poteſt eſſe ultima; cum ultima dipoſitio ad formam debeat eſſe ſimùl cum formâ: Ex actibus noſtris, qui neceſſariò coexiſtat ſimùl cum gratiâ, reperitur hęc voluntaria ſuſceptio gratiæ. Hic actus habet aliquam cauſalitatem in gratiam; ſignificatque Concilium id ea præpoſitione *per voluntariam* &c. nàm dicta prępoſitio importat de ſe cauſalitatem, nec aliam in hoc loco poteſt importare, niſi materialem: Omnis alia cauſalitas, ut per ſe patet, tali actui eſt impoſſibilis, etiam efficiens: etenim Dei ſolius eſt efficienter cauſare gratiā. Utiq; verum eſt, quòd utpotè pars materialis ſacramenti elevatur à Chriſto ad attingendū effectivè gratiam, ſed Chriſtus elevat partem materialem, ſeù diſpoſitionem. Cujus verò virtutis actus ſit hęc voluntaria ſuſceptio gratiæ, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, non aperio præparanti ſe ad confeſſiones ordine ordinarias, quià nihil confert ad praxim. Profundiùs volens rem examinare videat, an hìc habeat locum doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 25. a. 2.

16. Confeſſarius maximè calleat has diſpoſitiones, & curet eas in actu poni à Pænitentibus: Has per Eccleſiæ organum Spiritus Sanctus declaravit ſe velle in juſtificando. Det Deo quod ſcit velle Deum: de aliis ignorat, ſaltem an placituræ ſint Deo; ſed de iſtis non poteſt dubitare. Addat, ſi placet, alias pro neceſſitate, & capacitate pænitentis; Addat tamen, ſciens, quòd addere ſupponit eſſe, cui aliquid additur. Curet etiam, ut ſervetur ordo: incipiat à primis, inculcando Pænitenti magnam fidem de revelatis, & promiſſis inter quæ eſt infernus promiſſus peccatori; oſtendat pænas intolerabiles, & æternas: etenim maximè movebitur ex hac conſideratione peccator, qui ex nimio ſui amore receſſit à Deo: nàm amans ſe ipſum, firmeque credens tot ſibi pænas imminere, facilè inducitur, ut contemnat bonum momentaneum, quod ſibi acquirit malum æternum; & quod ulteriùs reflectens, videat, ad ſibi verum bonum acquirendum, eſſe neceſſarium, ut adhæreat ſummo bono, ac vero fini ultimo. Advertat per has diſpoſitiones, veluti per gradus, perveniri ordinariè ad juſtificationem: quare ab unâ gradatim deducat ad aliam tranſeundo per mediam: nec enim aſcen-

Digitized by Google

aſcendit, qui ab ultimo, ſtatim tentat, non tranſeundo per decem media, ſe conſtituere in decimotertio gradu ſcalæ, v. g. ex præconceptà fide, ordinariè loquendo, non ſtatim erigat ad ſpem, reliquendo timorem. Si Deus ipſe in juſtificando vult gradatìm procedere, cur Confeſsarius Dei inſtrumentum velit procedere per ſaltus? quando inſtrumentum id ſolum, & eo ordine poteſt operari, quo & ad quod illum movet cauſa principalis: Moderetur tamen ſingula juxtà capacitatem, & præviam Pænitentis diſpoſitionem.

CAPUT V.

Compendium doctrinæ Tridentini de Pœnitentia ſeſſ. 14.

1 HIc Patres principaliter intenderunt ſtabilire contrà hæreticos dogmata fidei Catholicæ circà Pænitentiam; quare non indiget percipere fundamenta Scripturæ, ac traditionis ad illa comprobanda, qui præparat ſe ad confeſſiones ordinarias, præſertim in locis, ubi Catholici non ſunt mixti Hæreticis; ſed ſufficiet proponere, quid Concilium declaraverit per modum concluſionum; ſi tamen iſte præparans ſe ad confeſſiones debeat agere cum Hæreticis, ut agere debent ordinati ad titulum Miſſionis; quos propterea Innocentius XI. voluit examinari ſuper controverſiis dogmatum, poterit ſe præparans circà Pænitentiam legere poſita in *Inſtructione pro ordinandis* c. 41. à nu. 38. ad 50. ubi contrà ſingulos errores damnatos data ſunt argumenta potiora Concilii.

Dogmata firmata capite I.

2. Sacramentum Pænitentiæ fuit inſtitutum à Chriſto ad remiſſionem peccatorum poſt baptiſma commiſſorum.

3. Pænitentia quovis tempore fuit neceſſaria peccatoribus, ut ſe juſtificarent.

4. Etiam nùnc eſt neceſsaria infidelibus volentibus juſtificari, & ita, quod deteſtentur Dei offenſam cum odio peccati, & pio animi dolore.

5. Pęnitentia tamen ante Chriſtum non erat ſacramentum, ſicuti neque pęnitentia Catechumenorum poſt Chriſtum.

6. Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, cum Jo. 20. dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c.

Dogmata Capitis II.

7. Sacramentum Pęnitentiæ poteſt conferri totiès, quotiès homo Chriſtianus ſufficientèr diſpoſitus ad ipſum accedit.

8. Miniſter Sacramenti Penitentiæ, verè in illo adminiſtrando, exercet officium Judicis.

9. Sacramentum Pęnitentiæ remittit peccatum quoad culpam, ſed non totalitèr quoad pęnam temporalem, quæ ut plenè remittatur, exigit magnos noſtros fletus, & labores.

Dogmata Capitis III.

10. Forma Sacramenti Pęnitentiæ ſunt illa Sacerdotis verba: *Ego te abſolvo* &c.

11. Preces à Sacerdote in abſolvendo adjunctę ſunt ex determinatione Eccleſiæ.

12. Preces iſtæ non ſpectant ad eſsentiam formæ, nèc neceſsariæ ſunt adminiſtrando ſacramento.

13. Hujus ſacramenti veluti materia ſunt tres actus Pęnitentis: Contritio Cordis, Confeſſio Oris Satisfactio Operis.

14. Hi tres actus poſſunt etiam dici partes Sacramenti.

15. Hujus ſacramenti effectus eſt reconciliatio peccatoris cum Deo.

16. Interdum etiam efficit pacem conſcientiæ, & vehementem ſpiritus conſolationem.

Dogmata Capitis IV.

17. Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſso, cum propoſito non peccandi de cætero.

18. Ut juſtificet, conjungi debet fiducię de Dei miſericordià, & propoſito faciendi, quantum exigitur ad ritè ſuſcipiendum hoc ſacramentum.

19. Contritio importat hos actus, ceſsationem à peccato, propoſitum, & inchoationem novæ vitæ nèc non odium veteris.

20. Contritio charitate perfecta juſtificat, antequam actu ſuſcipiatur hoc ſacramentum.

21. In tali caſu juſtificatio tribuenda eſt etiam propoſito ſuſcipiendi hoc ſacramentum; quod propoſitum includit ipſa Contritio.

22. Attritio dicitur etiam Contritio imperfecta.

23. Duò motiva Concilium nominat, ex quibus oriri poteſt Attritio, nempè, turpitudinem peccati, metumque pænarum.

24. Attritio, ſi voluntatem peccandi exclu-

cludat, & includat ſpem veniæ eſt donum Spiritus Sancti.

25. Hæc Attritio eſt donum Dei moventis, non adhùc inhabitantis.

26. Hæc Attritio per ſe, ſine ſacramento Penitentię, non poteſt perducere peccatorem ad juſtificationem.

27. Hæc Attritio diſponit ad impetrandam gratiam in ſacramento Pęnitentiæ.

Dogmata Capitis V.

28. Chriſtus inſtituit integram confeſſionem peccatorum.

29. Cuilibet Chriſtiano poſt baptiſmum lapſo in mortale peccatum, Confeſſio neceſſaria eſt *jure divino*.

30. Debemus confiteri, ſpeciem, numerum, & circuſtantias mutantes ſpeciem.

31. Niſi hæc explicentur, nequit ſervari æquitas in pęnitentiis injungendis.

32. Examen conſcientiæ debet præcedere confeſſionem.

33. Peccata mortalia, etiam merè interna ſunt confitenda.

34. Peccata venialia non tenemur confiteri; ſed tamen utiliter poſsumus confiteri.

35. Qui ex erubeſcentià tacet aliquod mortale peccatum, nec ab his abſolvitur, quæ dicit.

36. Peccata poſt diligens examen oblita, & omiſsa in confeſſione, remittuntur ſimul cum reliquis, quæ explicantur.

Dogmata Capitis VI.

37. Miniſter Sacramenti Pænitentiæ eſt ſolus Epiſcopus, & Sacerdos.

38. Eſto hi ſint in peccato mortali, habent poteſtatem abſolvendi.

Dogmata Capitis VII.

39. Invalidè abſolvit Sacerdos, qui cum poteſtate Ordinis, non habet poteſtatem juriſdictionis.

40. Epiſcopi, & maximè Summus Pontifex poſſunt ſibi reſervare peccata quędam graviora, quę ſic reſervata Sacerdos inferior abſolvit invalidè.

41. In articulo mortis nulla eſt reſervatio, ſed quilibet Sacerdos poteſt abſolvere ab omni cenſurà, & peccato.

Dogmata Capitis VIII.

42. Dum macula remittitur peccati, non ſemper tota pæna remittitur debita peccato.

43. Confeſsarius debet imponere Pænitenti ſatisfactionem proportionatam peccato, juxtà vires Pęnitentis, & ſecundum quod ſuggeſserit prudentia ſpiritus.

44. Hujuſmodi pænæ Pænitentibus impoſitæ debent eſse ſatisfactoriæ pro præteritis, & medicinales pro futuris peccatis.

Dogmata Capitis IX.

45. Etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & patientèr toleratis, Deo ſatisfacimus pro pæna debita peccatis.

CAPUT VI.

Compendium Doctrinæ Catechiſmi Romani circà Sacramentum Penitentiæ.

1. UTiliſſimum foret hìc exponere omnem. Catechiſmi doctrinam de Sacramento Pænitentiæ ex p.2.c.5. ſed id non patitur exigua moles operis. Ergo colligam compendio, quæ magis neceſsaria videbuntur, obſecrans, & obteſtans præparantem ſe ad excipiendas confeſſiones, ut ipſum in fonte legat, & ſæpiùs, Catechiſmum. Si in miniſterio domus Oeconomico filius obediēs habet frequentiſſimè prę oculis regulas, quibus ipſum dirigere ſtudet Materfamilias in exercitio talis miniſterii, quantò magis in adminiſtratione hujus ſacramenti, debet eniti filius Eccleſiæ Romanę, ut Matris ſuę directæ à Spiritu Sancto monita relegat, & opere compleat?

2. Igitur n.1. innuitur obligatio Parochi ad explicandam vim hujus ſacramenti, talis, ac tanta, cui complendæ nulla diligentia *ſatis videri poſſit*. Quia enim ſecunda eſt poſt naufragium tabula, fidelis quiſque debet eniti precibus, & opere, ut nunquam perdat innocentiam baptiſmalem; ſed ſi ex fragilitate ceciderit, inſtruendus eſt non differri debere hoc ſacramentum, quo bonus Paſtor obligat vulnera ſuarum ovium, eiſque medetur.

3. A n.2.ad 8. datis variis acceptionibus hujus nominis *Pænitentia*, eam, de qua hic ſermò eſt, dicit eſse dolorem, quo *unius Dei causà*, intimo animi affectu dolemus admiſſi ſceleris, vel etiam ſignum aliquod externum damus hujus doloris; & quidem dolor intimus animi ſpectat ad virtutem Pænitentiæ, qui conjunctus ſignis externis à Chriſto determinatis, ſpectat ad ſacramentum Pęnitentiæ, nàm ſi tantùm pænitentia ſit externa, parùm prodeſt. Intima igitur, quæ virtus eſt, conſideranda primum eſt,

eſt, quia præſupponitur ad rationem ſacramenti. Per hanc igitur *ad Deum nos ex animo convertimus*, cum odio peccati, propoſito emendæ, & ſatiſfaciendi, non ſine ſpe veniæ conſequendæ, ad quæ ſequitur dolor, & triſtitia, & per hunc dolorem multi ex Sanctis Patribus deſcripſerunt Pęnitentiam. Quia, ut dictum eſt, importat converſionem ad Deum, & ſupponit fidem;

4. A n.8.ad. 11. Pęnitentia hæc interior, proponit, & curat ſatisfacere Deo, ex affectu juſtitię, non quidem rigoroſæ, ſed quæ poteſt intercedere inter Filium, & Patrem, inter ſervum, & Dominum, proceditque per eos gradus, & actus, qui ex Tridentino dicti ſunt cap.4. Catechiſmus adducit ſex principaliores cum S. Thoma 3. p.q.85.a.5. Primus eſt gratia Dei: ſecundus eſt actus fidei: tertius motus timoris ſervilis: quartus eſt motus ſpei: quintus motus charitatis: ſextus motus timoris filialis, quo nos voluntariè ſubjicimus Deo, & ejus gratiæ. Propterea virtus hæc à Catechiſmo vocatur *divina*, *& cæleſtis*.

5. A n.11.ad 18. Oſtenditur externam pęnitentiam eſſe ſacramentum reiterabile, cujus materia *nihil populo fideli notius eſſe debet*; ſed & formæ explicationem non eſſe prætermittendam à Parochis, quod *ejus cognitio excitet fidelium animos ad percipiendam ſumma cum religione hujus ſacramenti gratiam*. Ait preces addi ab Eccleſià, *ut removeantur ea, quæ poſſent impedire vim, & efficientiam hujus ſacramenti culpa illius, cui adminiſtratur*. Et cum verba formæ importent abſolutionem peccatorum, Deo gratiæ ſunt agendæ, quod ubi Sacerdos antiquus ſolùm declarabat mundatam lepram corporis, Evangelicus Sacerdos efficit mundationem lepræ animæ, tamquam Miniſter operans in virtute Dei cauſæ principalis.

6. A n.18. ad 22. Primò declarat, quo ritu Pænitentis debeat accedere ad hoc ſacramentum, magnà, ſcilicet, cum humilitate, reſpiciens in Confeſſario perſonam Chriſti, & ſe dignum omni ſupplicio. Secundò ait, quod *nihil tàm proderit fidelibus, nihilque majorem illis alacritatem pænitentię ſuſcipiendæ afferet*, quam ſi Parochi explicent illius utilitatem. Vide hos effectus à Tridentino traditos cap.2. à n.3. Primus effectus, eſt remiſſio peccati, & reconciliatio cum Deo, adeò certa & infallibilis, ubi pænitentia eſt vera, & habet omnia requiſita, ſive ex naturà rei, quando eſt virtus tantùm, ſive ex inſtitutione Chriſti, quando inſuper eſt ſacramentum, adeò, inquam, eſt certa, & infallibilis in prædicto ſuo effectu, ut remittat omne peccatum, eſto graviſſimum, quia nullum eſt, quod abſolutè ſit irremiſſibile; & nullum è contrà eſt, quod ſine illà poſſit remitti quantumcumq; leviſſimum; ipſa enim & peccata venialia indigent aliquà pœnitentià, ſi non ut eſt ſacramentum, tamen, ut pænitentia eſt virtus.

7. Nu 22., & 23. oſtendit, quod Parochi debent ſigillatim diſſerere de partibus Sacramenti Pænitentiæ jàm propoſitis c.5. n.13. *ex quibus veræ, & ſalutaris pænitentiæ ratio à fidelibus percipi queat*; & proponit rationes, quibus Parochus uti poteſt ad oſtendendum populo, cur illæ dicantur partes, & cur ſint tres.

8. A n.24. ad 37. explicat primam partem Pænitentiæ, ſcilicèt, Contritionem, aſſeritque primò *diligenter* explicandam eſſe populo, ut illam, ſicuti *debet*, poſſit elicere in omni inſtanti, quo Deum offendit, vel quo recordatur ſe Deum offendiſſe. Primum tradit definitionem Contritionis (quam hìc nō repeto utpotè pluriès inſinuatā in præcedentibus) & varia nomina, quibus eam nominat Scriptura, & Patres. Oſtendit ſecundò in contritione de offenſà Dei dolendum eſſe ſuper omnia, & appretiativè, & intenſivè: *Sit non ſolùm maxima, ſed vehementiſſima*: ſic enim erit omni ex parte perfecta; quanquā ſi non poſſimus pertingere ad hanc intenſionem, adhùc erit *vera, & efficax contritio*, ſi appretiativè dolor ſit ſuper omnia. Sed optanda, & commendanda eſt omnis intenſio poſſibilis, dicente Auguſtino: *Non ſunt in te Chriſtianæ pietatis viſcera, ſi luges corpus, à quo receſſit anima: animam verò, à quà receſſit Deus, non luges*. Optandum igitur, & commendandum fidelibus, quod tam intensè doleant, ut ex intenſo dolore prorūpant etiam in lachrymas, licèt eodem tempore Parochus debeat docere, quod non eſt abſolutè neceſſaria hæc doloris intenſio. Inſupèr *maximè hortandi, & monendi ſunt fideles*, ut de ſingulis mortalibus *proprium* habeant dolorem; ſed non *deſperent*, ſi quandoque non dolentes particularitèr de ſingulis, tantummodò videant ſe dolere in univerſali de omnibus: hoc enim ſufficit. Tertiò colligit, quæ *ad contritionem ſunt maximè neceſſaria*; nam de

his

his vult à Parocho *accuratè doceri populum*, ut ſciat, quomodo eam poſſit acquirere, & quantùm diſtet ab ejus perfectione. Porrò *natura ipſa*, *& ratio oſtendunt* ad veram contritionem requiri odium peccati, propoſitum confitendi, ac ſatisfaciendi, maximè ſi læſit juſtitiam commutativam, ſatisfaciendo Deo, & proximo per reſtitutionem: quia *non remittitur peccatum*, *niſi reſtituatur ablatum*: debet etiam, qui conteritur, ſuſcipere *certam*, *& ſtabilem cogitationem vitæ emendandæ*; ut proponat in totà vita ſua nunquam ampliùs Deum offendere. Addit, quod *ad contritionem maximè pertinet* condonare injurias. Circa utilitatem contritionis, (quò fideles laborent dirigere omnem ſuam vitam, & actiones, ad conſequendam conrritionem perfectam) Parochi docebunt, pleraque alia pietatis opera ut elemoſinam, oranem, jejunium, poſſe ob noſtram culpam, aliquando reprobari à Deo, ſed non ita contritionem, quæ imo ſi ſit charitate perfecta, ſtatim reconciliat hominem Deo; quare, ut fideles excitentur ad contritionem, Parochus monebit, ut *frequentèr* examinent conſcientiam, & ubi peccatum in eà notabunt, ſtatìm ſe accuſent, ſupplices expoſcant veniam, & tempus confitendi, ac ſatisfaciendi, necnon gratiam non ampliùs labendi; curabunt denique Parochi excitare in ſubditis maximum odium adversùs peccata, oſtendendo quanta ſint bona (maximè æterna) quibus nos privat, & quanta ſint mala (maximè æterna,) quibus nos addicit.

9. A nu. 37. ad 55. agit de ſecundâ parte materiali Sacramenti Pænitentiæ, quæ eſt *Oris Confeſſio*. Ut Parochi moveantur ad ea diligentèr populo explicandam proponit hanc rationem, quia *omnibus ferè piis perſuaſum eſt*, *quidquid hoc tempore ſanctitatis*, *pietatis*, *& religionis in Eccleſiâ*, *Dei beneficio*, *ſervatum eſt*, *id magnâ ex parte Confeſſioni tribuendum eſſe*. Tres illius utilitates notat: Prima, quod confeſſio cum abſolutione delet peccata vi clavium, eſto dolor non ſit *tam vehemens*, *acer*, *& intenſus*, qualis requiritur cum ſolâ contritione perfecta, abſque confeſſione: ſecunda, quod etiam ſine ordine ad ſacramentum, pro mutandâ vitâ, multùm prodeſt ſuum internum aperire fideli amico, qui juvet ſuo conſilio, & operâ, ut multò melius ſit aperire conſcientiam Sacerdoti Vicario Chriſti, obligato ſeveriſſimè ad ſigillum, & cui, ut rectè conſulat, idem Chriſtus aſſiſtit. Tertia, quod verecundia confitendi ſecretiora cordis, coercet nos, ne proponamus occulta, & nefanda ſcelera, quæ animo propoſita, tandèm exequeremur manifeſtè.

10. Confeſſio autem ſacramentalis eſt, accuſatio peccatorum ab ipſo peccante facta eo fine, ut impetret veniam. Inſtituta fuit à Chriſto, ut facienda Sacerdoti, cui referenda ſunt peccata, in ſpecie, numero, & circumſtantiis, *quæ pravitatem valdè augent*, *vel minuunt*: & exemplificatur de furto, cujus quantitatem vult Catechiſmus explicandam eſſe, quanquam aggravet ſolùm: ſi ſponte aliquod peccatum grave omittatur, ſacrilega, & invalida eſt confeſſio; ſi ex oblivione omittatur, pænitens habebit onus dicendi omiſſa, cùm venerint in mentem, quia confeſſio eſt valida, niſi *nimis diſſolutè*, *& remiſſè* fecerimus examen conſcientiæ: nàm in iſto *oportebit iterare Confeſſionem*. Ad illam obligamur ex præcepto ſemel in anno, cum ſimus in periculo mortis; cum timor eſt fundatus, quod niſi confiteamur, obliviſcemur peccati. Nèc prætermitti debet, quando volumus adminiſtrare, aut recipere ſacramenta (ex præcepto ſolùm obligat, quando volumus conficere, aut recipere Euchariſtiam, nihilominùs prætermittenda non eſt in aliis ſacramentis, quandoquidem dubitare multùm poſſumus, an volentes juſtificari, ut debemus, habeamus contritionem adeò perfectam, quæ nos actu juſtificet; quare multùm convenit confiteri; etſi quis non confiteatur ante ſuſceptionem ſacramenti, convenit, ut in confeſſione primà ſe accuſet, quòd ſuſceperit ſacramentum cum ſolà contritione quam ignorat, utrùm fuerit perfecta.) Porrò ad perfectionem confeſſionis reqniritur, ut ſit prudens, ac verecunda, ſcilicèt, expediens paucis, & modeſtis verbis, rationem peccati, in ſecreto, ore proprio, & quàm citò quis peccavit.

11. A n. 55. ad 63. Miniſter Sacramenti Pænitentiæ debet eſſe proprius Sacerdos, ſcilicèt, qui habeat juriſdictionem ordinariam, vel delegatam. In articulo mortis quilibet Sacerdos ab Eccleſia habet juriſdictionem, ſi deſit proprius Sacerdos, ſuper omnes excommunicationes, & omnia peccata judici, & Medici officium Confeſſarius

Digitized by Google

rius gerit; propterea eum quiſque *ſibi, Sacerdotem deligat quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet, qui & quantum in officio, cui præeſt, ponderis, & momenti ſit, & quæ cuique ſceleri pœna conveniat; & qui vel ſolvendi, vel ligandi ſint, optimè noverit*. Meminerit primò Confeſſarius ſe teneri ſtrictiſſimè ad ſigillum: ſecundò obſervet, ſi Pęnitens habeat veram contritionem. Certum, quantum fieri poteſt, inducat, ut de illa gratias agat Deo, à quo petat gratiam exequendi propoſita: tertiò inducat, ut *quotidiè* meditetur aliquid de paſſione Chriſti, quem curet imitari, & amare: peccamus enim, quia non meditamur cęleſtia: quartò, quem non videt verè contritum, excitet ad contritionem, ut ita excitatus illam petat à Deo: quintò reprimat ſuperbos, qui cauſam ſui peccati refundunt in proximum: hi enim adaugent peccata, dum vel deſpiciunt, vel ignorant, quando, ſi ſunt injuriati, deberent pro malo non malum, ſed bonum reddere: ſextò addat animos iis, qui erubeſcunt fateri ſua peccata: ſeptimò objurget eos, qui raro confitentes accedunt ſine examine, & ſine dolore. *Hujuſmodi prorsùs imparatos dimittat humaniſſimis verbis*; ut revertantur poſt examen, & dolorem: quod ſi videt procedere id, non ex malitia, ſed incapacitate, timeatque, ne redeant, audiat illos, inducat, ut ſe accuſent de negligentia, promittantque majorem diligentiam in poſterum, & magna cautione advertens abſolvat, ſi viderit cum ſuo auxilio habuiſſe ſubſtantialia Confeſſionis; at ſi adhuc deficiant, dimittat, *ut blandiſſimè poterit* tractatum: octavò, quia multi erubeſcunt dicere peccata in juventute commiſſa, & ex ignorantia, aut oblivione omiſſa, eò quòd nunc vivunt in opinione pietatis, Parochus & *publicè*, *& privatim* doceat poſſe hominem facillimè labi memoria; nec tanti faciendam famam, ut præjudicetur veritati per confeſſiones ſacrilegas in futurum.

12. A nu. 63. ad finem capitis agitur de tertia parte Sacramenti Pęnitentiæ, ſcilicèt, ſatisfactione. Oſtenditur nomine ſatisfactionis intelligi primò pretium pro nobis à Chriſto in Cruce ſolutum: ſecundò pęnitentias Canonicas ab Eccleſia impoſitas, quæ hodiè dicuntur in Sancto Officio pęnitentiæ ſalutares: tertiò pęnitentias; quas unuſquiſque per ſe aſſumit, ex voluntate ſatisfaciendi Deo: quartò pęnitentias, quas Confeſſarius imponit pęnitentibus, & ad ſolutionem pęnæ temporalis debitæ peccatis confeſſis operantur ex opere operato. Dogmata autem ſtabilita priùs à Tridentino circà ſatisfactionem videantur in textu. Illud eſt notandum ex nu. 74., quod opus ut ſit ſatisfactorium, debet procedere à juſto, & Dei amico; eſtque triplex, oratio, jejunium, & eleemoſina, ſuper quibus vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 11. n. 37. Licèt unus poſſit ſatisfacere pro alio juxtà articulum Symboli, *Communionem Sanctorum*; tamen, quia pęnitentiæ per Confeſſarios impoſitæ debent etiam eſſe medicinales, & unus nequit accipere medicinam pro alio, propterea, niſi aliud explicet Confeſſarius, Pęnitentes per ſe debent explere pęnitentias impoſitas. Confeſſarius autem in iis injungendis nihil ſtatuat ſuo arbitratu, ſed omnia dirigat juſtitia, prudentia, & pietate. Interdum, ut peccati gravitas ponderetur, ſignificet quas pęnitentias injungebant Canones antiqui Pęnitentiales pro tali delicto (id exigit, ut Parochus habeat maximè illorum notitiam, & videat unuſquiſque, an unquam eos legerit; pro quibuſdam delictis Clericorum videatur *Inſtructio pro ordinandis* c. 38. à nu. 2. & quoad omnia peccata ex S. Carolo c. 15.) Ipſe Catechiſmus inter aliàs, ait, quod maximè convenit Confeſſarium imponere Pęnitenti, ut certis diebus vacet orationi, ut pro aliis precetur, præſertim pro animabus Purgatorii. Hortabitur etiam, ut per ſe frequentent opera ſatisfactoria, nec iis tantùm ſint contenti, quæ ſibi imponuntur. Quod ſi aliquando publica pęnitentia ſit imponenda pro peccato publico, eamque refugiat Pęnitens, non illum facilè audiat, ſed perſuadeat alacriter ſuſcipere, quæ futura ſunt ſalutaria, & ſibi, & aliis. Concludit Catechiſmus, quod hæc de Sacramento Pęnitentiæ, & ſingulis ejus partibus, ita Parochus docere debebit populum, *ut non ſolùm ea perfectè intelligat; ſed etiam, juvante Domino, re ipſa, piè, & religiosè præſtare animum inducat.*

CAPUT VII.

Doctrina Ritualis Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ, & Notæ ad illam.

1. PRæparans ſe ad audiendas confeſſiones non poterit meliùs comparare ſibi morum integritatem, & ſcientiam neceſſariam pro exercendo hujuſmodi officio Judicis, Medici, ac Doctoris, quàm apprimè callendo Ritualis doctrinam circà hoc Sacramentum. Filius ex obedientia matris maximè acquirit morum integritatem, & ex lumine Eccleſię acquirit ſcientiam. Hęc autem duo exercet, qui præparat ſe ad confeſſiones, maximè legendo, & exequendo Rituale Romanum, cujus uſum in omni ſacramento, verbis hiſce graviſſimis commendat Summus Pontifex: *Hortamur in Domino Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos univerſos, ubique locorum exiſtentes, & alios, ad quos ſpectat, ut in poſterum, tanquàm Eccleſiæ Romanæ filii, ejuſdem Eccleſiæ omnium Matris, & Magiſtræ authoritate conſtituto Rituali in ſacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Eccleſia, & ab ea probatus uſus antiquitatis ſtatuit, inviolatè obſervent*. Sint igitur præ manibus Theologi, & celeberrimi quique Caſuiſtæ, ſed præ omnibus Rituale ita diſſerens.

Inſtructio de Sacramento Pœnitentiæ.

2. *Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui poſt baptiſmum lapſi ſunt, in gratiam Dei reſtituendos, à Chriſto Domino inſtitutum, eò diligentiùs adminiſtrandum eſt, quò plura requiruntur ad illud rectè, digneque tractandum, ac ſuſcipiendum*.

3. Hic aſſignantur duæ cauſæ hujus ſacramenti, finalis, & efficiens: finalis, dum dicitur, *in gratiam Dei reſtituendos:* Efficiens, dum dicitur: *à Chriſto Domino inſtitutum*. Præparanti ſe ad confeſſiones non eſt neceſsarium ſcire, quid ſacramentis contulerit Chriſtus, ut Deus, & quid Chriſtus ut homo; ſed quia poteſt multum prodeſse, videatur S. Thom. 3. p. q. 64. a. 3. & 4.

4. *Cùm autem ad illud conſtituendum tria concurrant, materia, forma, & Miniſter: illius quidem remota materia ſunt peccata: proxima verò ſunt actus Pœnitentis, nempè, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio: Forma autem illa Abſolutionis verba:* Ego te abſolvo, &c. *Miniſter denique eſt Sacerdos habens poteſtatem abſolvendi vel ordinariam, vel delegatam*. Hic indicantur aliæ tres cauſæ, materialis, formalis, & inſtrumentalis, de quibus dicitur in ſubſequentibus.

5. *Sed ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt à quibuſcunque cenſuris, & peccatis abſolvere*. Quia hoc tangit quemlibet Sacerdotem, dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 4. & 5.

6. *In ejus Miniſtro requiritur etiam bonitas vitæ, ſcientia, & prudentia cum ſigillo ſecretæ confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio. In primis meminerit Confeſſarius, ſe Judicis pariter, & Medici perſonam ſuſtinere, ac divinæ Juſtitiæ ſimul, & Miſericordiæ Miniſtrum à Deo conſtitutum eſſe, ut tanquam Arbiter inter Deum, & homines* (verba maximè conſideranda) *honori divino, & Animarum ſaluti*, non ſuis paſſionibus *conſulat*.

7. *Ut ergo rectè judicare queat, diſcernens inter lepram, & lepram*, hoc eſt, diſtinguens ſpeciem, & numerum peccatorum, *& tanquam eritus Medicus Animarum morbos prudenter curare & apta cuique remedia applicare ſciat*, non qualemcunque, *ſed quantam poteſt maximam ad id ſcientiam, atque prudentiam, tùm aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præſertim è Catechiſmo Romano, & prudenti conſilio Peritorum ſtudeat ſibi comparare*. De ſcientia Confeſsori neceſsaria dicetur cap. 12. num. 11. ubi etiam tangentur tria media hic indicata ad illam conſequendam, ſcilicet, oratio, ſtudium, & conſilium Peritorum.

8. *Sciat Caſus, & Cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatas, & ſuæ cujuſque Eccleſiæ Conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet*. De Cenſuris, & Caſibus reſervatis dicetur cap. 18. 19. 20. Reſtat notanda illa particula *diligenter obſervet*: debent enim obſervari, & diligenter obſervari.

9. *Denique hujus ſacramenti doctrinam omnem rectè*, non ſecundum opiniones quorundam relaxativas, *noſſe ſtudebit, & alia ad ejus rectam adminiſtrationem neceſſaria. Atque in hoc miniſterio ita procedat, ut infrà præſcribitur*.

Ordo

Ordo miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

10. *Sacerdos ad audiendam confeſſionem vocatus, promptum, facilemque ſe præbeat*, non aſperum, aut alienum; peccabitque graviter, ſi reſpuat audire Pœnitentem, quando hic obligatur ad confeſſionem: Parochus peccabit contrà juſtitiam: Alius Sacerdos contrà charitatem, ſi potens audire ſine ſuo gravi incommodo, in tali caſu dimittat inauditum; *At priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium rectè, ſanctèque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.* Nunquam poteſt deeſse tempus eliciendi orationem jaculatoriam ferventem, ut nobis adſiſtat. Precautiuncula longior extat inter monita Sancti Caroli c. 11. n. 11.

11. *In Eccleſia, non autem in privatis ædibus confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ cùm inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac patenti loco præſtare.* Cauſa rationabilis audiendi confeſſiones in privatis ædibus exprimitur in litteris patentibus Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii quoad Confeſsarios Urbis, quas lege, vel privilegium Cardinalium, Oratorum Regum, ſimilemque virorum, quod privilegium ubi conſtet, poterunt audiri.

12. *Habeat in Eccleſia Sedem Confeſſionalem, in qua ſacras confeſſiones excipiat; quæ ſedes patenti, conſpicuo, & apto loco Eccleſiæ poſita, crate perforata inter Pœnitentem, & Sacerdotem ſit inſtructa.*

13. *Superpelliceo, & ſtola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret conſuetudo.*

14. *Pœnitens, ſi opus fuerit, admoneatur, ut, qua decet, humilitate mentis, & habitus, accedat, & flexis genibus, ſigno Crucis ſe muniat.* In hoc ſigno Crucis renovatur actus fidei de principalioribus Myſteriis, ut dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 8. n. 53.

15. Porrò hìc Rituale præcipit duo opera ſatisfactoria, jejunium in illis verbis *humilitate habitus*, & *flexis genibus*. Aliquod ex his etiam ſæpè innuit S. Carolus. Nec Rituale tamen, nec Sanctus exigunt ante ſacramentum adimpletionem pœnitentiæ, ſeù ſatisfactionis impoſitæ à Confeſsore. Imò Alexander VIII. propoſitione 16. 17. & 18. damnat, qui omninò id exigebant. Si quæratur ergo ante ſacramentum, quod fiat opus in ſatisfactionem à Confeſsore impoſitum, negamus id requiri, ſed ſi requiratur in genere aliquod opus ex ſatisfactoriis, nempè, aliquod opus pertinens vel ad jejunium, vel ad eleemoſynam, vel ad orationem, quod voluntariè aſsumat pœnitens, certè dolor requiſitus, utpotè afflictivus, & cætera, quæ conveniunt Pœnitenti, humilitas habitus, genuflexum, &c. veniunt ſub genere operis ſatisfactorii.

15. *Mox Confeſſarius inquirat de illius ſtatu (niſi aliter notus fuerit) & quam pridem ſit confeſſus, & an impoſitam pœnitentiam impleverit; num ritè, atque integrè aliàs confeſſus fuerit, num conſcientiam ſuam, priùs, ut debet, diligenter diſcuſſerit.*

16. *Quod ſi Pœnitens aliqua cenſura, vel caſu reſervato ſit ligatus, à quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi priùs obtenta facultate à Superiore.*

17. *Si vero Confeſſarius pro perſonarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Chriſtianæ Fidei rudimenta, ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de articulis fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignorantiam ejus corripiat; illumque admoneat, ut ea poſtmodùm diligentiùs addiſcat.* Tria Rituale præcipit Confeſsori: primò docere ignorantem: ſecundò: corripere ignorantiam: tertiò præcipere diligentiam addiſcendi in poſterum. Fuſiùs de his S Carolus c. 11. n. 19. & ſeqq. vide ibi: Diſtingue interim articulos neceſsarios neceſſitate medii, & neceſsarios neceſſitate præcepti. Pœnitens, qui primos ignorat, nullatenus poteſt abſolvi: imò ſi aliàs confeſsus fuit cum ignorantia illorum, etiam invincibili, fuit invalidè abſolutus: & ut validè poſſit abſolvi, debet priùs inſtrui, & inſtructus debet ſe accuſare tùm de numero vicium, in quibus omiſit elicere hos actus fidei, tùm de numero vicium, quibus neglexit ea diſcere (ſaltem *circumcirca*) & erat obligatus diſcere. Inſuper tenetur repetere confeſſiones invalidas. Quod ſi accedat in Paſchate, nec eum poſſit Confeſsor inſtruere, non tamen abſolvat, ſed differat abſolutionem, utens facultate ſibi data per caput: *Omnis utriuſque*: Si Pœnitens ignorat ſecundos ex ignorantia vincibili, procedatur juxtà monita S. Caroli, dummodò qui peccavit in addiſcendo, ſe accuſet de vicibus, quibus obligatus addiſcere neglexit, & de omiſſione recitationis Symboli, quoties ad illam tenebatur; Et hoc eſt, corripere ignorantiam, monere, quod de illa ſe accu-

ſet; Ut autem in poſterum ſit diligentior, præcipiet adire Parochum, & doctrinam Chriſtianam diebus Dominicis. Ulteriùs Rituale præcipit inſtruere *de aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis*; ut ſunt Dominica Oratio, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, univerſaliter pro omnibus: Neceſſaria pro ſuſcipiendo ritè Sacramento Pęnitentiæ: Si debet communicare, quæ ſunt neceſſaria ad ſuſcipiendam Euchariſtiam; & ſic de reliquis.

18. *Tùm Pęnitens confeſſionem generalem Latina, vel vulgari lingua dicat, ſcilicet*, Confiteor, *&c. vel ſaltem utatur his verbis:* Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi Pater: *Peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante, quotieſcumque opus fuerit, Sacerdote, qui pœnitentem non reprehendat, niſi finita confeſſione; neque interpellabit, niſi opus fuerit aliquid meliùs intelligere: proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia peccata ſua ritè, & integrè confiteatur, remota ſtulta illa quorundam verecundia, qua præpediti, ſuadente diabolo, peccata ſua confiteri non audent.*

19. *Si Pęnitens numerum, & ſpeciem, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget*. Hæc eſt cauſa interpellandi Pęnitentem, ut perfectè intelligat rationem peccati. Porrò Examinatores Urbis maximè inſiſtunt, ut approbandus ad confeſſiones curet ſervare hanc ordinationem Ritualis: quare præparans ſe ad confeſſiones ſæpius intrà ſe videat ſpecies, & circumſtantias, conſtituſque in examine, ſemper attendat ut petat illa ſimul cum numero.

20. *Sed caveat, ne curioſis, aut inutilibus quæſtionibus, quemquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexus, vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant*; quod utinam non ſæpè contingat.

21. *Demùm, audita confeſſione, perpendens peccatorum, quæ ille admiſit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac Pęnitentis conditione opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac meliùs inſtituendam, inducet, remediaque peccatorum tradet*. Confeſſarius igitur primò monebit pęnitentem juxtà gravitatem criminum, ac neceſſitatem pęnitentis: ſecundò monebit inductus *charitate paterna*: quare videat, quid importet charitas, & charitas Patris: tertiò inducet ad dolorem. Debuit quidem acceſſiſse dolens, ſed augendus eſt, quantum fieri poteſt, dolor: quartò inducet ad mutandam vitam: quintò dabit remedia, ne relabatur.

22. *Poſtremò ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis: item diſpoſitionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat, ne, ſi fortè peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id verò ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantùm ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem*. In imponenda Pœnitentia hæc omnia ſunt habenda præ oculis.

23. *Quare curet, quantùm fieri poteſt, ut contrarias peccatis pęnitentias injungat, veluti avaris eleemoſinas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis ſtudia. Rariùs autem, vel ſeriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utiliſſimum erit conſulere, ut ſæpè, putà, ſemel in menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat, communicent*. Non præcipienda, niſi aliter judicetur ex circumſtantiis, ſed conſulenda eſt frequentior confeſſio, ac communio. Sanè Medicus non aliud remedium conſulit prudentiùs, quàm quod à Deo inſtitutum eſt contrà talem morbum Duo autem Sacramenta ſunt inſtituta ad nos preſervandum à peccatis futuris, Pęnitentia, & Euchariſtia: quare conſulenda ſunt, ſed duplici generi perſonarum *rariùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus*; ſed recidivis ex infirmitate, non ex malitia, vel habitu, aut quia perſeverant in occaſione proxima, vel ſe exponunt periculo proximo labendi: nam Pęnitentiæ ſacramentum eſt inſtitutum, ut ſubveniat infirmitati humanæ: cæteris ſubveniendum eſt, & hoc ſacramento, & aliis remediis.

24. *Pęnitentias pecuniarias ſibi ipſis Confeſſarii non applicent; neque à Pęnitentibus quicquam, tanquam miniſterii ſui præmium petant, vel accipiant*. Proinde non ſibi petat eleemoſynam pro Miſſis, & graviùs peccaret, qui eas imponeret pauperibus vix habētibus, unde vivant; & ſit, ut neque poſt

annos

annos hi poſſint adimplere hujuſmodi pœnitentiam.

25. *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus manifeſtam pœnitentiam non imponat*: quare nec uxori, nec filiofamilias imponentur jejunia, vel penitentiæ ſimiles, ex quibus oriri poſſit ſuſpicio peccatorum gravium.

26. *Videat autem diligenter* (non ſuperficialiter) *Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio: ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris* (Reflectat hic etiam Confeſſarius ad 60. propoſitionem ab Innocent. XI. damnatam) *qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena; ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in meliùs emẽdare nolunt: aut qui publicum ſcandalũ dederunt, niſi publicè ſatisfaciant, & ſcandalũ tollant: neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superiori reſervata*. Hęc ſunt clariora, quàm indigeant explicari.

27. *Si verò quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus cenſuris, & peccatis (ceſſat enim tunc omnis reſervatio) ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat; ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, à quo aliàs eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primùm poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus*. Fuſiùs in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. vide, quomodo in tali periculo debeat ſe gerere Sacerdos.

28. *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata penitentis cognoſcere, quibus utcunque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt*. Fuſiùs & de his in dicta *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 14.

29. *Meminerit porrò Sacerdos ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam penitentiam, ſed indicendã tantùm illam, quam ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxtà gravitatem morbi, aliquà oratione, aut levi ſatisfactione impoſita, & acceptata, abſolvantur, prout opus fuerit*.

30. Rituale ponit ſucceſſivè formam abſolutionis cum precibus illi adjunctis ab Eccleſia. Hæc non adduco: nam quilibet eas memoriter debet excipere. Curandumque, ne in abſolvendo voces elidantur in gutture: nam ſi id contingeret de verbis eſſentialibus formæ, ita quod mutaretur omninò ſignificatio, ſacramentum remaneret invalidum: ſi elidantur cæteræ preces, utique perficitur ſacramentum, ſed Confeſſor reus eſt irreverentiæ in divina, & ſcandali Pęnitentium. In Italiæ Urbe celebri laborabat hoc vitio vir aliàs magni nominis, & etiam pietatis, delatiſque Pęnitentium querelis ad Epiſcopum, hic non ſtatim credens denunciationi, voluit apud illum confiteri, & ex pravo habitu defecit etiam in abſolvendo Epiſcopum, qui confeſſione finita immediatè abſtulit omnem juriſdictionem prædicto Confeſſori. Ergo proferantur omnia lentè, graviter, diſtinctè, tanquam ab habente auctoritatem, ſed paternam, ita ut appareat in Confeſſario, & zelus ingens animarum, & reverentia maxima divinorum.

31. Subſequenter inſeritur forma abſolvendi ab excommunicatione: Si quidem Superior præſcribat modũ particularem abſolvendi, omninò erit ſervandus: at ſi dicatur *in forma Eccleſiæ conſueta abſolvat*; Pęnitens ante omnia, ſi poteſt, ſatisfaciat Superiori, ex cujus læſione fuit excommunicatus, vel det fidejuſſorem de ſatisfaciendo, in hujus defectu juret ſe ſatisfacturum. Inſuper ſi delictum ſit ex gravioribus, juret *de ſtando mandatis Eccleſiæ* imponendis ob delictum. Si abſolvendus eſt *in foro conſcientiæ* tantùm, Confeſſor utatur formula illa, quæ præponitur abſolutioni peccatorum *Dominus Noſter* &c. *Abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis* &c. Si abſolvendus eſt *in foro fori*, ſemper abſolvatur cum Rituali præ manibus, ex quo legat primùm ritus obſervandos, & deinde obſervet exactè.

CAPUT VIII.

Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio Tertio de Confeſſione.

1. PRæparans ſe ad confeſſiones maximè debet habere notitiam hujus Canonis, qui etiam nunc eſt in vigore, & ſic ſe habet.

2. *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata cõfiteatur, fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de conſilio proprii Sacerdotis; ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Undè hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate, vel tamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe non poſſit ſolvere, & ligare.

3. *Sacerdos autem diſcretus, & cautus, more periti Medici, ſuper infundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendò ad ſanandum ægrotum.*

4. *Caveat autem omninò, ne verbo, vel ſigno, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud, abſque ulla expreſſione perſonæ, cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolùm à ſacerdotali officio deponendum decernimus; verùm etiam ad agendam pęnitentiam perpetuam, in arctum Monaſterium detrudendum.*

Notæ in prædictum Canonem.

5. *Cum ad annos diſcretionis pervenerit.* Ordinariè eſt in ſeptimo anno, cum incipit cognoſcere differentiam boni honeſti, quod ſectandum eſt, à bono utili, & delectabili; quam differentiam agnoſcens, amorem, quo pridem incœperat amare ſe ipſum, tenetur ordinare in Deum, ut finem ultimum, recognoſcendo, quod ille eſt ſummum bonum, & amando ut talem; ad quos actus fidei, ſpei, & charitatis tenetur homo, cum pervenit ad uſum rationis; & ſi omittat, debet hoc peccatum cum reliquis ſubjicere clavibus. Si quis autem ſuper hoc angatur ſcrupulis, videat Cajetanum 1. 2. q. 89. a. 6. Et quia ejus doctrina multùm profunda non facilè penetrabitur ab ingeniis ordinariis; ideò hujuſmodi Confeſſor, quos circà hoc ſcrupulos habebit, communicet Thomiſtæ docto, ac prudenti, quietetque ſe juxtà ſenſum illius.

6. *Solus*. Hic innuitur confeſſio auricularis, de quâ videatur Tridentinum ſeſs. 14. c. 5. propè finem, & can. 6.

7. *Fideliter*. Fidelitas ſpectat ad veracitatem: quare Alexander Septimus optimè damnavit opinionem docentem ſatisfieri præcepto Lateranenſi per confeſſionem voluntariè nullam: & peccat duplici peccato ita confitens, altero ſacrilegii contrà reverentiam ſacramenti: altero omiſſionis præcepti Eccleſiæ.

8. *Proprio Sacerdoti*, hoc eſt, qui habeat juriſdictionem in Pęnitentem, etiam Regulares, juxtà Bullam Clementis X. c. 9. nu. 3.

9. *Injunctam ſibi pęnitentiam ſtudeat adimplere*, quia tenetur ad illam ſub mortali ex genere ſuo.

10. *Niſi de conſilio Sacerdotis, ob rationabilem cauſam* &c. Solam communionem textus exprimit poſſe differri: nihilominùs meliori me ſubdens judicio, crederem, & poſſe differri confeſſionem ob dictum motivum, v. gr. Pęnitens nondum dimiſit occaſionem proximam, & ſæpè ſollicitat abſolutionem in Paſchate, quia dicit ſe velle adimplere præceptum Non cedat huic motivo Confeſſor, ſi prudenter dubitat, num ſit dimiſſurus: producat illi adimplementum præcepti juxtà prudentiæ leges.

11 *Si quis alieno Sacerdoti* &c. Ex juſta cauſa tenetur Superior dare licentiam ſubdito, ut alteri confiteatur: ſubditus tamen tenetur petere licentiam à Superiore, quò alteri conferat juriſdictionem, ſine quâ invalidè abſolveret. Quæ autem ſit juſta cauſa, non explicat Canon: Ad præcavenda plurimorum ſacrilegiorum pericula, prudentes conſulunt, ut Superior ſit indulgentior in hac materia, & dummodò ſit cauſa convenlens, propendat Superior in deleganda juriſdictione alteri. Hoc ſpiritu ducitur Eccleſia: Clemens Octavus cognovit inter Regulares juſtiſſimam cauſam eſſe, verecundiam illam, quam poſſet habere unus, vel alter ſubditus, ſe aperiendi proprio Superiori; & ideò voluit, ut iſte non audiat confeſſionem, niſi ſe ſubjiciat ſpontè ſubditus. Tridentinum ſeſs. 25. c. 10. de Regul. etiam cognovit eſſe juſtas cauſas, ut Monialibus bis, vel ter in anno offerrentur Confeſſores extraordinarii.

12. *Sacerdos diſcretus* &c. Ex S. Thoma ſuppl. q. 9. a. 4. diſcretio eſt idem, ac prudentia,

dentia, ſecundum quod omnia conſiderat in ſuo ordine, majora magis, & minora minùs, cum relatione ad finem: Cautio autem eſt pars prudentiæ, quatenùs cavet vitare mala, ſi quæ poſſent contingere ex tali operatione.

13. *Diverſis experimentis utendo* &c. Inter hæc experimenta debent habere principalem locum, quæ adducta ſunt ex Rituali c. 7. n. 22. 23. & 26. quæ adducentur ex S. Carolo c. 11. à n. 28.

14. *Caveat autem* &c. Hìc ponitur ſtrictiſſima obligatio ſigilli, & datur modus, quo Confeſſarius indigens conſilio doctiorum, & peritiorum, poſſit petere conſilium ſine violatione ſigilli.

CAPUT IX.

Conſtitutio Clementis X. pro parte, quæ tangit adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Diverſis temporibus inſurrexerant plurimæ difficultates circà decreta Concilii Tridentini ſuper privilegiis Regularium, in prædicando verbum Dei, & adminiſtrando Sacramentum Pœnitentiæ, quæ difficultates enodatæ fuerant auctoritate Apoſtolica. Hujus autem oracula Clemens X. collegit in Conſtitutione, quæ incipit, *Superna magni* edita de anno 1670. Cum ad hoc opus non pertineant, quæ ibi ſtabiliuntur circà prædicationem verbi Dei, propterea brevitatis gratia, iis omiſſis, tantummodò hìc referam, quæ ſpectant ad Confeſſores; in hunc modum.

2. *Decernimus, & declaramus .... Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxtà Regularia inſtituta vivitur, poſſe tàm Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales; non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos: Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, admittere; ſemel autem ſimpliciter approbatos, poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque etiam infirmorum confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De quà tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc poſſe illis ab illis ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipi. Sufficere tamen; ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.*

3. *Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis, Paſchali tempore, confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit. Omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſionem duntaxat, ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad hujuſmodi confeſſiones audiendas, prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo: ſecùs autem ab ejus Vicario, aut ab anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe*

Digitized by Google

ab eodem, qui ſic approbavit, iterùm examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis ſuſpendi: ſeù licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet: nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit.

4. *Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod, rationabili Epiſcopi judicio videantur à confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad confeſſionis miniſterium pertinere, ac proindè nihil obſtare, quò minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſſionibus audiendis: Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica, nullatenus poſſe. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu, conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica, poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.*

5. *Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex aliâ Diœceſi, à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem Pœnitentes, noverit, in fraudem reſervationis, ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore ſupradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere Pœnitentes à cenſuris quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quin imò cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis, cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur: Si dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cùm ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem, Sedis Apoſtolicæ judicio, prout aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris noſtri fel. rec. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe requirendum.*

6. Hæc in ſua Conſtitutione Clemens X. quæ cum ſint ex ſe clariſſima, non indigent ſpecialibus notis, ſed ſolùm, ut Confeſſores ea exactè, fideliter, & ad unguem obſervent: nam aliàs evidenti periculo exponitur, & ſacramentorum validitas, & animarum ſalus.

CAPUT X.

Litteræ Patentes Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardinalis Vicarii, pro facultate audiendi confeſſiones in Urbe, ejuſque diſtrictu, & Notæ ad illas.

1. Comperimus in praxi labi multos in examine, pro audiendis confeſſionibus, quòd vel minimùm, vel etiam fortè nunquam legant litteras patentes ſibi expeditas. Eſſent ſanè præ oculis ſemper habendæ, tanquam leges, ad quarum amuſſim quilibet Confeſſor adminiſtraret ſacramentum Pœnitentiæ, ſicut aliæ leges, ac regulæ ſtabilitæ à Tridentino, à Rituali, & à Romanis Pontificibus, & tamen nonnulli, qui per annos exercuerant munus Confeſſarii, ſuper aliquo caſu in illis expreſſo, viſi ſunt omninò rudes, & ignari. Præparans ſe ad confeſ-

ſiones curabit non deficere in hoc, conſiderans, quod regulæ à Pontificibus datæ, ſunt univerſales, & veluti jus Cæſareum in toto orbe; At regulæ ab Epiſcopis in prædictis litteris conſtitutæ, ſunt veluti ſtatutum particulare cujuslibet civitatis, & ideò ad rectè judicandum in qualibet Diœceſi neceſſaria eſt Judici fori pœnitentialis utrarumque ſcientia. Et ego quidem, quia ſcribo in Urbe, pono hic litteras Eminentiſſimi Vicarii: cæterùm qui extrà Urbem ſe præparat, attentè perleget litteras ſui Epiſcopi. Et quia in Urbe dantur diverſæ Regularibus, & Secularibus, ideò utraſque appono, quilibet ſuam conſulet.

Facultas audiendi Confeſſiones pro Sacerdote Regulari.

Gaſpar Miſeratione Divina Epiſc. Sabinenſis, S. R. E. Cardinalis de Carpineo, SS. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæq; Curiæ, ejuſq; diſtrictus Judex Ordinarius, &c.

2. **D***ilecto Nobis in Chriſto R. P. .... Ut Sacramentales omnium Chriſti fidelium ... non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monaſteriis, aut Conſervatoriis degentium, neque in domibus privatis, niſi infirmorum dumtaxat, ſed in Eccleſiis tui Ordinis, & in aliis de licentia Rectorum, Confeſſiones audire; eiſdemque confitentibus, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere, & beneficium abſolutionis (præterquam à cenſuris in Bulla Cœnæ, aliiſque Sanctiſſimo D. N. reſervatis) impendere valeas, licentiam in Domino concedimus, & impertimur; Ita tamen, ut quoties ad confeſſiones infirmorum, in eorum propriis domibus, audiendas acceſſeris, ſtatim ibi fidem auditæ confeſſionis proprio Parocho, & Medico ſupervenientibus, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus, donec iterùm examinatus, novam à Nobis in ſcriptis licentiam obtinueris; dimittere tenearis. Præſentibus ad ... valituris, ſtante teſtimonio tui Superioris de vita, moribus, ætate matura, idoneitate, & aliis requiſitis nobis facto, & quòd à noſtris Examinatoribus ad præmiſſa prævio examine approbatus fueris. Admonentes te in Domino, ut, quæ pro recta hujus ſacramenti adminiſtratione, per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Rituale Romanum, ſancita, vel aliàs ordinata fuerint, attentè perlegas, & accuratè obſerves: Necnon collationibus, ſeù lectionibus Caſuum Conſcientiæ habendis, loco, & tempore præſcriptis intereſſe, ſub ſtatutis pœnis non omittas. In quorum &c. Datum Romæ, &c.*

Notæ.

3. *Neque in privatis Domibus* &c. juxtà Rituale adductum c. 7. n. 11. & ita convenit reverentiæ tanti ſacramenti.

4. *In aliis de licentia Rectorum* &c. Nihil Eccleſia patitur, quod ſit cauſa diſſenſionum, ut contingeret, ſi quis vellet ſeminare divina in agro deputato culturæ alterius.

5. *Quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit* &c. Ex Rituali c. 7. n. 22. Quare autem Epiſcopus non debeat taxare pœnam à Confeſſario imponendam, cum aliàs tot extent antiqui Canones Pœnitentiales illam determinantes ferè ſingulis peccatis, ratio eſt, quia ex eodem Rituali, debet haberi oculus ad ſtatum, conditionem &c. (Videatur S. Thomas ſuppl. q. 8. a. 7. præſertim ad 2.) quod etiam Epiſcopus præcipit illis verbis *pro pœnitentium facultate*.

6. *Præter quàm à cenſuris, in Bulla Cœnæ, aliiſque Sanctiſs D. N. reſervatis*. In his verbis Eminentiſſimus nihil diſponit circà privilegia, quæ habent plerique Regulares abſolvendi à cenſuris Papæ reſervatis: Summus Pontifex eſt Epiſcopus Urbis Romæ. & Papa univerſalis: Juriſdictionem Urbis committit Eminentiſs. Vicario, qui non poteſt, nec vult reſtringere privilegia aliàs conceſſa à Summo Pontifice ut Papa univerſali. Videantur dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 38. & 39. Regulares igitur qui habent prædicta privilegia, poterunt etiã in Urbe iis uti, dummodò obſervent, quæ ex Clemente X. dicta ſunt c. 9. nu. 5. Imò

ſciant

ſciant privilegiati Regulares, quòd Clemens VIII. illis prohibuit intrà Italiam abſolvere ſequentes cenſuras, nempè.

1. Violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Conſtit. fel. rec. Gregorii XIII. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli*.

2. Violationis clauſuræ Monialium, ad malum finem, ſeù ad finem inhoneſtum.

3. Provocantium in Duello, juxtà decretum Concilii Tridentini, & Conſt. fel. rec. Gregorii XIII. incipientem: *Ad tollendam*.

4. Injicentium violentas manus in Clericum, juxtà Canonem. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. ac juris diſpoſitionem.

5. Simoniæ realis ſcienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis.

6. Cenſuræ horum quinque caſuum, vi privilegiorum, nequeunt abſolvi intrà Italiam, extrà Urbem, ſed extrà Italiam, & in Urbe poſſunt abſolvi.

7. Sciant inſuper Confeſſarii tàm ſæculares, quàm Regulares, primò in Urbe nullum eſſe caſum reſervatum, niſi ſit reſervatum Romano Pontifici: quare poterunt abſolvere ab excommunicatione incurſa propter abortum fœtus animati, quia cenſuram hanc Gregorius XIV. reſervavit ſolis Epiſcopis: ſecundò non omnia delicta ſpectantia ad Sanctum Offitium, ſunt reſervata, ſed ſolùm illa, quæ ſpecialiter reſervavit Pontifex: ſuperſtitiones, blaſphemias hæreticales, ſollicitationem Confeſſarii quilibet poteſt abſolvere, dummodò imponatur ſcienti obligatio denunciandi juxtà edictum. Reſervata tamen eſt ipſi Inquiſitioni excommunicatio inflicta ſcienti talem obligationem, & non revelanti per triginta dies à die ſcientiæ: tertiò delicta reſervantur in Urbe ſolùm ratione cenſuræ. Extat unum, vel alterum particulare peccatum reſervatum ſine cenſura, & ratione ſui, ut peccatum contrà votum paupertatis Religioſæ per Bullam Clementis VIII, & peccatum Monialium contrà edictum Clementis XI., quorum ſi pœnitens aliquando ſe accuſet, Confeſſor videat priùs Bullam, & Edictum: quartò quia in Urbe delicta reſervantur ratione cenſuræ, qui omninò excuſaretur à cenſura, illud committens, poſſet abſolvi à quocunque: quinto incidens in cenſuram, deindè abſolutus ab illa extra ſacramentum, poterit per quemcumque abſolvi ſacramentaliter à peccato. Incidit quis, v. g. in hæreſim externam; comparet in Sancto Offitio, & ibi abſolvitur ab excommunicatione, jam nunc quilibet Confeſſor poteſt eum abſolvere à peccato hæreſis; à quo in Tribunali non ſolet ſacramentaliter abſolvi.

8. *Statim ibi fidem* &c. Si autem in hoc delinquat, pœna illi ſuſpenſionis imponitur. Fides hæc debet inſervire Parocho, & Medico. Et quidem Parocho, ut videat, nùm alia conferenda ſint ſacramenta. Medico autem, ut poſſit continuare curam infirmi. Nam Innocentius III. præcepit, ut Medici relinquerent infirmum, quando in tertia die non oſtendat fidem ſcriptam confeſſionis, & B. Pius V. anno 1566. in Conſtitutione, quæ incipit. *Suprà gregem* illud renovavit *volens tam ſalutare præceptum nulla temporis præſcriptione aboleri*, & inſuper voluit, ut omnes laureandi in Medicina jurarent obſervantiam hujus Conſtitutionis: quare Medicus illam violans duplici peccato peccat, & contra præceptum, & contrà juramentum. In hac fide Confeſſor teſtabitur ſe audiviſſe confeſſionem talis infirmi, eſto illum; quia indiſpoſitum non abſolverit, ne contingat, quod revelet ejus indiſpoſitionem: ſi tamen vellet ſimulare confeſſionem, non poſſet ſubſcribere fidem: nam debet eſſe confeſſio, licet poſſit eſſe ſacrilega.

9. *Donec iterùm* &c. quare ita delinquens per omiſſionem fidei, non ampliùs habet juriſdictionem.

10. *Præſentibus ad ... valituris*. Hic exprimitur tempus, quo debet durare ſuperiùs collata juriſdictio; & eo finito debet iterùm prorogari; aliàs ex defectu juriſdictionis invalidè Sacerdos abſolvet.

11. *Stante teſtimonio tui Superioris de vita, moribus, ætate matura, idoneitate, & aliis requiſitis Nobis facto*. Vitæ, morumque teſtimonium requiritur, quia ex Clemente X. c. 9. n. 4. *præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas eſt vitæ integritas, ac morum honeſtas*. Superiores debent hæc omnia teſtari juxtà proprias Conſtitutiones. Et circà ætatem Sanctiſſimus D. N. voluit, ut in Urbe approbandi ad confeſſiones virorum, ſint ad minus triginta annorum. Pro utroque ſexu verò ſint triginta quinque.

12. *Eo quod examinatus, & approbatus exiſtas* juxtà Tridentinum ſeſſ. 23. de ref. c. 15. Et examen, & approbatio debent præcedere conceſſionem juriſdictionis; & appro-

approbatus non per hoc poteſt adminiſtrare hoc ſacramentum, niſi ſubſequenter concedatur juriſdictio: quare multò minùs poterit adminiſtrare reprobatus injuſtè, quia verè nec habet approbationem, nec juriſdictionem. Alexander VII. prop. 13. ex damnatis; peccabit tamen contrà juſtitiam Examinator injuſtè reprobans, vel approbans.

13. *Admonentes te in Domino* &c. Duo hìc indicuntur, *attentè perlegas*, *& accuratè obſerves*. Primum requirit, ut ſæpiùs percurrantur, & cum debita applicatione: Secundùm, ut lecta executioni demandentur cum omni diligentia.

14. *Nec non collationibus* &c. Hoc eſt illud conſilium prudens peritorum; quod Confeſſarius debet inquirere juxtà Rituale adductum c. 7. n. 7. & monita S. Caroli. Et ſanè ſi verum eſt in omni ſcientia, quod *circulus*, *& calamus* faciant doctum, id veriſſimum eſt in Theologia Morali, cui addiſcendæ plurimum ſtudii noſtri debemus impendere, & collationum cum cæteris Confeſſariis.

Facultas audiendi confeſſiones pro Sacerdote ſæculari.

15. *Gaſpar* &c. *Dilecto Nobis in Chriſto R. D.... Presbytero.. ut confeſſiones ſacramentales omnium Chriſti fidelium... non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monaſteriis vel Conſervatoriis degentium, neque in domibus privatis, niſi infirmorum, & tunc de licentia Parochi, ſed tantùm in... non autem in aliis Eccleſiis, etiam de conſenſu quorumcumque Rectorum audire, eiſdemque confitentibus* &c. ut in facultate pro Regularibus, niſi quod in fine extat aliqua varietas, nihil conferens ad noſtram conſiderationem: nam circà confeſſiones quid limitetur Sæcularibus, id totum habetur ex verbis jam adductis; eamque limitationem ex ſe quiſquis facilè colliget.

16. Hic verò ſummè proficuum mihi videtur addere ejuſdem Eminentiſſimi Encyclicam ad Confeſſores ſui Diſtrictus datam de anno 1699., cum ita conſtituente Innocentio Papa XII. tradidit illis Monita S. Caroli, quæ in poſterum ſequi deberent in praxi, adminiſtrando ſacramentum Pœnitentiæ. Fuit data Italicè, ſed nunc redditur Latino ſermone, ut qualibet ſub cęlo natio videat zelum Sedis Apoſtolicæ, Vicariique ejus, in efformando dignos hujuſce ſacramenti Miniſtros. Equidem energiæ plurimum perdidit in translatione, quod indiſcriminatim contingit, ubi ſcripta certo idiomate transferuntur in aliud, ſed adhuc in exemplo relucebit exemplar. Sępiùs illam relegent Confeſſores, quò debitam inde tanti ſacramenti exiſtimationem hauriant magis, ac magis.

Gaſpar Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis de Carpineo, Vicarius Urbis, ejuſque Diſtrictus RR. Confeſſoribus Urbis, ejuſque Diſtrictus, Salutem in Domino.

17. *Apoſtolus optimè novit, quàm neceſſarii ſint fideles Miniſtri, ac boni diſpenſatores myſteriorum Dei, cum* 1. Cor. 14. *ſcripſit*: Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. *Verumtamen maximè creſcit hæc neceſſitas circà adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, cujus quantum ſalubris eſt frequentia populo Chriſtiano, qui ſufficienter diſpoſitus ad illud accedit, tantum plena periculi eſt Miniſtro, qui deficit in recta illius adminiſtratione. Timor ne id ſæpè contingat, cogit nos exclamare cum eodem*: Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur; *qui, ſcilicet, ſacramentum hoc adminiſtrans, nec gloriæ, nec lucro inhiet, ſed unicè honori divino, ac animarum ſaluti conſulat, qui non deſpoticè, ut Dominus, utatur poteſtate ſibi tradita, ſed ut Miniſter, è cujus manibus exquiretur ſanguis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, per ſacramentum Pœnitentiæ applicatus eluendis fidelium peccatis*.

18. *Olim Chriſtus* Matth. 15. *dixit*: Si cęcus cęco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt æternæ damnationis. *Porrò Phariſæis, qui* amabant primos recubitus in cęnis, & primas cathedras in ſynagogis, qui circuibant mare, & aridam, ut facerent unum Proſelytum *exprobravit* Matth. 23. *illud*: Væ vobis, qui cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò, quàm vos. *Et paulò ante*: Clauditis regnum cęlorum ante homines: vos enim non intratis: nec ſinitis introeuntes intrare. *Regnum cęlorum, ut ſua nobis paſſione, ac morte aperiret, ſuſceperat Dei filius naturam humanam, quod tamen nec ipſi intrabant*

bant nec aliis intrare permittebant Phariſæi, abducentes à Chriſto, non ducentes ad Chriſtum, ut ex officio tenebantur. Idem planè contingeret, quoties Sacri Pœnitentiæ Miniſtri malè viverent, foverentque in ſe vitia, quibus eradicandis ex officio incumbunt, quoties carerent ſcientia, vel abundarent zelo indiſcreto, quoties dilatarent vulnera peccatorum, non ſuper infundentes, more Samaritani, vinum juſtitiæ, oleumque Manſuetudinis, quoties conniverent Potentibus, Nobilibus, aut illis, quorum ope ſperant ſibi temporale commodum, conſuentes, juxtà illud Ezec. 13. *dictum*: pulvillos ſub omni cubito manus, & cervicalia ſub capite univerſæ ætatis; *& in id ruentes, ut vel falſam fiduciam præbeant, vel vitia enutriant, ac tandem æternæ damnationi addicant peccatores, pro quorum ſalute fidejuſſerunt, propriaſque animas devinxerunt.*

19. *Excitati ergo cognitione muneris adeò ſublimis facite Filii noſtri, quod* Prov. 6. *dicitur*. Vos met ipſos liberate, quia incidiſtis in manum proximi veſtri: Diſcurrite, feſtinate, ſuſcitate amicum veſtrum: ne dederitis ſomnum oculis veſtris, nec dormitent palpebræ veſtræ, *donec eruti ſint de poteſtate tenebrarum Pœnitentes veſtri. Propterea, ut teſtantur Sacra Concilia, vigilarunt Sancti Eccleſiæ Catholicæ Præſules* non ceſſantes, nocte, ac die, cum lachrymis monere *ſingulos conſcientiarum Judices verbis, quibus Moſaicæ legis Sacerdotes monuit* Paral. 19. *Joſaphat*: Sit timor Domini vobiſcum: cum diligentia cuncta facite: ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto: omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum. *Prius attulerat rationem efficacem, ſed efficaciſſimam pro Sacramento Pœnitentiæ*. Quia non hominis exercetis judicium, ſed Dei, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

20. *Ad id hodiè RR. Confeſſores, excitamini voce Summi Paſtoris Eccleſiæ totius, & particularis hujus Almæ Urbis, ubi, præ reliquis orbis Chriſtiani partibus, excellentior vigere deberet, Pietas, Prudentia, Doctrina, zeluſque Sacrorum Miniſtrorum. Ille veſtrum recogitat periculum, ubi veſtro muneri deſitis*. Appendit in ſtatera *Sanctuarii, gemitque* diviſum regnum, ubi vos inveniamini minus habentes, *hoc eſt, non reducentes ad paſcua commiſſum vobis Chriſti gregem. Conſiderat*, quam multis vapulabit in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, ſervus ille, *cujus è manibus exquiret ſanguinem tot animarum, quas judicavit judex injuſtus in divino Pœnitentiæ Tribunali ſolvens, & ligans, ita quod ſteterit* pro ratione voluntas, & quarum *Medicus vel indoctus, vel negligens* plagas non curavit medicamine, *ſed* neque fovit oleo. *Conſiderat terribilem ſententiam, quoad Sacerdotes innovatam ſeveriùs in lege gratiæ quàm in veteri*, Lev. 24. *ut ſit* dens pro dente, oculus pro oculo, & anima *Confeſſoris* pro anima *Pœnitentis, quando hæc pereat illius culpa; ſive omiſſionis, ſive commiſſionis*.

21. *Hinc zelo ſuccenſus illud* Jer. 6. *vobis edicit*: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea. *Ad id, ut nuper diximus, conſtituit, ut ſinguli ſecedatis quotannis ad paucos dies, pro exercitiis ſpiritualibus, quò petatis ab animabus veſtris rationem adminiſtrationis vobis commiſſæ, diſpenſandi pretium ſanguinis Jeſu Chriſti. Vobis indicit novas leges omninò ſequendas in veſtro munere, quas olim efformavit Luminare majus Eccleſiæ, veri forma Paſtoris S. Carolus, qui* per Mediolanenſem Eccleſiam toti præſulxit orbi, *ut Baſilius* per Cæſarienſem. *Si novæ dicendæ ſunt leges erutæ è viſceribus diſciplinæ antiquioris Eccleſiæ, ex arcanis doctrinæ ſanioris, quin & ex ipſa conſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quod inſtitutum ad inſtar judicii emendativi*, cum odio veteris vitæ *exigit* inchoationem novæ. *Sacras haſce leges, & ſapientiſſima monita hortatur ſæpiſſimè legi, ac relegi, ſemperque manibus teri, tanquam* menſuram arundineam auream, *ad cujus amuſſim* rectas faciatis ſemitas *populorum* Dei noſtri. *Hæc voluit vobis enunciari, tanquam Filiis Obedientiæ, ſuis Comminiſtris, & cooperatoribus* in opere omnium divinorum diviniſſimo *dirigendi animas* in viam ſalutis æternæ, *ut nunquam dicatur Sacerdotibus Euangelicis, ex* Matth. 14. *illud*. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum, *ſed ſinguli, tùm ſanctitate vitæ, tùm prudentia, tùm vera, ſolidaque doctrina, non è novis, ac malè fundatis opinionibus hauriendà, ſed ex Theologia, & praxi Patrum, qui Eccleſiam direxerunt cœlitùs illuſtrati, curate, ut in die villicationis veſtræ liberè Supremo Judici, ac Paſtori animarum ex* Jo. 17. *dicatis*. Cùm eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo, & nemo

ex eis periit, niſi filius perditionis (*qui viam ſalutis indictam currere noluit*) & quos dediſti mihi, cuſtodivi, & non perdidi ex eis quemquam.

22. In hac epiſtola duo præcipuè conſtituuntur: primò ut quotannis Confeſſores ſecedant ad Exercitia ſpiritualia, quæ (Deo dante vitam, ac viſum) dabimus quàm primùm unicè coaptata Sacerdotum miniſterio: ſecundò præſcribuntur Confeſſoribus monita S. Caroli, tanquam leges ſequendæ adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento in Urbe, ejuſque Diſtrictu, (& quidem de ordine Sedis Apoſtolicæ) Confeſſor hanc epiſtolam conferat cum verbis Ritualis traditis c. 7. num. 8. *Sciat ſuæ Eccleſiæ conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet*. Cùm igitur S. Paſtoris monita, vi epiſtolæ, ſint conſtitutiones Eccleſiæ Romanæ, vident deputati ad audiendas confeſſiones in Urbe, ejuſque diſtrictu, quanti debeant illa facere, quantoque magis obſervare, ut obediant Rituali.

CAPUT XI.

Reſtrictus Monitorum Sancti Caroli pro Confeſſariis.

SAnctum Carolum reddidit glorioſum Paſtoralis ſollicitudo, quæ in id præcipuè debet tendere, ut debitè adminiſtrentur ſacramenta, & inter hæc ſacramentum Pœnitentiæ, utpotè magis neceſſarium, ac magis commune multitudini fidelium, in quà plurimi ſunt peccatores. Hac ſua obligatione conſiderata S. Archiepiſcopus collegit varia Monita maximè neceſſaria, ut Confeſſor dignè ſuum munus exerceat. Hæc Paſtoribus animarum viſa ſunt utiliſſima; ideòque ferè omnis Eccleſia ſibi illa adoptavit. Imò qui conferet hæc monita cum Rituali Romano, videbit Paulum V. ad ſtabiliendum Rituale, velut in compendium redegiſſe prædicta Monita. Et hæc eſt præcipua ratio, quare hìc ea non adduceam integrè, quia repeterem jam adducta. Igitur credidi meliùs me facturum, ſi, omiſſis iis, quæ data ſunt ex Rituali, ſolùm adderem, quæ brevitatis gratia prætermiſit Rituale, poſſuntque ſatis dirigere Confeſſorem, ne deficiat in ſuo munere. Cæterùm qui velit S. Caroli Monita per extenſum, habet illa in aureo libello, quem de ordine Innocentii XII. edidit Romæ Eminentiſs. Cardinalis Vicarius.

2. Concluduntur hæc monita 25. §§. quorum primus eſt præfatio indicans finem hujus collectionis, nempè, ut Confeſſor fructuosè ſuum munus exerceat, in quo timeri poteſt, ne multi deficiant, cum videamus univerſaliter ferè nullam emendationem peccatorum, in iis, qui aliàs per annos frequentarunt hoc ſacramentum.

3. In ſecundo prohibet Sacerdoti abſolvere à peccatis abſque approbatione, & licentia Epiſcopi, juxtà Tridentinum ſeſſ. 23. de reform. cap. 15. Vult id licere tantùm *ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius*, juxtà Rituale adductum c. 7. n. 5. & qui habent licentiam limitatam in tali Eccleſia, vel pro viris tantùm, aut pro Monialibus uniùs Monaſterii, ea debent uti juxtà limitationem. Præcipit cavere, ne audiant confeſſiones puerorum, quia poſſunt habere peccata mortalia. Supponit Sanctus, quod à venialibus poſſit abſolvere ſimplex Sacerdos, & id tunc licebat; ſed nunc eſt prohibitum à Sacra Congregatione Concilii. Vide *Inſtructionem pro ordinandis* capit. 40. numer. 10.

4. In tertio monet, ut habentes facultatem abſolvendi à cenſuris, & reſervatis, ea utantur in ædificationem, non in deſtructionem.

5. Quæ habet in quarto, ex Rituali data ſunt c. 7. num. 7. & 8. Monet, ne quis ſe ingerat audiendis Pœnitentibus, quorum caſus dubitat non poſſe decidere ex defectu ſcientiæ, vel etiam ex defectu fervoris requiſiti ad illos arguendos.

6. Quintus commendat vitæ integritatem in Confeſſario; & quidem eſſe debet in gratia adminiſtrans hoc ſacramentum, ne committat ſacrilegium. Sed quia finis Confeſſarii eſt expoliare hominem veterem in Pœnitente, & induere novum, ut id aſſequatur, maximè ſtudeat perfectioni propriæ: virtutes enim meliùs docentur exemplo, quàm verbo: Et quia Regularium vita nobis innoteſcit unicè per teſtimonium Superioris, horum conſcientiam oneramus, ut ad confeſſiones audiendas unicè nobis proponant Religioſos, qui dignè poſſint adminiſtrare hoc ſacramentum, vitæ integritate, & morum honeſtate.

7. In

Digitized by Google

7. In ſexto loquitur de promptitudine Sacerdotis ad audiendas confeſſiones, de qua Rituale c. 7. n. 10. Addit, ut Confeſſionali, præcipuè aſſiſtant per aliquot dies ante Chriſti Natale, in Quadrageſima, per totam octavam Paſchæ, tempore Jubilæorum, & quando major pars populi ſolet frequentare hoc ſacramentum. Et tunc etiam Superiores Regularium curent in ſuis Eccleſiis quot plures poterunt Confeſſarios.

8. Ex §. 7. Regulares vocati ad confeſſiones infirmorum conveniant de illis ante, vel ſaltem poſt confeſſionem cum Parocho, ut ambo ſimul poſſint proſpicere illorum ſaluti, cui tunc maximè inſidiatur dæmon. Addit de fide relinquenda, de qua dictum eſt c. 10. n. 8.

9. In §. 8. agitur de loco audiendi Confeſſiones, de quo ex Rituali c. 7. num. 13. Audianturque fœminæ ſemper in Confeſſionali, nec ante ortum, nec poſt occaſum Solis. Infirmæ audiantur oſtio cubiculi expanſo. Etiam in Confeſſionali audiantur ordinariè viri.

10. In §. 9. agitur de Confeſſionali, juxtà Rituale c. 7. nu. 13. Monetur Confeſſarius ita ab illo arcere pœnitentes, ut non poſſint intelligere, quid loquatur cum actu confitentibus.

11. In §. 10. Tangitur intentio, & præparatio Confeſſarii ad audiendas confeſſiones. Sit, quantum fieri poteſt, actualis intentio in Dei gloriam, & ſalutem animarum. Præparatio autem eſt neceſſaria, ut evitetur periculum abſolvendi indiſpoſitos, vel peccandi, dùm aliorum audit peccata, maximè carnalia, Quare præparet ſe per orationem. Rituale c. 7. n. 11. idem præcipit, ſed nullam præciſè determinat: Sanctus Carolus proponit ſequentem.

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*
℟. *Et ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.*
℣. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.*
℟. *Et ſpiritu principali confirma me:*
℣. *Docebo iniquos vias tuas:*
℟. *Et impii ad te convertentur.*
℣. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus, ſalutis meæ:*
℟. *Et exultabit lingua mea juſtitiam tuam.*

Oremus.

D*Omine, Deus Omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut dignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum, propter tuam magnam miſericordiam, Miniſtrum feciſti officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque, Mediatorem conſtituiſti ad Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum pro peccatoribus, & ad pęnitentiam revertentibus. Ideòque Dominator Dominus, qui omnes vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum; ſed ut convertantur, & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pęnitentiam venerunt, da illis ſpiritum compunctionis, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus adſtricti tenentur, ut ad te, per dignam ſatisfactionem, revertantur. Per eundem* &c.

12. In §. 11. Confeſſarii debent ſuadere Pęnitentibus Confeſſorem ſtabilem, uti ſtabilis Medicus eligitur pro ſanitate corporali.

13. In 12. Illis oſtendit, quam in Pœnitentibus exigere debeant præparationem externam, & internam. De externa Rituale c. 7. n. 14. De interna ibidem nu. 26. Conſiſtit enim in examine, dolore, ac propoſito. Addit ſigna, quibus dignoſcantur accedere imparati: nam tales erunt, ſi primò à negotio temporali accedant nulla oratione præmiſſa: ſecundò ſi ſua ignorant peccata: tertiò ſi certò ſciantur perſeverare in peccato, in occaſione proxima, vel nolle reſtituere, ſi poſſint. Adjuvet verò Confeſſor, quem videt deficere in præparatione ex incapacitate, vel ſimili impedimento, quouſque cognoſcatur ſaltem attritus ſufficienter.

14. In 13. Monet Confeſſarios, ut quidem benedicant pueros ſibi præſentatos, quò aſſueſcant comparare coram Confeſſario, ſed non illos abſolvant, ſi non exhibent materiam, nec habent uſum rationis. Inſtruantur tamen de neceſſitate, & fructu hujus ſacramenti, cum fuerint in ætate ſeptem, vel octo annorum; Conſtituti autem in decimo, vel duodecimo, & aliàs Euchariſtiæ capaces, inſtruantur ſuper illa. Ita inſtructos, ac ter, vel quater in confeſſione auditos ipſe communicet extra tempus Paſchale, vel cum fide inſtructio-

nis

nis remittat communicandos Parocho.

15. In §. 14. agit de interrogationibus præmittendis confeſſioni. Ex Rituali habes illas cap. 7. n. 15. Ait tantùm temporis ponendum in examine, quantum homo prudens ponit in tractando gravi negotio, quale eſt æterna ſalus animæ. Vult inſuper interrogari ſuper Edicto Sancti Officii, ut poſſit denunciare, quos ſciverit peccaſse in illud. Commendat, ut inducantur ad generalem totius vitæ confeſſionem, qui diù propriæ ſalutis penè immemores poſsunt plura peccaſse in præcedentibus confeſſionibus: quare tunc redeuntes ad cor, debent unà confeſſione generali, ſupplere præteritis defectibus. His præmiſſis ante confeſſionem, in ipſa confeſſione, juxtà Rituale c. 7. num. 18. interpellabitur, ubi deficiat in explicandis peccatorum ſpecie, numero, ac circumſtantiis explicatu neceſsariis.

16. In §. 15. commendat prudentiam in Interrogando maximè ſpecies peccatorum contrà Caſtitatem, juxtà Rituale c. 7. num. 20. Et ut caveat à ſignis, ac nutibus, quibus, vel Pœnitens terreatur, vel adſtantes ſuſpicentur grave peccatum.

17. Ex §. 16. Confeſsor habens facultatem commutandi vota, commutet in opus magis, vel æqualiter pium, habito reſpectu ad labores, & ſumptus, quibus premeretur in exequendo primum. Potens ex Jubilæo, vel alio privilegio abſolvere à cenſuris, non diſpenſet ab Irregularitate, niſi ſpecialiter id ei concedatur.

18. In 17. Proponit caſus, in quibus neganda, vel differenda eſt abſolutio. Debet id principaliter cavere Confeſsor; nam abſolutio, vel inconſideratè, vel negligenter, vel aliter collata indigno nutrit pœnitentem in peccatis; & quia nemo eſt, qui rem explicet adeò clarè, ac diſtinctè, ideò neceſſarium paulò fuſiùs in hac parte afferre Monita S. Archiepiſcopi: Ait igitur ſe rem communicaſse pluribus Theologis Sæcularibus, ac Regularibus variarum Religionum, eorumque conſilio deciſum, ut in ſequentibus caſibus, ita procederent Confeſsores.

19. 1. Pœnitens pollens uſu rationis, utpotè ſub mortali obligatus ſcire quoad ſubſtantiam, Symbolum Apoſtolorum, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, necnon quidquid in ſcholis doctrinæ Chriſtianæ communiter ſolemus docere; ſi hæc ignoret, nec ſit paratus ea quam primùm diſcere, non poteſt abſolvi.

20. 2. Pœnitens hæc ignorans, & aliàs exhibens ſe promptum ea quam primùm diſcere, interrogetur, ſi aliàs monitus à Confeſſore, vel Parocho, de obligatione diſcendi, neglexit diſcere: ſi nunquam monitus, taliter nunc paratus apparet, poteſt abſolvi: dummodò ſaltem priùs inſtruatur de neceſſariis neceſſitate medii: ſi vel ſemel monitus neglexit, non poteſt abſolvi. Vide omninò dicta c. 7. n. 17.

21. 3. Patres, & Matres familias, qui non curant, ut ſui ſubditi, ſive filii, ſive famuli, prædicta ignorantes, ea addiſcant (ſuper quo ſpecialiter interrogentur) qui non curant, ut ſui ſubditi obſervent præcepta Dei, & Eccleſiæ; imò, quod pejus eſt, impediunt, ne obſervent, occupando famulos pro ſe diebus feriatis, ita quod pro propriis neceſſitatibus indiget famulus laborare in die feſto, vel qui non concedunt tempus pro audiendo ſacro, vel qui permittunt, ut diebus jejuniorum ſui familiares cœnent, cùm nullatenùs exempti ſciantur à lege jejunii, vel qui permittunt, ut prandeant ante tempus debitum, vel qui non admonent, aut corrigunt ſubditos, ubi violant hæc præcepta, vel qui non dimittunt à ſuo ſervitio famulos incorrigibiles, & ſcandaloſos: Hujuſmodi, inquam, patres, & matres, tractentur prout in ſecundo caſu, abſolvantur, ſi interrogati, reſpondent nunquam ſe ſuper hoc fuiſſe monitos, & parati noſcuntur emendare prædicta: ſi moniti non emendarunt, differatur abſolutio, quoad uſque ſaltem incipiant emendare.

22. 4. Cum eadem diſtinctione tractentur, qui perſeverant laborare, vendere, aut alia agere prohibita diebus feſtis.

23. 5. Ita etiam, qui mortaliter peccant in ſuperfluo ac vano ornatu, & pompis corporis.

24. Et quia pro hoc ultimo neceſsarium eſt ſcire, quando ſit mortaliter peccaminoſus iſte vanus ornatus, ideò abundè id explicat in §. 18. innuens creviſſe hunc vanum ornatum ex negligentia Confeſſorum, qui ſuper illo nunquam ſcrupulos injecerunt pœnitentibus, & ſtabilit ſequentes regulas: Ornatus iſte eſt, mortaliter peccaminoſus.

25. 1. Quando quis ſe ornat ob finem mortaliter peccaminoſum.

26. 2. Quando in ſe ornando violat, vel

cauſa eſt, ut alii violent aliquod Dei, vel Eccleſiæ præceptum, ut ſi laborent, vel laborare faciant in die feſto, ſi tunc omittant, vel omittere faciant ſacrum; ſi cauſent marito ſumptus ſuprà vires: ſi veroſimiliter ex tali ornatu conjiciat fore, ut in domo exurgant diſſidia, & odia: ſi talis ornatus familiæ ſit occaſio blaſphemiarum, lucrorum, aut contractuum illicitorum: ſi inde omittantur eleemoſinæ debitæ, legata pia non ſolvantur, aut alia debita, vel nova contrahantur; ſi fraudentur operarii debita mercede; propterea prædicti Creditores non poſſunt collocare ſuo tempore virgines nubiles, & alia complura patiuntur damna, quæ quiſquis ex ſe facilè colligit. In his omnibus caſibus uſus pomparum, & ſuperfluus ornatus eſt peccatum mortale. Et quia ferè impoſſibile eſt, quod fęmina ſuperfluè ſe ornans non cognoſcat, vel non debeat cognoſcere inconvenientia hujuſmodi, ideò Confeſſarius per ſe loquendo, damnabit peccati mortalis ornatum prædictum, niſi contrarium omninò conſtet.

27. 3. Etiamſi non excedat vires, ornatus erit peccatum mortale; ſi ex ſe, vel ex hominum acceptione inducat ad libidinem: ſi per talem ornatum omninò reliquis ſuæ conditionis inſuetum, veroſimiliter conjiciat præberi occaſionem perſonæ particulari, ut ſe amet inhoneſtè: ſi talis ornatus ea intentione uſurpetur, ut foveat amorem inhoneſtum: ſi talem ornatum componant ſigna amoris inhoneſti, ut eſt varietas colorum &c.

28. Ita expedito ornatu, regreditur S. Carolus ad enumerandos alios peccatores, quibus neganda, vel differenda eſt abſolutio; & ſexto loco enumerat eum, qui deſiderat quidem deſerere peccatum, ſed veroſimiliter conjicit ſe relapſurum, nec media firmè proponit amplecti, quæ Confeſſor indicit, ne relabatur. His neganda eſt abſolutio; & ſeptimò differenda eſt certo generi perſonarum, ut ſunt juvenes otioſi, profitentes quotidiè ludum, ebrietatem, crapulam, amorem inhoneſtum, peccata carnis, blaſphemias, verba inhoneſta, murmurationes, odia, detractiones, & ſub Paſcha confitentes, proponunt quidem emendam, ſed Confeſſor veroſimiliter conjicit relapſum: octavò differenda eſt illis, qui per annos involuti peccatis, & relapſi, nullum ſtudium dederunt emendationi.

29. In §. 19. explicatur primùm, quid ſit occaſio proxima; & deindè oſtenditur, qui conſtituti in aliqua hujuſmodi occaſione proxima, dimittendi ſint, vel quibus differenda abſolutio. Cùm igitur occaſio proxima ſit illa, in qua quis poſitus frequenter peccat, nomine occaſionis proximæ (quoad intentum S. Caroli, & ſecundùm quod ſufficit ſcire Confeſſori) veniunt omnia illa, quæ afferunt cauſam peccati: primò, quia de ſe inducunt ad peccatum: ſecundò, quia in illis taliter aſſuevit pęnitens peccare, ut Confeſſor prudenter conjiciat illum ex malo habitu non derelicturum peccatum, ſi perſeveret in tali occaſione. Primi generis occaſio eſt profiteri ludum alearum &c. ad hujuſmodi ludos habere domum, habere ad ſuum beneplacitum perſonam, cum qua peccatur, perſeverare in ſermone, obtutu, aut familiaritate inhoneſta. Pęnitens igitur conſtitutus in hac occaſione primi generis, non eſt abſolvendus, ſi occaſio actu extat, niſi eam dimittat, v. g. niſi dimittat concubinam actu domi exiſtentem, vel niſi ceſſet eam ſuis ſumptibus ſuſtentare, quando ſuſtentat ruri, vel alibi; nec abſolvendus eſt, qui conduxit domum pro ludo, aut pro meretricio, quouſque actu non dimiſerit ſaltem aperire domum pro ludo, & pro meretricio, etiam dimiſſis fęminis: In reliquis occaſionibus enumeratis, vel ſimilibus, non eſt abſolvendus, niſi promittat deſerere: quod ſi aliàs promiſit, nec deſeruit, non eſt abſolvendus, antequam actu deſerat.

30. Sed & adhuc diſtinguendum eſt in hujuſmodi occaſionibus: poſſunt enim eſſe voluntariæ, & involuntariæ: Occaſio dicitur involuntaria, quando nequit dimitti ſine ſcandalo, aut infamia. Igitur in hujuſmodi occaſionibus involuntariis, Confeſſor utatur hiſce regulis: primò differat abſolutionem, quoad uſque videat certa ſigna veræ emendationis. At ſi abſque periculo ſaltem infamiæ nequeat differri abſolutio, cognoſcaturque Pęnitens verè contritus, diſpoſitus, ac paratus ſubire remedia proponenda à Confeſſario, tunc iſte proponet convenientiora, qualia ſunt, ut ſolus non tractet cum ſola, ut aſſumat aliquam afflictionem carnis, ut habeat ſpecialem orationem &c. quæ remedia ſi acceptet, poterit abſolvi: quòd ſi præcedenter acceptavit, & nihilominùs nulla eſt ſecuta emendatio, tunc cùm tota acceptatione remediorum differatur abſolutio, niſi actu occaſionem tollat, vel ſaltem quoad uſque

non

non contulerit rem cum Epiſcopo, cùm quo, celata omninò perſona, conferet caſum.

31. Dictum eſt num. 29. quod datur alterum genus occaſionum proximarum; & ſunt illa omnia, quæ quidem ex ſe non inducunt ad peccatum, ſed inducunt ratione talis perſonæ, quæ hic, & nunc judicatur taliter diſpoſita, ut ſit relapſura in eadem peccata, ſi perſeveret in eadem occaſione. Hujuſmodi ſunt, militia, negotiatio, officium Judicis, Advocati, Procuratoris, Oeconomi: quæ quidem à pluribus exercentur ſanctiſſimè ob fundum virtutis, quam in ſe habent; nihilominùs habituatis in peccato ſunt occaſio furtorum, injuſtitiarum, odiorum, calumniarum, fraudum, perjuriorum, & ſimilium criminum; & ſi taliter habituatus in iis perſeveret, non erit in poſterum fortior, quàm anteà fuerit, ut veroſimiliter conjicit Confeſſor ex debilitate Pœnitentis: Hujuſmodi perſonæ vel debent deſerere tale exercitium, vel illud exercere de licentia, & ſub obedientia docti, ac pii Sacerdotis, qui non abſolvet prædictum pœnitentem, ſi fundatè dubitet relapſurum in eadem peccata, ſed differet abſolutionem, quoad uſque videat actualem emendationem competentem. Oculatus in hoc debet eſſe Confeſſor: etenim ex horum inertia procedit, ut noſtris temporibus ullum vix extet exercitium aliàs juſtiſſimum in civili Republica, in quo non regnent peccata, & plura, & gravia.

In pluribus officiis plura jurantur, quæ deinde non demandantur executioni.

32. Conſultores, Advocati, Procuratores &c. ſerviunt malignitati Clientum, & injuſtitiis manifeſtis.

33. Milites incumbunt duellis, odiis, homicidiis, ludis, blaſphemiis, rapinis, meretricibus.

34. Negotiatores, uſuris, fraudibus, vendentes pluris, quàm res valeat, aut malam ſupponentes pro bona, pejerantes, fraudantes vectigalia &c.

35. Artifices laborant in die feſto, omni cultu Dei omiſſo, nuſquam audientes verbum Dei, & familiam ita educantes.

36. Si per ſingula diſcurrat Confeſſor, agnoſcet in pluribus hujuſmodi exercitiis, hominem vixiſſe continuò in peccato mortali; qui non ſit hic, & nunc abſolutionis capax, niſi vel reddatur fortior, vel tollatur occaſio.

37. Et ſi diligentiùs obſervet, occurrent plures, quorum præteritæ confeſſiones fundatiſſimè judicari poterunt invalidæ: quare ab iis, ultrà actualis competentis emendationis ſigna, Confeſſor exiget generalem confeſſionem.

38. Cautior erit Confeſſor in quibuſdam exercitiis nullius neceſſitatis, aut utilitatis pro Republica: Hujuſmodi ſunt frequentare choræas, converſari cum blaſphemis &c. frequentare tabernas, marceſcere in otio &c. Quidquid ſit, an hæc reponi debeant inter occaſiones primi, vel ſecundi generis inſinuatas n. 29. certè neganda eſt abſolutio, niſi pœnitens animo renunciet prædictis exercitiis, & proponat ab iis abſtinere; Quod ſi prima, vel ſecunda vice, videatur ita diſpoſitus pœnitens, ut illi credendum ſit promittenti ſe abſtenturum; ſi poſteà deficiat, differenda eſt abſolutio, quouſque actu dimiſerit occaſionem.

39. Confeſſor negabit abſolutionem exercentibus contractus nominatim prohibitos, aut expreſsè illicitos, niſi priùs reſcindantur, & quantum poteſt, ſatisfiat parti læſæ: Ubi verò contractus eſt dubius, abſolvatur Pœnitens, dummodò priùs det cautionem exequendi; quod judicabitur.

40. Neganda eſt, etiam in Jubilæis, abſolutio illis, qui obligati edicto Pontificio, vel Epiſcopali denunciare aliquid, omiſerint, niſi priùs actu denuncient, & ſatisfaciant damnis ſecutis ex omiſſione denunciationum.

41. Neganda eſt abſolutio obligatis reſtituere, aut ſatisfacere, niſi priùs actu compleant, cum poſſunt: Sed ſi ſint in periculo mortis, poterunt abſolvi, dummodò totum faciant, quod in ſe eſt, ut deinde quam primùm ſequatur ſatisfactio. Hæc omnia ex Sancto neceſſarium fuit fuſiùs adducere, qui ſine eorum perfecta intelligentia Confeſſor multa quotidiè peccaret. Volui tamen mihi licentiam ſumere variandi aliqualiter verba (nullatenus ſenſum) ut adaptarem ſingula iis, qui præparant ſe ad confeſſiones, egreſſi è ſcholis Theologiæ Moralis, & difficilè percipiunt aliquas doctrinas, niſi proponantur ſub terminis uſitatis in ſchola.

42. His obſervationibus, & regulis præventus Confeſſor, ubi nullum in Pœni-

tente agnoſcit motivum differendæ, vel negandæ abſolutionis, curabit confeſſionem compleri, accuſando ſe de omnibus peccatis jam confeſſis, & de illis, quorum non recordatur, commiſſis corde, ore, vel opere, necnon de omnibus peccatis vitæ præteritæ.

43. Quæ ubi pœnitens compleverit, Confeſſor exequetur, quæ ordinat Rituale adductum c.7. n.21.

44. Proſequitur in 20.§. S. Carolus proponere formam abſolutionis, cum precibus Eccleſiæ conſuetis.

45. In 21. agitur de pœnitentiis injungendis: circà quas ſuprà habes Rituale c.7. n.22. & 23.

46. In 22. hortatur Confeſſarios fugere omnem avaritiæ ſuſpicionem juxtà Rituale c.7. n.24. & 25. Suadetque notitiam Canonum Pœnitentialium, ut ex Catechiſmo dictum eſt c.6. n.12.

47. In 23. agitur de ſigillo confeſſionis juxtà ea quæ præcipiuntur in c. *Omnis utriuſque*, ut c.8. n.4.

48. In 24. agitur de fide confeſſionis, quam aliquando petunt Pœnitentes, & in Urbe relinquenda eſt, ubi audiuntur infirmi. Vid. d. c. 10. n.1.2. & 8.

49. In 25. & ultimo ponuntur variæ Inſtructiones per Confeſſarios dandæ pœnitentibus, ut perſeverent in bono. Prima. Confeſſor, quippe Pater ſpiritualis, inſtruat omnes in vita Chriſtiana, ſed præſertim illos, à quibus electus eſt in Directorem ſuæ vitæ. Secunda firmet pœnitentes in propoſito non peccandi mortaliter, nec unquam deflectendi à voluntate Dei: Tertia: Quod ut faciliùs conſequatur, inculcet hominem à Deo fuiſſe creatum eo fine, ut hic Deo ſerviens, tandem illo fruatur æternaliter: quare inducatur pœnitens, ut ad hunc finem omnia dirigat, paratus amplecti quidquid ad illum confert, paratus rejicere quidquid ab illo retrahit, ita ut admittat, vel dimittat omne officium, vel exercitium, quod juxtà ſuum ſtatum, ad ſalutem conſequendam, Pater ſpiritualis judicabit admittendum, vel dimittendum. Quarta: Quilibet, juxtà ſuam capacitatem, inſtruatur in modo orandi, ita ut actu oret, bis ſaltem in die, veſperi, & manè. Quinta: Inducatur, ut quotidiè audiat ſacrum, & die feſto divinis adſiſtat officiis: Sextà: Inſtruat capaciores circà orationem mentalem. Alios autem ut devotè recitent Roſarium, Coronam, vel Officium B. Virginis, aut Pſalmos Pœnitentiales. Septima: Inducat omnes, ut examinent quotidiè conſcientiam, quam, erit optimum, ſi tota familia in communi examinet ad veſperam. Octava: Hortetur omnes ad frequentiam ſacramentorum Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ: optimum eſſet inducere illos ad octiduam communionem: qui verò minùs diſpoſiti ſunt ad hanc frequentiam, primò inducantur, ut communicent in Paſchate, Pentecoſte, B. Virginis Aſſumptione, Feſto omnium SS., Nativitate Domini, & prima Dominica Quadrageſimæ, quò ſe præparent jejunio quadrageſimali: deinde inducat ad communionem menſtruam; & ita nullo negotio aſſueſcent ad octiduam. Nona: Specialiter curet confeſſor, ut pœnitens inſumat dies feſtos in Dei cultu; ideòque hortandus erit dare ſuum nomen alicui ex Confraternitatibus, quæ die feſto vacant orationibus, aliiſque piis operibus. Decima: Commendet Patribus, ac Matribus-familias rectam filiorum educationem, ita quod die feſto mittantur ad doctrinam Chriſtianam, & ducantur ad lectiones ſacras, ac divina officia, & incitentur ad frequentiam ſacramentorum. Undecima: Qui ſciunt legere, inducantur, ut ſibi provideant libros pios, Vitas, ſcilicet, Sanctorum, Gerſonem de Imitatione Chriſti, Opera Ludovici Granatæ, Exercitia vitæ ſpiritualis, Roſarium Gaſparis Loartis. Praxim Orationis ſpiritualis P. Matthiæ Capuccini, aut ſimiles, quos præſertim die feſto, in communi curabunt legi toti familiæ. Duodecima: Qui habent ſubſtantiam hujus ſeculi, doceantur conſeruare ſuum ſtatum Chriſtianè, ac modeſtè, non negligere de ſuperfluis eleemoſynas, quarum largitio eſt in præcepto; ideòque ne deſpiciant, curent dirigi conſilio docti, ac pii Sacerdotis. Tandem Confeſſor apta unicuique ſuggeret documenta, quibus juxtà ſuum ſtatum proficiat in via Domini.

50. Hæc ſunt monita S. Caroli ad Confeſſarios in compendium redacta, pro majori commoditate præparantium ſe ad confeſſiones; qui reflectant huc uſque allatam fuiſſe doctrinam generalem circà Sacramentum Pœnitentiæ deſumptam ex Magiſtro, ex Tridentino, ex Catechiſmo, & Rituali Romanis, ex Litteris patentibus Epiſcoporum pro audiendis confeſſionibus, &

ex S. Archiepiſcopo; quæ mihi videntur abundè ſufficere pro inſtructione, & directione Confeſſorum circà ſacramentum Pęnitentiæ ut ſic. Notetur tamen, quod prædictæ inſtructiones, aliæ ſunt tantùm doctrinales, aliæ inſuper authoritativæ: Doctrinalis eſt Inſtructio ex Magiſtro, & ex S Carolo pro Confeſſoribus extrà Diecęſim Mediolanenſem, in Eccleſiis, in quibus nondum Superiores præceperunt, ut Confeſſarii ſe dirigant juxtà illas: Tridentini, & Ritualis Inſtructiones ſunt omninò authoritativæ, ſicut cæteræ Conſtitutiones Apoſtolicæ. Quia traditæ ab habente poteſtatem, ut juxtà illas dirigamur: quod etiam nonnulli volunt de Catechiſmo Romano. Etiam authoritativæ ſunt litteræ patentes Epiſcoporum: Propterea præparans ſe ad confeſſiones ſciat, quod authoritativæ obligant, non quidem omnes æqualiter, ſed magis, vel minùs, juxtà gravitatem ordinationis; ideòque Confeſſor curabit, quantùm poteſt, ea fideliter exequi, ut ordinantur, habito ſemper reſpectu ad circumſtantias loci, temporis &c. Quæ verò ſunt doctrinales, non habent quidem obligandi authoritatem, ſed tamen oſtendunt, quid competat naturæ, ac ſtatui hujus ſacramenti, rectæque illius adminiſtrationi: quare erunt etiam ipſæ magni faciendæ.

CAPUT XII.

Præparans ſe ad confeſſiones curabit ſcire ſequentia circà Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrum.

1. POſt traditam notitiam de hoc Sacramento in generali, hauſtam ex fontibus Theologiæ, qui ſunt verbum Dei Eccleſiæ revelatum, & authoritas Doctorum, quæ in Theologia eſt ut principium probabile ex S. Thoma 1. p. q. 1. a. 8. ad 2., deſcendo per ordinem ad ipſas concluſiones Theologicas, de quibus inſtrui debet ſe præparans, antequam in particulari cognoſcat peccata, quæ ſunt materia remota hujus ſacramenti: & has concluſiones debet ſcire quilibet exponens ſe examini confeſſionum. Examinator, antequam de ſcientia examinandi experimentum capiat, inquirit, quo in loco velit audire confeſſiones: nam, v. g. ſi Eccleſia eſt ruralis, examinat de peccatis propriis ruſticorum, inter quos aliqua ſunt omninò innominata; & ita poteſt quis eſſe aptus audiendis confeſſionibus, eſto ignoret naturam nonnulloruin criminum; At quilibet ſcire debet perfectè rationem hujus ſacramenti: quia nemo debet ignorare officium, quod exercet: Præparans igitur ſe ad confeſſiones curet callere quam maximè ſequentia.

2. D. Quod officium exercet Confeſſarius in adminiſtrando ſacroſanctum Pęnitentiæ Sacramentum?

M. Confeſſarius exercet triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris: Duo prima litteraliter innuit Rituale adductum c. 7. n. 6. Tertium verò Doctoris, eſto non litteraliter exprimat, abundè ſignificatur n. 17. Officium Doctoris exercet inſtruendo Pęnitentem juxtà dicta c. 7. nu. 17. & juxtà monitum S. Caroli c. 11. à n. 19. Hæc autem ſi ignoret præparans ſe ad confeſſiones (quod eſſet maximum inconveniens) antequam ſe præſentet examini, legat, & relegat *Inſtructionem pro ordinandis* a c. 8. ad 13. ſunt enim ipſa fidei rudimenta, quæ quilibet Chriſtianus tenetur ſcire, ut diſcipulus, & Confeſſarius, ut Magiſter, juxtà ibidem dicta c. 36. n. 19. & c. 39. n. 1. Officium Judicis exercet proferendo ſentẽtiam abſolutionis, ad inſtar actus judicialis, vel retinendo peccata, dum ſine abſolutione dimittit indiſpoſitum; vel ligat ad pœnam juxtà Magiſtrum c. 3. n. 14. & 15. Exercet officium Medici, dum imponit pęnitentias medicinales, dat remedia pro tollenda occaſione proxima, vel adversùs alia peccata, &c.

3. D. Tenetur ne Confeſſarius facere hoc triplex officium ergà ſingulos Pęnitentes?

M. Rituale adductum c. 7. n. 17. aſſerit expreſsè quod officium Doctoris exerceat *pro perſonarum qualitate*, & officium Medici n. 22. *quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, habita ratione ſtatus &c.* & officium Judicis exercebit, ut idem præcipit num. 26.

4. D. Quia calleo doctrinam Chriſtianam ex *Inſtructione pro ordinandis* à c. 8. ad 13. videor mihi cum adiutorio gratiæ Dei, poſſe ſufficienter exercere officium Doctoris multitudini Pęnitentium, ut Confeſſor ordinarius, ita ut non peccem graviter in illo munere: propterea peto inſtrui circà officium Judicis; & primò quid requiritur, ut validè abſolvam?

M. Illa generalis Inſtructio ſufficit pro communitate Chriſtianorum, ſed non pro ſingulis: Inter Chriſtianos adſunt gravioribus

ribus diſtenti negotiis, alii cupidi Chriſtianæ perfectionis, alii addicti vitæ contemplativæ, &c. His docendis alia complura tenetur ſcire Confeſſor, juxtà Rituale c. 7. n. 15. ante omnia inquiret de ſtatu Pœnitentis, & ubi hic exigit doctrinam majorem, illam Confeſſor hauriet à libris, & à viris doctioribus, atque exercitatioribus c. 7. nu. 7. ut ex S. Carolo c. 11. nu. 5. nam unicuique danda ſunt documenta, & medicinæ convenientes, nec in aliquo genere debet onus docendi aſſumere, qui non eſt Doctor in tali genere. S. Carolus c. 11. nu. 5. Illa igitur generalis inſtructio ſufficit tantùm pro Confeſſore ordinario, & expoſito ad univerſitatem fidelium, qui, ut etiam pro univerſitate, officium Judicis exerceat validè, debet eſſe Sacerdos, habens juriſdictionem, ſciens formam, & de facto proferens, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia. Rituale c. 7. num. 4. quodcunque ex his deficiat, abſolutio eſt invalida, & Pœnitens, ubi ſciuerit defectum, tenebitur eadem peccata confiteri alteri Sacerdoti, qui habeat omnia, & ſingula prædicta.

5. D. Nihil mihi occurrit circà primum requiſitum, *quod ſit Sacerdos*: nam legi pluries dicta ſuper hoc in *Inſtructione pro ordinandis* c. 29. num. 8. c. 34. num. 15. & ſuppl. S. Thomæ 3. p. q. 8. quare peto inſtrui circà ſecundum de Juriſdictione, ut validè abſolvat?

M. Juriſdictio eſt neceſſaria Confeſſori, ut validè abſolvat: nullus enim Judex validè judicat, niſi judicatus ſit ſubditus per juriſdictionem ordinariam, aut delegatam: dicitur habere ordinariam juriſdictionem Sacerdos, qui ex vi ſui officii habet adminiſtrare hoc ſacramentum, ut Pontifex in toto orbe, Epiſcopus in ſua Diœceſi, Parochus in ſua Paræcia, &c. dicuntur habere delegatam, qui ab habente poteſtatem delegandi obtinent licentiam audiendi confeſſiones: Parochus in ſua Paræcia non habet hanc poteſtatem delegandi abſque ulla licentia Epiſcopi. Tridentinum ſeſs. 23. c. 15. de reformatione. Vide cap. 10. nu. 15. Regularis inſuper legat caput nonum.

6. D. Circà tertium requiſitum peto, an ad validitatem ſacramenti requiratur verbis proferre formam, vel ſufficiat illam tradere ſcripto?

M. Non ſufficit proferre ſcripto: nam Eph. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Auguſtinus tr. 80. in Jo: *Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum*. Videatur S. Thomas 3. p. qu. 60. ubi loquitur in genere de omni ſacramento, & ſuppl. qu. 9. art. 3. Hic equidem agit de confeſſione, quæ eſt materia ſacramenti, nihilominùs ratio concludit etiam pro forma. Videatur inſuper decretum Clementis VIII. prohibentis de anno 1602. confeſſionem in ſcriptis. Illud hìc non propono, uti neque caſus, qui ex eo deciduntur: etenim ſcribo pro Confeſſore ordinario, & hìc, relictis quæſtionibus metaphyſicis, in id ſemper incumbit, ut quilibet Pœnitens præſens proprio ore confiteatur propria peccata, quæ poſteà ipſe abſolvit per formam proprio ore prolatam.

7. D. Circà quartum requiſitum in *Inſtructione pro ordinandis* c. 14. n. 9. habeo, quid, & quotuplex ſit intentio, & cap. 19. quæ intentio requiratur ad ſacramenta. Inſuper lego ſæpiſſimè S. Thomam 3. p. q. 64. a. 8. qui adducit pro neceſſitate intentionis efficaciſſimam rationem; ex qua colligo intentionem hujuſmodi etiam requiri ad lucrandas Indulgentias. Igitur ſolùm peto, an requiratur in Confeſſore intentio faciendi effectum ſacramenti, ſeu juſtificandi peccatorem per abſolutionem?

M. Chriſtus Dominus debuit habere prædictam intentionem; ſed in Miniſtro vel hujus, vel alterius ſacramenti, ſufficit intentio faciendi, quod facit Eccleſia: quare Pœnitens validè eſſet abſolutus, quando habens ego cætera requiſita, cum prædicta intentione, abſolverem determinando mentaliter me nolle juſtificare pœnitentem; imò etiamſi crederem ſacramentum carere virtute juſtificandi: nec enim requiritur fides in Miniſtro. S. Th. 3. p. q. 64. ar. 9.

8. D. Habeo, quid requiratur in Miniſtro, ut validè abſolvat; peto, quid ultrà requiratur, ut abſolvat licitè?

M. Requiritur, ut ſit in gratia, qua carens validè abſolvet, ſi habeat requiſita poſita n. 4. Trid. ſeſs. 7. can. 12. ſeſs. 14. c. 6. can. 10. S. Thom. 3. p. q. 64. art. 5. ſuppl. q. 19. ar. 5.

9. D. Si gratia requiritur ſolùm ad licitè, non ad validè abſolvendum, excommunicatus peccabit quidem abſolvendo, ſed validè abſolvet?

M. S. Thomas ſuppl. qu. 19. artic. 6. poſuit

poſuit excommunicatum abſolvere invalidè; & ita tunc erat ſentiendum, quia excommunicatus erat privatus omni juriſdictione; propterea deficiebat in ſecundo requiſito poſito n. 4. Sed poſt decretum Martini V. juriſdictio tollitur ſolùm excommunicato vitando, vel publico percuſſori Clerici: quare ſi talis eſſet excommunicatus, de quo in caſu, abſolutio eſſet invalida, eſto invincibiliter ignorarem excommunicationem, quia non mea ignorantia, ſed (& ſit regula univerſalis) ſola Superioris authoritas confert juriſdictionem: ſi non ſit taliter excommunicatus, & ignoravi excommunicationem, validè abſolvor: ſi verò ſcivi excommunicationem: diſtingue: aut illum adii ex aliquâ neceſſitate, vel erat proprius Superior, nec habebam in promptu Confeſſarium idoneum; & tunc ille peccat abſolvens in peccato mortali; ſed ego utor jure meo, & malo illius in bonum meum: Extra dictos duos caſus, invalidè abſolvit, non quia deficiat in juriſdictione, ſed quia ego accedens pecco mortaliter, & committo ſacrilegium, cooperans ſacrilegio illius. Ita deducitur ex ratione S. Th. 2.2. q.78. a.4. quam oportebit callere, quia eſt univerſalis ad decidendos plurimos caſus.

10. D. Scientia requiriturne in Confeſſore ut validè, vel ut licitè abſolvat?

M. Aliqua ſcientia requiritur ad validè abſolvendum, nempè, ut ſciat proferre formam; nec alia requiritur ad validitatem: eſto ignoraret omnia myſteria fidei, quia ex nu. 7. non requiritur fides in Miniſtro, validè abſolvere, dummodò haberet requiſita poſita n. 4. & dummodò Pęnitens data opera non requireret Confeſſorē ignorantem, quia tùnc pænitens peccans accedit indiſpoſitus: Vide n.9. Alia ſcientia requiritur, ut licitè abſolvat, quia ſine illâ abſolvens peccaret mortaliter, & aliâ requiritur ad congruitatem, ut perfectiùs exerceat triplex officium Doctoris, Judicis, & Medici. Non poſſum determinare, quænàm ſcientia ſit de neceſſitate, & quæ de congruo; Ratio eſt, quia nulla concluſio deduci poteſt, niſi ex ſuis principiis, & præmiſſis. Præmiſſæ, quibus innititur Theologia Moralis ſunt determinationes Eccleſiæ, vel ratio: Nulla ratio præcisè determinat tantam ſcientiam, quia ſcientia eſt medium; & determinare media ſpectat ad Prudentiam, ut dicetur p.2. c.14. n.11. quæ nunquam determinat media in univerſali, ſed modò accipit plura, modò pauciora, ſecundùm quod conducunt ad finem: ſed nec Eccleſia determinavit tantam præcisè ſcientiam. Rituale cap 7 n.7. videtur exigere, quod ſciat diſcernere inter lepram, & lepram, diſtinguens genera, ſpecies, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias peccatorum, de quibus dicetur in ſequentibus, & dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 40. n.24. & 25. Debet ſcire, caſus reſervatos Papæ, & Epiſcopo: Rituale cap.7. n.8. Debet ſcire, inſtructionem Sacramenti Pęnitentiæ ex ipſo Rituali num.9. ſaltem quoad ea, quæ ſunt ſubſtantialia. Edictum Sancti Officii, Conſtitutiones Apoſtolicas ſuprà poſitas, Propoſitiones in materia morum damnatas, &c. Cęterùm auditurus confeſſiones expediat ſe ab hiſce ſcrupulis, an habeat, vel non habeat ſcientiam omninò neceſſariam, primò ſequendo monitum S. Caroli poſitum c.9. n 5. ut non ſe ingerat audiendis pęnitentibus, quos dubitat habere caſus ſibi non reſolubiles: ſecundò ſequendo ordinationem Ritualis c.7. n.7. *in quantam proximam poteſt, ſcientiam, ſtudeat ſibi comparare*. Vide c.3. n.16.

11. D. Quibus mediis poterit Confeſſor comparare ſibi hanc quantam poteſt, maximam ſcientiam?

M. Tria proponit Rituale c.7. n.7. Primum eſt aſſidua oratio; eritque optima, quam compoſuit, & recitabat ante ſtudium S. Thomas, inſerta in ejus opuſculis, & incipiens: *Creator ineffabilis* &c. Eritque optimum, quotidianum Miſſæ ſacrificium ad hunc etiam effectum applicare, ut Deus nobis conferat *ſcientiam Sanctorum*. Secundum medium proponitur ſtudium probatorum Auctorum, Catechiſmi præſertim. Author aliquis poteſt eſſe probatus, vel per auctoritatem Eccleſiæ Romanę, vel per auctoritatem alicujus particularis Eccleſiæ, vel per communem acceptationem Theologorum: Primi ſemper præferantur aliis: & ſecundi in illa Eccleſia præferantur tertiis. Præter Tridentinum, & Authores ſuperiùs adductos, quos optimum erit, legere ſæpiùs in fonte. S. Carolus commendat Confeſſoribus Paſtorale S. Gregorii, libros Sancti Joannis Chryſoſtomi de Sacerdotio, Summam S. Antonini, & ſi quam aliam Epiſcopus utilem judicaverit. Libellus Romæ editus in-

Digitized by Google

ſcriptus *Avvertimenti di S. Carlo*, &c. eſt omninò neceſſarius. Sed principia doctrinæ Moralis continet Summa S. Thomæ: Virtutes, & vitia in generali explicantur 1. ſecundæ. Agit de virtutibus, & vitiis in ſpecie 2.2. De Sacramentis 3. par. à qu. 60. cum toto ferè ſupplemento. Sanè Angelici dogmata inconcuſſa, tutiſſimaque appellavit Alexander VII. Imò nullius Sancti doctrinam à Deo Eccleſia univerſalis orat intelligere, ut doctrinam Aquinatis, in Collectâ ſuæ feſtivitatis orans *da nobis, quæſumus, & quæ docuit, intellectu conſpicere, & quæ egit, imitatione complere*. Habet hæc Angelica doctrina compendium totius Moralis, quam Spiritus Sanctus docuit in Eccleſiaſtico, in Evangelio, in Epiſtolis Apoſtolorum: quos etiam libros curabit Confeſſor legere, ut verbum Dei, & ut fundamentum, ſuper quo ædificant omnes Theologi. Plura etiam hujuſmodi fundamenta ſunt in Jure Canonico, cujus volumina legat Confeſſor ſaltem quoad illam partem, quæ tangit forum conſcientiæ, & deciſionem caſuum Moralium, relictâ Juriſperitis parte illâ, quæ tangit forum exterius. Sciat antiquitùs caſus omnes non ita obvios per Confeſſorem fuiſſe communicatos Epiſcopo, qui, adhibito Theologorum conſilio, ſi deciſio videretur pauló profundior, conſulebatur Apoſtolica Sedes. Ex hac re per Theologos doctiores acritèr examinatâ, prodibat oraculum; & inde compactum eſt aureum volumen Decretalium. Tertium medium à Rituali propoſitum comparandæ ſcientiæ eſt *prudens conſilium peritorum*. Huic exquirendo ſcimus antiquitùs conveniſſe Monachos ex collationibus Caſſiani. Has ex Breviario aſſiduè pervolutabat S. Thomas. Quilibet ferè Ordo Regularis, etiam Camaldulenſium, ſtabilivit hujuſmodi lectiones, ſeù collationes de caſibus conſcientiæ, & ſanè cum magno populorum fructu, qui ſanctè illas frequentant; quem fructum intendens SS. D. N. Clemens XI. præcepit eaſdem collationes, ſeù lectiones in Urbe omnibus Confeſſariis, ut dictum eſt c. 10. num. 2. & 14.

13. D. Quia Confeſſor dicitur Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ, vellem ſcire, quæ differentia intercedat inter Pœnitentiam, ut eſt Virtus, & ut eſt Sacramentum?

M. Ex Catechiſmo cap. 6. à num. 4. habes, quomodo diſtinguantur Sacramentum, & Virtus Pœnitentiæ. Quia verò clarius id percipitur, ſi explicetur juxtà Theologiam S. Thomæ, ſcito nomine Virtutis Pœnitentiæ, intelligi habitum, quem Deus infundit in voluntate: quando infundit in eſſentiâ animæ habitum gratiæ ſanctificantis, ut ſit filia Dei, & in reliquis potentiis infundit habitus, ut operentur operationes proprias filiæ adoptivæ Dei: & hic habitus Pœnitentiæ inclinat homines ad actus, ſeù operationes, quæ ſunt dolere, confiteri, & ſatisfacere pro peccato, ut eſt offenſa Dei: ſecundò, nomine Pœnitentiæ, veniunt iſti actus, ſive perfecti, ſive imperfecti: ſi ſint perfecti eliciuntur à nobis per habitum pœnitentiæ, & conſequentèr à nobis juſtificatis: uti nomine caloris veniunt omnes gradus & perfecti, ut octavus, & imperfecti, ut reliqui priores: Imperfecti actus pœnitentiæ ſunt à nobis ante habitum (dependentèr tamen à ſpeciali auxilio Dei). Habitus pœnitentiæ nullo modo eſt Sacramentum: Actus autem ſunt materia proxima Sacramenti: quare pœnitentia Sacramentum diſtinguitur à pœnitentia virtute, ſicut homo à corpore. Sacramentum enim eſt quoddam totum, cui abſolutio deſervit loco formæ, & prædicti actus loco materiæ.

13. D. Adſuntne aliquę propoſitiones damnatæ, quæ tractent de Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ?

M. Duas per ſe, & directè ſpectantes ad juriſdictionem, damnavit Alex. VII. nempè, 13. & 16. quæ tangunt juriſdictionem in generali: quæ tangunt juriſdictionem ſuper reſervata, innuentur ſuo loco.

CAPUT XIII.

De partibus materialibus hujus Sacramenti.

1. D. Quia tactum eſt aliquid de materia, dicatur mihi magis diſtinctè, quæ ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ?

M. Materia duplex eſt: Remota, & Proxima: Remota ſunt peccata hominis Chriſtiani commiſſa poſt baptiſmum: Subdiſtinguitur: alia enim eſt neceſſaria ſimùl, & ſufficiens, nempè, peccata mortalia certa Chriſtiani, commiſſa poſt baptiſmum,

mum, & nunquam ritè confeſſa: Alia eſt materia neceſſaria, non ſufficiens, nempè, peccatum mortale dubium, quod ex unâ parte tenemur confiteri: S. Thomas ſuppl. quæſt. 6. art. 4. ad 3. nàm in dubiis tutior pars eſt eligenda: ex aliâ ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, non poſſumus de illo ſolo abſolvi, ſed tenemur addere aliud certum, vel mortale, vel veniale: Tertia tandem eſt materia ſufficiens, nempè, peccatum veniale, vel etiam mortale, aliàs ſemel ritè confeſſum. Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. S. Thom. 3. p. q 84. ar. 2. & ſuppl. q. 2.

2. D. Quæ eſt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ?

M. Sunt tres actus Pœnitentis, Cordis Contritio, Oris Confeſſio, Operis Satisfactio. Ad hos reducuntur illa quinque dicta in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 11. num. 26.

3. D. Præparans ſe ad audiendas confeſſiones, præſertìm in Examine Romano, debet callere Theologiam Moralem, ut Sapientia eſt; Audivi multos ibi reprobatos, quia habebant ſcientiam, non ſapientiam: Ex S. Thomâ 1. par. q. 1. ar 8. *Sapientis eſt ordinare:* Iſti habebant ſcientiam de quibuſdam tractatibus, ſed non ſapientiam: nec enim ſciebant ordinatè: multò minùs habebant Sapientiam perfectam: hæc eſt ſpeculativa ſimùl, & practica ex eodem 2. 2. q 45. art. 3. Deſiderans ego habere Theologiam Moralem ordinatè, & cum reſpectu ad praxim, peto inſtrui, ut ordo exigit, de ſingulis partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ, ita quod de illis perfectè addiſcam quæſtiones non metaphyſicas, ſed quæ faciunt ad praxim pro Confeſſore ordinario; & primò de Contritione?

M. Præparans ſe ad confeſſiones, ut dignè exerceat triplex officium Judicis, Doctoris, ac Medici, circà contritionem ſciat ſequentia: primò: Contritio importat ſaltem duos actus: alterum, quo dolemus de peccato præterito: alterum propoſiti de cavendo futura. [S. Thomas ſuppl. q. 1. ar. 1.] Secundò: uterque actus debet eſse ſuper omnia [q. 2. ar. 4.] ita quod plus doleat de offensâ Dei, quàm de aliis malis, & proponat vitare potiùs offenſam Dei: quàm cætera mala: Id tamen ſufficit in generali: non eſt neceſſarium dicere: *Eligam potiùs, quàm peccare, infernum* (ibid. ad 4. & quodl. 1. ar. 9. ubi ait: *Stultè faceret, qui ſe, vel alium ſollicitaret* ad ita explicandum in particulari, eſsetque *inducere ad tentationem, & præbere occaſionem peccandi.*) Sufficit etiam, quod uterque ſit ſuper omnia *Appretiativè*, non *Intenſivè*. (Hi termini explicantur in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 11. n. 28. 29.) S. Thomas ſuppl. qu. 3. art. 1. Sed & vide Catechiſmum cap. 6. num. 8. Tertiò: Contritio, ut ſit materia Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, quia omne Sacramentum eſt ſignum ſenſibile quo ad materiam, & formam. *Inſtructio pro ordinandis* c. 11. n. 2. S. Thomas 3. p. q. 60. ar 4. Senſibilis autem dicitur Contritio conſiſtens in actu voluntatis, quia conjungit ſibi actum aliquem externum Virtutis Pœnitentiæ. Hi actus externi ſunt gemitus, lachrymæ, tunſio pectoris, vocalis confeſſio &c. (3. p. qu. 84. ar. 9. ad 1.) Per hos reddita ſenſui ſubjecta contritio ſit materia Sacramenti: quartò: Contritio mortalium debet eſſe univerſalis, & de omnibus, ſuppl. q 3. a. 2. ubi ad 2. notentur illa verba: *Debet non ſolum de peccato, ſed de oblivione ejus dolere, quæ ex negligentia contigit:* ſi enim debet conteri de oblivione, debet illam confiteri, etiam quoad numerum. Vide Catechiſmum cap. 6. num. 11. Dicitur autem univerſalis dolor, quando formale motivum eſt univerſale, quanquàm materialitèr explicem aliqua ſolùm peccata, v. g. oblitus in examine duorum criminum contrà Caſtitatem, recordor decem contrà juſtitiam, & memorans illa decem, doleo, quia per illa offendi Deum ſummè bonum contritione perfectâ, vel imperfectâ, quia Deum offendens, infernum promerui: Motivum hoc eſt univerſale, conveniens omni peccato; & ideò cum tali dolore confitens abſolvor directè à decem, indirectè à duobus oblitis: At ſi dolerem illis decem offendiſſe Deum, ob turpitudinem injuſtitiæ revelatam à Deo Eccleſiæ, motivum hoc eſt particulare, utpotè non conveniens illis duobus contra caſtitatem; propterea in tali caſu à nullo abſolverer, quia Deus non dimidiat veniam. Curet tamen Confeſſor, ut Pœnitens doleat etiam materialiter de omnibus juxta monitum S. Caroli cap. 11. num. 42. S. Thom. ſuppl. q 2. art. 6. Quintò: Dolor debet eſſe ſupernaturalis, hoc eſt, regulatus à fide, quæ eſt principium ſupernaturalitatis (57. prop. damnata ab

Innocentio XI.) 2. 2. q. 16. a. 1. quare non ſufficit timor pœnæ temporalis, quia fides non docet peccanti imminere talem pœnam, ſicuti docet imminere pœnam alterius vitæ: ibid. q. 19. a. 2. ad 4. *Timor ſervilis, & initialis reſpiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum, divinitùs inflictam, & comminatam*. Alios actus contritioni annexos ex Tridentino vide c. 4. & 3. p. q. 85. a. 5. Sextò: dividitur Contritio in Imperfectam, & Perfectam. Differentia utriuſque poſita eſt in *Inſtructione pro ordinandis*. c. 11. n. 27. ſeqq. & n. 31. dictū eſt alterutram ſufficere huic ſacramēto, accipiendo imperfectam, ut ſemper acceperunt antiqui Scholaſtici pro Attritione includente Amorem Dei initialem. Vide ſuprà Tridentinum c. 4. n. 13. E contrà plures Theologi recentiores aſſerunt ſufficere dolorem ex metu gehennæ ortum, etiam nullo interveniente actu imperfecto charitatis in Deum, propter ſe ſuper omnia dilectum. Hanc opinionem Alexander VII. prohibuit notari cenſurâ. Ego ſuſtinui mordicùs neceſſitatem Amoris Dei in diſſertatione ſuper hoc edita de anno 1698. Abſit tamen, ut Examinatores velint obligare ad hanc ſequendam: Semper in quæſtionibus controverſis relinquunt optionem examinato; Rejiciunt tamen dolorem ex gehennæ metu ortum ſine ullo reſpectu ad Deum, quem plures Eccleſiæ particulares jàm damnarunt, ut omninò inſufficientem. Septimò: Contritio ut ſit materia proxima Sacramenti, debet connecti aliis partibus ejuſdem, v. g. poſt elicitam contritionem, ad pedes Confeſſarii, propono præ verecundia tacere aliquod peccatum, quod aperio deinde inductus Confeſſarii monitis: in hoc caſu novus dolor eſt eliciendus: primi enim vis, & efficacia fuit interrupta quoad ſacramentum, per ſubſequens ſacrilegium, & univerſaliter omne peccatum mortale interrumpit efficaciam præcedentis doloris. Nonnulli diſputant, an contritio ſerotina valeat pro confeſſione ſequentis manè: Tu ex illo principio, vide an illa confeſſio procedat in virtute contritionis heſternæ: Valebit enim confeſſio, ſi ita procedat: non valebit, ſi ita non procedat. S. Thomas 3. p. q. 84. a. 1. ad 3. ſuppl. q. 7. art. 3. ad 3.

4. D. Dicta num. præcedenti de prima parte materiali hujus Sacramenti, videntur ſufficere preparanti ſe ad exercendum munus Confeſſoris ordinarii, & cogitanti profundiùs callere Theologiam Moralem. Ille habet in compendio doctrinam Contritionis. Hic citata loca, ex quibus eliciat rationes: quare ſtudiū hujus ſcientiæ faciliùs redditur ex triplici capite: primò ſi rationes hìc infererentur, confunderetur, qui ſolùm capax eſt ſcientiæ ordinariæ, ut exerceat triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici: ſecundò volumen creſceret, & præ pretio fugerent illud comparare plures, qui aliàs habent libros nominatos c. 12. n. 12. tertiò aqua purior eſt in fonte, quàm in rivo; & Moralis adæquat magis intellectum hauſta ex fonte Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac primorum Magiſtrorum; quàm ex libercu lis. Igitur optimè conſultum eſt cuilibet, notando libros, quos ſibi provideat Confeſſor; & ego pedetentim, juxtà redditus beneficii, ac patrimonii, ſtudeo illos comparare, conſciùs plurima, ex ignorantia Confeſſorum, vigere peccata, quæ tollerentur, ſi ad hoc munus deputati, quotidiè legerent aliquid ex prædictis libris; quidquid tamen ſit de aliis: de me rationem Deo reddere teneor, acerbiſſimè puniendus, niſi ſciam neceſſaria: quare inſtructus circà primam partem materialem hujus ſacramenti, peto inſtrui circà ſecundam, quæ eſt *Oris Confeſſio?*

M. Oris confeſſio eſt actus virtutis Pœnitentiæ, &, ut ordinatur ad abſolutionem, eſt ſecunda pars, materialis ſacramenti: Ut rectè fieret, antiqui aſſignarunt ſexdecim conditiones comprehenſas iis verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

S. Thomas ſuppl. q. 9. a. 4. eas mirabiliter explicat oſtendens, quæ ſint de neceſſitate, & quæ de congruitate. Ad captum Confeſſoris ordinarii diſſeram de illis, juxtà terminos, quibus utuntur Caſuiſtæ: Primò igitur confeſſionem debet præcedere diligens examen conſcientiæ: Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. Quantum temporis in hoc inſumendum ſit, vide ex S. Carolo c. 11. n. 15. Catechiſmus etiam c. 6. n. 11. præcipit reiterare confeſſionem, quando nimis remiſ-

Digitized by Google

ſum præceſſit examen. Hoc eſt neceſſarium, ne homo ſe exponat periculo omittendi aliquod peccatum: quare qui in manè confeſſus eſt, & paulò poſt ut celebret, vult confiteri de actu impatientiæ, v.g. commiſſo poſt confeſſionem, non peccat, confitens abſqu e prævio examine, quia certus eſt moraliter, quod nullum relinquet peccatum: è contrà non confeſſus per annum, v.g. invalidè confitetur ſine examine, quanquam caſu diceret omnia: id enim eſt per accidens: aliàs verè periculo ſe exponit. Secundò: confeſſio debet eſſe ſine mendacio. S. Thomas ſuppl.q.6.a.4. Videatur Magiſter c.3.n.20. Tertiò: confeſſio debet eſſe integra. Sed integritas eſt duplex: alia materialis: alia formalis. Materialis conſiſtit in explicando peccatorum commiſſorum ſpeciem, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias: Formalis eſt, quando quidèm, ob aliquod impedimentum, vel morale, vel phyſicum, omittitur aliquod peccatum, ſed tamen pœnitens dicit omnia, quæ poteſt, cum animo dicendi reliqua ſuo tempore, & cum dolore univerſali de omnibus etiã, quæ omittit, juxtà dicta n.3.de dolore univerſali. Sine integritate formali confeſſio eſt invalida. Homo dicitur integer materialiter, ſi habet omnia membra: ſi deſit aliquod, ſed habeat eſſentialia hominis, dicitur integer formalitèr. Natura tendit ad conſtituendum hominem materialiter, & formaliter integrum. Præter intentionem naturæ naſcitur homo mancus ex defectu virtutis in ſemine. Ita Pœnitens debet intendere confeſſionem materialiter, & formaliter integram. Invalidè, & ſacrilegè confitetur, ſi præ verecundià nolit facere integram materialiter (loquendo de mortalibus) ſed ſi ex parte ſuâ faciat, quantum poteſt, defectuſque proveniat ex alio impedimento, vel phyſico, vel morali, ut potè formaliter integra, erit valida. Difficultas eſt ſtabilire in particulari, an hoc, vel illud impedimentum ſufficiat. Ex Rituali c.7.n.28. Impedimentum phyſicum, quo deficeret vox infirmum, ſufficit. Idem dic, ſi poſſet quidem loquì, ſed indè augeretur notabiliſſimè infirmitas, quia præceptũ juris divini cedit præcepto juris naturæ non damnificandi propriam ſalutem. E contrà ex 59. propoſitione ab Innocentio XI. damnatâ, non ſufficit impedimentum morale conſurgens ex frequentia populi ad hoc ſacramentum; ſed neque conſurgens ex timore infamandi ſe ipſum apud Confeſſorem: benè tamen conſurgens ex timore gravi, & juſto infamandi complicem. Ex vi hujus regulæ diſſerendum de aliis caſibus particularibus.

5. D. Ad confeſſionem ex parte Pœnitentis, ſequitur obligatio ſigilli ex parte Confeſſarii; quare peto, quid importet hoc ſigillum?

M. Circà ſigillum vide c.3.n.21.& ex c. *Omnis utriuſque* c.8.n.4. nàm ibi clarè innuitur, quomodo ſe debeat gerere confeſſarius. Videatur etiam S. Thomas ſuppl.q. 11. Sigillum dicitur obligatio ſtrictiſſima proveniens ex jure Eccleſiaſtico, divino, & naturali, non revelandi audita in confeſſione, quæ ſi revelarentur, redderent odioſam confeſſionem. Hinc non tenemur ex vi ſigilli cælare actus virtuoſos, vel indifferentes, in confeſſione auditos, quia, docendo poſſe hæc dici, non redditur odioſa confeſſio, ſed benè tenemur ex vi ſigilli naturalis cælare actus virtuoſos, juxtà intentionem Pœnitentis. E contrà redditur odioſa, ſi doceatur poſſe dici peccata, vel defectus etiam naturales, ut quod ſim illegitimè natus &c. Cælanda ſunt, eſto ex revelatione immineret ſalus, & ex occultatione ruina mundi totius, nàm reddere odioſam confeſſionem eſt malùm majus, quàm ruina mundi: confeſſor obligatur hoc ſigillo, etiam ſi ex defectu diſpoſitionis non abſolvat Pœnitentem, imò etiam ſi ſacrilegè hic confiteatur; dummodò illa confeſſio habeat aliquem ordinem ad ſacramentum & Pœnitens habeat animum ſe accuſandi Sacerdoti tanquã Miniſtro Chriſti. Sed non tenetur, ſi Pœnitens ſimularet confeſſionem, ſed re verà ſub eâ ſimulatione vellet trahere Confeſſorem ad turpia, vel ad rebellionem in Principem: vel ſi Hæbræus fingeret hoc, ut appareret Chriſtianus, quia nullus ex his ordinat hunc actum ad confeſſionem, ſed ad ſimulationem confeſſionis. Confeſſor ita audiens hujuſmodi ſimulãtes, obligaretur ex vi ſecreti naturalis in delictis privatis, quæ tenemur cælare, ſed teneretur revelare delictum rebellionis, delicta contrà Sanctum Officium, & ſimilia delicta publica. Ita obligat hoc ſigillum, ut neque poſſimus uti ſcientia in confeſſione habità, eſto nullum omninò eſſet periculum revelandi perſonam. Ita ex decreto S. Inquiſitionis damnante propoſitio-

nem

nem contrariam de anno 1682. quod ut clariùs intelligatur, fingamus electionem per vota ſecreta inſtare in communitate undecim Regularium, ſex, de quorum numero ſum ego, adhærentibus Petro. Interim ex illius confeſſione agnoſco Petrum eſſe hæreticum, ambire dignitatem ſimoniacè, ut ſeminet hæreſim &c.; eſto nunquam detegi poſſit, quis receſſerit à Petro, non poſſum ego uti tali ſcientiâ ad negandum ſuffragium, quia ſcio vice-Dei, non ut homo: ſecùs eſt, ſi aliundè ſcirem: tamen notat Sanctus Thomas quæſtione citata, eſſe cavendum, ne cæteri ſcandalizentur, dum de eo, quod ſcivit in confeſſione Sacerdos, & aliis viis, diſſerit cum aliis.

6. D. Quid eſt operis Satisfactio, quæ dicitur tertia pars materialis Sacramenti pœnitentiæ?

M. Plenam Satisfactionis doctrinam habebit præparans ſe ad confeſſiones ex Tridentino ſeſs. 14. cap. 8. quam ſæpiùs attentè leget, non contentus recolere concluſiones ex illo traditas cap. 5. num. 43. nam ibi Spiritus Sanctus inſtruit circa illam pleniſſimè. Sed, & Catechiſmum cap. 6. num. 12. S. Thomam à ſuppl. quæſt. 12. ad 16. Rituale adductum cap. 7. num. 22. & ſeqq. Satisfactio poteſt ſumi dupliciter, prout eſt in propoſito, & prout eſt in executione. Prout in propoſito, eſt pars eſſentialis Sacramenti pęnitentiæ. Aliqui docent ad confeſſionis validitatem ſufficere, quod pœnitens velit agere pœnitentiam in Purgatorio, poſse propterea reſpuere pœnitentiam à Confeſsore injunctam. Hæc opinio fortè non placet Sanctæ Inquiſitioni, nec eam audire volunt Examinatores Urbis, nam ex cap. 3. n. 15. Clavis ligat ad pœnitentiam. Satisfactio in executione eſt pars integralis Sacramenti, & per conſequens ex opere operato remittit pœnam ſolvendam in Purgatorio, quatenùs cum illa nobis applicatur ſatisfactio Chriſti; & ita Pœnitens curare deberet, ut opera ſatisfactoria, quæ ſibi ultrò eſt aſsumpturus, ſibi imponerentur à Confeſſore; nam ultrò aſsumpta ſolum valent ex opere operantis; ut à Cōfeſſore impoſita valent ex opere operātis, quantū de ſe poſsunt, & ex opere operato, quia ſunt inſtrumenta, quibus applicatur nobis ſatisfactio Chriſti; Pœnitens igitur tenetur acceptare pœnitentiam, & illam adimplere quàm primum. Imò ex Rituali cap. 7. num. 15. debet Confeſsor interrogare, an adimpleverit pœnitentiam præcedentis confeſſionis; & illum ordinariè non audiet, niſi priùs ſatisfaciat, quandò differt ſine rationabili cauſa. Ex 15. propoſitione damnata ab Alexandro VII. nequit pœnitens propria authoritate ſibi ſubſtituere, qui adimpleat illam. Vide rationem capitulo 6. num. 12.

7. D. Valet nè Satisfactio à pœnitente facta, dum eſt in peccato mortali?

M. Vide S. Thomam ſuppl. quæſt. 14. ar. 2., & cap. 3. num. 6. cap. 6. num. 12. Inde apparet peccatorem in peccato mortali adimplentem pœnitentiam, in anteriori confeſſione impoſitam ſatisfacere obligationi contractæ cum confeſsore, coram Deo tamen, non ſatisfacit per illam pœnis ſibi debitis in Purgatorio ratione criminum priùs confeſsorum. Fructus bonorum operum eſt triplex, Meritum, Impetratio, & Satisfactio: Secundus, & tertius fundantur in primo; quare cùm per bona opera in mortali exercita, peccator nihil de condigno mereatur, neque ſatisfacit. De congruo tamen quodlibet opus bonum eſt valdè utile; præſertim, quando volens confeſſor probare conſuetudinarium v. g., differt abſolutionem; & interim, dum probat, imponit partem pœnitentiæ: Imò ita ordinariè fieri debet, dum differtur abſolutio.

8. D. Prodeſt multùm, ſi præparans ſe ad confeſſiones, craſsâ Minervâ ſaltèm, ſciat diſtinctionem inter meritum de condigno, & de congruo. In docendo diebus Dominicis doctrinam Chriſtianam, experior excitari fideles etiam rudiores audiendo explicatos quoſdam articulos, à Caſuiſtis recentioribus relictos, ut ajunt, Scholaſtici?

M. Inſtructioni fidelium ſanè magis conferunt quæſtiones aliquæ omninò Caſuiſtis intactæ, quàm illæ ab Alexandro VII. vocatæ *corruptela Chriſtianæ vitæ*. S. Thomas 1. 2. quæſt. 114. ar. 6. explicat utrumque meritum: Homo meretur de condigno apud Principem, quandò tali actioni, ut à tali elicitæ debetur tanta merces, vel præmium: De congruo meretur, quandò tale præmium non debetur tali actioni, ſed congruum eſt, quod Princeps, ob ſuam magnanimitatem, remuneretur operantem magis, quàm ſibi debeatur ſimpliciter. Hæc verò, qui rudiores inſtruit

Digitized by Google

in doctrinâ Chriſtianâ, explicabit, pro eorum captu, exemplis, præſertim Parabolâ patrisfamilias relatâ Matth. 20. 1.

9. D. Dicendum eſt, quibus modis poſſimus Deo ſatisfacere, ut Confeſſor ſciat, quas pœnitentias debeat imponere?

M. Modos ſatisfaciendi explicat Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 9. Sanctus Thomas ſuppl. qu. 15. & tacti ſunt ex Catechiſmo cap. 6. num. 12. Satisfacimus primò flagellis à Deo immiſſis, & patienter toleratis: ſecundo jejuniis; (quo nomine venit omnis afflictio corporis voluntariè aſſumpta) tertiò oratione (quo nomine venit omnis elevatio mentis in Deum) quartò eleemoſinis) quo nomine veniunt quatuordecim opera miſericordiæ. S. Thomas in 4. d. 15. quæſt. 2. artic. 2. quæſt. 2. docet in oratione includi jejunium, & in eleemoſinâ jejunium, ac orationem. Vide illum. Quare Confeſsor imponens aliquod opus miſericordiæ imponit triplex genus ſatisfactionum.

10. D. Quomodò debebit ſe gerere confeſſarius in imponendis pœnitentiis?

M. Confeſsor injungit pœnitentias, ut Judex, & Medicus: Ut Judex, ad ſatisfaciendum de præteritis; ut Medicus, ad cavendum futura. Ex Rituali cap. 7. nu. 23. habet, quas pœnitentias imponere debeat. Porrò notandum ex S. Thoma ſuppl. q. 18. a. 4. quod Medicus malè faceret, ſi omnibus laborantibus eodem morbo applicaret eandem medicinam, univerſaliter ab Hippocrate præſcriptam contrà talem morbum. Debet quidem dirigi ex præſcripto Hippocratis; at ulteriùs conſiderare complexionem infirmi, vires, tempus, &c. quibus conſideratis, quia non omnis complexio eſt apta medicinæ adeò efficaci, quantum poterit, cuilibet aptabit medicinam Hippocratis. Et ita Confeſsor, præcipiet ſatisfactionem pro ratione ſtatus, ut Rituale ait cap. 7. num. 22. aptando illam Canonibus antiquis. Aliquæ tamen medicinæ ſunt univerſales pro omni morbo, & niſi contrarium ſuadeat evidens neceſſitas, omninò applicandæ, ut Diæta, &c. Confeſsor primò videbit, an Eccleſia Romana, vel ſuus Epiſcopus pro tali delicto determinaverit aliquàm hujuſmodi, & ad unguem ſervari curabit. In Bullâ Cœnæ lædentes libertatem Eccleſiaſticam, debent ſatisfacere, revocando, & delendo è libris decreta contrà illam facta, reddendoque certiorem de hac revocatione Sedem Apoſtolicam, & hoc adimpleri debet ante abſolutionem. Reus contrà edictum Sancti Officii, poſt triginta dies, nequit abſolvi, niſi ſatisfaciat actu denunciando. Abſolvendus in articulo mortis debet ſatisfacere per juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, & ſatisfaciendo parti læſæ, teneturque convaleſcens quàm primùm exequi jurata, ſub pœnâ incidendi in novam excommunicationem, niſi obediat. Hæ Pœnitentiæ, ſunt imponendæ juxtà præſcriptum Superioris, & Canonum, ſeù conſtitutionum Apoſtolicarum; quarum propterea curabit Confeſſor habere perfectam notitiam. Ex Tridentino ſeſſ. 24. c. 8. de ref. Publicè peccantibus injungenda eſt publica pęnitentia, & ſolus Epiſcopus eam poteſt commutare in ſecretam.

11. D. Confeſſor debet ne imponere pęnitentias ſecundum Canones pænitentiales antiquos?

M. Eccleſia in Concilio Tridentino collecta multùm deſideravit, ut redderetur priſtinus fervor veterum pœnitentiarum, quâ propter pleni ſpiritu Matris, filii obedientes, Parochi, Concionatores, & Confeſſores, quilibet in exercendo ſuo officio, curabunt inflammare populum ad illum fervorem; ſicuti tamen Eccleſia neminem obligat, ita nec ipſi obligent, ſed oſtendant, quantum ædificationis oriretur in populo, ſi peccator, præſertìm publicus, ultrò ſuſciperet prædictas pœnitentias, quarum ritus extat in Pontificali Romano par. 2. At verò Catechiſmus cap. 6. num. 12. commendat, ut Confeſſor indicet pœnitenti qualitatem pœnitentiæ olim per Canones taxatam; Canoneſque ideò Sanctus Carolus collegit diſtinctè per præcepta Decalogi, quæ violamus. In *Inſtructione pro ordinandis* cap. 38. ex eodem Sancto adduxi Canones pœnitentiales pro Eccleſiaſticis peccantibus. Vide illas c. 38. tamen conſidera plures ex illis pęnitentiis fuiſſe diminutas, vel auctas noſtris temporibus, & poſse plus prodeſſe, ſi Confeſsor ſciat, quæ nunc vigeant, quam, quæ olim viguerint, & jam obſoleverunt. Igitur contrà primum Decalogi præceptum eſt primò hæreſis, cujus pęnæ ſunt excommunicatio in Bulla Cęnæ, & aliæ imponendæ per Inquiſitores, quæ paſſim legi poſsunt apud

va-

varios, ſecundò ſunt diverſa ſuperſtitionum genera; Pœnas etiam imponunt Inquiſitores,& Confeſſarii eſt ſcientes hujuſmodi peccata obligare ad revelationem juxtà edictum S. Officii, ut poſſint ſubjici prædictis pœnis. Contrà ſecundum præceptum eſt primò blaſphemia, cujus peccati pœnitentiam habes in Bulla Sixti V., perjurium, quod, præter alias, incurrit pœnam infamiæ. Violatio voti, quæ punitur juxta varias Conſtitutiones Religionum. Simonia, cujus pœnam ſingularem habes in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 40. Circa tertium violantes feſta, & jejunia, variè puniuntur, juxtà varias determinationes cujuslibet Eccleſiæ. Circà quartum indicanda maxime erit peccanti contra conſanguineos, & ſuperiores, pęna celerioris mortis ab ipſo Deo comminata, ultra alias pęnas ab Eccleſia ſtatutas, præſertim excommunicationis in Bulla Cœnæ, per ſchiſma recuſantibus obedire Sanctæ Matri Eccleſiæ. Violans quintum per irregularitatem ita punitur, quod in totà vita non poſſit ampliùs communicare, niſi communione laica. Ulterius punitur excommunicatione occidens Clericum, vel procurans abortum animatum, Et aliqui etiam in Bulla Cœnæ. Sexto præcepto opponuntur plura vitia graviora, & minùs gravia. Concubinarii, & Adulteri pęnas renovavit Tridentinum ſeſs. 24. c. 8. Augenturque, ſi peccatum hoc ſit ſacrilegium, &c. In Bulla Cœnæ adſunt plures Canones contra violantes ſeptimum pręceptum aliquibus gravioribus peccatis. Circà octavum prohibens injurias verborum, erit maximè ponderanda pœnitentia reſtitutionis famæ, major ſanè, quam reſtitutio rerum, hæc enim fieri poteſt in occulto; atqui injuriavit, idem tenetur ſe retractare, etiam cum juramento affirmans ſe fuiſſe calumniatorem, &c. Contra nonum, & decimum oſtendet peccata, quanquam in animo commiſſa, apud Deum conſtituere reos, ac ſi vere commiſiſſent furta, adulteria, &c. Ut inculcet gravitatem criminis, inducatque reum ad pœnitentiam ſalutarem, Confeſſor addat ſi placet, pęnas multo graviores, etiam mortis, inflictas in foro civili crimini particulari, cujus pœnitens ſe accuſat. Ita ex magnitudine veterum novarumque pęnitentiarum Canonicarum, nec non civilium; ex magnitudine pęnarum alterius vitæ, ſed principalitèr ex deſiderio ſatisfaciendi Deo, perficiet, quantùm poterit, amorem, & dolorem initialem pœnitentis, ut ſibi deſideret augeri pęnitentias, quas imponet non juxtà deſiderium, ſed ſecundum, quod *ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit* ergà infirmos procedens, ut Rituale præſcribit c. 7. n. 22.

12. D. Poſſumus ne ſatisfacere Deo aliter, quam per hujuſmodi pęnitentias.

M. Preparans ſe ad confeſſiones notabit ex malignitate noſtrorum temporum oriri, quod communiter non poſſint imponi antiquæ pęnitentiæ, quamvis Confeſſor oſtendat neceſſitatem ſatisfaciendi Deo, rigorem veterum Canonum, gravitatem pęnarum Purgatorii &c., nemo tamen reperitur, qui ſe ſubjiciat. Ne igitur alienentur à ſacramento, juvabit illos ſuadens recipere Indulgentias, circa quas optimum erit legere ſtabilita per Tridentinum ſeſs. 25. & per S. Thomam ſuppl. q. 25. 26. & 27. Porrò circà illas Confeſſor ſciat, quod bona morientis in Republica ſine hæredibus applicantur ærario publico, ex quo Princeps, ut adminiſtrator, cum causa, poteſt illa educere in ſubſidium reliquorum ſubditorum; & ita in Eccleſia, ſatisfactiones Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum, quæ ſuperabundarunt ipſis, reponuntur in theſauro Eccleſiæ, Summuſque Pontifex, vel Epiſcopi, ſecundum quod illis eſt conceſſum, poſſunt applicare cum causa ſatisfactiones illas aliis Chriſtianis; & hæ ſunt Indulgentiæ, quę valent ad remittendas pęnas in Purgatorio debitas pro peccatis antea deletis quoad maculam, quare Indulgentiam, etiam Plenariam, vel Jubilæum, nemo acquirit, niſi de illis peccatis, quæ Chriſtianus per dolorem ante delevit, quoad maculam, & quia ſolum eſt Sanctorum, ita de omnibus venialibus dolere ut deleant omnem maculam, ita ſolùm eſt Sanctorum acquirere Indulgentiam omnium peccatorum plenariam, ſed acquirent de illis, quorum maculam delent, dummodò obſervent præſcripta a concedente Indulgentias; quare Confeſſor a pęnitente interrogatus de modo acquirendi Indulgentiam, excitabit primò ad maximum dolorem de peccatis; ſecundo conſiderabit attente formulam Indulgentiæ, curabitque ad unguem ſervari conditiones ibi præſcriptas, etiamſi varie illam explicent

cent

cent Doctores, quia Indulgentia prodeſt juxtà intentionem concedentis explicatam in verbis, ut ſonant, non interpretatam juxtà mentem unius, vel alterius Doctoris.

13. D. Quæ differentia eſt inter Indulgentiam ad tempus, Indulgentiam plenariam, & Jubilæum.

M. In Indulgentia ſeptem annorum, v. g. de theſauro Eccleſiæ nobis applicatur ſatisfactio, quæ poſſit tollere pœnam Purgatorii, quæ tollebatur per pœnitentiam, ſecundum Canones antiquos, continuatam annis ſeptem; & ita differendum de reliquis. Indulgentia plenariâ tollit omnem pœnam in Purgatorio debitam pro peccatis, de quibus dolemus juxtà formulam: Jubilæum, circà remiſſionē pœnæ nihil differt ab Indulgentia plenaria, ſed ſolum addit poſſe nos abſolvi à peccatis, & cenſuris reſervatis, commutari vota &c. juxtà formam Jubilæi.

14. D. Circa partes ſacramenti Pœnitentiæ materiales, adſunt ne aliquæ propoſitiones damnatæ à Romanis Pontificibus?

M. Circà materiam remotam hujus ſacramenti Alexander VII. damnavit 11. Circa materiæ proximæ primam partem, nempè dolorem, Innocentius XI. damnavit 57. Circa ſecundam, nempè, Confeſſionem, Alexander VII. damnavit 14. & Innocentius XI. 59. Conſideranda eſt etiam 56. Circà tertiam, nempè, ſatisfactionem adeſt 15. Alexandri VII. Circa ſigillum duas damnavit Sancta Inquiſitio Romana de anno 1682. Etiam 64. & 65. Innocentii XI. reſpiciunt diſpoſitionem neceſſariam pro hoc ſacramento. Equoad Indulgentias, prout ſpectant ad ſatisfactionem, vide 57. Alexandri VII.

CAPUT XIV.

De Formâ Sacramenti Pœnitentiæ.

1. PRæparans ſe ad confeſſiones, ſufficienter, quantum opus eſt Confeſſori ordinario, inſtructus de partibus materialibus hujus ſacramenti in genere, curabit eodem modo inſtrui circa formam, nempè, verba abſolutionis. Totum ſcientificè diſcet ex S. Thomâ 3. p. q. 84. a. 3. & quoad praxim ex Rituali, ex quo habebit, quæ ſint eſſentialia, quæ addita ex conſuetudine laudabili Eccleſiæ, quando hæc poſſint omitti, quando addenda ſit abſolutio ab excommunicatione &c. Nullam hæc difficultatem patiuntur, ſed indigent ſolùm Sacerdote prudenti, ac reſpiciente Eccleſiæ ritus, eo pietatis oculo, quo filius reſpicit ritus à matre ſtabilitos, matrique dictatos à Spiritu Sancto: nam ita fiet, ut ad unguem obſervet omnia, & quidem juxtà ſpritum matris nos obligantis, modò ſub mortali, modò ſub veniali.

2. D. Poteſt nè Sacerdos addere, vel tollere verba ad formam abſolutionis ab Eccleſia præſcriptam?

M. Super iſta quæſtione generali ad omnia ſacramenta, vide S. Thomam 3. p. q. 60. a. 8., & de ſacramento Pœnitentiæ in ſpeciali q. 84. a. 3. Tridentinum ſeſſ. 4. cap. 3. etenim invalidum erit ſacramentum, ſi eſſentialia mutentur, ita quod non ſignificent, quod habent cauſare. Tridentinum declarat hæc pertinere ad eſſentiam, *Ego te abſolvo*, *&c.* Diſputant aliqui an per ly *&c.* tanquam eſſentialia velit ſequentia, *à peccatis tuis*. Quia dubium eſt fundatum, quoad praxim tu ne tere tempus, ſed adhibē ſemper illa verba, uti teneris juxta primam propoſitionem ab Innocentio XI. prohibitam; Cætera verba non ſunt eſſentialia, Vide *Inſtructionem pro ordinandis* cap. 40. n. 9. ſed tamen juxta præſcriptum Ritualis proferantur clarè, ac diſtinctè, ut ſententiæ, verba, etiam non eſſentialia, ſolet proferre Judex. Qui ſyncopant in illis, id faciunt cum gravi ſcandalo fidelium (ut etiam Eccleſiaſtici, præſertim in choro pſallentes divinum officium.) Vide dicta cap. 7. num. 30.

3. D. Poteſt ne Sacerdos addere conditionem in proferendo formam ſacramenti?

M. Paulò fuſius eſt tractandus hic punctus, ob fundamentum, quod præparanti ſe ad confeſſiones debebit ſervire tanquam univerſale principium decidendis caſibus infinitis, ubi benè penetretur. Aliquid circa conditiones dictum eſt in *Inſtrutione pro ordinandis* c. 40. n. 22. Si ponatur conditio de futuro, nullum ſacramentum eſt validum, eſto deinde conditio verificetur, eſto cras reſtituat, non valet ſacramentum, ubi dicerem, *ſi cras reſtitues, ego te abſolvo:* nec enim poteſt ſuſpendi

ſpendi effectus ſacramenti, ſed ſtatim vel operatur totum, vel nunquam. Conditio de præſenti, vel de præterito non invalidat, ſed peccaret ſacerdos illam apponens ad libitum, & abſque convenienti neceſſitate: nec enim debet variare ritum ab Eccleſià determinatum, ſed ubi extat neceſſitas, apponitur licitè. Ut autem videamus, quæ ſit iſta neceſſitas, ſtabiliendum eſt illud principium univerſaliſſimum: *De duobus malis minus eſt eligendum*. Hoc principium valet tantum in malis phyſicis, non in peccatis. Valet enim, quando eſt neceſſitas eligendi alterutrum, & peccatum eligere non neceſſitamur. S. Thomas 2.2. q. 43. a. 7. ad 5. nec enim peccamus eligendo, quod eligimus neceſſariò. Contingit tamen aliquid eſſe peccatum ſub una circumſtantiâ, quod non eſt tale ſub aliâ; ſic occidere hominem de ſe eſt peccatum; quod non eſt tale, ſi conſideretur homo, ut noxius Reipublicæ, & occidatur ab habente poteſtatem publicam. Similiter variare ritum formæ ſacramenti de ſe eſt peccatum, ſed non eſt tale, ſi apponatur in circumſtantiâ, quod ſit neceſſitas apponendi. Confeſſor non excuſet eum, qui de duobus peccatis eligit minus, quia principium illud non habet locum in malis moralibus. Tamen ſi ego ſim paratus furari, vel occidere Paulum, Petrus videns me nolle ab utroque ceſſare poteſt conſulere minus: quia in tali caſu non cooperatur, nec influit in furtum, ad quod ſum paratus, ſed influit ſolum, ut non occidam; non tamen Paulus poterit conſulere mendacium leve in tali caſu (eſto ſit minùs malum) quia non ſum paratus ad hoc, & per conſequens conſulendo influeret, quare tene hanc regulam: Non pecco, ſi conſulo minùs malum, ad quod ſocius jam eſt paratus: pecco, ſi conſulo minus peccatum, ad quod non eſt paratus. In praxi tamen conare, ut avertas quodlibet etiam minimum peccatum, quià difficile eſt ita te cuſtodire, ut nullatenus, ita conſulendo, velis tale peccatum. Secundò etiam circà mala phyſica, principium illud valet tantùm, quando extat vera neceſſitas: Injuſtè v. g. Hæbræus me invadit ad mortem; ego è contra, ſcio, quantùm ſciri poteſt, me eſſe in gratiâ: Non poſſum vivere, niſi taliter me defendam, quod indè ſequatur Hæbræi occiſio: Imminent duo mala: mors mea temporalis ex una parte: ex alia mors temporalis, & æterna Hæbrei: Hoc ſecundum eſt malum phyſicum multò majus primo: nec tamen teneor ad evitandum hoc ſecundùm, incurrere primum, quia non eſt neceſſitas alterutrum eligendi, ſed Hæbræus voluntariè ſe conſtituit in tali periculo. E contrà idem Hæbræus habens infantem moribundum, mihi minatur mortem, ſi baptizem: extat neceſſitas eligendi mortem mei, vel damnationem æternam infantis; debeo eligere illud, ut minus malum: non ita, ſi moribundus eſſet adultus (& alias ex officio non teneor baptizare) quia adultus non eſt neceſſitate, ſed poteſt ſibi providere per baptiſmum flaminis.

4. Deſcendendo ex hoc principio ad conditiones de præterito, vel de præſenti apponendas in ſacramentis, tria mala phyſica veniunt conſideranda: primum eſt variare ritum ab Eccleſia determinatum: ſecundum exponere ſacramentum periculo nullitatis: tertium exponere animam periculo damnationis: primum eſt minimum: ſecundum eſt majus primo, minùs tertio: tertium eſt maximum; quia ſemper finis prævalet mediis. In neceſſitate Confeſſor providebit majori malo, apponetque conditionem, ne ſequatur vel periculum damnationis, vel periculum nullitatis; extrà neceſſitatem peccabit apponens conditionem. Hinc decide caſus plurimos: v. g. Petrus confitens exponit peccatum dubium (quod eſt quidem materia neceſſaria, ſed non ſufficiens) abſque ullo certo; ſuade illum, ut apponat certum. Et ſi non poſſit id obtineri, potes abſolvere ſub conditione, quia tollere peccatum eſt finis, ad quem ſacramenta ſunt inſtituta, ut media; & ſic diſſerendum de reliquis.

5. D. Stabilita præcedentibus numeris multùm mihi proderunt excepturo confeſſiones ſuo tempore. Quia ſtatuitur finem eſſe majus bonum mediis, agnoſco inde gravitatem peccatorum: quę ſunt in Deum de ſe, & cæteris paribus erunt graviora peccatis in proximum, quia proximus eſt medium, & Deus eſt finis: Peccatum directè tendens in vitam ſpiritualem proximi, de ſe gravius erit peccato tendente in vitam corporalem, quia hæc eſt medium reſpectu illius. Ita peccans cum fæmina, eo fine directè, ut hæc Dei gratiam perdat, gravius peccat, quam ſolum tollens vitam corporalem per homicidium: ſecùs,

ſi

ſi tantum intenderet delectationem peccando cum fœmina, (ut ſemper contingit: nec enim quis eſt adeò pravus, ut directè intendat in ſocio amiſſionem gratiæ) nam in tali caſu homicidium, tollens vitam, eſt gravius fornicatione ſolùm tollente meliùs, & ordinatiùs eſſe vitæ. Intelligo furtum eſſe minus peccatum detractione; quia bona exteriora ſunt medium ad famam. Intelligo furtum, & detractionem eſſe minus peccatum homicidio: nam vita hominis conſervatur per bona exteriora, & per famam, ut per media. Intelligo juſtiſſime damnatas opiniones aſſerentium homicidia poſſe eligi ad conſervanda bona, vel famam, quia eligebant majus malum, ſcilicet, jacturam vitæ ad fugiendum minus. Ad dirigendas conſcientias, ex hoc principio addiſco plurima, quæ ſi eſſent addiſcenda particulariter, deberem evolvere libros innumeros, & confunderer in eorum lectione ob varias Doctorum opiniones; è contra ſtabilito tali principo, ſufficit in particulari cognoſcere, quod hìc, & nunc ſit malum majus, quod minus; & id etiam facile cognoſcitur ex illa regula, quod finis prævalet mediis; quare peto, ut quàm plura mihi dentur hujuſmodi principia univerſalia; magis enim, & breviori tempore proficiã. Interim quæro, an in caſu aliquo poſſim ſimulare me abſolvere, v.g. magnus vir nequit abſolvi; quia perſeverans in occaſione proximà; ſed ſi viriliter reiiciatur, ſtatim me dimittet, electurus Confeſsorem alterius communitatis, qui abſolvet illum etiam indiſpoſitum, cum graviſſimo detrimento meæ. Igitur ne patiar hoc grave damnum, & ne alium Confeſsorem exponam periculo ſacrilegiorum in abſolvendo indiſpoſitum, videor mihi poſſe in tali caſu ſimulare abſolutionem?

M. Contingit aliquoties pœnitentem, utpotè indiſpoſitum, non poſſe abſolvi, nihilominùs ille, ut conſulat ſuæ famæ, petit ſaltem benedici, & benedicendus eſt; tùnc enim nihil agitur ſimulatè reſpectu Pœnitentis, cum quo res habetur; & proptereà, reſpectu illius, ſignum, quod aſſumitur, non trahitur ad ſignificandum aliud ab eo, ad quod aſſumitur; & ſi circumſtantes putent illum verè abſolvi, non proptereà dicitur ſimulari abſolutio, quia cum illis res non agitur. Simulare cum ipſo pęnitente adminiſtrationem ſacramenti, non licet, neque ubi urgeat metus gravis ex propoſitione 29. Innocentii XI.; & multò minus ex metu perdendi Pęnitentem. Nec dicendum eſt, quod ab aliis abſolvetur: hoc enim eſt judicium temerarium, quia nemo eſt ita immemor ſuæ ſalutis, ut velit committere tam grande ſacrilegium, ſed ſi alii tantum auderent, in die ultimà *Unuſquiſq;* Gal. 6. *ſuum onus portabit*, non aliorum.

6. D. Circà formam hujus ſacramenti extat ne aliqua propoſitio damnata per Romanos Pontifices?

M. Vide 29. ab Innocentio XI. damnatam, quę ut potè univerſalis ad omnia ſacramenta, hoc etiam includit.

CAPUT XV.

Adducuntur Canones antiqui Pęnitentiales.

Audiſti ex Cathecisſmo c. 6. num. 12. convenire multùm, quod Confeſſor indicet pęnitenti, quam Pęnitentiam pręſcripſerunt antiqui Canones alicui peccato. Idem præcipit S. Carolus, imò in examine Confeſſorum, ut dicetur p. 2. c. 64 n. 37. vult de approbando ad confeſſiones experimentum ſumi.

An rectè Canones Pęnitentiales teneat.

illos ad hoc Sanctus ipſe collegit; & ideò hìc illos inſerendos credidi, poſtquam de formà ſacramenti actum eſt, ut illos reſpiciat Confeſſor in imponendà pęnitentia.

CANONES POENITENTIALES,

Quorum cognitio Parochis, Confeſſoribuſque neceſſaria eſt, diſpoſiti pro ratione ordineque Decalogi.

PATRES docuerunt, quàm neceſſaria admodum ſit Sacerdotibus, qui in audiendis pęnitentium Confeſſionibus verſantur, Canonum pęnitentialium ſcientia. Etenim ſi omnia quę ad pęnitendi modum pertinent, non prudentià ſolum, ac pietate, ſed juſtitia etiam metienda ſunt: certè norma hęc è Canonibus pęnitentialibus ſumatur, oportet. Sunt namque ii qua-

quaſi regulæ quædam, quibus cum ad culpæ commiſſæ gravitatem rectè dignoſcendam; tùm ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam, Sacerdotes Confeſſarii ità diriguntur, ut ubi ſingula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis ſtatum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderint; tum demum pœnitentiam, judicio, ac prudentià ſua moderentur. Atque hæc quidem, omniſque alia, quæ multiplex eſt, hujus neceſſariæ cognitionis ratio à Patribus explicat, facit, ut quemadmodum loco ſuo ſupra dictum eſt, Canones pœnitentiales pro Decalogi ratione diſpoſiti, in hanc libri partem referantur, unde aliqua eorum notitia ab ipſis Confeſſariis Sacerdotibus ſumi poſſit.

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.

CANONES POENITENTIÆ, Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUI à fide Catholicà deſciſcens, intimo ſummoque prævaricationis ſuæ dolore affectus ad Eccleſiam redierit pęnitentiam aget annis decem.

Quo temporis ſpatio decurſo, ei communio præſtari debet.

Qui dæmoni immolaverit; in pęnitentià erit annis item decem.

Qui more gentilium elementa coluerit; qui vel ſegetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus conſerendis, vel nuptiis contrahendis, inanem ſignorum fallaciam obſervaverit: pęnitentiam aget annos duo feriis legitimis.

Qui ritu paganorum obſervarit calendas Januarii, in pęnitentia erit annos item duos per legitimas ferias.

Qui feſta gentilium celebrarit; pęnitentiam aget idem annos duos legitimis feriis.

Qui feriam quintam in honorem Jovis honoraverit; pęnitens pane, & aquà victitabit dies quadragintà.

Qui conviviis gentilium, & eſcis immolatitiis uſus erit; publicam pęnitentiam aget.

Qui comederit de idolothito, pęnitens victitabit pane, & aquà dies trigintà.

Qui cum Iudæo cibum ſumpſerit, pęnitens erit, dies decem pane, & aquà victitans.

Qui auguriis, & divinationibus ſervierit, quivè incantationes diabolicas fecerit; pęnitens erit annos ſeptem.

Mulier incantatrix pęnitentiam aget annum: vel ut alio canone cavetur, annos ſeptem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pęnitentiam aget dies viginti.

Qui magos conſuluerit; quivè domum ſuam induxerit aliquid, arte magicà exquirendi cauſa; in pęnitentià erit annos quinque.

Qui ædes Magicis cantionibus luſtrat, aliudve tale admittit; & qui ei conſentit, quivè conſulit; in pęnitentia erit annos quinque.

Qui tempeſtatum immiſſor erit: pęnitentiam aget annos ſeptem, tres in pane, & aquà.

Qui verò crediderit, particepſvè fuerit; annum unum per legitimas ferias.

Si quis ad faſcinum præcantaverit; pęnitentiam aget quadrageſimas tres in pane, & aquà.

Si quis ligaturas, aut faſcinationes fecerit: pęnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis ſortilegus erit; pęnitentiam aget dies quadragintà.

Si quis in codicibus, aut in tabulis ſorte ductà res futuras requiſierit; pęnitens erit dies quadragintà.

Reſpiciens furta in aſtrolabio; annis duobus.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut ſuper ſe portarit ad evertendum judicium Dei; pænitentiam aget ut Magus.

Si quis Clericus, vel Monachus, poſtquam Deo voverit, ad Sæculum redierit; pęnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane, & aquà.

PRÆ-

PRÆCEPTUM II.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

CANONES POENITENTIÆ.
Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUicumque ſciens perjuraverit, quadragintà dies in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos pęniteat, & nunquam ſit ſine pęnitentia, & nunquam in teſtimonium recipiatur; & poſt hæc commuionem percipiat.

Si quis ſciens periurat in manu Epiſcopi, vel Presbyteri vel Diaconi, vel in cruce conſecratà, altarive; pęnitentiam aget annos tres: in cruce non conſecratà annum unum.

Qui perjurium in Eccleſià fecerit: pęnitentiam aget annos decem.

Qui ſciens perjurat Domini impulſu: pęnitens erit quadrageſimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, qui præcipit; quadragintà dies in pane, & aquà, & ſeptem ſequentes annos.

Si quis ſciens periuraverit, alioſque in perjurium induxerit, pęnitens erit dies quadragintà in pane, & aquà, & ſeptem ſequentes annos: & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis ſuſpicatus ſe ad perjurium induci, ex conſenſu jurat: pęnitentiam aget dies quadragintà, & ſeptem annos ſequentes, & nunquam ſine gravi pęnitentià erit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam in pane, & aquà jejunet, & quandiù vivit omnes ſextas ferias: item.

Si quis per cupiditatem periuraverit, omnes res ſuas vendet, & pauperibus diſtribuet; Monaſterium ingreſſus jugi ſe pęnitentià ſubdet.

Si quis coactus, neceſſitateque aliquà impulſus perjurium commiſerit, in pęnitentià erit quadrageſimis tribus: item.

Si quis coactus pejeraverit; pęnitens quadragintà diebus, pane, & aquà victitet, ac præterea omnibus ſextis feriis.

Si quis ſeductus ignorans, & poſteà cognoſcit, pęnitentiam aget annum unum, vel quadrageſimas tres, vel dies quadragintà.

Qui compellit alium, ut falſum juret, quadragintà dies in pane, & aqua, & ſeptem annos in pęnitentià erit.

Si quis jusjurandum, quo ſe Regi, & Domino ſuo ſe adſtrinxerit, violaverit: in Monaſterio pęnitentiam aget omnibus diebus vitæ.

Si quis ſe jure jurando obſtrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet: pęnitentiam aget dies quadragintà in pane, & aquà, per annum à Sacrà Communione ſegregatus, ad charitatem verò celeriter redeat.

Si quis per Capillum Dei, aut per caput ejus juraverit: ſi ſemel neſciens fecerit, pęnitens aquà, & pane ſeptem dies victitet: ſi ſecundò, ac tertiò monitus, idem fecerit, dies quindecim.

Si per Cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blaſphemat, tandiù pœnitens erit, quamdiù impœnitens permanſit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blaſphemaverit: prò foribus, Eccleſiæ diebus Dominicis ſeptem, in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia aguntur, ſtet; ultimoque ex illis die, ſine pallio, & calceamentis, ligatus corrigià circà collum: ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane, & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus; ſingulis item ſeptem illis diebus Dominicis, tres, aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt, alioquin alià pęnitentia afficiatur: recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur; in obitu, Eccleſiaſticà Sepultura careat. Dives à magiſtratu mulctetur pęna ſolidorum quadraginta, alioqui triginta, ſeù viginti.

De hoc deteſtabili peccato extat ſanctio Leonis X. Pontificis, in Concilio Lateranenſi, Seſſione nona.

PRÆCEPTUM III.

Sabbata Santifices.

CANONES POENITENTIÆ.
Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi opus aliquod ſervile, die Dominico, feſtove fecerit; pęnitentiam aget tres dies in pane, & aquà.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit,

rit, qui navigarit, aut equitarit, dies ſeptem pœnitentiam aget.

Si quis per contemptum in Dominicâ jejunaverit; pœnitens erit hebdomadam unam: ſi iterum, dies viginti; ſi præterea tertium, dies quadraginta.

Si quis ante Eccleſias, vel die feſto, ſaltationes (quas ballationes vocant) fecerit; emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis tribus. In græco codice: clericus deponatur, laicus excommunicetur.

Si quis pranſus Miſſæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane, & aquâ.

Si quis Sacram Communionem ſumpſerit poſt aliquam, vel minimam deguſtationem; pœnitentiam aget dies decem in pane, & aquâ.

Si quis in Eccleſiâ confabuletur, cum divina fiunt: pœnitens erit dies decem in pane, & aqua.

Si quis feſta Paſchę, Pentecoſtes, Natalis Domini (niſi infirmitate impediente) alio loco celebrarit, quam ubi domicilium habet, pœnitens erit dies item decem in pane, & aquâ.

Si quis jejunia à Sancta Eccleſia indicta violarit; pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aquâ.

In Quadrageſimâ, carne ſine inevitabili neceſſitate veſcens; in Paſchâ non communicetur, ac præterea à carne abſtineat.

Qui in quadrageſima jejunium violaverit; pro uno die pœnitentiam aget dies ſeptem.

Si quis jejunium quatuor temporum non cuſtodierit, pœnitens erit dies quadragintà in pane & aquâ.

Qui neglexerit in quatuor his ſolemnitatibus, die Cœnæ Domini, in Paſchâ, Pentecoſte, & in Natali Domini Sacram Communionem ſumere; aget pœnitentiam in pane, & aquâ dies viginti.

PRÆCEPTUM IV.

Habeas in honorem Parentes.

CANONES POENITENTIÆ. Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui Parentibus maledixerit: quadragintà dies pœnitens ſit in pane, & aquâ.

Qui Parentes injuriâ affecerit, tres annos.

Qui percuſſerit, annos ſeptem.

Qui expulerit; tamdiù pœnitens, quamdiù in impietate permanſerit.

Si quis contrà Epiſcopum Paſtorem, & Patrem ſuum inſurrexerit; uno in loco, Monaſteriové pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ: Addit Gratianus, ut in primis omnia bona ejus præſcriptione publicentur, deinde in uno Monaſterio, &c.

Eadem pœnitentiâ afficiatur, qui contrà Presbyterum.

Si quis contrà Epiſcopum Paſtorem, & Patrem ſuum conſpiraverit; gradu ſuo amovebitur. Itidem ſi inſidias tetenderit.

Si quis in eo conſpiraverit, ut Epiſcopi doctrinam, vel pręcepta irrideat, vel ſubſannet; aget in pane, & aqua pœnitentiam dies quadragintà.

Qua pœnitentia etiam afficiatur, ſi quis ità conſpiraverit, ut ejus miniſtrorum pręcepta contemnat.

Si quis item Presbyteri, Parochivé ſui præcepta irriſerit; pœnitens item erit dies quadragintà in pane, & aquâ.

PRÆCEPTUM V.

Non occides.

CANONES POENITENTIÆ. Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Qui Presbyterum occiderit; Pœnitentiam aget annos duodecim: item.

Si quis Sacerdotem voluntarié occiderit; carne, & vino abſtineat cunctis diebus vitæ ſuæ; quotidié, exceptis feſtis, Dominiciſque diebus, jejunet: non equitet,

tet, non arma ferat, non Eccleſiam ingrediatur quinque annis: ſed pro ejus foribus ſtet.

Poſt quinque annos Eccleſiam ingrediatur, licet: nondum verò communicet, ſed inter audientes ſit. Decimi anni curſu confecto, communicet, & equitet, licet.

Qui vel ipſe, vel de ejus conſilio, aliquem Eccleſiaſtici ordinis hominem; aut Pſalmiſtam, aut Oſtiarium, aut Lectorem, aut Exorciſtam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconũ, aut Presbyterum; per ſingulos ordines ſingulariter pęnitentiam agat: pro Pſalmiſta carinam unam, nempe, quadraginta dies in pane, & aqua; pro Oſtiario itidem: pro Lectore itidem: pro Exorciſta ſimiliter: pro Acolytho ſimiliter: pro Subdiacono ſimiliter: pro Diacono ſimiliter. Quapropter omnis, qui interfecerit voluntariè Presbyterũ, ita pœnitere debet, ut octo homicidia commiſſa, & nunquam debet eſſe ſine pęnitentia.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pęnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis Presbyterum armis contra ſe irruentem occiderit; pęnitens erit annos decem.

Si quis Patrem, aut Matrem, fratrem, aut ſororem occiderit; toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat Corpus Domini, niſi in obitu, abſtineat à carne, & vino, dum vixerit, jejunet ſecunda, & quarta, & ſexta feria: item.

Si quis parricidium fecerit, ideſt, Patrem, aut Matrem, ſororem, patruum, amitam, aut materteram occiderit: ſi caſu, neque per iram fecerit; ut homicidii ſponte commiſſi pęnitentiam aget; ſi ſponte, & iratus; pro foribus Eccleſiæ per annum ſtabit, Deum orans. Anno peracto, in angulo Eccleſiæ per annum item ſtabit; quibus peractis, ſi pęnitentiæ fructus in eo conſpicietur, Sacræ Communionis particeps fiet. Carne abſtinebit tota vita: quotidie jejunabit præter dies feſtos: à vino, cervíſia, mellita; abſtinebit dies hebdomadæ tres. Pedibus, quocumque jerit, iter faciet: armis nunquam utetur, niſi contrà Paganos: uxorem ſi non habet, nunquam ducet: item.

Qui voluntariè genitorem ſuum, aut genitricem occiderit; extrà patriam ſeptem annis exul fiat; tunc demum uſque ad mortem cum fletu, & gemitu pęniteat; ſi autem nolenti accidit, decem annis pęniteat judicio Sacerdotis.

Qui voluntariè filium ſuum, vel filiam ſuam, vel germanum, aut germanam ſuam occiderit; quinque annis extra metas ipſius terræ exul fiat: deinceps viginti annis pęniteat. Qui verò voluntariè avum ſuum, vel aviam ſuam, vel nepotem ſuum, vel patruum, avunculum, ſeu amitam, ſive materteram, aut filium, vel filiam germani ſui, aut germanæ, ſeu conſobrinum ſuum, ſivè conſobrinam ſuam occiderit, ideſt, à tertia uſque ad ſeptimam: ſi verò tertia fuerit, duodecim annis inermis pęniteat, ſi quarta, undecim annis pęniteat: ſi quinta, decem: ſi ſexta, novem: ſi ſeptima, octo annis pęniteat, ſi autem nolens, arbitrio Sacerdotis pęniteat. Qui voluntariè patrem ſuum, aut matrem, vel filium, aut filiam de ſancto lavacro, ſeù fratrem, ſivè ſororem in Chriſto, aut Dominum ſuum, vel Dominam, ſeù uxorem ſuam occiderit; quinque annis extrà metas ipſius terræ exul fiat: tunc demum quindecim annis inermis pęniteat. Si verò nolens, ſeptem annis pęniteat. Qui vitricum ſuum voluntariè occiderit, aut novercam, ſeù privignum, ſivè privignam, vel ſocerum ſuum, aut ſocrum ſuam, ſeù generum ſuum, ſivè nurum; decem annis pęniteat; ſi verò nolens, quinque annis pęniteat.

Si quis filium non ſponte occiderit: ut homicidii ſponte commiſſi pęnitentia afficietur.

Quæ mulier filios ſuos necarit; peracta ſeptennali pęnitentia, in Monaſterium detruſa, monaſticam vitam perpetuò regulariter aget.

Si quæ mulier poſt partum filium, filiamve ſponte interfecerit; pęnitentiam aget annos duodecim: & nunquam erit ſine pęnitentiã.

Paupercula, ſi ob difficultatem nutriendi, id commiſerit, annos ſeptem.

Si qua Mulier ſponte abortum fecerit, pęnitentiam aget tres annos: ſi nolens quadrageſimas tres: item.

Mulier partum ſuum perdens voluntariè, ante quadraginta dies, pęnitens erit annum: ſi verò poſt quadraginta dies, annos tres, ſi verò poſtquam editus eſt in lucem, tanquam homicida.

Quę ſceleris occultandi cauſa filium necarit; pęnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppreſſerit: Si poſt baptiſmum, penitentiam aget dies quadragintà in pane, & aqua, oleribus, ac leguminibus, abſtinebit ab uxore dies totidem. Deinde penitens erit tres annos per legitimas ferias, tres prætereà quadrageſimas in anno obſervabit, Si antè baptiſmum, quadraginta dies, ut ſuprà, & quinquennii prætereà penitentiam explebit.

Cujus parvulus ſinè Baptiſmo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat; unum in pane, & aquà; infans infirmus, & paganus commendetur Presbytero; ſi moritur abſque baptiſmo, deponatur, & ſi per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat.

Cujus filius ſine Confirmationis Sacramento moritur; parentes, quorum negligentià id factum eſt pœnitentiam agent annos tres.

Si quis explendæ cauſa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo ſoboles naſcatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare, aut concipere; homicida teneatur.

Occidiſti uxorem tuam, legitimo matrimonio ſociatam, ſine cauſa mortis; non tibi reſiſtentem, non inſidiantem quoquo modo vitæ tuæ; non inveniſti eam cum alio viro, nefariam rem facientem: ſed incitatus à diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni belluà, eam gladio tuo interemiſti, & nunc, & poſt mortem ejus, addis iniquitatem, filiorum tuorum improbè prædo: qui matri non pepercisti, & filios tuos ideò orphanos feciſti, ut ſuper. induceres mortis cauſam poſt mortem. Et per unum homicidam, & reprobum teſtem incuſare vis mortuam, hoc nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex concedit, ut unius teſtimonio, etiam idoneo, aliquis condemnetur, vel juſtificetur. Quantò magis per iſtum tam flagitioſum, & ſceleſtum, nec illa viva debuit condemnari; nec tu poteris poſt ejus mortem excuſari. Prius cauſa criminis ſubtiliter erat inveſtiganda; & tunc, ſi rea fuiſſet inventa, ſecundùm legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam; nam ſi verum (quod abſit) fuiſſet, ſicut ille adulter mentitus eſt; poſt ſeptem annos, pœnitentia peracta, dimittere eam per approbatam cauſam poteras, ſi voluiſſes: occidere eam nullatenus debuiſti.

Duo conſilia proponimus tibi, acceptà tecum deliberatione duorum, elige magis quod placeat, & miſerere animæ tuæ: & tu hìc in iſto anguſto tempore poſitus, ne ſis tu ipſe tuimet homicida, & in æternum pereas. Relinque hoc malignum ſæculum, quod te traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus; multorum fratrum precibus adjutus, obſervà cuncta ſimplici animo, quæ tibi ab Abbate, fuerint imperata, ſi fortè ignoſcat infinita Dei bonitas tuis: iſtud conſilium, ut certiſſime ſcias, leviùs, ac ſalubriùs eſt; ut ſub alterius cuſtodià lugeas deflenda peccata. Secundum autem conſilium tale eſt. Arma depone, & cuncta ſæcularia negotia dimitte, carnem, & ſanguinem omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Reſurrectionis Domini. Cæteris temporibus in pane, & aquà, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas. In jejunio, & vigiliis, & orationibus, & eleemoſynis perſevera omni tempore. Vinum, & medonem, & mellitam, & cerviſiam nunquam bibas; niſi in illis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, abſque conjugio in perpetuò permaneas. Nunquam te in balneo laves, equum non aſcendas, cauſam tuam, & alterius in Conventu fidelium non agas; in conviviis lætantium nunquam ſedeas: in Eccleſià ſegregatus ab aliis Chriſtianis, poſt oſtium, humiliter ſtes; ingredientium, & egredientium orationibus te ſuppliciter commendes. Communionis Sacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te exiſtimes; in ultimo termino vitæ tuæ, pro viatico (ſi obſervaveris conſilium) ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi, juxtà pondus tanti facinoris eſſent adjicienda, ſed ſi hæc omnia, quæ ſuprà miſericorditer dicta ſunt, perfecto corde, Deo auxiliante, perfeceris, & cuſtodieris; confidimus de immenſa clementià Dei, remiſſionem tuorum peccatorum te habiturum; & ſecundum boni, juſtique paſtoris imperium reſolvat te Sancta Eccleſia ab hoc vinculo peccai in terris, ut per ipſius gratiam, qui eam ſuo ſanguine redemerat, ſis ſolutus in Cœlis. Sin autem aliter feceris, & Sanctæ Matris Eccleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ ſalubre conſilium deſpexeris; ipſe tibi ſis judex; in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneas: ſanguiſque tuus ſit ſuper caput tuum, & ſub indiſſolubili anathema permaneas: donec Deo, & Sanctæ Eccleſiæ ſatisfacias.

Si Mulier Maritum ſuum cauſa fornicationis veneno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit, quia Dominum, & Seniorem ſuum occidit, ſæculum relinquat, & in Monaſterio pœniteat.

Qui mortem ſibi conſciverit: pro eo nulla in Miſſà commemoratio fiat, neque cum pſalmis, ejus cadaver ſepeliatur.

Si quis ſponte hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit, & in obitu communionem recipiat: ſi caſu necarit, pęnitentiam aget annos ſeptem, ex alterius canonis præſcripto, annos quinque.

Si quis hominem necare volverit, neque hoc ſcelus patrare potuerit; ut homicida pęnitentià afficietur.

ALIUS CANON

de homicidio voluntario.

Si quis homicidium ſponte commiſerit, vel odio, vel poſſidendæ hæreditatis cauſa: primò jejunet in pane, & aqua; deinde pęnitentiam agat annis ſeptem; primo anno poſt illos quadraginta dies, à vino, caſeo, piſce abſtinebit; in ſecundo, & tertio, ſimiliter jejunet: tertiam autem, & quintam feriam, ac Sabbatum redimere poteſt, Reliquis quatuor annis jejunabit in ſingulis tres Quadrageſimas: primam ante Paſcha, alteram ante diem feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis fecerit homicidium prò vindictà parentum, ita pęnitentiam aget, ut homicida voluntarius. Itidem pro vindictà fratris.

Qui prò vindicta fratris, annum unum, & in ſequentibus duobus annis, tres quadrageſimas, & legitimas ferias.

Si quis per iram ſubitam, aut per rixam hominem necarit; pœnitentiam aget annos tres.

Si quis juſſu domini homicidium perpetrarit; dies quadraginta in pane, & aqua, & præterea ſeptem annos ſequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui in Bellio publico, juſſu Principis legitimi, tyrannum interfecerit, pęnitens erit tres Quadrageſimas per legitimas ferias.

Qui liber, jubente majore ſuo, innocentem occiderit, pęnitentiam aget annum unum, & ſequentes duos, tres quadrageſimas, & legitimas ferias.

Qui homicidii auctor fuit ob conſilium, quod dedit, erit in pęnitentia quadragintà dies in pane, & aqua, cum ſeptem ſequentibus annis.

Qui inſidiatus eſt alicui, ut ab aliis occidatur, licet ipſe non occiderit; pęnitentiam aget quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos obſervabit.

Qui accuſarit aliquem, ob eamque accuſationem occiſus eſt, quadraginta dies in pane, & aqua cum ſeptem ſequentibus annis in pęnitentia verſari debet. Sin autem ob accuſationem debilitatus eſt; tres quadrageſimas pęnitebit per legitimas ferias.

Qui inſanus homicidium perpetrarit, leviorem pœnitentiam explebit.

Qui publice pęnitentem occiderit, tanquam de homicidio ſponte commiſſo duplicem pęnitentiam aget.

Qui furem, aut latronem interfecerit; quadraginta dies ab Eccleſiæ ingreſſu abſtinebit: & præterea in tertià ferià, & in ſextà, & in ſabbato jejunabit.

Si quis caſu homicidium fecerit, pęnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua: his peractis biennio ab oratione fidelium ſegregatus non communicabit, neque offeret. Poſt biennium in Communionem orationis ſuſcipietur: offeret autem, non tamen communicabit. Poſt quinquennium ad plenam communionem recipietur: à cibis abſtinebit, arbitratu Sacerdotis.

Qui hominem tamquam feram aliquam latentem inopinatò occiderit; quadragintà dies pęnitentiam aget in pane, & aqua, & quinque ſequentes annos, arbitratu Sacerdotis.

Si plures homines unum, per rixam adorti occiderint: quicumque eorum plagam ei inflixerit, tanquam homicida pœnitentiam aget.

Qui homicidio, quod poſtea factum eſt, conſenſerit: pœnitentiam aget annis

 ſeptem

ſeptem; tres in pane, & aqua; ſin autem voluerit, nec verò potuerit; tres tantùm annos; Si quis nolens homicidium patrarit, pœnitebit quinque annis, & duobus in pane, & aqua.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit; pœnitentiam aget anno uno per legittimas ferias; ſique cicatrix gravis eſt, ut vulneratum deformem reddat; quadraginta etiam dies pœnitebit in pane, & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane, & aqua: Clericus, unius anni, & menſium ſex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; ſoluta medicamenti impenſa, ſi laicus eſt, pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua, ſi Clericus, duas quadrageſimas: ſi Diaconus: ſeptem menſibus; ſi Presbyter, uno anno.

Si quis Epiſcopus homicidium fecerit: in pœnitentia ſit quindecim annis, dignitatiſque gradu amoveatur, vitæque ſuæ curſum peregrinando conficiat.

Presbyter pœnitens erit annos duodecim: quatuor ex his in pane, & aqua; & Sacerdotii gradu privetur: Diaconus annos decem; tres ex his in pane, & aqua: Clericus inferioris ordinis annos ſeptem; tres in pane, & aqua.

Si quis fratri ſuo, quem oderit, reconciliati non vult: tamdiù in pane, & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

PRÆCEPTUM VI.

Non furaberis.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi furatus eſt aliquid de Eccleſiæ ſupellectili, vel theſauro: quod ſuſtulit, reddet; & tres carinas cum ſeptem ſequentibus annis pœnitebit.

Qui ſacras Reliquias furatus eſt, illis reſtitutis, ſeptem carinas jejunabit.

Pecuniam Eccleſiaſticam furatus, quadruplum reddet; ſi quid item de miniſterio Eccleſiæ aliquo modo ſurripuerit, pœnitens erit annos ſeptem.

Si quis vel Eccleſiaſticas obligationes rapuerit, vel rapientibus conſenſerit; quadruplum reſtituat, & canonicè pœnitens erit.

Sacrilegus, rerumvè Eccleſiaſticarum invaſor, uno anno extrà Eccleſiam Dei maneat; ſecundo anno pro foribus Eccleſiæ, ſine communione maneat: tertio anno in Eccleſia inter audientes ſit ſine oblatione; carneque, vinoque, abſtineat, præterquam in Paſcha, & die Natali: quarto anno, ſi fructuoſus triennio pœnitentiæ fructus extiterit, communioni fidelium reſtituatur. Ea lege ut ſpondeat, ſe in poſterum tale quidquam non commiſſurum, ac prætereà ſine eſu carnis, & potatione vini, uſque ad ſeptennium pœnitens permanebit.

Qui Eccleſiam incenderit, illam reſtituet, pœnitentiamque aget annos quindecim, & in pretium det pauperibus. Itidem qui incendio conſenſerit.

Si quis malo ſtudio, vel odio, vel ulciſcendæ injuriæ cauſa, incendium commiſerit, committivè juſſerit, curaverit, aut incendiario auxilium, vel conſilium ſcienter dederit; excommunicetur: ſi mortuus erit, Chriſtiana ſepoltura carebit. Nec verò abſolvetur, niſi damnum pro facultatibus reſarciverit; juretque, ſe in poſterum tale facinus nunquam admiſſurum. Pœnitentia prætereà hæc ei conſtituetur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei totum annum permaneat.

Si quis ſepulchrum violaverit, pœnitens erit annos ſeptem; è quibus tres in pane, & aqua.

Qui ſepulchrum infregerit, ut defuncti ſepulti veſtimenta furetur; pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Eccleſiis factæ ſunt; aliquid retinuerit; pœnitens erit dies quadraginta in pane, & aqua.

Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum reſtituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aqua.

Qui hoſpitalis domus adminiſtrator aliquid de adminiſtratione ſubtraxerit, reſtituet, quod abſtulit, pœnitenſque erit annos tres.

Qui pauperem oppreſſerit, ejuſque bona abſtulerit: reddet ei ſuum, & pœnitens erit dies triginta in pane, & aqua.

Clericus furtum capitale faciens; ſeptemnii pœnitentiam explebit, laicus quinquennii: & quod furatus eſt, reddat.

Si

Si quis per neceſſitatem, cibum, vel veſtem furatus ſit; in pœnitentia erit hebdomadas tres; ſi reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit noctu alicujus Domum, aut aliquid auferet: pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane, & aqua; ſi non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori ſemel, aut bis fecerit; reſtituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit; idcircò tanquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis uſuras accipit, rapinam facit, ideóque quicunque illam exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane, & aqua.

PRÆCEPTUM VII.

Non mœchaberis.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

SI Laicus ſolutus cum fœmina ſoluta concubuerit, pœnitens erit annos tres, & quantò ſæpiùs, tantò majori pœnitentia afficietur.

Itidem qui cum ancilla coierit.

Uxor, conſcio viro mœchata, ne in obitu quidem communicabitur: ſi dignam pœnitentiam egerit, poſt decem annos, Sacram Communionem ſumet.

Si quis Uxorem nolentem, adulterium perpetrare coegerit; pœnitentiam aget dies quadraginta in pane, & aqua, & ſeptem prætereà annos, è quibus unum in pane item, & aqua.

Si quis conjugem fornicari conſenſerit; diebus omnibus vitæ in pœnitentiâ erit arbitrio periti Sacerdotis.

Vir ſolutus, ſi cum alterius uxore adulterium commiſerit: pœnitentiam aget annos ſeptem, mulier quinque.

Mulier ſoluta, cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali: ille quinquennali.

Si quis maritus ſemel lapſus eſt, pœnitentiam aget annos quinque.

Si ſæpius mœchatus eſt; in fine mortis eſt conveniendus; ſique promiſerit ſe ceſſaturum, dabitur ei communio.

Qui ſæpè fornicatur, laicus cum laica, pœnitentiam aget tres annos.

Si quis Uxorem ſimul, & Concubinam habuerit, in pœnitentia erit annos ſeptem, & ampliùs pro ratione culpæ.

Maritus ſi ancilla concubina utitur, pœnitentiam aget annum unum, quadrageſimas tres, & legitimas ferias tribus menſibus. Illa, ſi invita violatur, quadraginta dies, ſi conſentiens, quadrageſimas tres, & legittimas ferias.

Qui cum Uxore ſua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Si quis adoleſcens cum Virgine peccaverit; pœnitentiam aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinosè obtrectaverit, ſi Clericus eſt, quinque dies, ſi Laicus tres dies pœnitentiam aget; Monachus, vel Sacerdos, à miniſterio ſuſpenſus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere ſe lavaverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit Virginem, quam poſteà uxorem duxerit, pœnitentiam aget annum unum per legittimas ferias: ſi verò non duxerit, annos duos per legittimas ferias.

Si quis mulierem alii deſponſatam in matrimonium duxerit, eam dimittet: & pœnitens erit quadraginta dies in pane, & aqua, cum ſeptem annis ſequentibus.

Vidua, quæ ſtuprum admiſerit, pœnitentiam aget annum totum, & prætereà in altero anno dies jejuniorum.

Si quis cum uxoris ſuæ ſorore per imprudentiam fornicationem admiſerit; pœnitentiam ſibi indictam aget, ſi probaverit, ſe tale ſcelus inſcienter feciſſe.

Cum duabus ſororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto ſuæ vitæ tempore: item.

Qui cum duabus ſororibus, vel cum noverca, vel cum ſorore ſua, vel cum amita, vel cum nuru, vel quod denique inceſtum admiſerit, ab ingreſſu Eccleſiæ abſtineat annum unum: quo anno, præter feſtos dies, pane ſolùm, & aqua utetur, arma non feret, oſculum nemini præbebit, Sacram Communionem, niſi pro viatico, non ſumet, ſex deinde annis Eccleſiam ingredietur; ſed carne, & vino, & ſicera non utetur, niſi feſtis diebus. Poſteà verò duobus annis, quando carne veſcetur, à potu vini abſtinebit: quod ſi biberit, carne

non veſcetur, niſi Dominicis, diebus, & præcipuis feſtis: deinde uſque ad obitum perpetuò, præter feſtos dies, à carne abſtinebit. Tres legitimas ferias ſingulis hebdomadis jejunabit, & quadrageſimas tres ſingulis annis legitimè cuſtodiet.

Qui inceſtum fecerit, ei alii, annorum duodecim, alii, quindecim, alii, decem, alii, ſeptem pœnitentiam conſtituunt.

Quicumque Sacerdos ſpiritualem filium violaverit, dignitatis honorem amittet, & perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiſerit, omni muneris ſui functione mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim: deindè in Monaſterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo ſerviet: fœmina autem res ſuas in eleemoſyinam pauperibus conferet, in Monaſterioque Deo ſerviet omnibus vitæ ſuæ diebus.

Si Epiſcopus hoc admiſerit; pœnitentiam aget annos quindecim.

Qui Monialem violarit: pœnitens ſit annis decem.

Presbyter, ſi fornicationem admiſerit, ſponte confeſſus, pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus menſibus à cæteris remotus, pane, & aqua jejunabit, diebus autem feſtis modico vino, piſciculis, & legumine utetur: ſacco indutus humi cubabit, diu, noctuque miſericordiam Dei implorans.

Deinde unum annum, & ſex menſes in pænitentia, jejunioque panis, & aquæ explebit, præter feſtos dies, in quibus vino, & ſagimine, caſeo, ovíſque canonicè uti poterit. Finito primo anno, & dimidio, Sacræ Communionis particeps fiet, Pſalmos in choro ultimus canet, Officia minora geret. Poſteà verò quam ſeptimum pænitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore præter Paſchales dies, ſingulis hebdomadis per legitimas ferias in pane, & aqua jejunabit.

Qui cum brutis cojerit: pænitentia afficietur annorum decem, & diuturniori etiam prò perſonæ conditione.

Qui contrà naturam cojerit; ſi ſervus eſt, ſcopis caſtigabitur; & pænitebit annos duos: ſi liber eſt, & matrimonio junctus, annos decem; ſi ſolutus, annos ſeptem: pueri dies centum; laicus matrimonio conjunctus ſi in conſuetudine habet, annos quindecim; ſi Clericus, de gradu amotus, ut laicus pænitentiam aget: qui cum fratre tale ſcelus admiſerit, ab omni carne abſtinebit, pænitenſque erit annos quindecim: ſi Clericus, diuturniori, & graviori pænitentiam afficietur.

Mulier in ſe, aut cum altera fornicans, penitentia afficietur duorum annorum. Vir ſe inquinans, primò dies decem; ſi iterum dies viginti, ſi tertiò dies triginta: ſique nefarie agere perget, pænitentiæ acceſſio ei fiet; ſi puer, dies quadraginta, ſi major quindecim annis, dies centum.

Puer parvulus oppreſſus à majore, hebdomadam jejunabit: ſi conſenſerit, dies viginti: ſi coinquinatus erit, dies centum: ſi voluntatem ſuam expleverit, annum unum.

Qui complexu fæminæ, vel oſculo polluitur; pænitentiam aget dies triginta: qui contactu inverecundo, menſes tres.

Qui concupiſcit mente, ſed non potuit; dies decem pænitentiam aget.

Qui turpiloquio, aſpectuque polluitur negligens, nec verò peccare voluit, pænitentiam aget dies viginti: ſi verò impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pænitebit item dies viginti.

Quicunque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias: item.

Qui hoc facinus admiſerit, Sacram Communionem non accipiet, niſi in fine.

Si quæ mulier ceruſſa, aliovè pigmento ſe oblinit, ut aliis viris placeat; pœnitentia afficietur annorum trium.

PRÆCEPTUM VIII.

Non falſum Teſtimonium dices.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi affirmarit verum, quod falſum eſt; pænitentiam aget, ut adulter, ut homicida, qui ſponte id facinus admiſerit.

Qui falſo teſtimonio conſenſerit: pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falſum crimen objicit, pænitentiâ afficitur, ut falſus teſtis.

Qui proximo peccatum imputarit, priuſquàm ſeorsùm eum arguerit: primùm illi ſatisfaciens, pænitentiam aget tres dies,

Si

Si quis contrà proximum lingua laſcivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convitium manifeſtum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facilè detraxerit, falſumque in hoc dixerit, pęnitens erit dies ſeptem, in pane, & aqua.

Qui falſitatem, fraudemvè in ponderibus, & menſuris admiſerit; pęnitens erit in pane, & aqua dies viginti.

Falſarius, in pane, & aqua pęnitentiam agat, quamdiù vivit.

PRÆCEPTUM IX.

Non concupiſces rem Proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

REm alienam nefariè concupiſcens, avaruſque, pęnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiſcit, furtum eſt; qui item aliena rapere cupit, rapina eſt: qui res Eccleſiæ furari appetit, ſacrilegium eſt: ideò cum nefariè concupiſcendo graviter peccet, ut peccati mortalis pęnitentiam aget, Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretioſam invenire cupit, ut illam ſibi retineat: mortale peccatum concipit, cujus pęnitentiam aget, ut ſuprà dictum eſt de furto.

PRÆCEPTUM X.

Non deſiderabis Uxorem Proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

SI quis concupiſcit fornicari: ſi Epiſcopus, pęnitens erit annos ſeptem: ſi Presbyter, quinque; ſi Diaconus, vel Monachus, tres, è quibus unum in pane, & aqua; ſi Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si quis in ſomnis ex immundo deſiderio polluitur; ſurgat, & cantet ſeptem Pſalmos pęnitentiales.

Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione, concupiſcentiaque ſemen effuderit; pęnitens erit dies ſeptem.

CANONES POENITENTIÆ.

De ſeptem peccatis capitalibus.

CApitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpotè è quibus omnia vitia principium habent, ſunt, ſuperbia, vanagloria, avaritia, luxuria, ira, gula, & accidia.

Pro capitali, mortalique crimine pęnitentia ſeptem annorum indicitur, niſi peccati gravitas, & perſonæ ſtatus ſeveriorem, diuturnioremque pęnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pęnitentiam aget, laicus annos quatuor, Clericus quinque, Subdiaconus ſex, Diaconus ſeptem, Preſbyter decem, Epiſcopus duodecim.

Sed demonſtratæ jam paulò ante ſunt pęnitentiæ, quæ ex Canonum diſciplina conſtituuntur ferè pro peccatis mortalibus, quæ ex his ſeptem capitalibus vitiis originem trahunt. Prò gulæ autem vitio ſunt hi præcipui pęnitentiæ Canones.

CANONES POENITENTIÆ.

De gula, & ebrietate.

SAcerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aqua pęnitentiam agat dies ſeptem: ſi negligenter, dies quindecim: ſi per contemptum, dies quadraginta.

Diaconus, & alius Clericus ebrius factus, arbitrio Sacerdotis pęnitens erit.

Monachus ebrius, pane, & aqua menſibus tribus: ſi Clericus, viginti dies.

Laicus ebrioſus graviter arguatur, & pęnitentiam agere à Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pęnitentiam aget dies ſeptem; ſi per contemptum dies triginta.

Qui ad bibendum invitat pluſquam naturæ ſatis eſt, pęnitentiam agat.

Qui præ ebrietate, & crapula vomitum fecerit, ſi Presbyter, aut Diaconus, pęnitentiam agat dies quadraginta.

Si Monachus, aut Clericus, dies triginta.

Si Laicus, dies quindecim.

Si

Si Laicus itèm, à vino, & carne abſtineat dies tres.

Si quis gulæ causà, antè horam legitimam jejunium fregerit; duos dies, pœnitentiam aget in pane, & aqua.

Si quis nimio cibo ſe ingurgitaverit, ut inde dolorem ſenſerit; unum diem pœnitentiam in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ

de variis peccatis.

SI quis Sacerdos Miſſam canit, neque communicat; per annum pœnitentiam agat, nec verò intereà celebret.

Sacerdos excommunicatus, ſi celebrat; tribus annis pęnitens ſit, hebdomadiſque ſingulis, ferià ſecundà, quartà, & ſextà, à vino, & carnibus jejunet.

Sacerdos, Sacerdotii ſui gradu, ordineque in perpetuum amotus, ſi celebrare audet, privatur communione Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti, uſque ad ultimum diem, & in excommunicatione eſt, viaticum tantùm in fine ſumens.

Si gutta Sanguinis Chriſti in terram cadit; Sacerdos in pœnitentià ſit quinquagintà diebus, ſi ſuper Altare, & ad pannum unum tranſit, diebus duobus, ſi uſque ad pannos duos, diebus quatuor, ſi uſque ad tres, diebus novem, ſi uſque ad quatuor, viginti diebus.

Si incautè dimiſit; quamvis nil nefandi acciderit; tribus menſibus, à ſui muneris adminiſtratione amovetur.

Qui per ebrietatem Euchariſtiam vomit; ſi Laicus eſt, quadraginta diebus; ſi Clericus, ſexaginta, ſi Epiſcopus, nonagintà diebus; ſi Infirmus pœnitentiam agat diebus ſeptem.

Scienter rebaptizatus, ſi propter hæreſim hoc ſcelus admittit, pœnitentia afficiatur ſeptem annorum, quartà, & ſextà ferià jejunans, tribus itèm quadrageſimis in pane, & aquà.

Si verò prò munditià hoc facere putarit: eum pæniteat tribus annis, quod ſi ignoranter, non peccat: ſed ideò non promovendus, licet ſit excellens.

Si Epiſcopus, Presbyter, Diaconuſvè ſpontè eſt rebaptizatus; quandiu vivit, pęnitens ſit; alii verò Clerici, & Monachi, & Moniales, ab hæreticis volentes rebaptizari, pęnitentiam agant duodecim annis.

Sacerdos, qui intereſt clandeſtinis deſponſationibus, per triennium ab officii ſui adminiſtratione amovetur.

Sacerdos, qui palliis Altaris mortuum involvit, pęnitens ſit decem annis, & quinque menſibus: Diaconus autem annis tribus, & ſex menſibus.

Qui Legata Pia Eccleſiæ non ſolvit, & uno anno pęnitens erit per legittimas ferias

Qui vir faciem ſuam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis pęnitens ſit tribus.

Infirmos, aut vinctos viſitare negligens pęnitentiam aget dies decem, pane, & aqua victitans.

DECLARATIONES.

COnfeſſarius, cum ex iis, quæ conſcripta ſunt, intelligat pro ratione, & temporum, & perſonarum diverſas pœnitentias fuiſſe, earumque redimendarum certam rationem adhibitam eſſe: arbitrio tamen ſuo illis omnibus mitigandis, moderandiſque aget, ut initio traditum eſt.

De pęnitentia per legittimas ferias conſtituta; Confeſſarius animadvertat, eo nomine intelligi feriam ſecundam, quartam, & ſextam, canonum legibus pęnitentiæ, jejunioque præſcriptas.

Carinæ jejunium, quod aliquando pęnitentiali canone cavetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane & aqua ſubat, ut ſæpè numero Burbardus interpretatur. Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

Pęnitentia per tres quadrageſimas indicta, ità intelligitur, ut cui imponebatur, is in anno pane, & aqua jejunaret quadrageſimas tres: quarum prima eſt ante diem Natalem Domini; altera antè Paſcha Reſurrectionis, tertia, quæ ſcilicèt per dies tredecim ante diem feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ agebatur, quemadmodum ex Concilii Saleguſtadienſis decreto perſpici poteſt.

CAPUT XVI.

Obſervationes nonnullæ circà prædictos Canones.

1 RItuale adductum cap. 7. num. 22. præcipit ſemper pęnitentiam imponi *convenientem, & ſalutarem, quantum*

tum

Digitized by Google

tum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, ætatis, & diſpoſitionis pœnitentium. Admonetque Confeſſorem, *ne pro gravibus peccatis leviſſimas pœnitentias imponat*, quia connivens peccatis, alienorum criminum particeps efficeretur, ut anteà innuerat Tridentinum ſeſs. 14. c. 8. Hæc notavit Rituale pro defectu, qui ſolet faciliùs contingere, ut Confeſſores declinent in danda leviori pœnitentia; non ita facilè contingit, quod excedant in danda graviori; Cœterùm dicitur, quod hiſce temporibus plures eò tendunt, ut excitent antiquum Pœnitentiæ ſpiritum, quia hic adducti ſunt veteres Eccleſiæ Canones, putabunt fortè nonnulli eos reducere ad praxim; Id certè laudabiliſſimum erit; ſed tamen, ut cum animarum fructu contingat, non minor prudentia requiritur. Ne igitur Confeſſor, legens prædictos Canones, exiſtimet omnes pœnitentes ad eorum amuſſim eſſe dirigendos, placuit hic addere ſequentes obſervationes.

2. Primò: ex Rituali adducto, pœnitentiæ injunguntur, ut remedium, ſeù medicina pro nova vita, & ut caſtigatio præteritorum criminum. Pœnitentiæ ut medicinales applicandæ ſunt ad inſtar medicinæ corporalis, cujus ex Angelico c. 13. n. 10. tantum ſumitur, quantum neceſſe eſt reſtituendæ ſanitati; habeturque ratio complexionis, & diſpoſitionis infirmi, gravitatis morbi &c. quare omnia regulabis juxtà ibidem dicta.

3. Secundò: Ut pœnitentiæ ſunt caſtigatio præteritorum criminum, Confeſſor conſiderabit Judicem, & Sæcularem, & Eccleſiaſticum habere quidem pœnas à jure taxatas; nihilominùs ut plurimum in taxanda pœna, ſummum jus eſt ſumma injuria, per exceſſum peccatur contrà juſtitiam. Vide dicenda ex S. Thoma ſuo loco de Injuſtitia per exceſſum.

4. Tertiò: id totum magis debet habere locum in imponendis pœnitentiis, quæ unicè debent eſſe medium ad ſalutem Animæ; cui quærendæ ſpiritu Auguſtini deberet plenus eſſe Confeſſor. Hic ep. 144. novæ editionis notat, quod ne ramus aliquis moriatur, facimus arbori vulnus, & ita inſerimus ramum exciſum; & ita vult, quod ad dandam animæ vitam, permittamus aliquod vulnus rigori Eccleſiaſtico; Et ita, ſi benè conſideremus, Romana ſemper proceſſit Eccleſia: Doctrinam, & dogma ſemper ſervavit intactum: quoad diſciplinam remiſit aliquid antiqui rigoris, ubi è contrà Græci zelantiores diſciplinæ, ac pœnitentiarum, errarunt multipliciter circà doctrinam grandi animarum detrimento.

5. Tertiò Confeſſor animadvertat prædictorum Canonum pœnitentias, ut plurimum, eſſe publicas, & eſto ex Catechiſmo 2. p. c. 5. n. 68. antiqua Eccleſia obſervaverit, *etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent*, *interdum* indicere pœnitentiam publicam, nunc tamen, ſervandum Rituale adductum c. 7. n. 25. præcipiens, ut Confeſſores *pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifeſtam pœnitentiam non imponant*, quòd maximè cavebunt in filiis familias &c., quibus ſi jejunia præter ordinem, & ſine prudentia imponantur, parentes poſſunt ſuſpicari de aliquo gravi crimine.

6. Quartò audiatur S. Carolus §. 21. ſuorum monitorum. *Confeſſor debet ſcire Canones Pœnitentiales: eſto enim moderandi ſint arbitrio prudentis, & diſcreti Confeſſoris* (quid importent hæc prudentia, & diſcretio, vide c. 8. n. 12.) *habito reſpectu ad contritionem Pœnitentis, qualitatem, & diverſitatem perſonarum, aliaſque circumſtantias, nihilominus juvabit ſemper reſpicere ad illos, & illis ut regulis ſe conformare, ut judicaverit conveniens*; *& eſto non imponat pœnitentiam Canonis*, *debebit illam ſæpiùs indicare Pœnitenti*; juxtà Catechiſmum c. 8. n. 12. *quò illum excitet ad majorem contritionem, & ad exequendam tantò promptiùs pœnitentiam injunctam, hauriens utilitatem ex Eccleſiæ hodiernæ benignitate, quà ſecum utitur in leniendo rigorem priſtinum*.

7. D. Ad quid ergo S. Carolus in Confeſſore adeò zelavit notitiam Canonum Pœnitentialium, ſi nunquam poteſt Confeſſor imponere pœnitentias in illis indictas.

M. Auguſtinus dicebat præceptum diligendi Deum non poſse impleri perfectè in hac vita, & propterea quærebant, cur datum ſit hoc præceptum, ſi nequit in hac vita impleri: Porrò de perfect. juſtitiæ rat. 16. reſpondit. *Cur non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? nec enim rectè curritur, ſi quò currendum eſt, neſciatur? quomodo autem*

tem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur. Iterum tamen pro praxi confer hæc cum iis, quæ ex S. Thoma ſunt dicta cap. 13. à num. 10.

CAPUT XVII.

De Excommunicatione.

1. EX Rituali adducto c. 7. n. 8. Confeſſarius debet ſcire caſus, & cenſuras reſervatas Apoſtolicæ Sedi, vel Ordinario, ne ex n. 16. abſque ſpeciali facultate audeat ab illis abſolvere, & etiamſi excommunicatio non ſit reſervata, debet ſcire Confeſſor, an pęnitens in illam inciderit, quò illum priùs abſolvat à cenſura, & deinde à peccato. Tres præcipuè pęnas, ac cenſuras infligit Eccleſia, nempè, excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. (Irregularitas, ut dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 19. n. 18. non eſt cenſura, ſed impedimentū canonicum, à quo non abſolvimur, ſed diſpenſamur: vide ibidem dicta c. 40. n 39.) forma conſueta abſolvendi à Rituali præſcripta, præponit abſolutioni à peccatis abſolutionem hujuſmodi trium cenſurarum: *Dominus Noſter, Jeſus Chriſtus*, &c. *Abſolvo te ab omni vinculo* &c. Circà ſuſpenſionem, & Interdictum, non eſt aliquid ſpeciale ſuggerendum Confeſſori ordinario. Si caſus contingat, poſcat tempus ad conſulendum libros, & Juriſperitos, qui non deſunt.

2. D. Quia Pęnitens abſolvendus à peccatis, quando indiget, primùm abſolvendus eſt ab excommunicatione, Confeſſor ordinarius debet eſſe circà illam aliqualiter inſtructus; quare peto, quid ſit excommunicatio?

M. Ut habeas perfectè rationem excommunicationis, lege S. Thomam ſupp. à q. 21. ad 25. advertens, quod q. 24. a. 1. paucas nominat ex communicationes reſervatas Papæ, quia tùm temporis aliæ non extabant, ſed creſcente malitià, neceſſe fuit multiplicare pęnas. In hoc tamen capite agetur tantùm de excommunicatione in genere; nam de reſervatis commodiùs erit agere in ſequenti, cum de reſervatione. Igitur antequam ſciatur, quid ſit excommunicato, danda eſt illius diviſio: alia enim eſt excommunicatio major, alia minor.

3. D. Quid eſt excommunicatio minor, & quem effectum facit in homine Chriſtiano?

M. Excommunicatio minor eſt cenſura Canonica, per quam homo privatur participatione paſſiva ſacramentorum: quare ita excommunicatus, nec poteſt adminiſtrare, nec recipere ſacramenta, & recipiens, vel admiſtrans abſque prævià abſolutione peccat mortaliter. S. Thomas q. 23. a. 1. cum commentario Porrectæ. Et quia hæc excommunicatio tantùm privat participatione ſacramentorum, non uſu juriſdictionis, ideò Superior ita excommunicatus abſolvens, ſubditum ab alià excommunicatione, abſolvit validè, & ſine peccato, ſed abſolvens à peccatis, abſolveret validè, & cum peccato ex parte ſuà. Incurritur hæc excommunicatio minor, ex hoc, quod homo, in caſibus ſibi prohibitis civiliter communicat cum excommunicato majori excommunicatione, denunciato nominatim per cedulones, vel publico percuſſore Clerici, quę communicatio civilis non eſt peccatum mortale, ſed tantùm veniale. San Thomas q. 23. a. 3. Hinc nota, quod contrà praxim antiquam Eccleſiæ, novi quidam Theologi docent, hominem cum ſolis peccatis venialibus, poſſe ſuaderi, ſed non poſſe prohiberi à Confeſſario, vel alio ſuperiore, ut abſtineat à perceptione Euchariſtiæ. Si ab illà prohibetur; qui ſemel tantùm ſalutat excommunicatum, adeò ut communicans in tali ſtatu, peccet mortaliter, multò magis poterit prohibere perceptionem Euchariſtiæ Pœnitenti, qui eſt involutus multis venialibus, & nullum fructum recipit in frequentando Euchariſtiam. Videant, quid hi recentiores doceant contrà Eccleſiæ ſenſum, & expreſsè contrà mentem San. Thomæ ibidem ad 3. dicentis: *Qui etiam ſine culpà quandoque ab Euchariſtià arctatur, ut patet in ſuſpenſis, vel interdictis, quia tales pænæ quandoque alicui pro culpà alterius, quæ in eis punitur, inferuntur*. Quæ dicta ſunt in gratiam opinionis multùm figentis pedes inter recentiores. Cæterum, quoad praxim, id eſt relinquendum prudentiæ, ac ſpiritui Directoris, qui ut prudenter dirigat, priùs legat San Thomam 3. part. queſt. 80. a. 10. præſertim ad 3., nec ſtabilian-

tur Regulæ generales, ubi quilibet dirigendus eſt ſecundùm ſuam capacitatem, & diſpoſitionem.

4 D. Quid eſt excommunicatio major: & quem effectum facit in homine Chriſtiano?

M. Excommunicatio major ex Sanct. Thoma ſuppl. q. 21. a. 1., & quod l. 11. a. 9. eſt cenſura Canonica privans hominem Chriſtianum participatione ſacramentorum (in hoc convenit cum minore) & communione fidelium. Ex hac generalitate Doctores concludunt excommunicatum excommunicatione majori, primò non poſſe recipere, nec adminiſtrare ſacramenta (poterit tamen Parochus aſſiſtere matrimonio, quia non adminiſtrat, ſed aſſiſtit tanquam teſtis qualificatus) ſecundò non poteſt adſiſtere miſſæ, nec officiis divinis (ſi tamen obligatur ad Horas Canonicas, tenetur illas recitare privatim; loco, *Dominus vobiſcum* dicendo *Domine exaudi orationem meam* &c. ut Subdiaconus: tertiò fit inhabilis ad beneficia; quartò ſi antecedenter habuit beneficium, pro tempore, quo eſt excommunicatus, non facit fructus ſuos. Hos, & ſimiles effectus videndos fuſiùs apud Authores, facit etiam nunc excommunicatio major.

5. D. Audivi, quod habeat alios quinque effectus comprehenſos illis verſibus.

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale communio, menſa negatur,

quos etiam peto mihi explicari?

M. Per os intelligitur, quod non licet alloqui excommunicatum: per *orare*; quod non licet applicare pro illo ſuffragia Eccleſiæ, aut effundere preces cum illo: per *Vale* intelligitur, quod non licet eum ſalutare; per *Communio* intelligitur, quod non licet cum illo facere contractus: per *Menſa* intelligitur, quod non licet conſedere cum illo; & quidem ante Martinum V. quælibet excommunicatio latæ ſententiæ habebat omnes hos effectus. At in prædicto Concilio Martinus V. conſiderans, illos eſſe nimis oneroſos populo innocenti, & nihil immutans circà effectus excommunicationis pro parte ipſius excommunicati, reſtrinxit pro parte communicantium cum ipſo excommunicato, decrevitque, ut adhùc prædicti quinque effectus vigerent reſpectu excommunicati, qui eſſet publicus Clerici percuſſor, vel qui eſſet nominatìm à legitimo Superiore denunciatus, ut talis. Alitèr excommunicati privantur bonis ſuperiùs prædictis, quatenùs poſſunt prodeſſe ipſis, ſed non quatenùs obeſſent aliis; & ita Parochus, vel Epiſcopus excommunicatus non poteſt licitè uti juriſdictione ſpirituali, quia hoc cederet in bonum ſuum, ſed non privatur valido uſu juriſdictionis (quando non ſit denunciatus, vel publicus Clerici percuſſor) quia hoc cederet in damnum commiſſæ plebis: quare, ut dictum eſt cap. 12. num. 9. excommnicatus denunciatus, nec licitè, nec validè abſolvit: non denunciatus illicitè abſolvit, ſed validè, quia hoc nimis cederet in damnum plebis, ſi cogeretur iterare ſacramentum. Et notandum, quod in adminiſtrando ſacramentum pœnitentiæ (idem dic de reliquis) peccant mortaliter tàm peccator, quàm excommunicatus; non tamen ſufficit, ut excommunicatus, in confeſſione accuſet ſe illicite adminiſtraſſe ſacramenta, ſed debet accuſare ſe adminiſtraſſe ligatum excommunicatione majori: Peccator abſolvens peccat ſolùm contrà jus divinum de adminiſtrando rectè ſacramenta: excommunicatus autem peccat in hoc, & prætereà contrà præceptum Eccleſiæ in eo, quod prohibitus uſu juriſdictionis ab Eccleſià conceſſæ ſibi, & non ſuſpenſæ quoad effectum pro fidelibus, eà tamen utitur: quarè debet in confeſſione explicare hoc duplex peccatum: quæ omnia debet advertere præparans ſe ad confeſſiones.

6. D. Habeo aliquid difficultatis circa ſecundum effectum enumeratum in illo verſu, nempè, orationem: credo enim, quod, ſicut poſſum orare pro infideli, ita poſſim orare pro excommunicato: quin imò Eccleſia in Paraſcæve orat proſchiſmaticis, & Hæreticis, qui ſunt excommunicati, pro Judæis, & Paganis.

M. De hoc articulo agit S. Thomas ſuppl. q. 21. a. 1. ad 1. & 2. cujus doctrina ut facilius percipiatur, ſciendum, ut dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 8. n. 47. quod in nono Symboli articulo credimus *Communionem Sanctorum*, ſcilicet, fructum orationum, & bonorum operum communicari inter juſtos, modo ibi explicato, quæ communicatio fit independenter à quacumque orantis intentione, ſicut in corpore phyſico nutrimentum bonum, de quo par-

participat unum membrum, participant alia membra, etiamſi homo nihil cogitet de hoc: Membra mortua in corpore phyſico non participant prædictum influxum, ſed tantummodò illum, qui provenit ex intentione ſumentis medicinam, ut proſit tali membro; pro iis verò membris, quæ jam ferro ſunt ſeparata, nullam homo accipit, aut intendit accipere medicinam; & ita peccatores in corpore Eccleſiæ accipiunt illum influxum orationum, quem intendit Eccleſia ſemper orans, non ſolum pro juſtis, ſed etiam *pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus*. Pro iis, qui ſunt foris, Eccleſia non orat, niſi in Paraſceve, & tunc ſolùm petit pro iis, ut fiant membra Eccleſiæ. Sic ergo prohibemur orare pro excommunicatis, quando oramus in perſonà Eccleſiæ, ut in Miſsà; in quà, quia ad *Memento* juxtà Rubricam poteſt orare pro Chriſti fidelibus *ad ſuam voluntatem*; & ità tunc orat ut perſona privata, poterit orare Deum, ut excommunicatis *detur ſpiritus pœnitentiæ, quo ab excommunicatione ſolvantur*. Etiam ad hoc poterit privata intentione dirigere cætera divinà officia; & more periti Medici aget. Hic ubi diverſa membra patiuntur, & poteſt ſubvenire cuilibet, utique ſubvenit. At verò ſi mors imminet, & ex curatione membrorum timere poſt accelerationem mortis, unicè huic præcavendæ incumbit. Excommunicatus patitur maximum malum in eo, quod eſt præciſus ab Eccleſia, & poteſt etiam aliquando pati minora mala, ut paupertatem &c., veruntamen timeri prudentèr poteſt, quod à paupertate ſublevatus, magis in excommunicatione ſordeſcat: quare orandus eſt unicè Deus, ut illi tribuat ſpiritum pœnitentiæ.

7. D. Incurrit ne ſolùm excommunicationem minorem, qui communicat cum excommunicato, in orationibus Eccleſiæ, includens excommunicatum vitandum in illis, quas agit in perſona Eccleſiæ?

M. Si orat tali modo pro excommunicato non vitando, nullam, neque majorem, neque minorem excommunicationem incurrit, quia à tempore Martini V. Eccleſia declaravit, ſe à ſuis orationibus non excludere hujuſmodi excommunicatos. At ſi eſſent vitandi, & excommunicati à Papa, tunc Sacerdos ita orans in divinis officiis incurreret majorem excommunicationem, c. *ſignificavit* de ſent. exc. ubi ſtatuitur regula generalis, quòd Clericus communicans in divinis cum excommunicato à Papa, incurrit majorem excommunicationem. Porrò exceptiones, aut limitationes hujus regulæ, præparans ſe ad confeſſiones, poterit videre apud Canoniſtas celebriores, qui commentantur prædictum textum.

8. D. Eſt ne alius caſus, in quo incurratur excommunicatio major ob participationem cum excommunicato?

M. Ex c. *Nuper*, & ex c. *Si concubinæ* de ſent. exc. incurrit excommunicationem majorem, qui cum homine jam nominatìm excommunicato communicat in eo crimine, propter quod fuit excommunicatus: quare ad praxim, ſi fœmina fuit nominatìm excommunicata ob fornicationem; qui peccavit cum illa ante publicationem excommunicationis, non incurrit hanc pœnam, ſed incurrit, ſi peccet poſt denunciationem.

9. D. Sunt ne aliqui caſus, in quibus participans cum excommunicato excuſetur ab incurſu excommunicationis?

M. Participans cum excommunicato incurrit, ut dictum eſt, in excommunicationem majorem, in duplici caſu: primò ſi Clericus illum admittat ad divina: ſecundò: ſi participet in crimine, pro quo fuit excommunicatus; & quidem conſtat neminem pro hoc ſecundo poſſe excuſari à pœna, niſi adſit ignorantia, quæ ſufficiat excuſare ſecundum Canones. Si poſſit dari caſus extraordinarius, præter ignorantiam ſuperiùs dictam, quæ participantem in divinis cum excommunicato nominatìm denuntiatio excuſet, videantur Canoniſtæ celebriores, ac Theologi: Confeſſori ordinario nihil refert id ſcire; imò paſſim experimur maximum detrimentum, in eo, quod perſonæ ordinariæ ex quibuſdam libellis hauriunt quaſdam exceptiones à regulis generalibus in quibuſdam circumſtantiis omninò extraordinariis, in quibus per Epichejam regula generalis non poteſt habere locum; & ipſi utuntur prædictis exceptionibus pro omni caſu etiam ordinario. Id multò magis habet locum in hac materia excommunicationis, in qua ruina ingens animarum oritur, ſi ſimplex Confeſſarius ex ſe, abſque

Digitized by Google

abſque judicio Superioris, cujus eſt excommunicare, decidat hunc, vel illum caſum non comprehendi in edicto excommunicationis; quare viam ordinariam proponat calcare præparans ſe ad confeſſiones: quod ſi contingat caſus extraordinarius, qui videatur exceptus, poſt diligens ſtudium, requirat etiam Superioris judicium, antequam decidat. Hæc dicta ſunt de majori excommunicatione. Circa minorem, aſſignantur quinque caſus, in quibus abſque illius incurſu poteſt communicare cum excommunicato vitando, & comprehenduntur illo verſu.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe. de quibus S. Thomas qu. 23. ar. 1. dicitur *Utile*, quandò cum excommunicato loquimur in ordine ad vitam æternam: dicitur *lex*, quandò tenemur communicare cum illo ex lege matrimonii: dicitur *humile*, quando quis ante excommunicationem fuit ſubjectus excommunicato ſubjectione filii ad patrem, & ſervi ad dominum, vel è contra (juriſdictio autem non excuſat: quare ſubditus non poteſt communicare cum Principe:) Dicitur *res ignorata*: nam ignorantia excuſat: dicitur *neceſſe*, quia etiam excuſor agens ob convenientem neceſſitatem cum excommunicato.

10. D. Petrus v.g. in Indiis fuit denunciatus excommunicatus: nunc autem hìc in Urbe commoratur, ubi ſcio ſolus ego excommunicationē, teneorne illum evitare?

M. Teneris illum evitare in divinis (occultè tamen) in crimine, ob quod fuit excommunicatus: quoad communicationem verò civilem, teneris illum evitare in occulto, non in publico, & dic de illo, ut de peccatore occulto, cujus peccatum nequis publicare, ſicuti nec pœnam excommunicationis occultam.

11. D. Quoniam pœnæ non incurruntur ab ignorantibus, vellem ſcire, quæ ignorantia excuſet ab incurſu excommunicationis?

M. C. de conſt. in 6. dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes. Dummodò eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Sic igitur ab incurſu cenſurarum Eccleſiaſticarum ignorantia etiam probabilis excuſat, dummodò ſit verè probabilis, quod tamen ex ſe non definiet ordinarius Confeſſor; & videbit, quæ dicentur de ignorantia capit. 35.

12. D. Audivi dicentes, quod timenda ſit omnis excommunicatio, etiam injuſta, vellem ſcire, quomodò id verificetur, & qualitèr id contingere poſſit?

M. Id explicat mirabilitèr ſuo more S. Thomas q. 21. ar. 4., ad cujus perfectam intelligentiam tu conjunge, imò prælege, quæ dicentur par. 2. cap. 19. de judicio temerario ex eodem S. Doctore: conformiter ad quæ dicendum, quod excommunicatio ſi ſit nulla, non eſt timenda: dicitur autem nulla, quando ſit per judicium uſurpatum, ut judicet, qui non habet authoritatem hìc, & nunc excommunicandi talem, vel non poteſt judicare tali modo, v.g. ſine monitionibus, &c. Gloſſa cap. *Præſenti* de ſent. excomm. in 6. aſſignat duodecim caſus, in quibus eſt nulla. Præparanti ſe ad confeſſiones utile erit ſcire prædictos caſus, ſed magis quoad judicium fori contentioſi, quàm fori pœnitentialis, in quo ſemper abſolvet ad cautelam, & niſi omninò manifeſtiſſima ſit nullitas, nullatenùs ſe ingeret. Sicut dicitur de Judice ſæculari, quod damnans homicidam, peccat, ſi damnet ex odio, non ex affectu juſtitiæ, ſed tamen juſtè damnatur homicida: ita dicendum de excommunicante. Sicut in judicio ſæculari dicitur, quòd ſub pœna mortis vocatus à Judice, ubi adſunt indicia ſufficientia, debet obedire, & ſi non obediat, hoc ipſo ſit reus mortis; ita dicendum, quod in ſimili caſu, in Eccleſiaſtico judicio, fiet reus excommunicationis: ſicut in judicio ſæculari dicitur, quod damnatus, quia v.g. noluit abnegare fidem, debet humilitèr ſuſtinere mortem potius, quàm obedire. Idem dicendum in Eccleſiaſtico: excommunicatur, v.g. quis, quia non vult cohabitare uxori, cum quâ habet impedimentum dirimens occultum, ſed certum, cujus contrarium apparet in judicio Eccleſiæ, in hoc caſu ex c. *Inquiſitioni* ex tract. de ſent. excomm. debet excommunicationem ſuſtinere humilitèr potiùs, quàm fornicariè conjungi fœminæ, ſive petendo, ſive etiam ſolùm reddendo.

13. D. Excommunicatio incurriturnè ſtatim ac homò commiſit delictum, cui eſt annexa excommunicatio?

M. Ad decidendum hoc in particulari, conſideranda ſemper attentè ſunt verba comminantis excommunicationem: ſi enim dicatur *ſub pœna excommunicationis ipſo*

ipſofacto incurrenda, & ſint aliæ conditiones, tunc delicto commiſſo, delinquens eſt ſtatim excommunicatus quoad ſe, licèt nondum denunciatus quoad alios: At ſi dicatur tantùm *ſub pœna excommunicationis*, tunc non erit excommunicatus, quoad uſque Superior infligat talem pœnam; & Sacerdos illud committens, ſi celebret, non fit irregularis &c.

14. D. Quia ſufficienter dictum eſt de cauſa formali excommunicationis, dicatur aliquid de materiali?

M. Jam num. 3. dictum eſt, quod minoris excommunicationis cauſa materialis poteſt eſſe peccatum veniale. De majori hæc ait S. Thom. ſuppl. quæſt. 21. art. 3. *Quia excommunicatio eſt graviſſima pœnarum: pœnæ autem medicinæ ſunt, & Sapientis Medici eſt, à levioribus incipere medicinis, & minus periculoſis, ideò excommunicatio infligi non debet, etiam pro peccato mortali, niſi contumax fuerit, vel non veniendo ad judicium, vel ante terminationem judicii ſine licentia recedendo, vel determinationi non parendo. Tunc enim, poſtquam monitus fuerit, ſi contempſerit, contumax reputatur, & excommunicari debet à Judice, jam non ampliùs habente, quod contra ipſum faciat.* Igitur ex ratione ſatis congrua, non omne peccatum mortale debet eſſe materia excommunicationis, ſed contumacia, per quam non fit locus alteri medicinæ ad tollendum peccatum. Porrò id obſervandum præcipit Tridentinum ſeſſ. 25. de ref. cap. 3. Brevitatis gratia non adduco textum, qui tamen ſæpè relegendus eſt: etenim multi deficiunt, & aſſumunt pro primo remedio, quod eſſe debet ultimum, imò illud ſæpè aſſumunt pro defectibus qui directè, & proximè ſunt contrà gubernium œconomicum, aut politicum: remotiſſimè, & omninò indirectè ſunt contrà Deum. Præparans ſe ad confeſſiones, quia poteſt proceſſu temporis fieri Superior cum poteſtate excommunicandi, vel peti de conſilio ab hujuſmodi Superioribus, attendat, quà prudentia velit procedendum in hac materia Spiritus Sanctus, Author prædicti capitis.

15. Plures aliæ quæſtiones agitantur de excommunicatione, præſertìm circà cauſam efficientem; ſed meo videri, ordinario Confeſſori: ſufficiet delibatio prædictarum. Illud videtur neceſſarium Confeſſori ordinario, ut particulariter ſciat ſaltem principaliores excommunicationes, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas: & cum plures in compendio redegerint antiquiores; non invenio ex Modernis, qui omnes illas collegerit; quare in hoc maximè laudandus eſt zelus Canonici Nicolai Antonii Cuggiò; Sanctiſſimi D.N. CLEMENTIS XI. oraculo deputati à ſecretis pro examine Cleri in Urbe. Hujus opera, & improbo labore collectus eſt Cathalogus hujuſmodi Cenſurarum, & inſertus libello *Avvertimenti di S. Carlo*, &c. tertiæ editionis, de anno 1702. Hunc igitur dabo c. 19. ut omnes illum habere poſſint præ manibus.

16. D. Extat ne aliqua propoſitio damnata, circa id, quod in præſenti capite dictum eſt de Excommunicatione?

M. Extat 44. Alexandri VII. loquens generaliter de omni cenſura, & conſequenter includens Excommunicationem.

CAPUT XVIII.

De reſervatione caſuum, & Cenſurarum.

1. EX Rituali cap. 7. num. 8. Confeſſor *ſciat caſus Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatos*. Et hæc ſcientia omninò eſt neceſſaria: quilibet enim Judex debet ſcire, quouſque ſe extendat ſua juriſdictio, cujus ſi terminos tranſiliat, invalida eſt ſententia. In omni autem Republica benè ordinata ſunt conſtituti tales termini, ita quod inferiores Judices, habeant ſolùm judicare minora delicta, & ordinaria cognitio graviorum reſervatur Judici ſuperiori, & graviſſima tandem judicat ipſe Princeps, vel quos ipſe deputat ex commiſſione ſpeciali. Sapientiſſimum hunc ordinem ſervatum eſſe, & ſervari debere in Eccleſia definivit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. Porrò circà hanc reſervationem plura peti poſſunt, ſed præparans ſe ad confeſſiones, obſervabit ſpecialiter ſequentia.

2. D. Quid eſt reſervatio caſuum, ſeù cenſurarum?

M. Eſt reſtrictio juriſdictionis; per quam Superior juriſdictionem commiſſam inferiori Judici reſtringit, ita quod illam non habeat pro abſolvendis certis caſibus,

aut cenſuris. Hinc inferas nullatenus abſolvi pœnitentem, qui dum peccavit, invincibiliter ignoravit reſervationem. Fingamus enim, quod Princeps, me omninò invincibiliter ignorante, in Republicà reſtrinxerit juriſdictionem, alicujus, hic non poteſt me judicare, quia juriſdictionem confert non mea ignorantia, ſed Superioris authoritas.

3. D. Quid faciet Sacerdos, ubi ad ipſum accedit Pænitens involutus aliquo caſu reſervato?

M. Rituale c. 7. n. 16. ſolum dicit, quod *non abſolvat, niſi priùs obtentâ facultate à Superiore*: S. Carolus §. 14. ait, quod *admoneat pœnitentem, ut ſe ſiſtat coram habentibus facultatem*, ſe addit, *ubi Confeſſor aliunde judicaret non convenire, ut ſe præſentet Pœnitens, Confeſſor ipſe petat facultatem abſolvendi*. Et ſanè poſſunt contingere plurimi caſus, in quibus ex una parte, ob abſolutionem, adeunda eſt Apoſtolica Sedes: ex aliâ impoſſibile eſt pœnitenti adire. In hujuſmodi caſibus exigitur prudentia, & charitas Confeſſoris, ut pœnitenti ſubveniat, ſi verè petit; & aliàs habet juſtum impedimentum non operandi ex ſe ſolo. In hoc autem verè plena charitate Sacra Pœnitentiaria providit, ut ſequitur.

Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro caſibus, quorum abſolutio, ſeù diſpenſatio à Sacrà Pœnitentiarià Apoſtolicà impetratur.

4. *Cum ſæpè ſit experientià compertum plurimos utriuſque ſexus Chriſti fideles, & præcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, nec non Irregularitate, & caſuum quoquo modo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque S. Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos, in illis lacbrymosè perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laborioſè perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.*

5. *Primò, eò quod Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, quibus, cum ad Ordinarium accedendi (fæminis præſertìm) verecundia, aut timor aditum intercludat, conſilium ulteriùs requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.*

6. *Secundò evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro ſollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exolvere non valentes, inconſolati, ac conſcientiæ motibus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & fortè (quod pejus eſt) ſibi perſuadent S. Pœnitentiariæ Tribunal, aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum reverà S. Pœnitentiariæ Miniſtri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſponte oblatum unquam recipiunt, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes ſerenà fronte complectantur.*

7. *Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxtà expoſita obtentæ, irritæ evadant, eò quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticeant; undè fit, quod litterarum Executores, caſu poſteà pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quam expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniat: quare pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novæ diſpenſationis ſe carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miſerabiliter remanent.*

8. *Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.*

9. *Confeſſores itaque, cum pœnitentes præfatis vinculis irretitos ad ſe accedere contigerit, caſuum qualitates, & præfatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne, quod occultum eſt, publicum faciant, perſertim impedimenta occulta matrimoniorum: nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.*

10. *Et ſic præfati Confeſſores, ſcù pœnitentes poterunt caſus præfatos cum dictis cir-*

cumſtantiis, & cauſis exponere, ſive latino, ſive quocunque alio idiomate propriæ regionis; nam S. Pænitentiaria ſuos ex quacumque regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet; & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit a S. Pœnitentiariâ reſcribendum, etiamſi ipſum nomen, & cognomen ſit fictitium: itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando, ſcilicet, vulgari nomine Oppidum, ſeu Civitatem, & Regionem, cum datâ menſis, & anni in hunc modum.

Intus incipiant Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſic.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

11. *N. Mulier emiſit votum ſimplex Caſtitatis: manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat: ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.*

Terminent epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſic.

Dignetur Eminentia Veſtra reſcribere ad N. N., & exprimant nomen, & cognomen, cui eſt reſcribendum: Ad Civitatem N. exprimendo nomen civitatis. Per oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, ſeu gratiam ſimplici Confeſſario, Magiſtro in Theologia, ſivè Decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pænitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pænitens, & præſertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pænitentiariæ.

Dirigant epiſtolam, ſeù ſupplicationem, ſcribendo extrà, ſeù à foris in hunc modum.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

12. *Et ſi tardaverit reſponſio, Confeſſarii reſcribant, ne fortè ſit deperdita, & nunquam deſperent Pænitentes.*

13. *Monentur inſuper Parochi, ſive Confeſſarii, ad quos præſentes litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum ſalute communicare.*

14. D. Verè Mater pia eſt Sedes Apoſtolica, & pii ejus Miniſtri, qui provident fidelibus non tantum remedia, ſed & modum omnem faciliorem, ut poſſimus conſequi prædicta remedia. Ego ſanè in poſterum utar hac benignitate pro ſalute Pœnitentium; & prætereà juxtà ultimum Sacræ Pœnitentiariæ monitum communicabo notitiam hanc, quibus potero. Sed interim, quid agere debeo, dùm expectatur Sacræ Pœnitentiariæ reſponſum?

M. In prædictâ Inſtructione audiſti nominata præſertim quinque: primò cenſurarum vincula: ſecundò votorum obligationes: tertiò matrimoniorum impedimenta: quartò irregularitates: quintò caſus quoquo modo reſervatos; de quibus pro praxi agendum eſt diſtinctè. Igitur ſi prædicta vincula ſint publica, nullum poteſt eſſe ſcandalum, ſi quis abſtineat, ſed imò ſcandalum eſſet, ſi non abſtineret: quando autem ſunt occulta, poteſt oriri ſcandalum, ſi quis abſtineat: Ubi igitur extrà articulum mortis (in quo nulla eſt reſervatio) accedat Pœnitens cum aliquâ cenſurâ, vel caſu reſervato Sedi Apoſtolicæ, & Confeſſor, qui ſe obtulit ad impetrandam facultatem abſovendi viâ prædictâ, noverit magnum oriri ſcandalum, niſi tunc pænitens communicet, ſuadebit pænitentem, ut recurrat ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium, qui habent facultatem juxtà Tridentinum ſeſſ. 24. c. 6. exceptis caſibus Bullæ Cænæ, vel ut recurrat ad Regulares privilegiatos, juxtà eorum privilegia, de quibus dictum eſt c. 9. nu. 5. quod ſi nullus expectari poſſit recurſus, abſque magno ſcandalo, tunc eſt duplex opinio: Alii dicunt poſſe hujuſmodi reum communicare cum ſolo actu contritionis: Alii, quod teneatur confiteri non reſervata, & reſervata ſimplici Confeſſario, qui ad obviandum ſcandalum, primum imponet pænitenti onus comparendi quam primum coram Superiore, poſteà illum abſolvet, remanebitque abſolutus à non reſervatis directè, à reſervatis indirectè. In praxi hanc deduces; nàm actus perfectæ contritionis eſt valdè difficilis. Circa vota, non video ſcandalum in illis adimplendis. Poſſet ſolùm figurari caſus, quod obligatus voto caſtitatis, & in periculo proximo incontinentiæ debeat communicare. Hic autem debet tractari, ut ex Sancto Carolo dictum eſt c. 11. n. 30. & ſi faciat, quod eſt in manu ſuâ, orando &c. non erit periculum proximum: ſi non faciat, ſibi imputet, qui deficit: Circa matrimonii impedimenta, poteſt contingere caſus, quod alter conjugum contraxerit cum impedimento occulto dirimente, affinitatis provenientis e x copu-

ſà illicitâ cum ſorore, v. g. Multi ſuper hoc caſu in examine deficiunt, aſſerentes poſſe conjugem conſcium impedimenti reddere, ſed non petere; tamen reverà, quia matrimonium eſt invalidum, illa redditio eſſet fornicaria, & per conſequens ſemper illicita, etiamſi redderetur ad evitandam mortem; nec aliter audire volunt, aut debent Examinatores, à quibus ſemper vidi juſtè reprobatos, qui dicebant poſſe reddi, non peti. Igitur ſi caſus contingat Confeſſori, dum expectatur diſpenſatio Apoſtolica, oſtendat pænitenti, quod eſt obligatus ad omninò abſtinendum, & aliis viis abducat conjugem, ne ſibi inſtet pro redditione debiti: & inſuper moneatur, quod, obtentâ diſpenſatione, ante uſum matrimonii, debent renovare conſenſum, prudenter tamen, ita quod non detegatur prior invaliditas, per hæc, vel ſimilia verba, quod *ſe amant affectu maritali* &c. Circa irregularitatem poteſt contingere caſus in Religioſâ communitate, ubi ſcandalum fit, ſi aliquis non celebret: quod tamen eſt difficile: nec enim deſunt media, ut quis abſtineat abſque publicatione delicti graviſſimi, ob quod incurrit irregularitatem: Caſus, & à Jure, & à Doctoribus prætermittitur, quia creditur moraliter impoſſibilis; quare nec ego quidquam ex me determinabo circa illum.

15. D. Qui habens caſum reſervatum, confitetur nulliter habenti facultatem, teneturne iterum adire Superiorem, quandò validè volet confiteri?

M. Doctores diſtinguunt; etenim ſi comparet coràm ipſo Superiore, qui reſervavit, tunc volunt reſervationem ceſſare, & poſſe abſolvi à quolibet: ſi verò confiteatur habenti facultatem delegatam, ut in Jubilæo, vel etiam in articulo mortis, tunc tenetur iterum adire Superiorem, quia facultas abſolvendi conceſſa eſt pro confeſſione validâ, non invalidâ: ſed caſus iſtos non debemus ſomniari: nulla enim fit pietatis acceſſio ex eorum ſolutione.

16. D. Poteſt ne ſimplex Confeſſor abſolvere caſum, quando dubitat de reſervatione?

M. Poteſt eſſe dubium Juris, & dubium facti: Dubium juris eſſet, ſi v. g. perfectè neſciret tabellam caſuum reſervatorum: unde, dubitat de juriſdictione ſpectante ad valorem ſacramenti; & in hoc dubio habet locum damnatio primæ propoſitionis ab Innocentio XI. facta: ſecundò poteſt eſſe dubium facti; Pœnitens dubitat, num ſua hæreſis fuerit externa, vel interna tantùm. Circa hoc dubium facti, diſtinguendum eſt: ſi agitur de dubiè reſervatis Papæ, non poteſt abſolvi. Si loquamur de aliis, dicendum eſt poſſe abſolvi à ſimplici Confeſſario, quia, ubi vult Superior reſervare caſus dubiè contentos, id explicat.

17. D. Audivi, quod alii caſus reſerventur ratione ſui, & alii ratione cenſuræ, vellem ſcire, quid hoc importet?

M. Hoc eſt veriſſimum, interceditque differentia, quod caſus reſervatus ratione cenſuræ, ubi ſemel, etiam extra judicialiter ablata eſt cenſura, poteſt ſacramentaliter abſolvi à quocunque Confeſſario. Ita hæreſis hoc modo reſervata, ubi quis comparuit coram Superioribus, & illi abſolverunt à cenſura extrà ſacramentum (nec enim ſolent ſacramentaliter audire redeuntes) abſolvi poteſt per quemcunque Confeſſarium. Ordinariè loquendo, quoties alicui peccato annexa eſt excommunicatio Papalis reſervata, illud reſervatur ratione cenſuræ: non ita, ſi Epiſcopalis.

18. D. Qui commiſit delictum reſervatum in illâ Diœceſi, poteſtnè abſolvi, ſi accedat ad Diœceſim, in quâ non eſt reſervatum?

M. Ex c. 9. n. 5. poteſt abſolvi, niſi accedat in fraudem: dicitur autem accedere in fraudem, ſi ad hoc ſolum veniat: etenim tunc vult eludendo ſubterfugere judicium ſui Superioris, & ſi ex Tuſculo, v.g. ubi homicidium reſervatur, veniat Romam ob aliquod negotium, & exiſtens Romæ velit confiteri, poterit illum quilibet abſolvere. Si verò accedat ad Pœnitentiarios conſtitutos in Baſilicis per Sacram Pœnitentiariam, poterit abſolvi, etiamſi ad hoc ſolum veniat, quia tunc recurrit ad Superiorem ſui Superioris, nempè, ad Romanum Pontificem, ut Caput univerſalis Eccleſiæ, cujus Miniſtri ſunt prædicti Pænitentiarii. At reliqui Conefeſſores Urbis, habentes juriſdictionem ab Eminentiſſimo Vicario, ſunt Miniſtri Pontificis, ut Epiſcopi Romani; & ſic ad iſtos accedens pœnitens, accedit ad parem, non ad Superiorem ſui Epiſcopi.

19. Intelligitur nè reſervata Papæ omnis excommunicatio inflicta per Sedem Apoſtolicam?

M. Sit regula generalis, quam pluries firmant Sacri Canones, ut excommunicatio per Papam inflicta non cenſeatur reſervata, niſi illam implicitè ſaltem, ſibi reſervatam Papa pronunciet.

20. D. Regulares privilegiati, quid poſſunt in caſibus reſervatis Romano Pontifici?

M. Hujuſmodi Regulares non debent uti prædictis privilegiis, niſi prius attentè illa conſiderent, & percipiant, quouſque extendantur. Et primò omnium legenda eſt Extravag. Siſti IV., quæ incipit. *Et ſi Dominici* de pœn., & rem. ſecunda ſub hoc principio. Plura privilegia abſolvendi, & diſpenſandi conceſſerat Siſtus. Sed quia id cedebat indamnum animarum, per dictam Extrav. declaravit privilegia per ſe conceſſa non debere extendi ad caſus ibi expreſſos, quorum plures hodiè continentur in Bulla Cœnæ. Qui ſunt extrà Bullam Cœnæ, & ampliùs abſolvi non vult per Extrav. ſunt hi: primò generaliter omnis læſio libertatis Eccleſiaſticæ: ſecundò violatio interdicti poſiti à Sancta Sede: tertiò mutilatio, vel occiſio Clerici conſtituti in ſacris: quartò ſimonia contracta in Ordine vel beneficio. Circà vota prohibet, commutari votum peregrinationis ultràmarinæ, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Jacobi in Compoſtella, nec non Caſtitatis, ac Religionis. Igitur privilegiati conſiderent, num ſuper hos caſus habeant privilegium ex conceſſione hujus Papæ: nàm hoc eſt revocatum ita, quod nullibi poſſint abſolvere, neque in Urbe, neque extra Italiam: Secundò privilegia quantumvis ampliſſima regulari debent juxtà reſtrictionem Clementis VIII. (intrà Italiam, extrà Urbem) poſitam c.10. num.6. & declarationes Clementis X. datas c. 9. num. 5. Porrò Clemens VIII. voluit poſſe uti privilegiis, quando ea fuerint in uſu. Etiam in toto Orbe prohibentur abſolvere delinquentes contra Conſtitutiones de electione Romani Pontificis editas, alteram à Gregorio XV. de anno 1621. & alteram ab Urban. VIII. de an. 1625. Adſunt inſuper Theologi primæ notæ, qui aſſerunt privilegia Regularium non poſſe extendi ad eos caſus, qui ſunt prohibiti Eminentiſſimo Majori Pœnitentiario; nec enim percipiunt, quomodo in toto orbe Regulares innumeri poſſint indiſtinctè ſuper illa delicta, quorum abſolutionem Romanus Pontifex denegat ſuo primario Miniſtro, tot ſpecialibus notis digno. Et ſecundum hanc opinionem prædictorum Magiſtrorum, ultrà caſus jam expreſſos, Regularis Privilegiatus non poteſt etiam in occultis, etiam in foro conſcientiæ, abſolvere illos, qui, vivente Romano Pontifice, tractant de Succeſſore deligendo; ſecundò: neque violantes conſtitutionem Urbani Octavi editam de anno 1631. contrà inquirentes per Aſtrologiam judiciariam de ſtatu Chriſtianæ Reipublicæ, vel de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis; quia in Bulla Innocentii XII. ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii, delicta hujuſmodi excluſivè, quoad dictum Pœnitentiarium, reſervat ſibi Pontifex. Tertiò: Major Pœnitentiarius, ex Urbano VIII. nequit abſolvere ab excommunicatione incursà propter violatum juramentum, quod emittunt Officiales Congregationis Rituum circa Sanctorum Canonizationem. Et ſecundum iſtos Magiſtros neque ab illa poteſt abſolvere Privilegiatus. Quid ego ſentiam, non eſt neceſſarium exponere, certum eſt; quod ſi contingeret caſus in praxi, nunquam abſolverem, nec aliis conſulerem, ut abſolverent, ſed dimitterent hujuſmodi graviſſimos peccatores, ut ea difficultate abſolutionis in poſterum omninò abſtinerent.

21. Virtute Jubilæi poteſt nè ſimplex Confeſſarius abſolvere pœnitentes à quibuſcumque caſibus reſervatis?

M. Quilibet Iudex, cujus juriſdictio in aliquo particulari caſu extenditur per patentes ſupremi Principis, antequam exerceat miniſterium juriſdictionis ſibi commiſſæ, ſemper attentè conſiderat, & obſervat omnia, etiam minima verba prædictarum Patentium, Confeſſor, ne ſibi exprobretur *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis*. Luc. 16. Multò magis obſervabit minutatim Jubilæi formulam, à qua non declinabit, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, illam ſibi videat inferiùs cum obſervationibus.

22. D. Quas in foro ſacramentali pœnitentias debet imponere Confeſſor, quando abſolvit excommunicatos?

M. Hic

M. Hic punctus eſt neceſſarius Confeſſori ordinario pro duplici caſu: primò: pro Jubilæis; & ſecundò: pro mortis articulo. Et volens ſatisfacere ſuo muneri, ſemper ante omnia cōſiderabit particulariter, nùm, in abſolvendo à tali excommunicatione, Superior exigat ſpecialem aliquā pœnitentiam; hæc enim erit imponenda. In Jubilæo nullatenùs poteſt abſolvi excommunicatus, à legitimo Superiore declaratus ut talis, niſi infrà tempus Jubilæi ponatur pœnitentia, per quam ſatisfaciat, aut concordet cum partibus: ſi non ſit declaratus ut talis, poterit abſolvi, etiam in caſibus Bullæ Cœnæ; dummodò prius pro pœnitentià deſtiterit, cum propoſito ulteriùs ſimilia non committendi, & abſolvitur in foro conſcientiæ tantùm; adeò ut ſi conveniatur in foro judiciali pro tali delicto, debeat ſatisfacere ſuo Superiori. In articulo mortis, quilibet, etiam ſimplex Sacerdos, poteſt abſolvere quemlibet excommunicatum, etiam denunciatum, etiam ab hæreſi, dummodò præſtet cautionem, & in defectum hujus, juramentum, ſi poteſt, de ſtando Eccleſiæ mandatis, & de ſatisfaciendo parti læſæ. Hac pœnitentia præmiſſa abſolvetur, & remanebit directè abſolutus ab omni excommunicatione, & peccato; ita tamen, quod, ſi convaleſcat, teneatur ad obediendum ſe præſentare Superiori, & ſi non obediat, ob illud peccatum inobedientiæ, incidit in excommunicationem eodem modo reſervatam, ac erat illa, ſuper quà fuerat abſolutus.

23. D. Adſunt nè aliquæ propoſitiones prohibitæ, tangentes abſolutionem caſuum reſervatorum?

M. Alexandri VII. tertia tangit abſolutionem caſuum reſervatorum in Bulla Cœnæ: quarta tangit ſpecialiter crimen hæreſis reſervatum in primo §. Ejuſdem Bullæ: 12. verò tangit abſolutionem reſervatorum ab Epiſcopis.

24. D. Adſunt nè aliquæ pœnæ contrà audentes abſolvere à caſibus, vel cenſuris reſervatis?

M. Præſumentes abſolvere ab excommunicationibus reſervatis in Bulla Cœnę, contrà tenorem dictæ Bullæ, in eadem excommunicantur, & Pontifex declarat, quod graviùs temporaliter, & ſpiritualiter, ut noverit expedire, procederet contrà ſic præſumentes: non tamen ibi reſervatur hæc excommunicatio; ſed vide c. 21. num. 7.

CAPUT XIX.

Dantur Canones Bullæ in Cœna Domini.

1. UT Confeſſor dicatur ſervare ordinationem Ritualis datam cap. 7. num. 8. non ſufficit in generali ſcire, quid ſit Cenſura &c. ſed ſpecialiter debet ſcire, qui caſus reſervati ſint Apoſtolicæ Sedi, & qui Epiſcopo. Porrò Epiſcopales hìc non poſſunt adduci, quia varii juxtà varias diœceſes; quare adducentur tantùm Papales, & quidem in hoc capite reſervati in Bulla Cœnæ; cujus brevitatis gratia omitto præfationem.

2. Canon primus: *Excommunicamus, & anathematizamus ..... quoſcunque Huſſitas, VViclephiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Ugonotos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana Fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos, quocunque nomine cenſeantur, & cujuſcunque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorumdem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine authoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter* [notà] *legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeù quomodolibet defendentes, ex quavis causâ, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore; necnon Schiſmaticos, & eos qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis* [ut Pontifex, non ut eſt Princeps dominii temporalis] *pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.*

3. 1. Ut ſit Apoſtata, & Hæreticus, non ſufficit ignorare, etiam vincibiliter, myſteria fidei, etiam neceſſaria neceſſitate medii, ſed requiritur habere poſitivum errorem in intellectu contrarium fidei cum pertinacia. Dubius in fide eſt talis. Apoſtatans externè à fide, ſed intùs tenens fidem, non eſt talis, uti neque blaſphemans hæreticaliter. Hi tamen, licet non excommunicentur hìc, ſunt denunciandi Sanctæ Inquiſitioni.

4. 2. Qui ſint receptatores &c. vide dicenda de injuſtitia, ſuper illud carmen, *Juſſio, conſilium*, &c. verbo *Recurſus*.

5. 3. Quid requiratur ad incurrendam hu-

hujuſmodi excommunicatione, vide ſuo loco.

6. 4. Qui ſint Schiſmatici. Vide de Charitate, cui ſchiſma opponitur.

7. Can. ſecundus: *Item omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerint: Univerſitates verò, Collegia, et Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, & Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium, ad univerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore appellatum fuerit.*

8. Can. tertius. *Item omnes Piratas, Curſarios, & Latrunculos maritimos, diſcurrentes mare noſtrum* (Status Eccleſiaſtici) præcipue à *Monte Argentario, uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.*

9. 1. Piratæ &c. non ſunt, mare Pontificium, etiam ut prædentur, ligna eorum, quibus ſui Principes declararunt bellum, nec qui diſcurrens hoc mare, cauſa negotiorum prædaretur caſu aliam navim, eſto non inimicam, ſed qui ad hoc exiret, ut prædaretur quomodocunque. Hic, etiam ſi nihil prædetur, dummodò taliter diſcurrat mare Pontificium, excommunicatur.

10. Can. quartus: *Item omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quocunque navibus, tempeſtate, ſeù in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquo modò naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore* (maris utique non fluminis) *cujuſcunque generis bona, tam in noſtris Tyrrhæni, & Adriatici, quam in cæteris cujuſcunque maris* (non fluminis) *regionibus, & littoribus, ſurripuerint, ita ut nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeù alium quemcunque prætextum, excuſari poſſint.*

11. *Chriſtianorum*; quare non Turcharum, aut Gentilium; An autem Hæreticorum, qui, ut baptizati, ſunt verè Chriſtiani? Probabilius eſt, quod non, quia videtur Pontifex velle favere obedientibus ſibi, non rebellibus. Peccabunt tamen ſurripientes bona Hæreticorum, quibus non eſt declaratum bellum, quod communiter eſt declaratum contrà Turchas; At ſi aliquis Princeps habeat cum his pacem, hujus ſubditi etiam peccabunt.

12. *Surripuerint*: quare non excommunicatur, nec peccat, qui bona hæc accipit, ut ſervet ſuo domino, vel deferat ad loca deſtinata de mandato Principis, ut ſerventur domino: qui autem ſurripuit, deinde pænitens reſtituit, non poteſt adhùc abſolvi.

13. De Conſuetudine, vide ſuo loco.

14. Can. quintus: *Item omnes, qui in terris ſuis nova pædagia, ſeù Gabellas, præterquam in caſibus ſibi* (nota hoc) *à jure, ſeù, ex ſpecialis Sedis Apoſtolicæ licentiâ permiſſis imponunt, vel augent, ſeù imponi, vel augere prohibita exigunt.*

15. Can. 6. *Item omnes falſarios* (etiam per abraſionem unius verbi vel litteræ) *litterarum Apoſtolicarum, etiam in formâ Brevis, ac ſupplicationum, gratiam vel juſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios ſeù gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum, nec non falsò publicantes litteras Apoſtolicas, etiam in formâ Brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicatione hujuſmodi, ſub nomine Romani Pontificis ſeù Vice-Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.*

16. Can. 7. *Item omnes illos, qui ad Saracenos, Turchas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel Hæreticos, per noſtras, ſive hujus Sanctæ Sedis ſententias expreſſè, & nominatim declaratos deferunt, ſeù tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, cannabem, funes, tam ex ipſo canape, quam aliâ quacunque materiâ, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos* (ut tales) *impugnant, nec non illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ* (ut Chriſtiana eſt) *Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum ipſos Turchas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt; illiſque ad id auxilium, conſilium, & favorem quomodolibet* (nota hoc) *præſtant. Non obſtantibus quibuſcunque Privilegiis, quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, hujuſmodi*

Digitized by Google

modi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

17. Hic comprehenduntur, qui ob lucrum, hebdomadatim, vel menſuatim &c. mittunt ad Hæreticos, vel Turchas, quæ Italicè dicuntur *Avviſi*, præſertim ex Urbe, plena mille mendaciis, vel etiam veritatibus de Curia Romana, in maximum Religionis Catholicæ damnum; quare ad id maximè attendat Confeſſor, præſertim in Urbe.

18. Can. 8 *Item omnes impedientes, ſeù invadentes eos, qui victualia, ſeù alia ad uſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeù perturbant, ſeù hæc facientes defendunt per ſe, vel alios, cujuſcunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeù Regali* (nota hos terminos primùm in hoc canone nominatim expreſſos) *aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mūdana præfulgeant dignitate*.

19. Princeps non incurret, ſi univerſaliter vetet extrahi hæc è ſuo ſtatu, quia indiget, eſto inde ſequatur, quod non adducantur ad Urbem, quia tunc facit id in favorem ſui populi, ſed ſi vetat extrahi, ſpecificando, ne adducantur ad Curiam, incidit, quia facit in odium Romanę Curiæ.

20. Can. 9. *Item omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent: nec non illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, contrà morantes in eadem Curia audent perpetrare*.

21. Qui ſint hi venientes, vel recedentes &c. vide ſuo loco.

22. Secundam hanc excommunicationem incurrit ſolum vindicans ſibi temerè juriſdictionem: quare ex vi hujus Canonis non excommunicatur occidens &c. morantem Romæ, quando id facit ex odio &c. non tamen ſibi vendicans juriſdictionem.

23. Can. 10. *Item omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeù deprædantes Romipetas, ſeù peregrinos ad Urbem; cauſa devotionis, ſeù peregrinationis, accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem*.

24. *Accedentes* &c. ſi occidatur, quia accedit: non ſi oriatur caſu rixa cum accedente; nec occidatur ideò, quia accedit.

25. *Morantes*. Papa peregrinos vult etiam tueri, dùm morantur; & incurritur hæc excommunicatio, etiamſi *ut tales* occidantur &c. etiamſi quis non faciat id per uſurpationem juriſdictionis, ut erat neceſſarium in nono canone.

26. *Dantes* &c. Neque in nono iſti excommunicantur, ſed benè in hoc decimo.

27. Can. 11. *Item omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter* (nota hoc) *inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios* (non tamen inferiores ex vi hujus Canonis) *aut eos à ſuis Diœceſibus* (non alienis, ex vi hujus Canonis) *territoriis, terris, ſeù dominiis* (etiam temporalibus) *eiicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes* [hi duo termini primùm exprimuntur in hoc Canone] *ſeù præſtantes in his auxilium, vel favorem*.

28. Conſilium hic non exprimitur, ſed certè venit ſub nomine auxilii, vel favoris.

29. Can. 12. *Item omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcunque, vel Sæculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque Geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, ſeù etiam Auditores, vel Judices, ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeù quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeù qui per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint*.

30. Ubicunque ſit recurrens &c. ſi hac occaſione, moleſtas illum, incidis in excommunicationem hujus Canonis.

31. Can. 13. *Item omnes tam Eccleſiaſticos, quam Sæculares cujuſcumque dignitatis, qui prætendentes frivolam quandam*

Digitized by Google

appellationem à gravamine, vel futura executione Litt. Apoſtol., etiam in forma Brevis, tàm gratiam, quam juſtitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum à nobis, & à Sede prædicta, ſeù Legatis, Nunciis, Præſidentibus Palatii noſtri, & Cameræ Apoſt. Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt: quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi litterarum, & proceſsuum executione; inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeù eorum Agentes, Conſanguineos, Affines, Familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis eiiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur, per ſe, vel alium, ſeù alios, publicè, vel occultè, quive aliàs quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeù gratiis, vel litteris impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recurſum habeant, ſeù gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeù impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeù mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeù Tabelliones, vel aliàs quomodolibet, retinere præſumunt.

32. Can. 14. Item omnes, & quoſcunque, qui per ſe, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illarumve curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac de illarum cognitione tanquam Judices (notà hoc) interponunt: Quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut aliàs litteras in eis decretas, & ad faciendum, aut conſentiendum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtatutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeù executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam, donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice Cancellarii, Conſiliarii, Ordinarii, vel Extraordinarii, quorumcunque Principum Sæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeù Vicarii fuerint.

33. Can. 15. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia Eccleſiar. quarumcunque, coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter juris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quovis quæſito colore: Nec non qui ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, Pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, vel privilegii, aut aliàs, quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

34. Can. 16. Nec non, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Judices Eccleſiaſticos Ordinarios quomodolibet

libet

libet hac de cauſà, directè, vel indirectè, carcerando, vel moleſtando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, nec non Conſanguineos, & Affines, aut alias, impediunt, quo minùs ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcunque ſententias, & decreta, aut alias, fori Eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contrà illos exequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium (vide quid ſit patrocinari) *& favorem in eiſdem.*

35. Can. 17. *Quivè juriſdictiones; ſeu fructus, redditus, & proventus ad Nos, Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas, ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorun Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.*

36. *Ratione Eccleſiarum* &c. quare non jura, fructus &c. patrimoniales Clericorum, ex vi hujus Canonis.

37. *Uſurpant.* Uſurpare, & furare ſunt duo diverſa; & uſurpat alienum, qui ſibi appropriat, tanquam eſſet ſuum, & ſibi competeret; E contra furans optime ſcit eſſe alienum, & ſibi non competere jus in illa. Uſurpans ergo hic excommunicatur, non furans.

38. Can. 18. *Quive collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, proventibus hujuſmodi, abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſsa licentia, imponunt, & diverſis, etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita etiam à ſponte dantibus, & concedentibus exigunt. Nec non qui per ſe, vel alios, directè, vel indirectè, prædicta facere exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti Innovantes decreta ſuperbis per Sacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſime celebrato, quam aliis generalibus Conciliis edita, cum cenſuris, & pœnis, in eis contentis.*

39. *Eorum . . bonis*: quare hic etiam includuntur bona patrimonialia.

40. Non prohibentur Clerici ſponte dare, ſed alii prohibentur exigere, ſi quid ſponte dent; nec prohibētur hi accipere ſed exigere.

41. Can. 19. *Item omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, bamniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa hujus S. Sedis Apoſtolicæ licentia, quique hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel alias illas perperam abutuntur, etiamſi talia commitentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vice Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.*

42. Can. 20. *Item omnes illos, qui per ſe, ſeu alios, directe, vel indirecte, ſub quocunque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Thuſcia, Ducat. Spoletan. Comitatum Venaſinum, Sabin., Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebatiæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimę Provincias, illarumque terras, ac loca, & terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitateſque noſtras, Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Benaventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias civitates, terras, & loca, vel jura ad ipſam Rom. Eccleſiam pertinentia, dictæque Rom. Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubjecta: nec non ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Ro. Eccleſię competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, nec non adhærentes, fautores, defenſores eorum, ſeu illis auxilium,*

lium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

43. Hi ſunt viginti Canones Bullæ Cœnæ, à quibus, in ſequentibus, quilibet, præter Romanum Pontificem prohibetur abſolvere prætextu quorumcumque indultorum *per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta*. Hæc particula *cujuſvis Concilii* non reperitur in dictis Bullis antè Tridentinum, poſt quod addita eſt, quia in ejus ſeſſ. 24. c. 6. dabatur facultas Epiſcopis abſolvendi crimen hæreſis in foro conſcientiæ, quod hodiè non poſſunt propter dictam particulam.

44. Poſtquàm Pontifex excommunicationes in viginti Canonibus promulgatas ſibi reſervavit, excommunicat etiam eos, qui auderent abſolvere à prædictis viginti generibus excommunicationum ſibi reſervatarum, his verbis. *Si fortè aliqui, contrà tenorem præſentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, abſolutionis beneficium, impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus; graviùs contrà eos ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire noverimus proceſſuri.* An autem iſta abſolventium excommunicatio ſit reſervata Sedi Apoſtolicæ vide c. 21. n. 7.

45. Addit Pontifex ubique prædicandam hanc Bullam, *ut ii, quos Proceſſus hujuſmodi concernunt, quod ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non ſit veriſimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.* In his verbis ſupponit Papa doctrinam S. Thomæ tradendam cap. 35. num. 15. & approbat principium Canoniſtarum, quod ex una parte ignorantia juris verè excuſet, ſi ſit invincibilis; ex alia, quod non præſumitur excuſare, quia non eſt veriſimile, quòd ignoretur taliter publicatum.

46. Concludit verbis omninò notandis: *Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri Sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confeſſiones quavis authoritate deputati* (propterea etiam Confeſſores Monialium, & Regularium intra clauſtra, eſto non audiant Sæcularium confeſſiones) *tranſumptum præſentium litterarum pœnes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant.* Tria injunguntur, habere, diligenter legere, & percipere.

47. Hæc circà Bullam Cœnæ mihi videntur neceſſaria cuilibet Confeſſori, etiam Ordinario; qui verò caſus circà illam difficiliores contingunt, debebit Confeſſor in facti contingentia, examinare ſolertius, vel legendo Authores, qui latè ſuper illa ſcripſerunt, vel quærendo conſilium peritiorum, præcipuè Miniſtrorum ab Apoſtolica Sede pro abſolutione deputatorum, habendo etiam præ oculis, quod hæc Bulla eſt lex pœnalis; quare debet intelligi ſemper in ſtricto, ſed proprio verborum ſenſu.

CAPUT XX.

Cathalogus Cenſurarum, Irregularitatum, & pœnarum Eccleſiaſticarum, quæ frequentiùs Confeſſariis accidere ſolent, in audiendis Pœnitentium confeſſionibus, ordine Alphabetico digeſtus.

1. EX Rituali adducto cap. 7. n. 8. Confeſſor non ſolùm debet ſcire caſus Bullæ Cœnæ, ſed etiam alias cenſuras Sedi Apoſtolicæ reſervatas; & ex S. Carolo, debet approbandus ad confeſſiones, interrogari.

Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ.
An item illarum peritiam, & uſum teneat.
An caſus, in quibus Irregularitatis macula contrahitur.

2. Porrò idem S. Archiepiſcopus, ut examinandis conſuleret in parte 6. Actorum Eccleſiæ Mediolani collegerat brevem Notitiam Caſuum Pontificî reſervatorum, fuitque inſerta libello *Avvertimenti di S. Carlo &c.* primæ, & ſecundæ editionis evulgato, de ordine Innocentii XII. ad uſum Confeſſorum Urbis, addita nova collectione facta juſſu Cardinalis Montis de anno 1663. Tertiam verò libelli editionem, anno 1708. adornans Canonicus Nicolaus Antonius Caggiò, pro majori Confeſſorum inſtructione, improbo labore, & ſtudio, collegit ordine Alphabetico principaliores cenſuras, & pœnas; & eas hic reddo, ita tamen ut laus tota debeatur zelo præfati Canonici.

Abor-

A

ABortum fœtus animati procurans incurrit excommunicationem, effectu ſecuto, ex Bullà Siſti V. *Effrænatam*; & eſt reſervata Ordinariis locorum ex Gregorii XIV. Bulla, *Sedes Apoſtolica*.

Si fœtus ſit animatus, ideſt, poſt 40. dies à tempore conceptionis, Confeſſarius moneat Pęnitentes de Irregularitate contractâ. c. *Ad audientiam*, c. *Significaſti*; & quidem duplici; ſi etiam mater occubuit.

Abſolvens ſacramentaliter, ſivè Clericus ſit, ſivè Laicus, efficitur Irregularis. c. 1. & 2. *de Cler. non ord. min.*

Abſolvens ſacramentaliter Sacerdos, abſque debitâ licentià, peccat graviſſimè, ſed nullam incurrit pęnam Eccleſiaſticam, præter quàm, quod ſi intendat uſurpare juriſdictionem Parochi; & tunc incidit in excommunicationem Papæ reſervatam Can. 17. Bullæ Cęnæ Domini.

Abſolvens à caſibus reſervatis abſque facultate incurrit excommunicationem, privationem officiorum, dignitatum, & beneficiorum. Item inhabilitatem ad audiendas in poſterum confeſſiones, ad officia, Prælaturas, & Beneficia; quæ omnes pęnæ ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ. *Decretum S. Congreg. Epiſc., & Regul. authoritate Clementis VIII.* &c.

Abſolvens Regularis à culpà, & pęnà, incidit in excommunicationem Papæ reſervatam. *Clement. 1. de privil.*

Abſolvens Regularis non ſolventem decimas, incurrit excommunicationem non reſervatam. *Clem. Cupientes de pœn.*

Abſolvens ſacramentaliter ligatum cenſurà excommunicationis à Papà, ut ab homine, incurrit excommunicationem eidem Papæ reſervatam, c. *ſignificavit, de ſent. exc.*

Si lata fuerit nominatim ab Epiſcopo vel ob publicam Clerici percuſſionem, abſolvens ſubjacet interdicto. c. 3. *de privil.*

Abſolvens a peccatis excommunicatum ante abſolutionem à cenſurà ſi hæc lata fuit à Papa, ut ab homine, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. c. *ſignificavit de ſent. exc.*

Si lata fuit nominatim ab Epiſcopo, vel ob publicam Clerici percuſſionem, abſolvens incurrit excommunicationem minorem c. *Cum excommunicato, de ſent. exc.*

Ulterius in utroque caſu abſolvens incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ reſervatum ei, qui cenſuram tulerat. c. *Epiſcoporum de priv. in 6.*

Abſolvens ſacramentaliter, dum eſt ligatus excommunicatione majori, vel ſuſpenſus, vel interdictus, efficitur Irregularis. c. 1. & tot tit. *de Cler. exc. min.*

Abſolutionem à cenſuris, vi, & metu extorquens, non ſolvitur ab illis; imò incurrit novam excommunicationem, ſed non reſervatam. cap. 1. *de his, quæ vi, in 6.*

Abſolutionem ſacramentalem dari poſſe abſenti docens, defendens, imprimi faciens, diſputans (niſi ad impugnandum) & ad praxim deducens jucurrit excommunicationem Papæ reſervatam, à quà nec Major Pęnitentiarius poteſt abſolvere. Clemens VIII. in *decreto S. Officii* 1602. 20. Junii.

Adulteros moneat Confeſſarius in ſuis caſibus, de obligatione reficiendi damna Viro, & filiis legitimis.

Agnos Dei cereos conſecratos pingens, vel minians, & pictos, vel miniatos vendens incurrit excommunicationem. Gregorius XIII. in Bulla: *Omni certè ſtudio.*

Alchimiæ artem exercens, quando peccet, & teneatur ad reſtitutionem, vide *Extrav. unic. de crim. falſ.*

Alienantes Bona Eccleſiaſtica, Juris formà non ſervatà, prout etiam recipientes, incurrunt excommunicationem, aliaque pęnas Extr. *Ambitioſæ de reb. Eccl. non alien.* quæ excommunicatio, quoad recipientes, eſt reſervata Papæ. *Tridentin. ſeſſ. 22. c. 11. ref.*

Alienationi bonorum Eccleſiaſticorum authoritatem præſtantes Delegati Apoſtoci in detrimentum Eccleſiæ, ſi ſint Epiſcopi, per annum ſuſpenduntur: ſi ſint inferiores Epiſcopis, incurrunt excommunicationem non reſervatam. Paulus II. Bullà: *Cum in omnibus.*

Eandem excommunicationem incurrunt procurantes decretum dicti Delegati: Eadem Bulla.

Alienationem locorum Juriſdictionalium Eccleſiæ Romanæ procurantes incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam. Bulla Pii V. *Admonet nos.*

Alienantes bona Juriſdictionalia Eccleſiarum,

ſtarum, & piorum locorum, ſi ſint Epiſcopo inferiores, incurrunt excommunicationem non reſervatam: Epiſcopi, & Abbates interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ non reſervatum; Capitula, & Conventus interdictum. Bulla Urbani Octavi: *Humanę ſalutis*.

Alienantes Regulares Bona Eccleſiaſtica, ultrà pęnas Extr. *Ambitioſæ*, & Tridentini, incurrunt ſuſpenſionem ab officio. Clem. I. *de reb. Eccl. non alien.*

Facientes id vigore privilegiorum, ultrà pęnas Extrav. *Ambitioſæ*, incurrunt alias inflictas per decretum S. Cong. de anno 1624. 7. Septembris.

Ambitus in electione ad Pontificatum per tractatum, vivente Papa, improbatur à Jure; ſi tractatus ſit pactionalis: secùs, ſi conſultivus. Paciſcentes, ſive Cardinales, ſive Reges, aut Imperatores incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, & alias pęnas: Bulla Pauli IV *Cùm ſecundum*.

Hæ omnes pęnæ extenduntur ad dantes auxilium, conſilium, & favorem, & ad conſcios, niſi, quam primùm potuerint, Papæ viventi revelaverint. Ab hac excommunicatione, neque Major Pęnitentiarius poteſt abſolvere: Bulla Innocentii XII. *ſuper facultatibus Majoris Pęnitentiarii*, §. *Minuſque poſſit*.

Ambitus, & tractatus ſuper electione Papæ Sede vacante, eſt prohibitus, ſi eſt pactionalis; ſecùs, ſi conſultivus; & Cardinales paciſcentes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, & alias pęnas in Bulla Gregorii XV. *Æterni Patris*. Ab hac neque Major Pęnitentiarius poteſt abſolvere. Bulla Innocentii XII.

Ambitus Nunciorum Apoſtolicorum apud Principes eſt prohibitus; & procurantes favores in ſcriptis, ſeù oretenus, Principum ſæcularium, ad quos miſſi ſunt, directè vel indirectè, & oblatis utentes, in ordine ad obtinendas pro ſe, vel Conſanguineis, dignitates à Sede Apoſtolica, incidunt in excommunicationem non reſervatam, aliaſq; pęnas. Pius IV. *Et ſi Romanū.*

Ambitus, & ſubornatio in electione Regularium prohibetur, & procurans directè, vel indirectè, vota, & ſuffragia, ultrà excommunicationem reſervatam Papæ, incurrit alias pęnas. Pius V. in Bulla relata per Sorbum, verbo *Electio* in annotat.

Ambitioſum eligens, ea vice privatur jure eligendi; & incurrit ſuſpenſionem ab Eccleſiaſticis Beneficiis per triennium. c. *Cum in cunctis* §. *fin. de elect.*

Annonam impediens Romam deferri incurrit excommunicationem non reſervatam: Gregorius XIII. *Inter multiplices*.

Annonam prohibens deferri ad Romanam Curiam, incurrit excommunicationem reſervatam in Can. 8. *Bullæ Cęnæ Domini*.

Annonam extrahens, vel extrahi faciens de ſtatu mediato, vel immediato Eccleſiæ Romanæ, & etiam de immediato ad mediatum, ſi in temporalibus, ejuſdem Eccleſiæ ſit ſubditus, & extractio fiat mercimonii cauſa, incurrit excommunicationem ex plurium Pontificum Bullis, reſervatam de ſtylo Curiæ.

Annonam deferens ad hoſtes fidei incurrit excommunicationem non reſervatam. c. *Significavit*; &c. *Quod olim de Judæis*.

Apoſtata à Fide; vide verbo, *Hæreſis*.

Apoſtata à Religione, ſi habitum dimittat, incurrit excommunicationem non reſervatam. c. 2. *Ne Cl. vel Mo.* ſed plurium Ordinum Conſtitutiones illam reſervant Papæ.

Apoſtatas qui Superiores non requirunt, & revocant ad Religionem, incurrunt privationem officiorum, Vocis activæ, & paſſivæ, nec non inhabilitatis ad illa. c. *fin. de Reg.* & decreto S. Congreg. 1624.

Appellantes à Summo Pontifice ad futurum Concilium, dantes auxilium, conſilium, vel favorem, ſi ſunt ſingulares perſonæ, incurrunt excommunicationem. Univerſitates verò interdictum: Utrumque reſervatum Papæ Can. 2. *Bullæ Cęnæ Domini*.

Appellantes, vel aliter recurrentes ad Laicam poteſtatem ab ordinationibus, vel litteris Sedis Apoſtolicæ, aut ipſius Judicum incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. Can. 13. *Bullæ Cęnæ Domini*.

Appellantes, vel recurrentes ad Curiam ſæcularem ab ordinationibus cujuſcumque Judicis Eccleſiaſtici, ſimilem incurrunt, Can. 16. *Bullæ Cęnæ Domini*.

Arma habens Monachus intrà Monaſterii ſepta, incurrit excommunicationem non reſervatam. *Clem. 1. §. Quia verò* verſ. *Præfatæ, de ſtat. Monach.*

Arma, & Armorum materiam mittens, vel deferens ad Hoſtes nominis Chriſtiani, vel ab Apoſtolica Sede nominatim, & ex-

& expreſsè declaratos Hæreticos ; vel alia , quibus illi Chriſtianos impugnant . Item in iis præbens auxilium , conſilium , vel favorem, incurrit excommunicationem reſervatam . Can. 7. *Bullæ Cœnæ Domini* .

Arma prohibita dans licentiam geſtandi in terris Eccleſiæ Romanæ , incurrit excommunicationem , & ſuſpenſionem à divinis , non reſervatas . Pius V. Bulla *Cum vice* .

Aſſaſſinium committens incurrit excommunicationem non reſervatam c. *Pro humani de hom. in 6*.

- Moneat Confeſſarius Reum de Irregularitate in ſuis caſibus.

Aſtrologiam judiciariam exercens: vide verbo : *Superſtitio*.

B

BAnnitos ſubditus in temporalibus Eccleſiæ Romanæ receptans , vel impediens eorum publicam perſecutionem , ipſe cum filiis eſt inhabilis ad obtinenda quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica , & officia . Siſtus V. *Hoc noſtri* .

Baptiſmus reiteratus reddit irregularem rebaptizantem , rebaptizatum , & miniſtrantem baptiſmati . Can. *Confirmandum 50. diſt.* & aliis.

Baptiſmum ſolemniter miniſtrans , qui non eſt Sacerdos , fit Irregularis . c. 1. *de Cl. non ord. min.*

Baptiſma recipiens ab hæretico fit Irregularis *c. Ventum 1.q.1.*

Baptiſma differens uſque ad ægritudinem , fit Irregularis . c. *Si quis in ægritudine* , *d.* 57.

Bello , vel Militiæ , Clerici in ſacris , aut Beneficiati , ſe immiſcentes peccant mortaliter . *c. Sententiam* , *Ne Cler. vel Mon.* & incurrunt varias pœnas , de quibus vide Auctores , quia ſunt diverſi Canones .

Beneficia per ſordes , vel ſimoniam procurantes : Vide , v. *Simonia* .

Beneficia alicui procurans in Romana Curia fraudulenter, ſubjiciendo ſe examini pro eodem , incurrit excommunicationem Papæ reſervatam , nullitatem proviſionis , privationem Beneficiorum , inhabilitatem ad alia obtinenda , & alias pœnas , ex Bulla Pauli IV. *Inter cæteras* .

Eaſdem incurrit procurans Beneficium in Romana Curia , cum intentione renunciandi illud alteri .

Beneficium Parochiale obtinens , non intendens ſe promoveri ad Sacerdotium , non facit fructus ſuos : c. *Commiſſa §. Cæterùm de el. in 6.*

Beneficium curæ Animarum conſecutus , ſi intrà annum non ſe facit promoveri ad Sacerdotium , ipſo Jure , abſque ulla monitione privatur beneficio . c. *Licet Canon. de el. in 6.*

Beneficium obtinens in Cathedrali , vel Collegiata , ſi intrà annum , non promovetur ad Ordinem requiſitum à tali Beneficio , caret voce in Capitulo , & privatur dimidia parte diſtributionum . Clem. 2. *de æt. & qual.*

Beneficium incompatibile obtinens , nec dimittens primum , fit inhabilis ad Sacros Ordines . Extr. *Execrabilis § Qui verò deinceps* de Præb.

Beneficia obtinens , vel conferens per abuſum Laicæ Poteſtatis , incurrit excommunicationem non reſervatam . c. *Quoniam* 16. q. 7. & alias pœnas . c. *Si quis deinceps* . 16. q. 7.

Beneficium ſcienter conferens indigno , privatur Jure illud conferendi in eadem vacatione . c. *Si electio , de el. in 6.*

Bigamus eſt Irregularis . c. 1. *de Big.*

Bigamum ordinans eſt ſuſpenſus per annum à celebratione Miſſæ . c. *Nullus* 55. d.

Bonorum Eccleſiaſticorum Alienatio , Furtum , Rapina , Incendium , Effractio , Damnum , Uſurpatio . Vide v. Alienatio , Sacrilegium , Incendiarii , Uſurpatio .

C

CAmeræ Apoſtolicæ adminiſtrationem fideliter non reddens incurrit excommunicationem , reſervatam Papæ . Paulus III. *Cum ſicut accepimus* .

Ad Cameram Apoſtolicam confiſcationes , vel pœnas pertinentes defraudans , ſi eſt Cardinalis Legatus à Latere , incurrit indignationem Pontificiam : cæteri excommunicationem reſervatam Papæ . Pius IV. *Decet Romanum* .

Cardinales S. R. E. offendens incurrit excommunicationem . Can. 11. *Bullæ Cœnæ Domini* .

Cenſuræ ſententiam ferens , non præmiſſa monitione coram Teſtibus , incurrit per menſem , interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ nemini reſervatum . c. *Sacro , de ſent. exc.*

Item

Idem incurrit proferens cenſuræ ſententiam, non in ſcriptis C. 1. *de ſent. exc.*

A Cenſuris abſolvens abſque facultate. Vide v. *Abſolutio*.

Cenſurâ excommunicationis innodato, communicans, incurrit excommunicationem minorem, ſi ſit excommunicatus vitandus, vel publicus Clerici percuſſor, & incurrit majorem, ſi communicat in eodem crimine. Quoad primùm c. *Statuimus in 6.* Quoad ſecundum c. *Nuper de ſent. exc.*

Cenſurâ excommunicationis nominatim innodatum à Papa, ut Judice, Clerici admittentes ad divina, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. C. *Significavit*, *de ſent. exc.*

Admittentes ad divina excommunicatum ab Epiſcopo, vel ab eo denunciatum, incurrunt pęnas c. *Epiſcoporum de priv. in 6.*

Cenſura excommunicationis ligatum admittens ad oblationem: Uide v. *Oblatio*.

Eundem admittens ad ſepulturam. v. *Sepultura*. Idem, vel ſuſpenſus, ſi monitus exire ab Eccleſia non obedit, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. Clem. *Gravis de ſent. exc.*

Cenſurâ excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ligatus Clericus fit irregularis, ſi exerceat actus Ordinum. *de Cler. exc. min.*

Uti, & interpretativè fit irregularis, ſi coram ſe faciat celebrare. c. *Illud de Cl. exc. min.*

Cenſurâ interdicti nominatim innodatum, aut non interdictos tempore interdicti, præſumens ſepelire in loco ſacro, incurrit excommunicat. reſervatam Epiſcopo, & alias pęnas, de quibus c. 3. *de Privil. c. Ep. eodem tit. in 6.* & *Clem. 1. de ſep.*

Cenſuram ſuſpenſionis à poteſtate providendi de Beneficiis violans incurrit excommunicationem reſervatam Papæ. Pius V. *Quanta*.

Cenſuram ſuſpenſionis à Beneficio violans ſe ingerendo tali Beneficio, quando incurrat privationem ipſius, vide c. *Si compromiſſarius* §. *Porrò* &c. *Cupientes* §. *Cæterum*, *de el. in 6.*

Cenſuras violari faciens Dominus temporalis incurrit excommunicationem reſervatam Papæ Clem. *Gravis de ſent. exc.*

Cenſurarum fulminationem impediens, aut extorquens abſolutionem, ſeu revocationem, incurrit excommunicationem non reſervatam C. 1. *de his, quæ, vi, metuſvè cauſ. fiunt*.

In Cenſurę excommunicationis per annum inſordeſcens, eſt ſuſpectus de hæreſi. c. *Cum contumacia de hær. in 6.*

Ceſſationem à divinis Clericus violans incnrrit excommunicationem non reſervatam. Clem. 1. *de ſent. exc.*

Chirurgiæ arte Clericus cauſans mortem, per ſectionem, vel adustionem, fit Irregularis. C. *Sententiam*, *Ne Cler. vel Mon.*

Circa Clauſuram, poſt Pium Quintum, Gregorius XIII. punit excommunicatione reſervata Papæ, aliiſque pęnis, fęminas cujuſcunque gradus, quocunque prætextu intrantes clauſuram Virorum Regularium & viros Regulares eandem violantes per introductionem mulierum.

Eadem excommunicatione, aliiſque pęnis puniuntur violantes clauſuram Monialium ex quocunque, ſeu bono, ſeu malo, ac turpi fine. Vide poſt alios Paulum V. Bulla *Monialium*, ad cujus principium in Bullario Laertii Cherubini habes notatos, ſi qui alii Pontifices ſuper hac clauſura ſanxerunt: & perleges attentè omnes, ubi caſus accidat in facti contingentia, quo dirigas Pęnitentem. Ulterius hic nota, quod violantes clauſuram Monialium ad malum finem, ſeu inhoneſtum, neque poſſunt abſolvi per privilegia Regularium, ſi ſint intra Italiam, extra Urbem.

Clauſuram Monialium Viri Superiores, abſque juſtà causâ intrantes primâ vice incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: ſecundà ſuſpenſionem à Pontificalibus, & divinis: tertià excommunicationem non reſervatam. Gregorius XIII. Bullà, *Dubiis, quæ emergunt*.

A Clauſurà exiens Monialis extrà caſus à Jure permiſſos, incurrit excommunicationem reſervatam Papę Pius V. Bullà *Decori*.

De Conceptione B. Mariæ V. opinionem affirmativam, vel negativam impugnans incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas Extr. *Grave nimis de rel. & ven. Sanct.*, renovatas per ſubſequentes Pontifices, & Sanctam Inquiſitionem.

Concilii Tridentini interpretationes Prælatus edens incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: Alii excommunicationem reſervatam. Pius IV. Bullà: *Benedictus Deus*, § *Ad evitandam*.

Con-

Digitized by Google

Concilium Provinciale non adiens Epiſcopus vocatus, vel diſcedens ante completum, incurrit pœnas Can. *Si quis autem* 10. *d.* &c. *Quà frontè*, *de Appel.*

Conclave ad eligendum Romanum Pontificem tempore præſcripto non intrantes, aut inde exeuntes abſque juſta cauſa incurrunt pœnas, de quibus in cap. 3. verſ. 2. §. *Sanè ſi aliquis de elect. in* 6. & in Bulla Pii IV. *In eligendis.*

Conclavi clauſo Cardinales ſecretè alloquens, aut ipſis, aut aliis ſigna, litteras, aut Nuncium mittens, aut deferens, & alii iſta permittentes, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, aliaſque pœnas latas in cap. 3. §. *Nulla ad eoſdem de elect. in* 6. in clem. *ne Romani*, *de elect.* in Bulla Pii IV. *In eligendis.*

Conclave clauſum furtivè intrans, omni honore, gradu, officio, beneficio, ipſo jure privatus exiſtit ex d. Bulla Pii IV. §. 19.

Conclavis, electioniſque Papæ formam ſubſtantialem non ſervantes, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt ex Bulla Gregor. XV. *Æterni Patris.*

Conclavis formam obſervari non procurantes Officiales Civitatis incurrunt excommunicationem non reſervatam cap. 3. §. *Præterea de el. in* 6.

Conclavis, ſive electionis Papæ occaſione, bona electi, aut Cardinalium, aut Conclaviſtarum diripientes, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, aliaſque pœnas latas in Concilio Conſtantien. celebrato anno 1415. in Decreto *de non ſpoliando eligendo in Papam* ſeſs. 41., quod non procedit, ſi cauſa lætitiæ fiat.

Concubinarius Clericus notorius olim ſuſpenſus erat ipſo jure ab Officio, & Beneficio; ſecus verò hodie, tamen irregularis eſt ob infamiam gloſs. in cap. *cum dilectus* de accuſat.

Confeſſarius abſolvens abſentem, Vide v. *Abſolutio.*

Confeſſarius abſolvens ſine facultate à Cenſuris, & caſibus reſervatis, incurrit pœnas contentas in Bulla Clementis VIII.

Confeſſarius non ingerens ſcrupulum Pęnitenti de Decimis non ſolutis, vide ſuprà verbo *Abſolvens*, & infra verbo *Decima.*

Confeſſionem annuam ſacramentalem omittentes, vide verbo *Sacramentum.*

Confeſſionem ſacramentalem fieri ab infirmis Medicus non procurans, incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, perpetuam infamiam, & privandus eſt laurea Doctorali, Innocentius Tertius, & Pius V. *Suprà gregem.*

Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam poſt peccatum mortale, ante communionem Euchariſticam, aſſerentes excommunicationem incurrunt: can. 11. cap. 6. ſeſs. 13. Concil. Trident. & ſecundum aliquos hæretici ſunt.

Confeſſionis ſacramentalis ſigillum, ſeù ſecretum violantes, à Sacerdotali Officio deponendi ſunt, & in Monaſterium detrudendi, cap. *omnis utriuſque ſexus*, de pœnit., & remiſs.

Confiſcans bona Eccleſiæ ob delictum Clericorum, excommunicationem incurrit reſervatam uſque ad reſtitutionem *clem.* 2. *de hæret.*

Confiſcationes Cameræ Apoſtolicæ defraudantes, vide verbo *Camera.*

Conſervatores limites ſuæ Juriſdictionis excedentes, ſuſpenſi per annum remanent ab Officio; alii verò id procurantes excommunicationem reſervatam, uſquequò parti læſæ ſatisfecerint, cap. *hac conſtitutione* §. *Ne autem: de Offic. deleg.* in 6.

Conſiſtorii ſecreta à Cardinalibus non ſunt revelanda ſub pęna perjurii, & inobedientiæ, & ſi à Papa ſuper aliqua re fuerit indictum ſilentium, incurrunt excommunicationem Pontifici reſervatam ex Bulla Leonis X. in Conc. Lateranenſi ſeſs. 9. tit. *de Cardinalibus* in fin.

Conſuetudinem contrà libertatem Eccleſiaſticam obſervantes, vel ſervari facientes incurrunt excommunicationem non reſervatam in cap. *Noverit* de ſent. excommunic., & ſecundum aliquos reſervatam in cap. 15. *Bullæ Cęnæ Domini.*

Conſuetudinis iniquæ obſervationem jurantes, vel jurari facientes. Vide verbo. *Juramentum.*

Criminoſos recipiens ad habitum, vel profeſſionem religioſam, privatur voce activa, & paſſiva aliaſque pęnas incurrit, de quibus in Bullis Siſti V. *Cum de omnibus*, & *ad Romanum*, & Clementis VIII. *In ſuprema.*

Ad Curiam Romanam recurrentes, vel ibi cauſas proſequentes, occaſione dictarum cauſarum offendens, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam *in c.* 12. *Bulla Cęnæ Domini*, aliaſque pęnas, de qui-

quibus in Bulla Alexandri VI. *In eminenti.*

In Curia Romana propter negocia Curiæ commorantes, eandem adeunt, vel ab eà rèdeuntes, vexans, incurrit excommunicationem Papæ reſervatum *in cap. 9. Bullæ Cænæ Domini.*

Ad Curiam Romanam euntes, manentes, redeuntes, vexans vià, juris, excommunicationem Papæ reſervatam incurrit, aliaſque pœnas *Extravag. 3. de priv.*

Ad Curiam Romanam acceſſum, vel receſſum liberum prohibentes publicà, vel privatà authoritate, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. 12. Bullæ Cænæ Domini.*

Ad Curiam Romanam Eccleſiaſticos à Jure, vel ab homine citatos vexans, ne eant, excommunicationem Papæ reſervatam incurrit *Can. ſi quis ſuadente 17.qu. 4., cap. Nuper de ſent.exc.*

Ad Curiam Romanam Epiſcopi venientes latenter, vel ab eà diſcedentes abſque licentià Papæ, excommunicationem non reſervatam incurrunt *Extrav. 2. & 3. de major., & obed.*

Ad Curiam ſæcularem ab Eccleſiaſticà recurrentes vià appellationis. Vide verbo *Appellans.*

Ad Curiam ſecularem Eccleſiaſticos, vel Laicos collitigantes trahentes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in c. 16. Bullæ Cænæ Domini.*

Curia ſecularis ad ſe trahens Eccleſiaſticas Perſonas, aut cauſas Eccleſiaſtici fori. Vide verbo *Juriſdictio.*

Curias Principum ſecularium Religioſi adeuntes animo nocendi ſuis Prælatis, vel Monaſteriis, incurrunt excommunicationem non reſervatam *in Clem. 1. §. Quia verò de ſtat. Monach.*

D

Decimas Eccleſiaſticas Religioſi uſurpantes, aut impedients, remanent ab Officiis, & adminiſtrationibus ſuſpenſi, donec ſatisfecerint. *Clem. Religioſi de Decim.*

Decimas Eccleſiaſticas uſurpantes, aut impedientes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. 17. Bullæ Cænæ Domini, & cap. 11. ſeſſ. 22. de reform. Conc. Trid.*

Decimas impugnantes Religioſi, aut ſcrupulum de Decimis ſolvendis non facientes incurrunt excommunicationem non reſervatam. *Clem. Cupientes, de Pæn.*

Denunciare omittens offendentem, vel perſequentem hoſtiliter Papam, vel Cardinalem, in currit excommunicationem Papæ reſervatam *cap. Felicis de pæn. in 6., & ex Bullà Pii V. Infelicis.*

Non denunciantes, offendentes, vel quovis modò vexantes collitigantem in Curà Romanà, ejuſque Procuratorem, Sollicitatorem, Judicem, Notarium, Teſtem, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex Bullà Alexandri VI. *In eminenti,*

Non denunciantes committentes ambitum ad Papatum, ideſt, de eodem eligendo tractantes, vivente alio, excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas incurrunt, de quibus in can. Si quis Papa, 79. diſt., & in Bullà Pauli IV. *Cum ſecundum.*

Non denunciantes Regulares ſuffragia procurantes pro electionibus, incurrunt privationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa ex Bullà Urbani VIII. *Sacra Congregatio.*

Non denunciantes Hæreticos, alioſque in Edicto S. Officii. Vide infra.

Depopulatores agrorum privantur immunitate Eccleſiaſticà ex Bullà Greg. XIV. *Cum alias nonnulli*, & ſi incendunt, excommunicationem incurrunt, & infrà Verbo *Incendiarii.*

Depoſitum Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticarum perſonarum, vel locorum piorum ſequeſtrantes, vel occupantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex *Concil. Tridept. ſeſſ. 22. de reformat. cap. 11.*

Dona facientes Regulares. Vide Verbo *Munera.*

Duellum committentes Clerici, vel procurantes, vel id tentantes, vel locum dantes, vel comitivam præſtantes, vel chartas duelli ſubſcribentes, affigentes, publicantes, faventes, conſulentes, vel adſtantes, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, aliaſque pœnas, de quibus in Bullà Pii IV. *Ea, quæ à Prædeceſſoribus*. Gregor. XIII. *Ad tollendum*, & Clem. VIII. *Illius vices, & Con. Trid. ſeſſ. 25. cap. 19.*

Præ-

Præfata excommunicatio, aliæque pœnæ procedunt quoad omnes ſubditos Eccleſiæ Romanæ in temporalibus, duellum committentes, vel alia ut ſuprà facientes ex d. Bulla Pii IV. *Ea quæ à Prædeceſſoribus.*

Duellum formatum, & minus ſolemne committentes, vel procurantes quicumque, & cooperantes, excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas incurrunt, de quibus in dd. Bullis Pauli, Gregorii, & ſignanter Clementis, & Concilii Tridentin.

E

ECcleſiarum Incendiarii, & violatores. Vide verbo. *Incendiarii.*

Eccleſiarum pollutio; Vide verbo *Sacrilegium.*

Eccleſiaſticorum bonorum uſurpatio. Vide *Uſurpatio.*

Eligens ad Eccleſias, vel Dignitatem, vel Parochias, Perſonas ante ætatem, vel indignum, privatur poteſtate alium éligendi pro illà vice, & ſuſpenſus remanet ab Eccleſiaſticis Beneficiis per triennium. *cap. cum in cunctis de elect.*

Electionem per calumniam impugnans, per triennium remanet ſuſpenſus ab Eccleſiaſticis Beneficiis, & ſi intrà illud tempus proprià temeritate ſe ingeſſerit, eo ipſo iis perpetuò privatus exiſtit *c. 1. parag. Adiicientes, & §. Sed ſi pars de elect.*

Electionem non præſentantes electo intrà legitima tempora, culpabiles, per triennium ſunt ſuſpenſi à Beneficiis *cap. Cupientes parag. Cæterum de elect. in 6.*

Eligentes, & electionem acceptantes per abuſum Laicæ poteſtatis. Vide verbo *Beneficium.*

Electionis, vel nominationis, vel collationis denegatæ cauſa vexans perſonas, aut loca, excommunicationem non reſervatam incurrit *cap. ſciant cuncti, de elect. in 6.*

Electionem Præfectæ Monialium Monaſterii turbantes, excommunicationem non ſervatam incurrunt *cap. Indemnitatibus parag. Poſtremo de elect.*

Epiſcopi, aliique Præfecti Eccleſiis Cathedralibus, vel Majoribus, ſi ultrà tres menſes conſecrationem differant, tenentur fructus reſtituere, & per alios tres menſes, ſunt ipſo facto privati *ex Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2. de ref.* Quos fructus taliter delinquenti neque poteſt condonare Major Pœnitentiarius, ut declaratur in Bulla *parag. A convalidatione.*

Epiſcopus ſe ingerens Epiſcopatui litteris non expeditis, & Clerus eum recipiens; Vide verbo *Gratia.*

Epiſcopus ſe ingerens in aliena Diœceceſi abſque licentia, excommunicationem non reſervatam incurrit. *cap. Quoniam in pleriſque de Offic. Ordin.* aliaſque pœnas ex *Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. de reform.*

Epiſcopi ad Curiam venientes, vel recedentes latenter. Vide verbo *Curia.*

F

FAlſantes monetam Regis Galliæ, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *Extrav. Unic. de crim falſ.*

Falſificantes litteras Apoſtolicas incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *ex cap. 6. Bullæ Cœnæ Domini*, aliaſque pœnas Bullæ Innocentii X. *In ſuprema Juſtitiæ.*

Utentes dictis litteris, vel impetrantes, incurrunt excommunicationem non reſervatam: *cap. ad falſationem de crim. falſ.*

Falſum præſumptum Curialium accipientium litteras Apoſtolicas de manu alterius, quam deſtinati Officialis, punitur pœna excomunicationis non reſervatæ. *cap. Dura, de crim falſ.*

Fidei profeſſionem, & juramentum fidelitatis omittentes, proviſi de Beneficiis, intra duos menſes, non faciunt fructus ſuos ex *Conc. Trid. ſeſ. 24. cap. 12. de ref.*

Fidei profeſſionem, & juramentum fidelitatis omittentes in provehendis ad gradus Doctoratus, &c. ſi ſunt Antiſtites, interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ. Inferiores verò excommunicationem non reſervatam incurrunt ex Bulla Pii IV. in *Sacroſancta.*

Furtum, ſeù rapina rerum ſacrarum. Vide verbo, *Sacrilegium*, & verbo, *Incendiarii.*

G

GRatiâ Papæ utens non expeditis litteris, quas pœnas incurrat vid. *Regul. Cancellar.* 27. 31., & 52. *cap. cum qui de præb. in* 6. *Extravag. Injunctæ de elect. inter commu.* Bullas Alexand. V., & Julii II. *Romani Pontificis*, Pauli III. *Eam nobis*, Julii III. *Sanctiſſimus*.

Gratias obtinentes Curiales, Scriptores, & Sollicitatores per mutationem ſubſtantialium in ſupplicatione, incurrunt pœnas contrà falſantes litteras Apoſtolicas, atque ideò ſunt excommunicati ut ſuprà, Verbo, *Falſificantes*.

H

HAbitum Religioſi dimittentes incurrunt excommunicationem non reſervatam ex cap. 2. *ne Clerici, vel Monach.*, quę tamen reſervatur in omnibus ferè Conſtitutionibus Religionum.

Habitum prophanum Clerici, & Religioſi geſtantes incurrunt pœnas latas in clem. 2. *de vit. & honeſt. Cleric.*, & in Concil. Conſtantien. ſub Martin. V. ſeſſ. 43. in fin. tit. eod.

Hæreticus excommunicationem Papæ reſervatam incurrit in c 1. *Bullæ Cœnæ, Domini*, eſtque irregularis c. 2. *Hæret in* 6. Quos autem Hæreticos Major Pęnitentiarius poſſit abſolvere abſque abjuratione apud S. Tribunal (in foro conſcientiæ tantum) ſi vis, vide in Bulla Innocenti XII. *ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii, parag. Eos tantum Hæreticos*.

Ab irregularitate autem contractà, inhabilitate, & infamià, quando, & quomodo diſpenſari poſſint Hæretici, & Apoſtatæ redeuntes, Vide Bullam ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii *parag. Cum Hæreticis*.

Eaſdemque pœnas incurrunt receptores, defenſores, fautores, & credentes Hæreticis *ex ſupra allegatis*.

Eorumque filii uſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & uſque ad primam per lineam maternam, ſunt irregulares. *cap. quicunque*, §. *Hæretici de Hæretic*.

Hæreſis ſuſpecta dogmata prædicantes, vide verbo *Prædicatio*.

Hærеſis, vel ſuſpicionis hæreſis cauſa pœnitentiati, vel abjurantes, irregulares ſunt *cap. 2. de Hæretic. in* 6.

Hæreſis, vel aliter ad Sanctum Officium cauſas Regularium Superiores, ſi retardent, vel impediant, incurrunt omnes pœnas fautorum Hæreticorum ex Bullà Pauli V. *Romanus Pontifex*.

Homicidium plerumque ſemper inducit irregularitatem, ſive ex delicto, ſive ex defectu *tot. tit. de homicid.*

Homicidium in perſonam Cardinalis. Vide *Majeſtatis læſæ*.

Homicidium in perſonam Epiſcopi. Vide verbo *Injuria*.

Homicidium in perſonam Clerici committens ultrà irregularitatem incurrit excommunicationem Papę reſervatam *Can. ſi quis ſuadente*, 17. *q.* 4.

Homicidium in perſonam conjugis committens, efficitur inhabilis ad contrahendum aliud Matrimonium, & ſi fuerit cum fide datâ de contrahendo cum aliâ, vel cum adulterio, non ſolum impedit contrahendum, verum etiam dirimit contractum Matrimonium, ſi poſt tale homicidium fuerit contractum. *Can. ſi quis vivente* 31. *q.* 1. *cap. ſuper hoc, de eo qui duxit in Matrim.*, & *cap.* 1. *de converſ. Infidel.*

Homicidium in perſonam ſui ipſius. Vide verbo *Manus*.

Irregularitatem ex homicidio provenientem quando Epiſcopus poſſit diſpenſare, videatur Trident. ſeſſ. 24. de Refor. cap. 6. Quando autem, qualiter, quomodo, & quos poſſit diſpenſare Sacra Pœnitentiaria, vide Bullam ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii *parag. Ad hæc ſuper quacumque: parag. Cum regularibus, & parag. ſequenti: Volumus tamen, & parag. cum homicidis*.

Horas canonicas Beneficiatus non recitans per Pium V. Bullâ *Ex proximo*, primis ſex menſibus peccat mortaliter. Deinceps tenetur ad reſtituendos fructus beneficii, ſeù beneficiorum, illius diei, quo omittit, ſi totum omittit: ſi tantum omittat Matutinum cum laudibus, aut alias horas diurnas tantum, tenetur reſtituere mediam partem; ſi omittat unam horam diurnam, tenetur ad ſextam partem fructuum illius diei. Ad hæc omnia tenetur non recitans, etiamſi adſiſtat Choro. Et eodem modo tenetur Penſionarius non recitans Officium Beatæ Virginis. Quæ tamen reſtitutio non eſt propriè pœna, ſed obli-

gatio ex juſtitià conformiter ad 20. propoſitionem ab Alexandro VII. prohibitam. Veras, & proprias pœnas vide in Concil. Lateranen. 5. ſeſſ. 9. parag. ſtatuimus.

I.

Illegitimi etiam occulti, nec ad ordines, nec ab Beneficia promoveri poſſunt cap. 1. *de fil. presbyteror. in 6.*

Illegitimè natis, etiam legitimatis, relinqui, vel dari non poſſunt à Clericis bona etiam Patrimonialia, neque à Laicis bona Eccleſiaſtica ex Bullis Pii V. *Quæ Ordinis*, *& Ad. Romanum*.

Illegitimè natos ex inceſtu intrà tertium gradum, vel ex Sacrilegio ob votum ſolemne, recipiens ad habitum, vel profeſſionem Religioſam abſque ſcrutinio, & approbatione Capituli Generalis, Provincialis incurrit excommunicationem Papæ reſervatam ex Bullis Siſti V. *Cum de omnibus*, & Clementis VIII. *Inſupremà*.

Quos autem illegitimos legitimare poſſit Major Pœnitentiarius, vide in ejus Bulla parag. *Declaramus tamen*.

Immunitatem localem Eccleſiaſticam violantes extrahendo, vel offendendo eos, qui ad Eccleſias confugiunt, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt ex Bulla Gregor. XIV. *Cum alias*.

Immunitatem, ſeù exemptionem Eccleſiaſticam violantes; imponendo munera perſonalia, ſordida, ſeù ſervilia Eccleſiaſticis, ſive onera patrimonialia, vel mixta, illaque exigens, & Eccleſiaſtici illis conſentientes, excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam in *cap. 18. Bullæ Cænæ Domini*.

Si autem fuerint munera perſonalia honeſta, & indifferentia, incurrunt excomunicationem Papæ reſervatam *in cap. 15. Bullæ Cænæ Domini*.

Immunitatis verò violatorem, qui ad ſe recurrit, ubi confeſſor velit ſcire, per quem poſſit abſolvi in foro conſcientiæ, legat prius Bullam *ſuper facultatibus Majoris pœnitentiarii parag. Nequeat tamen, & parag. Nec ſimiliter valeat*.

Incendiarii Eccleſiarum, incurrunt excommunicationem, quæ non eſt reſervata, niſi poſtquam fuerint ab Epiſcopo denunciati. *cap. tua nos*, *ibique Gloſ. de ſent. excom.*

Incendiarii aliorum locorum an aliquam incurrant excommunicationem, duplex eſt ſententia, alia affirmans, alia negans.

Incendiarios, ſivè violatores Eccleſiarum, aliorumque locorum abſolvens, ſeù ad Divina admittens non ſervatà Juris formà incurrit pœnas *Can. peſſimam*: 23. q. 8., *& cap. ſuper eo*, *de raptor.*

Inceſtum committens in figurà Matrimonii excommunicationem incurrit non reſervatam. *Clem. unic. de conſang.*, *& Affinit.*

Inceſtum committens cum conſanguineis viri, vel Uxoris, intrà ſecundum gradum, amittit jus petendi debitum, *c. 1. de eo*, *qui cogn. conſang. Uxor.*

Indulgentiam plenariam concedentes Religioſi, ideſt, abſolventes à culpà, & pœnà, incurrunt excommunicationem reſervatam Papæ *Clem. 1. de privil.*

Indulgentiam publicantes porrigentibus manus adjutrices, vel ob quæſtum, ſi Epiſcopi ſunt, incurrunt ſuſpenſionem Papæ reſervatam; alii verò inferiores excommunicationem ſimiliter Papæ reſervatam ex Bulla Pii V. *Quam plenum*.

Injuriam faciens Clerico, vel Religioſo per violentam manuum injectionem incurrit excommunicationem Papæ reſervatam *in can. ſi quis ſuadente* 17 *q.* 4.

Injurià afficiens Papam, vel Cardinalem in perſonà, vide verbo: *Majeſtatis læſæ crimen*.

Injurià afficiens Epiſcopum, incurrit ultrà illam *can. ſi quis ſuadente*, & alteram *cap. 11. Bullę Cęnę Domini*, aliam excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas inflictas *in clem. 1. de pœnit.*

Injuriam inferens in perſonam præcipuorum Eccleſiæ Prælatorum, ultrà alias cenſuras, & pœnas, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam *in c. 11. Bullę Cœnę Domini*.

Inquiſitionem contrà hæreticam pravitatem Domini, & Magiſtratus temporales, requiſiti ſi fuerint, non adjuvantes, vel impedientes, vel de cauſis S. Officii cognoſcentes excommunicationem incurrunt non reſervatam c. *Inquiſitionis* de hæret. in 6.

Inquiſitionis S. Officium impedientes, aut in cauſis ad S. Officium pertinentibus ſe intromittentes Superiores Religionum Vide ſuprà, verbo *Hæreſis*.

Inquiſitionis S. Officium impedientes per violentiam, incurrunt excommunicationem non reſervatam, aliaſque pœnas

latas in Bullà Pii V. *Si de protegendis*.

Inquiſitionis contrà hæreticam pravitatem Officiales ſi aliquem concutiant, incurrunt excommunicationem reſervatam, uſq; ad ſatisfactionem *Clem. 2. de Heret.*

Inquiſitores, & Epiſcopi, vel ſubſtituti in cauſa Fidei, ſeù S. Officii, aliquem vexantes injuſtè, aut conniventes, ſi Epiſcopi ſunt, aut ipſis Superiores, triennalem ſuſpenſionem incurrunt, alii verò excommunicationem Papæ reſervatam *cl. 1. parag. Verum quia nimis, de hæreſ.*

Inquiſitionis, ſeù S. Officii Proceſſus, ſivè alia ſecreta revelantes, pœnam perjurii, & excommunicationem reſervatam incurrunt ex præceptis generalibus, & ordinationibus Papæ, & ex ſecreto ſub dicta cenſurâ, quam injungere ſolent, & poſſunt Conſultoribus ſuis, Inquiſitores, & Epiſcopi *ex cap. Statuta, parag. Et ut eorundem, de hæret.*

Inquiſitores, & Subſtituti S. Officii confiſcantes bona Eccleſiarum, vide verbo. *Confiſcatio*.

Inſordeſcens. Vide verbo *Cenſura*.

Interdictum violantes, & alia de Interdicto, vide verbo *Interdictum*.

Interpretantes, ſeù gloſſantes facultatem aliquam à Sede Apoſtolicà conceſſam ſæpius intrandi Clauſuram Monialium, contrà declarationem factam à Paulo V. in ejus Bullâ: *Facultatum*, effectu ſequuto per ingreſſum, incurrunt in Cenſuras, & pœnas latas à Concil. Trid., & Conſtit Apoſtolic. contrà intrantes Clauſuram Monialium abſque licentià.

Interpretantes Concil. Trident. gloſſando, aut commentaria, annotationes, ſcholia, aut aliud interpretationis genus quodcumque facientes ſine Papæ authoritate, ſi Prælati ſunt, interdictum ab Eccleſià, alii verò excommunicationem non reſervatam incurrunt ex Bullà Pii IV. *Benedictus Deus parag. ad evitandam*.

Intrudens ſe in beneficium Eccleſiaſticum incurrit excommunicationem Papæ reſervatam in *Trident. ſeſſ. 22. c. 11. de ref.* & ſi fructus percipit, aliam *in cap. 17. Bullæ Cœnæ Domini*.

Intrudens ſe in beneficium, quod legitimè obtinuit, ſed litteris non expeditis, vel non obtentis, vel illis expeditis, ſed ſine manu legitimi executoris. Vide verbo: *Gratia*.

Irregularis ordines exercens. Vide verbo: *Ordines*.

Judices laici negligentes juſtitiam facere, vel præbere brachium ſæculare Judicibus Eccleſiaſticis requirentibus, excommunicationem non reſervatam quando incurrunt. Vide *cap. Adminiſtratores, 23. q. 5.*

Judicis laici munus Clerici in ſacris exercentes, excommunicationem non reſervatam incurrunt. *cap. Clericis, ne Cleric., vel Monach.*

Judices gratia, vel muneribus juſtitiam corrumpentes. Vide verbo: *Munera*.

Juramenta exigentes, eaque præſtantes de obſervandis iniquis ſtatutis, vel conſuetudinibus, incurrunt pœnas, de quibus *in cap. 1. de Jur. jurand. in 6.*

Quæ autem juramenta poſſit relaxare Major Pænitentiarius, vide in ejus Bullà per Innoc. XII. noviſſimè edita *parag. Juramenta*.

Juriſdictionem laici exercentes contrà libertatem Eccleſiaſticam, onera Eccleſiaſticis imponendo, vel extrahendo de loco ſacro, vel leges edendo contrà libertatem Eccleſiaſticam. Vide verbo *Immunitas*.

Juriſdictionem Eccleſiaſticam Ordinariorum turbantes, ſeù impedientes quincumque incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. 16. Bullæ Cœnæ Domini*.

Juriſdictione quacumque, vel privatà poteſtate, cauſarum Eccleſiaſticarum curſum impedientes, vel ad laicum judicium evocantes, & juriſdictionem laicam exercentes in perſonas Eccleſiaſticas, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. 13. & ſeq. Bullæ Cœnæ Domini*.

L

LEgatos Sedis Apoſtolicæ impediens, vel offendens, incurrit excommunicationem, aliaſque pœnas *Extravag. Unic. de Conſuetud.*, & excommunicationem Papæ reſervatam in *c. 16. Bullæ Cœnæ Domini*.

Legenda à Regularibus in publica menſa ſunt decreta *Clem. VIII. de Largit. muner.* Decretum Sacræ Congregationis Concilii *de celebration. miſſar. & de Apoſtat. & eject.*, & Decretum Sac. Congregationis S. Offic. de an. 1663. Superiores Regulariſ tenentur quolibet anno in publica menſa,

ſa, vel Capitulo admonere ſubditos de obſervantia Decretorum S. Officii, & contra facientes puniuntur pœnis in dictis Decretis inflictis.

Legum, & conſuetudinum iniquarum obſervantiam jurantes. Vide verbo: *Juramentum*.

Leges, vel ſtatuta, vel ordinationes facientes contra libertatem Eccleſiaſticam, incurrunt, ultra alias pœnas, excommunicationem Papæ reſervatam in c. 15. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Libellos famoſos conficientes contra Patres Prædicatores, vel Minores, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Pauli IV. *Ex alio*, quæ per communicationem compræhendit omnes Religiones.

Libros Hæreticorum hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine Papæ licentia, ſcienter legens, retinens, imprimens, vel defendens incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, *in cap. 1. Bullæ Cœnæ Domini*, & in Bulla Pii IV. *Dominici*.

Libros Hæreticorum quoſcumque, vel libros, aut ſcripta quorumcumque Authorum, etiam Catholicorum ob hæreſim aliquam in eis inſcriptam, aut ob falſi Dogmatis ſuſpicionem damnata, & prohibita legentes, vel habentes priuſquam fuerint expurgata, & permiſſa, incurrunt excommunicationem non reſervatam ex Bullis Pii IV. *Dominici*, *& Cum inter*, *& in calce Indicis librorum prohibitorum in Reg. 10 in fin.*

Libros, aut ſcripta imprimens, aut imprimi faciens; ſine approbatione, ſeù licentia Superiorum, ad quos ſpectat, incurrit excommunicationem non reſervatam ex Bulla Leonis X. *Inter ſollicitudines*, *ex Trid. ſeſſ. 4. de edit. libror. & in Regul.* 10. *Indicis*.

Libros manuſcriptos ante approbationem vulgantes, incurrunt excommunicationem non reſervatam *ex d. Bulla Leon. X.*, *& ex Regul.* 10. *Indicis*.

Libros de rebus ſacris, ſine nomine Authoris, aut ſine examine, & approbatione imprimentes, imprimi facientes, vendentes, retinentes, ſcripto communicantes, aut vulgantes, excommunicationem non reſervatam incurrunt ex dicta Bulla Leonis, & Tridentino *ſeſſ. 4. de edit. libror.*

Libros Aſtrologiæ Judiciariæ, vel aliarum divinationum legentes, habentes, imprimentes: Vide verbo: *Superſtitio*.

Libri, vel ſcripta de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. Vide verbo: *Conceptio*.

Libri, vel ſcripta continentia doctrinam de confeſſione ſacramentali inter abſentes. Vide verbo: *Abſolutio*.

Libros, tractatus, ſeu compoſitiones de auxiliis Divinis edentes, retinentes, legentes, vel imprimentes, incurrunt excommunicationem reſervatam, aliaſque plures pœnas ex Decretis Sac. Congregationis S. Officii, anno 1625. *die 12. Maii*, *& anno 1641. die prima Auguſti*.

Libros, & Laminas Granatenſes, vel libros de his tractantes, retinentes, imprimentes, vulgantes aut eos in concionibus, & reſponſionibus allegantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ex decreto Sac. Congregationis S. Officii *anno 1639. die 5. Maii*.

Limina Apoſtolorum Epiſcopi non viſitantes, incurrunt pœnas latas in Bulla Sixti V. *Romanus Pontifex*.

Limina Apoſtolorum non viſitantes Epiſcopi ad Curiam Romanam clam accedentes, & recedentes, eoſque receptantes; vide verbo: *Curiam Romanam*.

Ludos agitationis Taurorum, & Ferarum agentes, vel ſpectantes extra Regna Hiſpaniarum, excommunicationem non reſervatam incurrunt ex Bullis Pii V. *De ſalute*. & ex Decretis Gregorii XIII., & Clementis VIII.

Ludos torneamentorum agentes, incurrunt pœnas, de quibus *c. 1. & 2. de torneam.*

Ludus aleæ prohibitus eſt de Jure Civili, & Can: *Epiſcopus 35. diſt. & cap. Clerici, de vit, & honeſt. Cleric. & l. Alearum, Cod. de relig., & ſumptibus funer.*, *& aleator.* Ideòque Confeſſarii Pœnitentes interrogent, quad ludum alearum; cum ob illius uſum, & quidem frequentem, in omni genere perſonarum plura committantur gravia peccata: de quibus illi nullum ſibi faciunt ſcrupulum: tum ob frequentiam illius, & conſuetudinem: tum ob quantitatem ludo expoſitam; tum ob artem, & dolum in ludendo: tum ob deſiderium lucrandi: tum ob blaſphemias, & juramenta: tum denique ob alias cauſas juxta perſonas, & ludi genera.

M

MAjeſtatis læſæ crimens committens, offendendo in perſona, Papam, vel Cardinales, vel ad id cooperando, plures excommunicationes incurrit Papæ reſervatas, primam *in cap. ſi quis ſuadente 17. qu. 4.* ſecundam *in clem. 1. de pœnis*, tertiam *in c. 11. Bullæ Cœnæ Domini*, & quartam *in cap. Fœlicis, de pœn. in 6.*

Majeſtatis læſæ crimen committens inquirendo per viam ſuperſtitionis de vita, & morte Papæ, vel Reipublicæ Chriſtianæ ſtatu, vel conſanguineorum Papæ. Vide verbo: *Superſtitio.*

Majeſtatis læſæ crimens committens offendendo Familiares Papæ, vel Cardinales, incurrunt ſecundùm aliquos excommunicationes latas contra offendentes Papam, vel Cardinales.

Manus ſibi violentas, inferens clericus, vel Monachus, excommunicationem Papæ reſervatam incurrit, *can. ſi quis ſuadente, 17. q. 4.*

Matrimonia Sacerdotes, vel clerici, vel Religioſi ſolemnizantes, aut Matrimonio conjungentes ſine licentia Parochi, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam in *Clem. 1. de privil.*, & ſuſpenſionem Ordinario reſervatam ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Matr.*

Matrimonium ſecundò contrahens eſt bigamus, ideòque irregularis, *c. 1. cap. debitum, & cap. fin. de bigam.*

Matrimonia plura contrahens contrà impedimentum ligaminis, quoad ſtatum Eccleſiaſticum bigamus eſt, & irregularis *ex cap. cit.* & quoad ſtatum laicalem impedimentum dirimens ſecundum matrimonium contrahit, *c. 1. & ſeqq. de eo qui duxit &c.*

Matrimonium inceſtuoſum contrahens, ſeù contra votum ſolemne Caſtitatis, incurrit excommunicationem non reſervatam, *ex clem. unic. de conſanguinit. & affinit.*

Matrimonium clandeſtinè contrahens, quas pęnas incurrat, vide *Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Matrim.*

Matrimonii contractus libertatem auferentes, excommunicationem non reſervatam incurrunt ex *Trident. ſeſſ. 24. c. 9. de ref. Matrim.*

Quæ impedimenta matrimonii, cum impedientia, tum dirimentia, & qualiter poſſit diſpenſare ſacra pœnitentiaria, vide *Bullam Majoris pænitentiarii §. In Matrimoniis contrahendis, cum ſex ſeqq.*; & notabis in §. *Super occulto*, quod Sedes Apoſtolica concedens ampliſſimam juriſdictionem ſuo Majori Pœnitentiario Cardinali digniſſimo ob ſuas egregias dotes, præcidit tamen, ut adhuc res maturè diſcutiat, nec per ſe tantum, ſed *in congregatione, vel Signatura*, eſto hæc juriſdictio concedatur ad ſalutem animarum, ad evitanda ſcandala &c. ut pudere debeat ſimplicem confeſſorem decidere caſus omnes ex ſeipſo, paucis, iiſque vulgaribus tantum libris conſultis &c.

Medici non monentes infirmos de confeſſione Sacramentali. Vide verbo: *Confeſſio.*

Membra mutilantes ſunt irregulares, *cap. ultim. de hom. in 6. & clem. unic. eod. tit.*

Miſſarum onera accipiens contra formam decreti Sac. congreg. Concilii, quas incurrat pœnas. Vide Bullam Urbani VIII. *de celebrat. miſſar.*

Miſſam celebrans, & Sacramentum non ſumens, in Hiſpania incurrit excommunicationem per annum non reſervatam *cap. Relatum de conſecrat. diſt. 2.* alibi verò dubium eſt, an dictam cenſuram incurrat.

Miſſam Sacerdos non perficiens, incurrit pœnas *can. Nullus Epiſcopus, de conſecr. diſt. 1.*

Miſſam celebrans Sacerdos abſque ſtola, incurrit excommunicationem non reſervatam *ex can. Eccleſiaſtica 23. diſt.*

Miſſam celebrans, qui non eſt Sacerdos, vide verbo, *Ordo.*

Monialem fieri, aut Monaſterium ingredi cogens mulierem, aut Monialem fieri impediens, excommunicationem incurrit non reſervatam *ex Trid. ſeſſ. 25. c. 18. de Reg.*

Monialium Præfecta non admonens Epiſcopum de inſtante tempore profeſſionis Novitiarum, incurrit ſuſpenſionem ab Officio, Epiſcopo reſervatam *ex Trid. ſeſſ. 25. c. 17. de Reg.*

Monialium Monaſteria Regulares adeuntes, aut ibi pernoctantes, aut refectionem ſumentes, incurrent ipſo facto privationem vocis activæ, & paſſivæ, ex Decre-

cre-

cretis S. Congreg. Cardinalium, ſuper negociis Regularium, ſub Sixto V. Clem. VIII. & Paulo V.

Ex decreto ejuſdem S. Congregationis, ſub Urbano VIII. *anno* 1623. 12. *Kal. Decembris*, Epiſcopi quater in anno dumtaxat, poſſunt concedere licentiam Regularibus accedendi ad Monaſteria Monialium, cum reſervationibus in d. decreto expreſſis.

Montes Pietatis impugnans excommunicationem non reſervatam incurrit, ex Bulla Leonis X. *Inter multiplices*.

Montium Pietatis Officiales, pecunias Montis præter uſus deſtinatos expendere præſumentes, ſi Epiſcopi ſint, vel illis Superiores, incurrunt ſuſpenſionem; Inferiores verò excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Pauli V. Vide: *Oneroſa*.

Montis Pietatis Bona uſurpantes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex *Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 11. *de ref.*

Munera, ſeù præmia dantes, vel promittentes, vel acceptantes pro gratia, vel juſtitia obtinenda in Curia Romana. Vide verbo: *Promittens*.

Munera, ſeù mercedem etiam ſponte oblatam accipientes, vel accipi permittentes à Famulis, aliiſque perſonis, Officiales S. Pœnitentiariæ, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas in Bullis Pii V. *In omnibus*, *& in earum rerum*.

Munera, ſeù præmia pro concedenda diſpenſatione Matrimoniali Commiſſarii recipientes, vide verbo: *Simonia*.

Muneribus, ſeù præmiis, gratia, ſeù acceptione perſonarum juſtitiam corrumpentes Judices Eccleſiaſtici, incurrunt ſuſpenſionem per annum Papæ reſervatam, ex c. 1. *de ſent. & re Judic.*

Munera, ſeù præmia accipiens Judex Eccleſiaſticus delegatus, exceptis eſculentis, & poculentis, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, *cap. ſtatutum* §. *Inſuper*, *&* §. *Si quid autem de reſcript.*

Munera; ſeù largitiones facientes, vel acceptantes de bonis Communitatum, & Univerſitatum ſtatus temporalis Eccleſiæ Romanæ, aut aliàs de bonis in communi collectis, incurrunt plures pœnas latas in Bulla Clem. VIII. *pro commiſſa*.

Munera, ſeù largitiones, ſeù præmia accipientes Gubernatores, & alii Officiales ſtatus temporalis Eccleſiæ Romanæ, exceptis eſculentis, & poculentis, quæ triduò conſumi poſſint, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas Pauli II. *Munera*, & Sixti IV. *Etſi*.

Munera Viſitator, vel ejus Familiaris vide verbo, *Viſitatio*.

Munera largientes Religioſi incurrunt pœnas in Bullis Clem. VIII. *Religioſæ Congregationes*, & Urbani VIII. *Nuper à Congregatione*, & vide ſub verbo: *Regulares*.

Recipientes autem munera à Religioſis, à nemine poſſunt abſolvi, ante factam reſtitutionem ex dictis Bullis.

N

Naufragantium bona Chriſtianorum injuſtè capientes, vel detinentes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, *c.* 4. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Negociatio Eccleſiaſticis perſonis interdicta eſt; ideòque acquiſita per negociationem Cameræ Apoſtolicæ applicata ſunt ipſo Jure ex Bulla Pii IV. *cum ſicut*, & Pii V. *cum itaque*.

Novitios recipiens in locis non deſignatis à Sede Apoſtolica, incurrit pœnas Bullæ Clementis VIII. *Regularis diſciplinæ*.

Nuncians Infidelibus, vel Hæreticis aliquid in præjudicium Reipublicæ Chriſtianæ, vel Catholicæ Religionis, & ad id cooperantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam in *c.* 7. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Nunciantibus proviſiones Eccleſiarum in Curia Romana factas, donans aliquid, vel promittens, excommunicationem Papæ reſervatam olim incurrebat ex Bulla Gregorii XI. *Sollicitè*; hodie dubium eſt.

O

Oblationes Eccleſiarum, vel piorum locorum uſurpantes quicunque, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, *ex can. Hanc conſuetudinem*, 28. *q.* 1. *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *c.* 11. *& in c.* 8. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Digitized by Google

Oblationem recipientes clerici ab Uſurariis manifeſtis, incurrunt ſuſpenſionem non reſervatam, aliaſque pœnas, *c. quia in omnibus, de uſur.*

Oblationem ſolemnem inter Miſſam ab excommunicato, vel interdicto nominatim à Papa, vel ab homine recipientes, incurrunt eandem excommunicationem Papæ reſervatam, *cap. ſignificavit, de ſent. excomm.*

Si verò fuerint ab alio nominatim excommunicati, vel interdicti, oblationem recipiens incurrit interdictum ab Eccleſia, reſervatum illi, qui cenſuram tulerat, *cap. Epiſcoporum, de priv. in 6.*

Obligantes Eccleſias ſuas, vel eas obligandi facultatem concedentes, vel ex alieno gravantes aliorum gratia, incurrunt ſuſpenſionem non reſervatam, *cap. 2. de ſolut.*

Obligatos ad ratiocinia, vel ære alieno gravatos ad Religionem, vel clericatum perperam admittens, ideſt, abſque præcedente informatione de vita, & moribus, & abſque ſcrutinio, incurrit pœnas Bullarum Sixti V. *cum de omnibus, & ad Romanum*, & Clementis VIII. *in ſuprema.*

Ordines ſacros recipiens ante legitimam ætatem, incurrit ſuſpenſionem durantem uſque ad legitimam ætatem ex Bulla Pii II. *cum ex ſacrorum.*

Ordinem recipiens in cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, incurrit ſuſpenſionem ab exercitio Ordinis ſuſcepti, *c. cum illorum de ſent. excommunic.*

Ordines furtivè recipiens, ſi facta non fuit interminatio ab Ordinante, incurrit ſuſpenſionem, ſi verò facta fuit interminatio, incurrit etiam excommunicationem Papæ reſervatam *c. 1. 2. & 3. de eo qui furt. ord. ſuſcep.*

Ordines illiterati recipere non valent, *can. illitteratus, 36. diſt. cap. fin. de temp. Ord. in 6.*

Ordines conferens irregulari, vel indigno, ſuſpenſus remanet ab officio conferendi Ordines, *canon. ſi quis Epiſcop. 1. qu. 1.*

Ordines ſacros recipiens abſque titulo legitimo Beneficii, vel Patrimonii, vel Penſionis, vel Religioſæ paupertatis, ſuſpenſus remanet, *can. Sanctorum, 17. diſt. & Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de ref.*

Ordines recipiens Religioſus laicus, ſeu Converſus, vel Apoſtata, ſuſpenſus remanet ex Bulla Clem. VIII. *cum ad Regularem.*

Ordines ſuſcipiens per ſaltum, remanet ſuſpenſus ab ordine ſic ſuſcepto. *c. unic. de cleric. per ſalt. promot.*

Ordines extrà tempora recipiens, eſt ſuſpenſus, *c. ſanè, de temp. ord.* & ex Bulla Pii II. *cum ex ſacrorum.*

Ordines minores cum Subdiaconatu, vel duos ſacros recipiens eodem die, eſt ſuſpenſus ab exercitio Ordinis poſteriùs recepti, *c. Litteras de temp. ordin.*

Ordines recipiens abſque licentia, vel dimiſſorialibus ſui Ordinarii, ſuſpenſus remanet: *can. ſi quis auſus, 71. diſt.* & ex Bulla Pii II. *cum ex ſacrorum.*

Ordines Ultramontanus recipiens in Italia ſine dimiſſorialibus in forma debita, vel ſine ſpeciali Papæ licentia, ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurrit *ex c. 1. de temp. Ord. in 6.*

Ordines recipiens ab Epiſcopo excommunicato non tolerato, ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurrit *c. 1. & 2. de Schiſm.*

Ordines recipiens, Romæ commorans, ſine licentia Cardinalis Vicarii, extrà Urbem Romanam etiam cum litteris dimiſſorialibus ſui Ordinarii, ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurrit ex Edicto Cardinalis Vicarii, *de anno* 1603. ſub Clem. VIII. & ex Brevi Alex. VII.

Ordinem ſacrum exercens, quem non habet, irregularis fit. *c. 1. & 2. de cleric. non ordin. miniſtr.*

Quid autem poſſit, & qualiter circa malè promotos ſacra pœnitentiaria, vide Bullam §. *cum malè promotis*, in quo tamen non loquitur de promoto ſimoniacè, ſed in ſequenti.

P

PApæ electi nondum coronati litteras impugnantes, incurrunt excommunicationem non reſervatam. *Extravag. quia nonnulli de ſent. exc.*

Parochialia jura occupantes Religioſi incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, *cl. 1. de priv.*

Patronatus jus uſurpans in Eccleſia libera, & cooperantes, vide verbo: *Uſurpatio.*

Patronus uſurpans bona ſuæ Eccleſiæ

aut

aut impediens à Miniſtris percipi, aut cooperans, aut in fructuum perceptione ſe ingerens, vide *Trid. ſeſſ.22.c.11.*, & *ſeſſ.25. cap.9.*

Patronus vendens juſpatronatum, vel actum præſentationis, aut percipiens Turnorum lucra, vide verbo, *Simonia*.

Patronus admittens reſignationem extrà caſus à Jure permiſſos, vide Bullam Pii V. *Quanta*.

Patronus præſentans cum confidentia, vide verbo, *Simonia*.

Patronus præſentans ſcienter indignum privatur illa vice, jure præſentandi. *c. cum in cunctis de elect.*

Penſionem irritam exigentes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in c.17. Bullæ Cœnæ Domini*.

Peregrinos cauſa devotionis, ad Urbem Romam venientes offendens, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam *in c. 10. Bullæ Cœnæ Domini*.

Peregrinantes ad Sanctiſſimi Domini Sepulchrum abſque licentia Papæ, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. *S. Antonin. 3. part. tit.24. c. 30. in fin.*

Piratæ, ſeù latrunculi maritimi Maris Pontificii, eorumque fautores, receptatores, & defenſores, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in c. 3. Bullæ Cœnę Domini*.

Prædicantes dogmata, vel miracula falſa, vel falſas revelationes, aut detractiones de Prælatis, incurrunt excommunicationem non reſervatam, & privationem officii concionandi, ex Bulla Leonis X. *Supernæ Majeſtatis*.

Prædicatores impugnantes Montes Pietatis, vide verbo. *Montes Pietatis*.

Prędicatores decimas Eccleſiaſticas impugnantes, vide verbo. *Decimæ*.

Promittens, paciſcens, dans, deponens, vel etiam recipiens aliquid, ſivè parvum, ſivè magnum cuicumque, vel à quocumque, etiam ſpecialiter exprimendo, ad effectum impetrandi aliquam juſtitiam, vel gratiam ab Apoſtolica Sede, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam; & gratia ſic obtenta eſt irrita, ac nullius roboris. Bonifacius Octavus, Greg. XIII., Alex. VII. & tandem Innoc. XII. in Bulla *Sacramentalem*.

Ita excommunicati non poſſunt abſolvi, niſi prius erogatum ſit pauperibus tantum, quantum fuit datum, vel receptum.

Promittens hujuſmodi &c. præter excommunicationem, incurrit ipſo jure privationem cujuſcumque Beneficii, & Officii, tum Eccleſiaſtici, tum Sæcularis, inhabilitatem perpetuam ad illa, & perpetuam infamiam.

Incurruntur hæ pœnæ, ſive gratia, & juſtitia ſit ſpiritualis, ſive temporalis, ſive mixta.

Incurruntur, etiamſi gratia, vel juſtitia expectetur, non ab ipſo Pontifice, ſed ab Officialibus Curiæ, quanquam hi eſſent Laici, dummodò gratia, vel juſtitia expectetur in Urbe, ſeù in loco, ubi moratur Curia.

Incurruntur, non ſolùm, quando pro hac juſtitia, vel gratia obtinenda fit actio intrinſecè mala, ſed etiam quando fit actio mala ſolùm [illegible] prædictos.

Incurruntur, etiamſi promittens, non habeat animum dandi &c., quod promittit, dummodò verba de ſe ſint apta inducere obligationem juſtitiæ, vel fidelitatis.

Incurruntur, eſto hujuſmodi promiſſio &c. fiat in bonum finem, ceſſetque omnis mali ſuſpicio.

Incurruntur etiam, quando hujuſmodi promiſſio &c. tendit ad impediendum, ne alter obtineat gratiam, vel juſtitiam.

Incurruntur, etiamſi promiſſio fiat verbis, vel ſignis æquivocis, ut ſi quis promitteret ſe eſſe gratum, dummodò verba, vel ſigna de ſe, vel ex circumſtantiis apta ſint inducere, non modo juſtitię, ſed etiam fidelitatis obligationem.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. fiat ad defendendum jus quæſitum, vel aſſecutionem quærendi, ſeù ad redimendam vexationem injuſtam.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. fiat pro obtinendis officiis minoribus, vel non habentibus, juriſdictionem.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. fiat de ſolvenda per aliquod tempus parte, vel penſione.

Incurruntur, etiamſi promiſſio non ſit acceptata, vel non ſecuta traditio.

Incurruntur, etiam per illos, qui inſerviunt ſuis Dominis cum incerta mercede, vel nulla, ita quod eorum tota merces ſint munera adventitia.

In-

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. ſit de re parva, quæ ex ſe animum movere non poſſit, dummodò fiat pro juſtitia, vel gratia obtinenda.

Incurruntur, etiam per illos, qui mediatè, vel immediatè cauſa ſunt, ut aliquid hujuſmodi promittatur &c.

Incurruntur, etiam à promittentibus &c. qui ſunt extrà Urbem, in toto Orbe, dummodò promittatur &c. pro gratia, vel juſtitia obtinenda in Urbe, vel ubi extat Curia Pontificis.

Incurruntur, etiam à Curialibus &c. qui paciſcuntur &c. aliquid, ſub titulo mercedis, pro labore ad illam obtinendam, ſi quod paciſcuntur ſit excedens mercedem dari ſolitam pro tali labore.

Incurruntur, etiam per Miniſtros &c. quibus incumbit expedire gratiam, vel juſtitiam, aut faciliorem &c. aliquid pro celeriori, aut faciliori expeditione.

Non tamen incurruntur, ſi exhibeantur xenia ſolita, eſculenta, vel poculenta, quæ conſueverunt exhiberi Curiæ Romanæ Miniſtris.

R

Raptus mulieris ad effectum contrahendi matrimonium, inducit impedimentum dirimens inter raptorem, & raptam, quouſque iſta eſt in poteſtate illius, & raptor, auxiliantes, & faventes incurrunt excommunicationem non reſervatam, ex *Trident. ſeſſ. 24. capit. 6. de Matrim.*

Regulares non poſſunt largiri dona, ſeu munera cuivis perſonæ, undecumque habeant illa bona, ſub pœna privationis activæ, & paſſivæ vocis, omnium officiorum, & inhabilitatis ad ea, abſque declaratione Superiorum, & tales ut Simoniaci puniendi ſunt *Clem. VII. conſtit. 28. Religioſæ.*

Regularium nomine hic intellige capitula, Conventus, Congregationes, Superiores eorum, Generales, Provinciales, Abbates, Præpoſitos, Præceptores, & alios Priores, Guardianos, Rectores, Abbatiſſas, Prioriſſas &c. Iſti omnes, nec proprio, nec communi nomine dare poſſunt aliquod munus, neque ex uſu, vel conſuetudine, niſi cauſa cognita, & approbata in capitulo, aut Congregatione Generali. *ibidem §. 2.*

Nec etiam ex bonis particularibus poteſt Regularis dare munus, ſive ab amicis, ſive ab aliis bona illa habuerit, ſive ex redditibus, ſive alio modo. *Ibidem § 3.*

Et comprehenduntur in hac conſtitutione omnes Regulares cujuſcumque gradus, qualitatis, vel conditionis. *Ibidem §. 3.*

Regulares non poſſunt erogare pecunias pro ſervitio, vel honore alicujus, ſive Protectoris, ſive Benefactoris, ſive pro prandiis &c. ſive pro ſpectaculis, etiam piis; Poſſunt tamen erogare in uſum pauperum in caſu neceſſitatis, habita licentia Superiorum. *ibidem §. 5.*

Excipiuntur caſus in fundatione, vel donatione Eccleſiæ, Conventus, prædii &c. expreſſi. *ibidem § 6.*

Regulares nihil poſſunt donare Congregationi Regulari, neque Protectori etiam Cardinali, Viceprotectori, Generali, Provinciali, &c. & ipſi recipientes tenentur reſtituere Monaſterio, non Fratri particulari, aliàs non poſſunt abſolvi, Clemens VIII. *conſtit. 28. Religioſæ, §. 7.*

Eandem Conſtitutionem, & diſpoſitionem ejus confirmat Urbanus Octavus. *conſt. 46. Nuper*, ſed aliqua dubia in ea occurrentia declarat. Primò, quod Regulares de Superiorum localium conſenſu in ſcriptis [& majoris partis Conventus ſi talis ſit uſus, vel conſuetudo] ob gratitudinem, conciliationem benevolentiæ, & conſervationem ejus circa Religionem, poſſunt largiri munuſcula, eſculenta, & poculenta, ſi abſit ambitionis ſuſpicio: hac autem ceſſante, neque in his requiritur licentia Superiorum in ſcriptis, ſed ſufficit oretenus data. 2. commeſſationes, & compotationes cum benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis, cenſentur prohibitæ, ſolum, quando ſunt contrariæ decentiæ, ſtatus Religioſi. 3. declarat, quod accepta à Regularibus debent reſtitui conventui, ad quem pertinent de jure, ſi id commodè fieri poteſt, aliàs viciniori. 4. quod qui receperint dona Regularium, ſi moderata ſunt, poſſunt abſolvi à confeſſore ordinario, uſque ad illud tempus emanationis Bullæ; alii verò qui immoderata, à Summo Pœnitentiario. *Ibidem.*

Mandatur eandem Conſtitutionem obſervari ſub pœna privationis Officiorum: nec valet allegari non uſus, vel conſuetudo

com-

Digitized by Google

contraria, ac præfatæ pœnæ incurrantur. *Ibidem.*

Item ſub eiſdem pœnis præcipitur, ut ſemel in anno, in menſe Januario, Superiores curent hanc conſtitutionem legi in aliqua publica congregatione, vel in Menſa publica. *Ibidem.*

Tandem prohibetur, ne Regulares, vel alii, ſive Superiores, ſive non, cujuſcumque gradus, conditionis, dignitatis &c. audeant declarare, vel interpretari præfatam conſtitutionem. *Ibidem.*

Qualiter autem, & ſub quo reſtitutionis onere Major Pœnitentiarius poſſit abſolvere illum, qui à Regulari accipit hujuſmodi munera prohibita. Vide in Bulla, *ſuper facultatibus majoris pœnitentiarii.* §. *Munera.*

Religioſi Prælati numerum familiæ in ſuis Conventibus augentes, abſque licentia S. Congregationis Concilii, incurrunt privationem vocis activæ, & paſſivæ, ex decreto Urbani VIII. *de celebratione miſſar. in Bullar. conſt.* 43.

Religioſum peregrinum ſine Patentibus accedentem, Regulares accipientes, incurrunt privationem vocis activæ, & paſſivæ, Officiorum, Graduum, & dignitatum, ac inhabilitatem ad illa, ex Bulla Sixti V. *Cum de omnibus*, & *ſed Romanum.*

Religioſi Romam ingredientes abſque licentia competenti, incurrunt pœnas privationis vocis activæ, & paſſivæ ad biennium, aliaſque, de quibus in Bulla Clementis VIII. *Nullus omninò*, & in Trident. *ſeſs. 25. de Regularibus.*

Religioſi Superiores non obſervantes diſpoſitionem *Concil. Trid. ſeſs. 25. c.* 14. *de Regular.* ſuper punitione ſubditorum, incurrunt privationem vocis activæ, & paſſivæ, ex Bulla Clem. VIII. *Suſcepti muneris.*

Religioſi reſtitutiones, vel legata impedientes; vel ſibi ipſis procurantes cum præjudicio aliorum Eccleſiaſticorum, incurrunt pœnas *Clem. 1. §. quibus etiam de privil.*

Religioſi Superiores ejectos, vel fugitivos non requirentes, ut redeant, vel eoſdem emendatos non recipientes incurrunt pęnas *cap. fin. de Regular.* & Bullæ Urbani VIII.

Reliquias Sanctorum extrahentes è criptis, catacumbis, vel Cœmeteriis intrà, vel extrà Urbem Romam, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pęnas ex Edicto Vicarii Urbis, *anno* 1613. *die* 24. *Auguſti*, & 1614. 16. *Maii*, ſub Paulo V.

Repreſalias concedentes, vel iis abutentes contrà perſonas Eccleſiaſticas, incurrunt excommunicationem non reſervatam, *ex cap. unic. de jur. jur. in* 6.

Reſidentiam Epiſcopi, aliique Prælati Superiores non facientes incurrunt pęnas Trident. *ſeſſ. 6. cap. 1.*, & *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.*, & Bullæ Urbani VIII. *Sancta Synodus.*

Reſidentiam non facientes Parochi, aliique curam animarum habentes, Epiſcopis inferiores incurrunt pęnas *Trident. loc. cit.*

Reſidentiam Canonici, vel Præbendati non facientes in loco Eccleſiæ, vel Choro non intervenientes, incurrunt pęnas *cap. 3.*, & *4.*, & *cap. Audientiam de Cleric. non reſid.*, & *cap. unic. eodem tit. in 6.*, & *Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. verſ. Præterea.*

Reſidentiam Cardinales apud Sedem Apoſtolicam non facientes, incurrunt pęnas Bullæ Leonis X. *Superna.*

Reſignantes, ſeù dimittentes Beneficia curata ad favorem alterius, contrà juramentum in Curia Romana præſtitum, de quanto citius eundo, & per ſe inſerviendo, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, privationem Beneficii, & inhabilitatem ad alia conſequenda, ex Bulla Pii IV. *Inter multiplices.*

Reſignationes Beneficiorum admittentes extrà caſus à Jure permiſſos, incurrunt pęnas Bullæ Pii V. *Quanta.*

Reſignationem Beneficii fieri procurantes per injuſtam carcerationem Beneficiati, incurrunt pęnas latas in *clem. multorum de pęn.*

Ritus Eccleſiaſticos pro libito mutari poſſe aſſerens, incurrit excommunicationem reſervatam ex *Trid. ſeſſ. 7. de Sacram. can. 13. ſeſſ. 22. can. 5.*, & *ſeſſ. 24. can.* 11.

Ritum Latini, vel Græci in ſua ordinatione mutantes, incurrunt ſuſpenſionem ab exercitio ordinum, *cap. Quod tranſlationem de temp. ordin.*

Ritum Breviarii mutantes, incurrunt pęnas Bullæ Pii V. *Quod à nobis.*

Romanæ Eccleſiæ ſtatum invadentes, aut detinentes, vel ejus ſupremam temporalem juriſdictionem uſurpantes, aut deti-

Digitized by Google

nentes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in extravag. Etſi Domi. nici de pęnit.*, *& remiſ. in Trid. ſeſſ. 22 cap. 11. & in Bulla Cęnæ Domini*, *cap. 20.*

S

SAcramentum Pęnitentiæ inter abſentes perfici poſſe. Vide verbo, *Abſolutio*.

Sacramentum Confeſſionis, vel Communionis ſemel in anno omittens, incurrit pęnas *cap. omnis utriuſque, de pęnit.*, *& remiſs.*

Sacramentum alienis Parochianis miniſtrans. Vide verbo, *Uſurpatio*.

Sacrilegium committens ſpoliando Eccleſias cum effractione, incurrit excommunicationem, poſt denunciationem, Papæ reſervatam, *can. quiſquis 17. qu. 4. cap. conqueſti de ſent. excom.*

Sacrilegium committens, auferendo ornamenta, vel lapides Eccleſiarum Urbis Romæ, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Sixti IV. *Cum provida*.

Sanctum Officium offendentes, vel non adjuvantes, vide verbo, *inquiſitio*.

Schiſmatici incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. 1. Bullæ Cęnæ Domini*.

Secreta S. Officii revelantes. Vide verbo, *inquiſitio*.

Secreta S. Conciſtorii revelantes, vide verbo *Conciſtorium*.

Secreta S. Rotæ revelantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Urbani VIII. *Exponi*.

Secretum S. Congregationis Rituum, quoad Canonizationem Sanctorum, revelantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex pluribus decretis Pontificiis, à quà neque Major Pęnitentiarius poteſt abſolvere.

Sepulturæ transferendæ cauſa Cadaver comminuens, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, *Extravag. 1. de Sepult.*

Sepulturam in ſuis Eccleſiis, inter vivos eligi ab aliquo, vel non mutari procurans, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. *Clem. cupientes, §. ſanè, de pœn.*, aliaſque pęnas *cap. 1. de ſepult. in 6.*

Sepelientes hæreticos, vel eorum credentes, receptatores, defenſores, vel fautores in loco Sacro, incurrunt excommunicationem reſervatam, uſque ad exhumationem cadaveris, *c. 1. de hæret. in 6.*

Sepelientes in loco Sacro, tempore interdicti, aut aliàs excommunicatos publicè, vel interdictos nominatim, vel uſurarios manifeſtos, incurrunt excommunicationem reſervatam Ordinario, *clem. 1. de ſepult.*

Sequeſtrantes juriſdictiones, vel fructus, aut proventus ad Eccleſiaſticos pertinentes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. 17. Bullæ Cęnæ Domini*.

Sequeſtrationem Beneficii, vel fructuum ab Ordinario fieri impedientes, incurrunt excommunicationem reſervatam uſque ad revocationem impedimenti, *clem. Unica de ſequeſtr. poſſeſs.*

Sequeſtrantes Depoſita Eccleſiaſticorum, vide verbo, *Depoſita*.

Servituti ſubjiciens Chriſtianum, aut aliàs eum injuſtè detinens, aut bonis expolians, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Pii V. *Licet omnibus*.

Servus ad Ordines promoveri nequit, quamdiu ſervus manet, *cap. 2. de ſerv. non ordin.*

Simonia realis in ordine, beneficiis, & ingreſſu Religionis, annexam habet excommunicationem Papæ reſervatam, quam incurrunt non ſolùm principales, verum etiam complices, & mediatores. & pretium eſt reſtituendum Eccleſiæ, vel Pauperibus. *Extravag. 1 2.*, *& can. deteſtabile de Simon.*

Aliaſque pęnas incurrunt Simoniaci, & mediatores, de quibus conſulat Authores Confeſſarius, & præſertim irregularitatem Simoniaci in Beneficiis, ex *cap. pęn. de elect.*, *& cap. de Simoniaco de Simon.* & ex Bulla Pii V. *cum primum*.

Simonia confidentialis ſuper Beneficiis quomodo committatur, & quas pęnas habeat annexas vide Bullas Pii V. *Romanum decet*, *& intolerabilis*.

Simoniam in examine ad Parochiam quando committant Examinatores, & concurrentes, & quas pęnas incurrant *Conc. Trid ſeſſ. 24. cap. 18. de ref.*

Simoniam committens, procurando Beneficia in Curia Romana, vel pro ignorantibus, cum intentione ſuper eiſdem contrahendi, vel pro ſe, vel pro aliis, cum oblatione penſionis, vel pro aliis cum ſpe

con-

Digitized by Google

conſequendi præmium temporale, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas ex Bulla Pauli IV. *inter cęteras*.

Simoniam committens ſuper Beneficiis Turnorum lucra dando, vel recipiendo, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas *Extravag. 2. de elect. & Extravag. unic. de Sed vac.*, & *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 14*.

Simoniam committens in electione Papæ, quas pænas incurrat, vide Bullam Pii II. *Cum tam Divino*.

Simoniam committens ſuper Jurepatronatus, vel ſuper præſentatione ad illum, excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pænas incurrit *cap. de jure, cap. quia Clerici, de Jure patron. Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. de reformat.*

Simoniam committens, publicando indulgentias, vel concedendo facultatem pro reſervatis caſibus, & cenſuris, vel privilegia Miſſæ, & ſepulturæ, tempore interdicti, & aſſumendi duos, vel plures Compatres in Baptiſmo, incurrit pęnas Bullæ pii IV. *Quam plenum*.

Simonia ſuper ſepulturæ electione. Vide verbo. *Sepultura*.

Simonia Officialium S. Pęnitentiariæ, vide verbo. *Munera*.

Simoniam committens in executione litterarum Apoſtolicarum, ſuper diſpenſationibus Matrimonialibus, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pęnas. *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de ref.*

Simonia ſuper proviſionibus Eccleſiaſticis pluribus modis committitur, & annexam habet excommunicationem, aliaſque pęnas *ex ſupracit. authoribus*.

Quos autem Simoniacos, & qualiter poſſit abſolvere Major Pęnitentiarius. vide ejus Bullam § *Cum promotis ad Sacros*, & §. *Sequenti: A diſpenſationibus*.

Societatis Jeſu Inſtitutum impugnantes, vel mutari procurantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pęnas ex Bullis Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*, & Gregorii XIV. *Eccl. Catholicæ*.

Sodomiam exercentes Clerici, irregulares ſunt ex Bullà Pii V. *Horrendum*.

Sponſiones facientes ſuper vita, vel morte Papæ, vel electione Papæ, vel promotione Cardinalium, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex Bulla Gregorii XIV. *Cogit nos*.

Ad ſtudia quæcunque accedentes Religioſi, ſine licentia Superiorum extra Clauſtra, incurrunt excommunicationem non reſervatam, Inc. 2. *Ne Cler. vel Monach. in 6.*

Ad ſtudia legum Civilium, aut Medicinæ à Clauſtris exeuntes Religioſi, & intra duos menſes non redeuntes, incurrunt excommunicationem non reſervatam *cap. Non magnopere*, & *cap. Super ſpecula*, *Ne Cleric. vel Monach.*

Idem dic de Clericis ſecularibus, ex eodem cap. *Super ſpecula*.

Eandem pęnam incurrunt docentes, & in ſua ſchola retinentes, *cap. 2. Ne Cleric. vel Monach.*

Quod tamen non procedit in Urbe, aliiſque Univerſitatibus habentibus privilegium, Clericos Seculares, & Regulares legere, & ſtudere poſſe.

Superſtitiosè agens, ideſt, divinationem conſulens, vel docens, excommunicationem non reſervatam incurrit: *can. Aliquanti, 26. q. 5. & can. Siquis Ariolos: 26. q. 5.* & reſervatam, ſi eſt cum errore fidei in intellectu, ex *cap. 1. Bullæ Cęnæ Domini*, vel ſi divinatio eſt de vita, ſive morte Pontificis, ſive de Statu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ex Bullà Urbani VIII *Inſcrutabilis*. Et hæc excommunicatio contra exercentem ſuperſtitionem judiciariam ſuper vità, & morte Pontificis neque poteſt abſolvi à Majore Pęnitentiario; ut ex ejus Bulla §. *Nec pariter poſſit*,

Confeſſarius moneat Pęnitentes, ſi Rei ſint, vel complices, ut ſe præſentent in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis, ad effectum gaudendi privilegio ſponte comparentium.

Si verò ſint conſcii dumtaxat, denunciare faciat Reos in Tribunali Sanctæ Inquiſitionis, & ſi illi fuerint contumaces in denunciando, non poſſunt abſolvi ab excommunicatione incurſa, & Sacro Tribunali reſervata ex Edicto Generali emanato, *ſub die 22. Decembris* 1700.

T

Teſtimonii cauſam fingens, ob quam Judex ad mulieris examinandæ domum accedat, excommunicationem non reſervatam incurrit *cap. Mulierem, de Judic. in 6.*

Torneamenta agentes. Vide verbo: *Ludus*.

Tran-

Tranſmarinam peregrinationem aſſumentes ſine licentia Papæ, vide verbo: *Peregrinatio*.

Tutelæ munus Eccleſiaſticis imponens, vide verbo: *Immunitas*.

V

VAcantium Eccleſiarum, vel beneficiorum bona, vel fructus occupantes, excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas in *Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de ref. & in cap. 17. Bullæ Cęnæ Domini*, incurrunt.

Vacantium bona Eccleſiarum, vel piorum locorum bona occupare præſumentes, per uſurpationem Juriſpatronatus, ſeù cuſtodiæ in eiſdem, & ad hæc Clerici cooperantes incurrunt excommunicationem non reſervatam, aliaſque pęnas *cap. General. de elect. in 6*.

Vacantium Eccleſiarum ſæcularium, vel Regularium bona, Clerici earumdem occupantes, ſuſpenſionem ab Officio, & beneficiis incurrunt *cap. cùm ſæpè de elect. in 6*.

Vacantium beneficiorum bona occupantes Collatores, Patroni, vel Cuſtodes eorumdem, incurrunt pœnas *cap. præſenti, de offic. ord. in 6*.

Vacantium beneficiorum in Eccleſiis ſuis fructus annuales occupantes prætextu conſuetudinum, vel Privilegiorum, incurrunt pęnas *extravag. unic. ne Sede Vacan.*

Eccleſiarum Vacantium, ſeù beneficiorum fructus, vel defunctorum clericorum bona ad Cameram Apoſtolicam pertinentia occupantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam in *Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de reform. & cap. 17. Bullæ Cęnæ Domini*.

Vectigalia nova imponens, vel augens extrà temporale Dominium Eccleſiæ Romanæ, abſque conſenſu Principis, incurrit excommunicationem reſervatam, uſque ad ſatisfactionem. *Can. ſi quis romipetas 24. quæſt. 3.*

In Terris Eccleſiæ Romanæ incurrit excommunicationem Papæ reſervatam in *cap. 5. Bullæ Cęnæ Domini*.

Viſitationem Monialium impedientes, moniti, ſi non reſipiſcant, incurrunt excommunicationem non reſervatam *ex Clem. Attendentes de ſtat. Monach.*

Si viſitet Epiſcopus, uti Ordinarius, impedientes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap. Bullæ Cęnæ Domini*, ſi viſitet uti delegatus Sedis Apoſtolicæ, impedientes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ſi ad Judices laicos pro impedimento recurſum habent ex dicto *c. 16. Bullæ Cęnæ Domini*.

Viſitationis occaſione, procurationem in pecunia numerata accipientes, vel munera, aut procurationem à non viſitatis, incurrunt pęnas, *c. Romana §. Procurationes, cap. exigit de cenſ. in 6. Clem. Unic. eodem tit. Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de ref.*

Vota quinque Papæ reſervata commutantes prætextu privilegiorum, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam in *extravag., etſi Dominici de pęnitent., & remiſs.*

Quid autem circa vota poſſit major Pęnitentiarius, vide *in ejus Bulla, §. Vota ſimplicia*.

Uſurarium manifeſtum admittentes Clerici ad communionem Altaris, Sacramentum Pœnitentiæ, oblationem ad Altare, & tradentes Eccleſiæ Sepulturæ, incurrunt ſuſpenſionem ab Officio, *cap. quia omnibus, de Uſur.*

Uſurariam pravitatem approbantes, ſeù adjuvantes ſtatutis, ſententiis, conſuetudinibus, vel dogmatibus, incurrunt excommunicationem non reſervatam, *ex Clem. unic. de Uſur.*

Uſurariis manifeſtis locum ad fœnus exercendum dantes, incurrunt pœnas, *c. 1. de Uſur. in 6.*

Uſurpantes bona, vel proventus Eccleſiarum, vel piorum locorum, vel occupantes, vel impedientes quominus percipiantur ab iis, ad quos pertinent, & Clerici eis conſentientes, incurrunt excommunicationem reſervatam uſque ad integram ſatisfactionem ex *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 11. de ref.* reſervatam ſimpliciter in terminis *cap. 17. Bullæ Cęnæ Domini*.

Uſurpare, vel per contractus acquirere Laici procurantes Juſpatronatum, vel dominium directum in bonis Eccleſiaſticis, & Eccleſiaſtici hujuſmodi uſurpationi conſentientes, incurrunt excommunicationem non reſervatam, & pœnas *cap. 2. de rebus Eccleſiaſticis non alienandis*.

Uxoricidium committens, vide verbo: *Homicidium*.

Quis autem poſſit abſolvere à pęnis, & diſpenſare in impedimentis, pluries dictum eſt

eſt ſuis locis. At juvabit hic aliquid repetere pro coronide hujus capitis. Igitur Privilegiati Regulares, & ſi quæ aliæ Congregationes eorum privilegiis fruuntur, poterunt, in foro conſcientiæ tantùm, abſolvere à pęnis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, etiam Papæ reſervatis, exceptis excipiendis, quæ ſunt expreſſa ſuis locis. Alias pęnas, aut impedimenta, neque in foro conſcientiæ poſſunt relaxare. In vim Tridentini ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. aliquid plus poſſunt Epiſcopi (ſolum tamen in ſua Dięceſi, & in ſuos ſubditos) etenim primò poſſunt in foro conſcientiæ per ſe, vel per ſuum Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, abſolvere prædictos ſubditos (in foro tamen conſcientiæ tantum, & dummodò caſus ſit occultus) ab omni excommunicatione reſervata Sedi Apoſtolicæ. Et adeò amplam facultatem tribuebat Epiſcopis Tridentinum in eodem capite, ut etiam illis conceſſerit *per ſe ipſos* abſolvere à crimine hæreſis nihilominus, ut c. 19.n.43. dicitur, hæc facultas reſtringitur per Bullam Cęnæ, in qua Romani Pontifices, poſt Tridentinum, inſeruerunt illam particulam, quæ non erat ante Tridentin. *& cujuſvis Concilii decreta*. Quare hodie non amplius abſolvere poſſunt, neque à crimine occulto hæreſis, neque ab alio, etiam occulto, quod contineatur in Bulla Cęnæ. Secundò poſſunt etiam abſolvere ab omni ſuſpenſione, quæ proveniat ex delicto occulto. Tertiò, ſuprà regulares privilegiatos, ab omni irregularitate, quæ proveniat (non quidem ex defectu: ſuper hac enim petenda eſt Sedes Apoſtolica) ſed quæ proveniat ex delicto, dummodò tale delictum ſit occultum, neque ad huc deductum ad forum contentioſum. Excipe tamen homicidium voluntarium: etenim irregularitatem, quæ ex hoc provenit, nequeunt relaxare, quamvis tale homicidium, eſſet occultiſſimum, nec unquam deducibile ad forum contentioſum. In cæteris pęnis, vel impedimentis, eſto occultis, nihil poſſunt Epiſcopi, niſi ſpecialiter concedatur, ut audio concedi, quibuſdam remotioribus ab Urbe, ob difficultatem accedendi Sedem Apoſtolicam. Epiſcoporum eſt facultates ſuas attentè conſiderare, nec unquam (pro reverentia, & obedientia erga Sedem Apoſtolicam) crediderim eos tranſilire limites ſuæ juriſdictionis. Jura Patrlarcharum quærere non eſt Sacerdotis ordinarii, præſertim diebus noſtris, quando, ſi excipias Patriarcham Occidentis, Romanum Pontificem, cęteri ſunt præciſi ab Eccleſia Catholica, in quà, ſi qui aſſumuntur ad titulos Sedium Patriarchalium, ſunt abſque populo, & Dięceſi: Quid Nuncii Apoſtolici, quid Legati Nati, aut Legati à Latere poſſint, altioris eſt indaginis. Qui dicuntur Pęnitentiarii Minores Baſilicarum Urbis plura poſſunt, ſed juxtà facultates ſibi à Majore conceſſas. At Pęnitentiarius Major, utpotè Miniſter deputatus ab Apoſtolica Sede habet ampliſſimas facultates; & ſi quid illi eſt reſtrictum, notatur ſuis locis.

CAPUT XXI.

Quis, & qualiter debeat abſolvere ab Excommunicatione.

1. Adductæ fuerunt in prædicto Catalogo univerſaliter pęnæ Eccleſiaſticæ principaliores; nunc verò reſtringimus diſcurſum ad abſolutionem ſolius excommunicationis; Abſolutio aliarum pęnarum, uti & diſpenſatio Irregularitatis pertinet ad majores Sacerdotes. Ubi ergo Pęnitens accedat ligatus aliqua excommunicatione, ſtatim Confeſſor adibit præcedentem Catalogum; & ſi quidem invenerit eam dici non reſervatam, ſciat ſe illam poſſe abſolvere, abſque ulteriori juriſdictione. Quia verò poſſunt aliquæ minus principales, vel etiam particulares eſſe ommiſſæ, habeat hanc regulam generalem, quod excommunica io à jure lata, poteſt abſolvi à quocumque Confeſſario, niſi lex illam reſervet expreſsè Superiori, ad quem, in facti contingentia, erit recurrendum, juxtà dicta cap. 18. num. 19.

2. A Reſervatis, etiam in Bulla Cęnæ, quilibet directè poteſt abſolvere pęnitentem conſtitutum in articulo mortis. Bulla tamen vult, quod tunc promittat priùs *de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatiſfaciendo cautione præſtita*. Ulteriùs eſt obſervandum, quod Pontifex in ſequentibus declarat *quamcunque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi prius à præmiſſis, cum vero propoſito ulterius ſimilia non committendi deſtiterint:*

terint: Ac quoad eos, qui contrà Eccleſiaſticam libertatem, ut præfertur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, ſeù capitularibus locis, vel libris, in quibus annotata reperiuntur deleri, & caſſari, ac Nos de revocatione hujuſmodi, certiores fecerint, eos non comprehendere. Omnia hęc ad unguem, pro quanto fieri poteſt, curabit ſervari Confeſſor; Et ideò ſæpè legat haſce particulas, ut, in facti contingentia, Confeſſor juxtà illas provideat, omni meliori modo, ſaluti Pęnitentis.

3. Secundò quilibet Confeſſor indirectè poterit abſolvere ab excommunicationibus, & caſibus reſervatis, quando immineret grave ſcandalum, niſi pęnitens communicaret; Ad hoc requiritur, ut excommunicatio ſit occulta; nam aliàs è contrà eſſet ſcandalum, ſi communicaret. In hoc etiam caſu pęnitens procedet, quantum fieri poteſt juxtà dicta de conſtituto in articulo mortis: vide c.18 n.14.

4. Tertiò poteſt contingere virtute Jubilæi, quod Confeſſor ordinarius habeat abſolvere à caſibus, & cenſuris reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ. In hoc autem caſu legatur attentè forma Jubilæi, & omninò ſervetur. Porrò Jubilæorum univerſalium, quoad licentiam abſolvendi, hæc forma eſſe conſuevit: *Omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, tam Laicis, quàm Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus, cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tam in Urbe præfata, quàm extrà eam, ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut ſibi ad hunc effectum, eligere poſſint quemcumque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis, qui ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à Jure, vel ab homine, quavis cauſa latis, ſeù inflictis, nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & aliàs per quaſcumque Noſtras, aut Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, quomodocumque reſervatis, in foro conſcientiæ, & hac vice tantùm abſolvere, & liberare valeant; & inſuper vota quæcumque [Religionis, & Caſtitatis exceptis] in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet, in ſupradictis omnibus caſibus pęnitentia ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii arbitrio injungendis ... Non intendimus tamen per præſentes, ſuper aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, ſeù inhabilitate quoquo modo contracta, diſpenſare, vel aliquam facultatem tribuere diſpenſandi, ſeù habilitandi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi, etiam in foro conſcientiæ, neque etiam eaſdem præſentes, iis, qui à Nobis, & Apoſtolica Sede, vel aliquo Prælato, ſeù Judice Eccleſiaſtico excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, ſeù aliàs in ſententias, & cenſuras incidiſſe declarati, vel publicè denunciati fuerint, niſi, intrà tempus dictarum duarum hebdomadarum, ſatisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo ſuffragari poſſe, aut debere.*

5. In omni Jubilæo Confeſſor attentè notabit, an hujuſmodi forma reſtricta ſit, vel ampliata, & quid in proprio ſenſu importent verba ſuperiùs poſita. Porrò meminerit, ſæpiùs inſinuatum, quod hæreſis non comprehenditur ſub illa generali conceſſione caſuum reſervatorum in Bulla Cœnæ, ſuper quo extat hujuſmodi decretum à Congregatione Sancti Officii.

Sanctiſſimus D. N. Alexander Papa VII. ſub die 23. Maii 1656. ..... cum crimen hæreſis, præ cæteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum ſit, decrevit facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comprehenſam, niſi præciſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.

6. Quartò plures etiam Confeſſores ordinarii habent facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, in vim Privilegiorum ſibi ab Apoſtolica Sede conceſſorum. Hujuſmodi hodiè ſunt ferè omnes Regulares, & nonnullæ Congregationes, præſertim S. Philippi Nerii. Confeſſores hujuſmodi curabunt non tranſgredi terminos Privilegii; aliàs confeſſio erit irrita; & propterea, ſæpiùs relegant prædicta privilegia, notabuntque vim verborum. Porrò prædictæ Religiones, & Congregationes, eſto munitæ privilegiis ampliſſimis, tamen ſciant, quod Clemens VIII. de anno 1601. per Sacram Congregationem Epiſcoporum,

rum, & Regularium (circà caſus Apoſtolicæ Sedi reſervatos; nam circà caſus reſervatos Epiſcopis habes cap. 9. nu. 1. noviſſimam determinationem Clementis X. quam debebis ad unguem ſequi) prohibuit omnibus privilegiatis intrà Italiam (tamen extrà Urbem) ne abſolverent *ab ullo ex caſibus clarè, vel dubiè contentis, in Bullâ dis Cænæ Domini legi ſolitâ, vel alias quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſervatis*; prohibuitque ſingulis abſolvere tam ab his, quam à caſibus reſervatis Epiſcopo, ſub pœnâ *excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aut Beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confeſſiones, & ad quæcunque officia, Prælaturas, Beneficia in poſterum obtinenda, ipſo facto, abſque ullâ aliâ declaratione incurrenda*, & reſervatâ Sedi Apoſtolicæ.

7. Nihilominus idem Clemens de anno 1602. declaravit, quod in poſterum prædicti privilegiati (ſcilicet, degentes intrà Italiam, & extrà Urbem, quibus primum decretum revocabat privilegiâ) poſſent abſolvere à caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, dummodò non eſſent illi ſex poſiti c. 10. n. 6., & non eſſent reſervati in Bullâ Cœnæ, circà quos nihil innovavit, & propterea credo, quod neque contenti dubiè in Bullâ Cœnæ poſſint abſolvi. In vim hujus decreti excommunicatio lata in Bullâ Cœnæ, contrà abſolventes à viginti excommunicationibus, remanet reſervata, quamquam id non exprimat Bulla Cœnæ, incurreretque omnes alias pænas contentas in primo decreto, excepta inhabilitate audiendi confeſſiones, quia ſecundum revocavit hanc pœnam. Hæc decreta Clementis omitto brevitatis gratiâ; Videantur in libro, *Avvertimenti di S. Carlo*, editi de ann. 1702. ubi etiam afferuntur confirmationes Pauli V., & Urbani VIII.

8. Solum nota, quod ex eodem Clementis ſecundo decreto, Privilegiati poſſunt abſolvere, ſi tale privilegium fuit uſu, receptum ante idem decretum. Prætereà ſunt aliqua extrà Bullam Cœnæ peccata, quæ Privilegiatus nullibi poteſt abſolvere. Fuerunt autem notata c. 18. n. 20. Tandem quo modo ſe debeat gerere pœnitens in foro conſcientiæ abſolutus à privilegiato, habes ex Clemente X. c. 9. n. 5.

CAPUT XXII.

De Recidivo, Conſuetudinario, Conſtituto in occaſione proxima, & conſtituto in periculo proximo.

1. Nihil adeò Confeſſori commendat Rituale, quam cognoſcere ſtatum Pænitentis. Videatur c. 7. n. 15. & 22. In quo præcipimur non ſolum cognoſcere ſtatum, quod facit ad ſpeciem peccati, ut ſi ſit conjugatus, cum voto &c. ſed inſuper ſtatum, quod facit ad aggravandum peccatum, vel ad implendam pænitentiam: ſi enim eſt pauper, non debet obligari ad eleemoſinas, ſi filius familias, vel debilis, vel laborans corporaliter non poteſt obligari ad jejunia, quando jejunium eſt incompatibile cum labore. Quoad gravitatem peccati, maximè conſiderandi veniunt quatuor ſtatus in titulo capitis expoſiti. &c.

2. Confeſſor circa hos principaliter exercebit officium Medici. Recidivus, ut à cæteris contradiſtinctus, propriè dicitur, qui ex infirmitate in eadem peccata relabitur. Quare adhuc peccat ex paſſione. Conſuetudinarius eſt, qui relabitur ex habitu acquiſito, & dicitur peccare ex malitiâ. De conſtituto in occaſione proxima, ex S. Carolo dictum eſt ſufficienter c. 11. a n. 19. Conſtitutus autem in proximo peccandi periculo dicitur, qui eſt ita diſpoſitus, ut, ſecundum præſentes vires, quas habet, cenſeatur per ſe lapſurus, licet nunquam lapſus fuerit. Inſuper occaſio eſt aliquid externum: ſed periculum poteſt eſſe intrà ipſum hominem, qui v. g. cogitat de rebus venereis voluntariè, conſtituit ſe in periculo proximo, vel delectationis moroſæ, vel alterius peccati, ſi nulla extet neceſſitas, taliſque cogitantis infirmitas, ut per ſe loquendo, jure timeatur lapſus. Horum ſtatuum differentias, ac definitiones Confeſſor magis quam ſpeculativè, curabit diſcernere in praxi.

3. Recidivus ille dicitur, qui ex infirmitate relabitur, & quidem ſi tantum ex infirmitate relabatur, Confeſſor applicabit remedia oſtendens deformitatem ingratitudinis, juxtà dicta c. 3. n. 22., ac ne in ſcrupulos illidatur recidivus, legat quid de illo, juxtà rigorem ſcholaſticum, ſentiat

S. Thomas 3. p. q. 88. & 2. 2. q. 107. præſertim a. 4. Prætereà, *in peccata facile recidentibus*, ait Rituale adductum c. 7. n. 23. *utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſepè.. confiteantur, & ſi expediat, communicent*. Vide ibi dicta.

4. Conſuetudo peccandi eſt circumſtantia ſaltem notabiliter aggravans, & ubi Confeſſor illam interrogat, explicanda in Confeſſione, juxtà 58. propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam. Cum idem ſit peccare ex conſuetudine, peccare ex habitu, & peccare ex malitià, hinc apparet quod Conſuetudinario non omninò prodeſt ſacramentum inſtitutum ad ſublevandam hominis infirmitatem, non ad tollendam malitiam, niſi priùs pœnitens curet tollere à ſe, quod eſt peccaminoſum, & circumſtantiam peccati in tali conſuetudine. Actio in tantum eſt peccaminoſa, in quantum eſt voluntarià directè, vel indirectè. Conſuetudo jurandi v. g. erit voluntarià directè, ſi homo advertens in ſe talem conſuetudinem, velit perſeverare in illà: Erit voluntarià indirectè, ſi advertens, vel debens advertere in ſe talem conſuetudinem, omittat facere, quantum commodè poteſt, ut illam à ſe tollat: Igitur ubi Conſuetudinarius accedit ad hoc ſacramentum, ante omnia Confeſſor inquirat, an voluntaria ſit conſuetudo: nec enim in tali caſu poteſt abſolvi: quod ſi tollat voluntarietatem per firmum propoſitum faciendi, quantùm poteſt, ut non trahatur à conſuetudine, tunc poterit abſolvi prima vice, niſi taliter ſit radicata conſuedo, ut verſa in natura, emendationis nullam præferat ſpem. Ordinariè in his caſibus tutiſſimum eſt, niſi aliud circumſtantiæ ſuadeant, experiri pœnitentem per aliquot dies: quod ſi rediens dicat ſe relapſum quatuor, vel quinque vicibus in uno menſe, cum antea in uno menſe laberetur triginta, vel quadraginta vicibus, jam apparet notabilis emendatio, & poteſt abſolvi.

5. De conſtituto in occaſione proximà luculenter ex S. Carolo dictum eſt c. 11. à n. 29. Illud advertendum, quod voluntariè, (voluntarietate, de qua dictum eſt n. præcedenti) ſe exponere occaſioni proximæ peccandi eſt peccatum, & quidem ejuſdem ſpeciei cum peccato, cujus occaſioni ſe homo exponit: quare ad integritatem confeſſionis eſt explicandum, ſi homo ſe expoſuit occaſioni proximæ perdendi fidem, ſpem &c. Imò peccat conſtitutus voluntariè in occaſione proximà, etiamſi in illà non conſumaret aliquem actum contra talem virtutem, v. g. ſe conſtituit in occaſione proxima violandi caſtitatem, ſive per actum externum, ſive per ſolum actum internum deſiderii, aut complacentiæ, in illa conſtitutus nihil egit, nihil deſideravit, nihil ſibi complacuit, adhùc tamen peccavit. Hoc maximè debent advertere Confeſſores; nam idiotæ in confeſſione ſolùm ſe accuſant de actu: quare Confeſſarii eſt in his caſibus requirere omnem ſpeciem, & numerum. Idem dic de reliquis occaſionibus proximis, de taberna reſpectu ſe inebriantis &c. Porrò cuilibet danda remedia, ut ex S. Carolo c. 11. n. 30.

6. Ferè omnia, quæ dicta ſunt de conſtituto in occaſione proxima, ſunt applicanda conſtituto in periculo proximo, etiam prima vice, dummodò advertat, vel debeat advertere eſſe periculum proximum, in quo peccabit eodem genere peccati, eſto per accidens ſe præſervet ab actu peccaminoſo, quia ſe exponere periculo proximo peccandi, eſt intrinſecè, & de natura ſua peccatum ejuſdem ſpeciei cum peccato, cujus periculo ſe exponit.

7. D. Extantne aliquę propoſitiones prohibitæ cira quatuor hos peccatorum ſtatus.

M. Circa primum Recidivi, nulla extat: circa ſecundùm Conſuetudinarii, extat 58. & 60. Innocentii XI. Circa tertiùm occaſionis proximæ extat 41. Alexandri ſeptimi: 61. 62 & 63. Innocentii XI. Circa quartum nulla eſt expreſſa in terminis. Nihilominus ex tribus ab Innocentio XI. damnatis de occaſione proxima, ſaltem per conſequentiam Theologicam deducere poterit Confeſſor, quid ſentiendum ſit, dum eædem circumſtantiæ militant pro periculo proximo.

8. D. Adſunt ne aliquæ pœnæ Eccleſiaſticæ conſtitutæ contra hos quatuor delinquentium ſtatus?

M. Primus, & ultimus ſtatus in nullo genere peccati habent univerſaliter aliquam pœnam Eccleſiaſticam, ut quillibet conſideratur in eo præciſè ſtatu: Circa ſecundum ſtatum, prius videndum eſt apud Canoniſtas, an pro eodem accipiant exercere aliquem actum, & habere conſuetudinem

nem de aliquo actu nonnulla enim peccata puniuntur in exercentibus, ut eſt crimen nefandum Clerici, punitum per duas Bullas B. Pii Quinti, & communiter Doctores intelligunt non exerceri tale crimen ab eo, qui ſemel, aut bis tantum delinquit. Sanè cum in aliquo caſu particulari videris pro eodem accipi exercitium, & conſuetudinem, pœnæ erunt formaliter contra Conſuetudinarium. Hic autem non eſt locus id decidendi, quia magis hæc ſpectant ad forum externum, quam ad forum conſcientiæ & ubi leges Eccleſiaſticæ declararent pœnam incurri; etiam in foro conſcientiæ, poteſt Confeſſor petere tempus, ad ſtudendum caſui, vel requirendum judicium peritiorum. Circà tertium ſtatum, ſcilicet, conſtitutos in occaſione proxima, legi debet Tridentinum ſeſſ. 25. c. 14. de reformatione, circa Concubinarios. De reliquis enim occaſionibus proximis, nihil habeo, quod hic ſpecialiter ingeram.

CAPUT XXIII.

De Indulgentiis quoad praxim.

1. Ex illis Chriſti verbis, Matth. 16. *Tibi dabo* &c. Jo. 20. *Quorum remiſeritis* &c. Controverſiſtæ, contra hæreticos deducunt in Eccleſia poteſtatem concedendi Indulgentias: etenim non eſſet plena poteſtas remittendi peccata, niſi ſimul poſſet applicare theſaurum ſatisfactionum ad remittendas pœnas fidelium. Igitur ut Confeſſor ordinarius plene ſit inſtructus de ſacramento Pœnitentiæ, illudque ad plenum poſſit adminiſtrare fidelibus, requiritur aliqua notitia Indulgentiarum; & quidem, quod pertinent ad illarum ſcientiam, dictum eſt, quantum ſufficit Confeſſori ordinario, c. 13. n. 12. Sed propraxi eſt aliquid ulteriùs addendum.

2. Stante noſtrorum temporum infirmitate, docet experientia fideles abduci à ſacramento, ſi veterum Canonum rigor, eſto juſtus, in illos exerceatur. Eccleſia conſiderans hanc debilitatem, propterea mitigavit rigorem antiquum; & providet fidelibus per Indulgentias multo largiores, & frequentiores. Plenus hoc ſpiritu Materis Confeſſor, ubi oſtenderit per Canones antiquos ſatisfactionem, quam Deo debemus, ſaltem in Purgatorio, nec poſſe penitentem debilem portare tantum onus, ſuadebit Deo ſatisfacere, lucrando Indulgentias, oſtendens poſſe acquiri facillimè per numiſmata benedicta à Romano Pontifice, per viſitationes Eccleſiarum, in quarum hodie ſolemnioribus feſtis, ubi expoſcatur, ſolet Apoſtolica Sedes concedere aliquam Indulgentiam, & ſanè plenariam, vere penitentibus, confeſſis, ac ſacra commmunione refectis. Etiam pluſimæ reperiuntur conceſſæ pluribus Confraternitatibus.

2. Prudentis, ac diſcreti Confeſſoris eſt, ad omnia in generali bona opera excitare, quin & ſuo exemplo præire Penitentes: cum hoc tamen ſtat, quod etiam ad particularia quædam incitet; in quo maximè congruit vero totius Eccleſiæ ſpiritui, ut Confeſſor inflammet ſpecialiter ad ea bona, quæ ſpecialius in ſua particulari Eccleſia ſolent frequentari, vel Penitenti ſpecialius prodeſſe poſſunt. Hæc igitur conſiderans Confeſſor, vel Sæcularis, vel Regularis, præſertim quoad Indulgentias, maxime notabit, pro Penitentibus ſuam Eccleſiam frequentantibus, quæ, quibuſvè diebus, pro tali Eccleſia, ſint conceſſæ, incitabitque ad earum conſecutionem, v. g. ſi ſit Religioſus ex Ordine Prædicatorum, eas, quæ conceduntur Confratribus, ac Conſororibus Roſarii B. Mariæ Virginis (maximè, quia ex S. Carolo 11. n. 49. audiſti, cuilibet Confeſſori curandum, ut ſuus Penitens nomen det alicui ex Confraternitatibus, in qua, die feſto, vacet piis operibus.) Ad idem reſpicient ſinguli aliarum Religionum, Congregationum, aut Oratoriorum Confeſſarii. Quia verò experientia docet, ex miſericordia inſigni erga pauperes Captivos, univerſaliter induci Chriſtianos; ut nomen ſuum dent Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, appono etiam hic Indulgentiarum notam, per Summos Pontifices conceſſarum Confraternitatibus dicti Ordinis: *qui ordo* (ſunt verba Conſtitutionis Innocentii XI. decimæ in Bullario noſtri Ordinis) *non ſine divina Revelatione, à glorioſis Sanctis Joanne de Matha, & Fælice de Valois fundatus fuit. Eaſdem. Confraternitates quamplurimi Reges, Principes, Nobiles, & innumeri*

utriuſque ſexus Chriſti fideles ingreſſi ſunt. Qui ad tam frequentes, & numeroſas Redemptiones à dicto Ordine, ab initio illius fundationis, uſque ad præſens factas, liberalibus eleemoſinis cooperati ſunt.

3. Veriſſimum eſt evulgatas olim fuiſſe plurimas Indulgentias, quæ vel nunquam conceſſæ, vel jam revocatæ fuerant; & Confeſſor, qui nonnullas hujuſmodi velit agnoſcere, legat decretum de *Apocryphis Indulgentiis*, editum approbatione Innocenti XI. de anno 1678. Hujuſmodi etiam nonnullæ irrepſerant in Summario Indulgentiarum conceſſarum Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, ut non modò conſtat ex eodem Decreto; §. *Porro Summaria* &c. ſed & ex pluribus foliis, vel libris, in quibus leguntur Indulgentiæ ad oculum Apocryphæ; quare mandatur in prædicto Decreto, ut non permittantur hujuſmodi Summaria, niſi recognita. Porrò ut evulgari poſſent veræ Indulgentiæ, P. Joſephus Monior, vir doctrina, & pietate celebris, qui tunc temporis in Curia Romana erat Procurator Generalis totius Ordinis, Summarium noviter confectum præſentavit S. Congregationi *de Indulgentiis*, à qua recognitum fuit, & approbatum; atque Innocentius XI. inſeruit prædictæ Conſtitutioni decimæ in Ordinis Bullario.

4. Ad has igitur Indulgentias Confeſſores, ſive ii ſint Religioſi Calceati, & Excalceati ejuſdem Ordinis, ſive alii, qui audiunt Confeſſiones adſcriptorum in dictis Confraternitatibus, auctoritate Apoſtolica, erectis, vel erigendis, incitabunt ſuos Pœnitentes. Alias autem Apocryphas omninò prætermittent niſi velint ſubjacere Cenſuris, quas latas contra prædicantes Indulgentias falſas, diximus c. 20. verbo, *Simonia*.

Indulgentiæ autem in eadem Bullâ ſcrutæ ſunt hujuſmodi.

5. 1. Conceditur plenaria omnibus pro die prima, qua vere pœnitentes, confeſſi, & ſacra communione refecti, adſcribentur dictæ Confraternitati, & ſuſcipient Scapulare benedictum à Superiore aliquo Ordinis, abſque voti emiſſione.

6. 2. Plenaria eiſdem, qui deferentes Scapulare, verè pœnitentes, & confeſſi, refecti ſacra communione, in articulo. mortis, protulerint, ſi potuerint, ore, ſin minus corde, Sanctiſſimum Jeſu nomen.

7. 3. Plenaria eiſdem, in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, ſi verè pœnitentes, confeſſi, & ſacra Communione refecti, Eccleſias, aut Capellam, vel Oratorium Ordinis, aut Confraternitatis viſitaverint. Debent orare pro concordia Principium Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, & exaltatione. Eccleſiæ.

8. 4. Plenaria viſitantibus Eccleſias Ordinis in die feſto SS. Joannis de Matha, & Fœlicis Valeſii.

9. 5. Plenaria in feſto Nativitatis, & Purificationis B. Mariæ, in die Cinerum, in feſto S. Agnetis ſecundò, in Dominica ſecunda Octobris, & in feſto S. Catharinæ V. & M. Dummodò orent, ut in tertia, & inſuper pro Captivorum libertate, & perſeverantia in fide.

10. 6. Plenaria eiſdem, qui tranſlatum ſe ad partes Infidelium, pro redimendis Captivis, prius verè Pœnitentes, & Confeſſi communicaverint.

11. 7. Plenaria pro Captivis Redemptis, etiamſi non fuerint Confratres, qui intrà menſem à die, quo reducti ſunt, verè Pœnitentes, & confeſſi communicaverint.

12. 8. Eiſdem, eo die, quo in Miſſali Romano aſſignantur Stationes, ſi viſitaverint Eccleſias, aut Capellas, vel Oratoria Ordinis, aut Confraternitatis, conceduntur Indulgentiæ Stationum Urbis.

13. 9. Eiſdem, ſi pio cordis affectu deferentes Scapulare benedictum, & cum ſigno Crucis, ſemel in die recitabunt ſexies Orationem Dominicam, cum Verſiculo *Gloria Patri*, &c. ſexieſque Salutationem Angelicam, cum eodem Verſiculo, pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, & exaltatione Eccleſiæ, conceduntur ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

14. 10. Eiſdem, ſi in die Nativitatis, & Reſurrectionis Chriſti, nec non Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, viſitaverint Eccleſias, aut Capellas, vel Oratoria Ordinis,

ginis, aut Confraternitatis, recitando orationes poſitas in nona, ad eoſdem effectus concordiæ &c. ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

15. 11. Eiſdem, ſi pœnitentes, & confeſſi interfuerint Proceſſioni Scapularis una Dominica menſis; ſeptem anni, & totidem quadragenæ. Quod ſi, ultrà confeſſionem, communicaverint, & Deum oraverint, ut ſuprà in nona, conceditur Indulgentia plenaria.

16. 12. Eiſdem anni, & quadragenæ totidem, ſi exerceant opera pia, ſpiritualia, vel temporalia quæ dirigant ad finem conſequendi remiſſionem ſuorum peccatorum, & ut Captivi redimantur à ſervitute Infidelium.

17. 13. Eiſdem anni ſeptem Indulgentiarum, ſemel quotannis, & quo anni die maluerint, ſi quotidiè per annum recitantes ter orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam, ac ſemel Verſiculum *Gloria Patri* &c. cum aliis Orationibus à Superiore aſſignandis, vel loco harum à Superiore aſſignandarum, unum *Salve Regina*, verè pœnitentes, & confeſſi communicent, orantes pro Captivis apud Turcas, ne blaſphemetur nomen Domini Jeſu, ſed ut conſtantes in fide perſiſtant, & quantociùs liberentur.

18. 14. Eiſdem anni ſeptem, & quadragenæ totidem, ſi confeſſi, vel ſaltem habentes propoſitum confitendi, receperint proceſſionaliter captivos redemptos, & comitati fuerint ad Eccleſiam, Capellam, vel Oratorium Ordinis.

19. 15. Eiſdem quinque anni, & totidem quadragenæ, ſi comitentur, cum lumine, ubi poſſint, vel abſque lumine, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cum defertur ad infirmos, & pro his oraverint.

20. 16. Eiſdem dies centum, quoties comitantur ad ſepulturam corpus alicujus defuncti, & orant pro illo.

21. 17. Eiſdem dies centum toties, quoties interfuerint Miſſis, & aliis divinis Officiis in Eccleſiis, Capellis, aut Oratoriis Confraternitatis, vel ejuſdem publicis, aut privatis Congregationibus, vel pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut exercuerint aliud quodcumque opus pietatis, vel charitatis.

22. 18. Extat alia Indulgentia, ſed mihi attentè legenti Breve Clementis X. ordine decimum in noſtro Bullario, videtur ſolùm conceſſa Confratribus, & Sororibus, qui erunt adſcripti Confraternitatibus erectis in Eccleſiis noſtrorum Excalceatorum Congregationis Hiſpaniæ. Iſti, ſi per quadrantem horæ vacent orationi mentali, toties, quoties lucrantur centum dies, quod ſi vacent per mediam horam continuatam, lucrantur ſeptem annos. Quod ſi huic orationi, ſaltem per quadrantem, vacent ſingulis diebus ſemel, quolibet menſe, poſſunt lucrari plenariam, ſi verè Pœnitentes, & confeſſi communicent, quam plenariam poſſunt etiam, per modum ſuffragii, applicare pro animabus Purgatorii.

23. Pro conſequendis Indulgentiis hujuſmodi, ſolùm tenentur confratres deferre, & ſuper ſe geſtare Scapularium Ordinis parvulum ex lana alba, una cum Cruce rubra, & cærulea, benedictumque ab aliquo Superiore Ordinis; Quod ſi Scapulare ſciſſum, amiſerit formam, renovata Cruce, iterum debet benedici. Præctereà debent apponere omnia, & ſingula opera, quæ Pontifex præcipit, juxtà dicta c. 13. n. 12. Porrò notabit Confeſſor, pluries injungi diverſa opera, ſed etiam orationes pro diverſis; v. gr. tertia exigit orationes pro concordia Principum &c. quinta verò exigit orationes pro Captivis. Omnia igitur erunt dirigenda in finem illum, quem Pontifex præcipit; & pro illis determinatè orandum, pro quibus injungitur. Hinc apparet non ſatisfacere ſuo muneri plenè Confeſſarium, qui manifeſtat Pœnitenti adeſſe Indulgentiam in aliqua Eccleſia, niſi etiam explicet opera injuncta pro conſequenda Indulgentia, & ad quem finem particularem dirigendæ ſint orationes. Id ſanè aliis indicare non poterit, niſi prius attentè legerit formulam Indulgentiæ. Veruntamen quia ſæpè in Confeſſionali Pœnitens petit inſtrui, pro quibus orandum ſit, ſi aliàs in promptu non habet explicare, doceat, ut orationes applicet juxtà intentionem concedentis expreſſam in verbis formulæ.

24. Quia verò Confratribus, quinquies in anno, dari conſuevit Benedictio, ſeù Abſolutio generalis, nempè, feria quarta Cinerum, feria quinta majoris Hebdomadæ, in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, in feſto S. Catherinæ Virginis, & Martyris, & in feſto S. Agnetis ſecundò, hujuſmodi Abſolutio non eſt propriè à culpa, ſed

per illam ſolis Confratribus, ac Sororibus communicantur bona, & ſuffragia Religionis, dummodò verę pęnitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti interſint hujuſmodi functioni. Et abſolutionem hanc propterea conſueverunt Religio, & Confraternitates largiri, etiam in Anno Sancto, ſecundum quod declaravit S. Congregatio Concilii, de menſe Januarii, anno 1700.

25. Illud præterea curet in praxi Confeſſor, ut Pęnitentes Indulgentiam lucraturi, adamuſſim, quantum fieri poteſt, opere impleant, quod Pontifex præcipit], non reſpicientes ad quaſdam opiniones, quę prætendunt variari poſſe ordinem operum injunctorum, ſi variatio eſſe dubitetur in ſubſtantia. Exemplo ſit Clauſula, quæ ſolet apponi communiter in Indulgentiis pro viſitatione Eccleſiarum, in earundem ſolemnitatibus, ut illas conſequantur, qui confeſſi, & ſacra communione refecti, viſitaverint Eccleſiam &c. Utique adſunt, qui credant viſitari poſſe prius Eccleſiam, & poſtponi confeſſionem, aut communionem; quidquid ſit de hac opinione, curet prædicta opera poni ordinate.

26. Quia verò dum Apoſtolica Sedes concedit Indulgentiam viſitantibus aliquam Eccleſiam, ſolet apponere clauſulam illam: *Volumus, ut ſi olias Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam, qualibet anni die viſitantibus, aliaqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit præſentes litteræ nullæ ſint*, gratum erit Confeſſori ſcire, quomodo intelligatur predicta clauſula. Igitur Sacra Congregatio Rituum anno 1676. 23. Junii, approbante Summo Pontifice, declaravit in dicta clauſula *minime contineri Altaria privilegiata pro defunctis, ne que Indulgentias, aut certo perſonarum generi, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis qui Chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias, inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ, conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Chriſti fidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Capellam viſitantibus eodem ãni die, vel diverſo, conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe, prorſus irritas, ac nullas.*

27. Quia vero *ex omni ſatisfactionum genere*, inquit Catechiſmus p. 2. c. 5. n. 80. *maximè convenit Pęnitentibus præcipere, ut ... pro omnibus, & præſertim pro iis, qui ex hac vita in Domino deceſſerunt, preces Deo faciant*. Confeſſor etiam incitabit ad lucrandas Indulgentias pro animabus defunctorum, præſertim per Miſsas (ubi Pœnitens id exequi commodè poteſt) celebrandas in Altari privilegiato. Circa quarum Miſsarum pro Defunctorum Animabus applicationem plura inſurrexere dubia, ſuper quibus emanavit deciſio Apoſtolica, & tandem Innocentius XI. 4. Maii 1688. expedivit Breve, cujus hęc eſt ſumma, quod Miſsæ celebratæ ad Altare privilegiatum ſuffragarentur, *ita ut Animæ Chriſti fidelium pro quibus celebrantur Indulgentias per Privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ defunctorum ad formam eorundem Privilegiorum celebratæ fuiſſent*, quando Miſsę non dicuntur de Requiem, & quia juxta Rubricas Miſsalis, in tali die non poſsunt celebrari, quomodocunque id vetet Rubrica, ſive quia ſit feſtũ duplex, vel Dominica, feria, aut octava Privilegiata; Ex quibus verbis habes duo; primum, quod ut Indulgentia valeat alicui Animæ per modum ſuffragii, debet miſsa celebrari pro illa, ſecundo, quod eadem Miſsa debet eſse defunctorum, ubi Rubricæ Miſsalis non impediunt ita celebrari.

28. Pontifex concedens alicui Eccleſiæ hoc Altare privilegiatum ſolet exigere in dicta Eccleſia numerum determinatum Miſsarum. Circa quem numerum conſulatur Breve Pontificis concedentis. Porro ſuper hoc nn. excitata fuere dubia ſequentia.

Primò: *An abſentibus Religioſis, ex cauſa prædicationis, tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, à Superioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur. Indulgentiæ conceſſę cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Miſſarum non fuerit*

adim-

Digitized by Google

adimpletus; ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore.

Secundò: *An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm Sæcularium.*

Tertiò: *An pariter id ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero Miſſarum, ob abſentiam ab Eccleſiis ſæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menſes.*

29. Horum dubiorum reſolutionem Summus Pontifex remiſit Sacræ Congregationi Concilii, quæ anno 1701. 30. Julii reſpondit.

Ad primum. *Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ, remanere ſuſpenſas; non autem in reliquis, dummodò rarò contingat.*

Ad ſecundum: *Non remanere ſuſpenſas.*

Ad tertium: *Proviſum in primo.*

30. Hæc omnia Confeſſor habebit præ oculis: hoc enim eſt, *more periti Medici ſuperinfundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati*, ut præcipitur in c. *Omnis utriuſque* adducto c. 9. nu. 3. Infundit vinum, oſtendens gravitatem pœnæ in Purgatorio luendæ per veteres Canones; & infundit oleum, inſinuans modum ſatisfaciendi pro talibus pœnis per ſatisfactionem Sanctorum, B. Virginis, & Chriſti, applicatam ſibi à Romano Pontifice in Indulgentia.

CAPUT XXIV.

De ipſo Pœnitentiæ Sacramento.

1. IN quolibet genere ſcientia partium ordinatur ad perfectam intelligentiam totius; & præſertim ſi totum ſit opus practicum, ſeù factibile à nobis, Magiſtri diſcipulos inſtruunt de partibus, ut ex illis tanquam mediis perfectiùs ſciant ordinare totum. Ita ſapiens Medicus inſtruit diſcipulos de natura lapidum, herbarum, etiam de motu planetarum, eclypſi, aut conjunctione ſolis, & lunæ, ut deinde ſciant diſcipuli ordinare medicinam congruam pro ſanatione infirmi. Eodem modo, quæ dicta ſunt fuſiùs de partibus ſacramenti Pœnitentiæ, ordinanda ſunt ad rectam adminiſtrationem ejuſdem ſacramenti; circà quam pauca ſuperſunt dicenda: etenim qui benè novit ordinare partes, etiam novit ordinare totum: nihilominus credidi, quod multùm poſſint aperire intellectum præparantis ſe ad confeſſiones hæc, quæ ſequuntur.

2. D. Extat nè præceptum aliquod Chriſtianis impoſitum ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ?

M. Duo ſacramenta tenentur ex præcepto divino ſuſcipere omnes Chriſtiani adulti, adeòut mortaliter peccent, ſi non ſuſcipiant, nempè, Baptiſmum, & Euchariſtiam. Tertium verò, ſcilicet, Pœnitentiam, tenentur ſuſcipere Chriſtiani omnes, qui poſt baptiſma lapſi ſunt in aliquod mortale peccatum. Ad hoc tenentur, & ex jure divino, & Eccleſiaſtico. Tridentinum exprimit jus divinum ſeſſ. 14. c. 1. 2. & 5. Eccleſiaſticum verò can. 8. & ſuprà cap. 8 data eſt lex, ſeù Canon promulgatus in Concilio Lateranenſi.

3. D. Ad quod Decalogi præceptum reducitur hoc præceptum de ſuſcipiendo Pœnitentiæ ſacramento?

M. Reduci poteſt ad primum Decalogi præceptum ex duplici capite: primò ex fine, quo tenemur ſuſcipere hoc ſacramentum, nam præcipitur nobis illud ſuſcipere, ut qui conſtitueramus nos ipſos finem ultimum noſtri, reſtituamus Deo rationem finis ultimi, quod jubet primum Decalogi præceptum: Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 16. num. 2. Ex alio capite reducitur ad illud, in quo tenemur exhibere cultum Deo; & ſicuti per ſecundum præceptum tenemur ad exhibendum cultum debitum in aſſumptione nominis divini, ita per primum tenemur exhibere cultum in aſſumptione rerum divinarum, quales ſunt omnia ſacramenta.

4. D. Tenemur nè ſuſcipere ſacramentum hoc ſtatim, ac nos cognoſcimus in peccato mortali?

M. Videatur S. Thomas ſuppl. q. 6. a. 5. qui, quia hoc præceptum affirmativum obligans ſemper, ſed non ad ſemper, deducit jure divino, præter quàm in articulo mortis, non eſſe determinatum tempus præciſum recipiendi hoc ſacramentum, licet aliquoties in vita nos obliget, ſed jure Eccleſiaſtico ex c. 8. n. 2. tenemur ſaltem ſemel in anno.

5. D. Si ego in vigilia S. Petri non jejunem, pecco mortaliter, ſed tranſacto illo die, & anno, in ſequenti non teneor jejunare bis; ſemel pro anno præterito, & ſemel pro præſenti, currit nè eadem pa-

ritas de præcepto confeſſionis ?

M. Non currit, & diſparitas eſt, quia jejunium eſt affixum tali tempori : At ſuſcipere ſacramentum pœnitentiæ non eſt affixum tali anno: Non enim Eccleſia dedit ipſa de ſe hoc præceptum ; ſed quia Deus non determinavit tempus hujus ſacramenti, Eccleſia ſuo præcepto determinavit illud, volens, quod non tranſiret peccatori annus ſine hoc ſacramento, & anno tranſacto nos obligat ad confitendum quam primùm: quare omittens confeſſionem in ſecundo anno dupliciter peccat : primò quia pro anno præcedenti non eſt confeſſus quam primùm : ſecundò quia non eſt confeſſus in ſecundo : & in tertio currunt tres obligationes, & ita de reliquis, quod autem obligatio ſuſcipiendi hoc ſacramento non ſit anno affixa, ſicut affixum eſt diei jejunium, habetur ex communi intelligentia Eccleſiæ, quæ intelligit affixum diei præceptum jejunii, divini officii &c. ſed non præceptum hujus ſacramenti. Facilè hinc Confeſſor enumerabit, quot peccata committat, qui v. g. per decennium omittit confiteri ; quæ non conſiderat pœnitens; At ſi Concionator in concionibus, Parochus in explicando die Dominico doctrinam Chriſtianam, & Confeſſor in confeſſionario, inducant auditores ad hanc reflexionem, videbit multos terreri numero tot peccatorum, & conaturos, ut diminuant.

6. D. Cui virtuti opponitur violatio hujus præcepti, ſeù divini, ſeù Eccleſiaſtici ?

M. Violatio hæc opponitur virtuti Religionis, per quam tenemur exhibere cultum debitum Deo; & violatio hæc opponitur dictæ virtuti tam per peccatum omiſſionis, contradictoriè oppoſitum, quam per peccatum commiſſionis oppoſitum contrariè : peccatum omiſſionis eſt, quando obligatus ego confiteri, non confiteor : peccatum commiſſionis eſt, quando obligatus ego facere confeſſionem bonam, facio malam quoad ſubſtantiam : ſicut enim extat præceptum affirmativum faciendi confeſſionem bonam, ita extat præceptum negativum, obligans ſemper, & ad ſemper, de non faciendo confeſſionem malam, quoad ſubſtantiam. Hoc violo per peccatum commiſſionis, quod eſt ſacrilegium. Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis c.30. n.9.*

7. D. Satisfacitnè præcepto annuæ confeſſionis, qui facit confeſſionem voluntariè nullam?

M. Id priùs aſſerebant nonnulli Doctores, eo motivo, quia Eccleſia non præcipit actus internos. At Alexander VII. prop. 4. prohibuit hanc opinionem : & juſtiſſimè : ut enim dictum eſt n. 5. Eccleſia determinavit tempus, quod Chriſtus indeterminatum reliquit, ſuſcipiendi hoc ſacramentum ; quod non ſuſcipit, qui facit confeſſionem voluntariè nullam.

8. D. Quia dictum eſt de propoſitione prohibita circà hoc ſacramentum, dicatur etiam, an extent pœnæ ab Eccleſia conſtitutæ contra non recipientes hoc ſacramentum?

M. Legatur Canon editus in Concilio Lateranenſi, & poſitus ſuprà c. 8. n. 2.

CAPUT XXV.

Dantur propoſitiones in materia morum prohibitæ ab Alexandro VII.

1. Rituale in Confeſſario duplicem ſcientiam requirit: alteram illis verbis adductis c. 7. num. 9. *Hujus ſacramenti doctrinam omnem rectè noſſe ſtudebit* : His verbis innuitur ſcientia de ſacramento Pœnitentiæ, ejuſque partibus, quæ huc uſque propoſita fuit, meo videri, quantum ſufficit Confeſſori ordinario, & exercenti munus illud triplex Judicis, Doctoris, & Medici pro communitate fidelium : requirit alteram illis verbis ex nu. 7. *diſcernens inter lepram, & lepram*, per quæ juxtà dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c.40.n.26. innuitur, quod Confeſſor debeat diſcernere peccatum à peccato &c. Utramque porrò ſcientiam Confeſſario comparandam dicit ibidem Ritualem per triplex medium, per orationem, per ſtudiũ, & per conſilium. Circà ſtudiũ, cui tantùm in hoc opere ſubveniri poteſt, præcipit fieri ex *probatis Auctoribus*, *præſertim è Catechiſmo Romano*. Agnoſcit quippè Catechiſmum editum *juſſu* Sedis Apoſtolicæ, quæ omnium eſt Eccleſiarum Mater, ac Magiſtra: quare Confeſſor *præſertim*, ſeù principaliter haurire debet ab hoc fonte ſuam ſcientiam, & ita proceſſimus huc uſque agentes de ſacramento Pœnitentiæ: propoſitis primum, quæ circà iſtud ſtatuit ; vel declaravit, vel confirmavit Apoſtolica Se-

Digitized by Google

des, in Tridentino, vel aliis Conciliis, in Catechiſmo, & in Rituali. Eodem igitur ordine procedendum eſt circà inſtructionem dandam de peccatis, ut primò præparans ſe ad confeſſiones ſciat, quid Apoſtolica Sedes decreverit circa nonnullas de moribus opiniones, quæ circumferebantur apud quoſdam Theologos. Et verò damnationem hanc maximè debet habere ad manus, qui ſe præparat audiendis confeſſionibus, tùm pro examine Romano, in quo de approbando experimentum ſumitur præcipuè ex iſtis: tùm maximè, quia, niſi probè ſciant damnationem, facilè illas imbibent ut licitas, ex frequenti lectione Auctorum, quos debent ſæpiùs evolvere, & fortè ex iis nonnullas olim amplectebantur.

2. Ut magis prodeſſem recurrenti has theſes damnatas, duo judicavi utillima: primùm innuere, cui virtuti opponantur ſingulæ propoſitiones morales: alterum: addere rationem aliquam, quæ mihi videtur efficax ad oſtendendum meritò fuiſſe damnatam. Illud tamen caveat Lector, ne judicet Apoſtolicam Sedem proceſſiſſe ad damnationem ex illa ratione: cum enim, quæ mihi videtur efficaciſſima, videri poſſit alteri infirmiſſima, qui talem judicaret rationem à me adductam, poſſet ſibi videri damnata propoſitio abſque ſufficienti fundamento, quod tamen eſſet omninò temerarium, ne quid ampliùs pro nunc dicam. Igitur Apoſtolicas Sedes damnavit prædictas theſes, præcipuumque habet ſuæ damnationis fundamentum; Sancti Spiritus inſtinctum, à quo Eccleſia docetur omnem veritatem; & ubi agitur de judicatis ab Apoſtolica Sede, motivum illa credendi debet eſſe non ratio, ſed quia proponuntur ab ipſa dictante Spiritu Sancto. Si verò quis ulteriùs peteret rationes, ob quas Theologi ab Apoſtolica Sede ad illarum examen deputati, cenſuerunt conſulendam damnationem, hujuſmodi rationes nunquam proponi conſueverunt.

Propoſitiones damnatæ de Anno 1665.

3. 1. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum* Fidei, Spei, & Charitatis, *ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Deſtruit præceptum affirmativum prædictarum virtutum, quæ ex Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 161. a. 4. ad 1. ſunt cauſa cæterarum, & finis: quare magis debemus verſari circa illas, quam circa reliquas, quæ ſunt media. Videatur Sanctus Thomas 2. 2 de præcepto fidei quæſt. 16. de præcepto ſpei qu. 22. de præcepto charitatis quæſt. 44.

4. 2. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Duellum quatenus ex S. Thoma 2.2. quæſt. 95. a. 8. ad 3. reducitur ad divinationem ſortis, eſt contra Religionem, &, quatenùs exponunt ſe periculo homicidii, eſt contrà juſtitiam; ad ſalvandam famam fortitudinis, non licet exponere periculo vitam hominis, quæ eſt bonum majus fama: vide dicta c. 14. n. 4. & S. Thomam q. 64. a. 5. Superſtitio etiam in omni caſu eſt prohibita, ejuſque ſpecies, divinatio.

5. 3. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1626. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregat. Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt*. Confert juriſdictionem, quæ ſpectat ad virtutem juſtitiæ legalis, nullatenùs toleratam, ſed imò ſemper reprobatam. Facultas Epiſcopis tradita per Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de ref. expreſsè tollitur verbis Bullæ Cœnæ. Vide dicta cap. 19. num. 43.

6. 4. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommuni catione propter eam incurſa*. Multò fortius damnari debuit ob motivum præcedentis.

7. 5. *Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis*. Offendit juſtitiam ex parte Denunciatoris, qui nunquam tenetur probare. S.Thom. 2.2.q. 68. a.2. ad 3.

8. 6. *Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti cartam poſteà legendam, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus*. Eſt contrà virtutem Religionis, & reverentiam debitam Sacramento, ſatis explicatam à Gregorio XV. in conſtitutione contrà ſollicitantes: Ut enim verè occidit,

qui

Digitized by Google

qui tradit enſem ad occidendum, licet non adhibendum nunc, ſed poſt mediam horam, ita ſollicitat ad rebellionem; qui tradit cartam rebellionis poſteà legendam, & ſollicitat ad Venerem in confeſſione, qui tradit tunc inſtrumentum, quo poſteà actu ſollicitetur.

9. 7. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante: hic poteſt ipſam abſolvere, abſque onere denunciandi.* Tribuit juriſdictionem, quæ ſpectat ad juſtitiam legalem, & deobligat à præcepto, quod omnes indiſtinctim afficere voluit Gregorius.

10. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt Decretum Urbani VIII.* Deſtruit rationem ſacrificii, quod eſt actus Religionis; & de quo dicitur 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris*; & Hæbr. 5. *Debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre.* Vide S. Thomam 3. par. quæſt. 82. art. 4.

11. 9. *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Contrà juſtitiam, ut cujus tenetur ad reſtitutionem ex eodem Decreto, & ex reſponſo Sacræ Congregationis ad octavum, & decimum dubium, inſerto in Bulla Innocentii Duodecimi de celebratione Miſſarum.

12. 10 *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* Attende Lector: Urbanus declarat, quod hujuſmodi accipientes *ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*, quæ eſt actus juſtitiæ commutativæ; & vide, cui credendum, an Pontifici definienti, an Theologo privato opinanti.

13. 11. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.* Contrà virtutem Religionis deſtruit integritatem Sacramenti, in quo ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. Sacerdos eſt Judex, ac Medicus; & ex cap. 5. *vulnus, quod ignorat, medicina non curat.* Abſolvitur quidem indirectè peccatum oblitum, ſed quia non poteſt Sacerdos judicare, quod pœnitens non accuſat, ut de illo judicetur, debet in ſequenti confeſſione exprimi.

14 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* Contrà juriſdictionem, quę ſpectat ad juſtitiam legalem: quæ juriſdictio, ſi erat, fuit omninò ablata per Clem. VIII. & per Clem. X. Vide ſup. c. 9. n. 8.

15. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.* Contrà virtutem juſtitiæ legalis, ut dat hanc juriſdictionem: Epiſcopus quidem peccat, injuſtè reprobando; ſed quis unquam ſomniavit in ulla Republica, quod peccatum Principis conferat juriſdictionem, quam ipſe Princeps [licet injuſtè] non vult conferre.

16. 14. *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Vide rationem c.26.n.7.

17. 15. *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.* Vide dicta c. 6. num. 12.

18. 16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Contrà juſtitiam legalem confert juriſdictionem non habenti, quandoquidem ab Ordinario confertur juriſdictio; & contrà Tridentinum ſeſſ.23. cap.15. de ref.

19. 17. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator, ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Eſt contrà juſtitiam commutativam, & ad vitandum minus malum, quod eſt infamia, aſſumitur majus malum, quod eſt occiſio. Vide dicta c.14. n.7.

20. 18. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia*

via

via non poteſt innocens damnum evitare. Ut præcedens; & ſi agatur de ſententia mortis, adhuc non licet ex S. Thoma 2. 2. q. 64. a. 7. Poſſum me defendere, etiam ſi ſequatur mors; & quando taliter inſtat violentè aggreſſor contra vitam, ut nulla alia ſit via me defendendi, quàm defenſione occiſiva. Hi autem verè, & propriè non aggrediuntur, ſed imò illos ego aggredior, & ita non me defendo, ſed alios offendo.

21. 19. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam*. Contra juſtitiam legalem, & commutativam, nec non pietatem. Vide Sanctum Thomam ſuppl. quæſt. 60. ar. 1. Hominem ſolus licitè poteſt occidere, qui à Principe conſtitutus eſt carnifex, & id poſtquam judicio publico reus fuit ſaltem convictus. Videat maritus, an à lege ſit declaratus carnifex.

22. 20. *Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia, ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna*. Expreſsè contraria Conſtitutione Pianæ dicenti, quod ex Concilio Lateranenſi *ſuos non faciat fructus, ſed tanquam injuſtè perceptos* erogare teneatur &c. Retinet igitur contra juſtitiam.

23. 21. *Habens Capellaniam collativam, aut aliud quodvis beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet*. Peccat contra virtutem Religionis, ad cujus determinatum actum Eccleſia obligat hujuſmodi Beneficiatum per ſe, non per alios, quia eſt onus individui, non communitatis. Vide apud S. Thomam ſuppl. q. 41. a. 2. rationem pro differentia præceptorum communitati, & præceptorum individuo. Et etiam contra Juſtitiam, ita ut teneatur reſtituere.

24. 22. *Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Eſt peccatum acceptionis perſonarum contra juſtitiam diſtributivam, de quo in genere, vide Sanctum Thomam 2. 2. quæſt. 62. ar. 2. & quæſt. 100. art. 3. ubi oſtendit, quæ ſunt ſpiritualibus annexa, ut à ſpiritualibus dependentia, gratis etiam exhibenda eſſe, ut ipſa ſpiritualia. Et etiam eſt Simonia contra Religionem.

25. 23. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult ſe ſubiicere præcepto*. E contra S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 3. recognoſcit jejunium, ut actum virtutis abſtinentiæ ab Eccleſia determinatum, pro tali tempore, cujus tranſgreſſor peccet mortaliter, non ſolum ſi contemnat ſtatutum Eccleſiæ, ait ad 2. ſed etiam *ſi hoc modo tranſgrediatur, quod impediatur finis, quem intendit*.

26. 24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideòque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem*. Vide Sanctum Thomam 2. 2. quæſt. 154. artic. 11. expreſsè diſtinguentem has omnes ſpecies immunditiarum.

27. 25. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra Caſtitatem, non explicando copulam*. Trid. ſeſſ. 14. oſtendit in confeſſione explicandam eſſe ſpeciem peccatorum, & circumſtantias neceſſarias. Porrò ex S. Thoma 1. 2. qu. 72. art. 7. actus conſumatus eſt in diverſa ſpecie ab actu incompleto; quare in tali caſu non explicatur ſpecies completa peccati.

28. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio*. Ex S. Thoma 2. 2. qu. 67. a. 3. *Homines ad Judicem confugiunt, ut ad Juſtitiam animatam*. Juſtitia autem legibus, & ratione dirigitur, non pecunia.

29. 27. *Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtet; rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*. Hæc propoſitio, quatenùs reſpicit agibilia, pertinet ad Syneſim, & eſſent ſanè fortunati, qui naſcuntur noviſſimè, ſi, quidquid aſſerunt, judicari deberet probabile, quouſque contrarium non proferat oraculum Spiritus Sancti. At è contra ſtatuere debet Theologus cum Boetio, quod *locus ab authoritate* humana infirmiſſimus eſt, ut conſentit Divus Thomas 1. part. quæſt. 1. a. 8. ad 2.

30.

30. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*. Eſt contra juſtitiam legalem, vi cujus Rom. 13 *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, Subditi eſtote non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. S. Thomas 1.2. q.96. art.4. qui ad 3. vult eſſe obediendum etiam legi injuſtè gravanti ſubditos, quando ſine ſcandalo, vel majori detrimento nequit reſiſti; & 2. 2. q.69. art.4. docet, quod neque reo ad mortem damnato injuſtè, licet reſiſtere per violentiam malo Principi, quando timetur ſcandalum, vel gravis turbatio.

Theſes damnatæ de Anno 1666.

31. 29. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*. Videntur inducti ad hanc propoſitionem contra virtutem abſtinentiæ ex principio magis univerſali, quod plures actiones phyſicè ſeparatæ nequeunt coadunari ad integrandam unam moralem; & quia quælibet comeſtio phyſica eſt in parva quantitate, nequit ex illis iteratis reſultare peccatum violationis jejunii. Sed ſi ita eſſet, quia in uno morſu quis parùm comedit, poſſet per totam diem replicare morſus ſine peccato: nec enim integrarentur ad unam actionem moralem. Vide S.Thomam 2. 2. quæſt. 147. art. 4. ad 4. ubi notat præcipi unicam comeſtionem, quæ ſufficiat ad victum, & certum eſt, quod in fine diei multùm exceſſit contra hoc præceptum.

32. 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio*. E contrà S. Thomas in prædicto articulo requirit, quod *cauſa ſit evidens*, & ſi ſit dubia, quod recurratur ad ſuperiorem, & ad 3. differens de operariis, qui laborant corporaliter in Republica, ait eſſe obligatos jejunio, etiam ſi labor ſit incompatibilis, quando commodè poteſt differri. At ſi non poſſit commodè differri, tunc eſſe recurrendum ad ſuperiorem, niſi aliud ſit conſuetum: nam tunc Prælati diſſimulantes videntur annuere.

33. 31. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter neceſſarium ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant*. Ratio data eſt in præcedenti.

34. 32. *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia, in quadrageſima obliget*. S. Thomas ubi ſupra a.8. ad 3. *Inter alia jejunia ſolemnius eſt quadrageſimale .... ideò in quolibet jejunio interdicitur eſus carnium: in quadrageſimali autem interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia*.

35. 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſinas, quas anteà Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit*. Vidimus ad 20. quod omittens horas ex Conſtitutione Pii injuſtè percipiat fructus, nec faciat ſuos: qui autem heri fecit eleemoſinam, & hodie furatur, per eleemoſinam heri factam, non facit ſuum, quod hodie furatur.

36. 34. *In die Palmarum, recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto* Contra virtutem Religionis illo die nos obligantem ex præcepto Eccleſiæ ad multò longiorem orationem, quam nos obliget in die Paſchæ.

37. 35. *Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die craſtino, & præſenti*. Caſus figurabatur, ut proponitur in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 14. num. 22. ſed quia ſeptem Horæ ſunt onus cujuslibet diei, quolibet die recitandæ ſunt ſeptem Horæ.

38. 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum*. Ac ſi poſſit eſſe meum, quod Princeps voluit non ampliùs eſſe meum, vel uti re, quæ non amplius eſt mea. Contra juſtitiam legalem, & commutativam.

39. 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V., hodiè ſunt revalidatæ*, quando eas nullatenùs revalidarunt Pontifices, ad quos pertinet diſtributio theſauri Eccleſiæ.

40. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primùm, eſt conſilium, non præceptum*. Idem ſunt *mandatum, & præceptum*: è contra opponuntur *mandatum*, & *conſilium*, quare implicat in terminis propoſitio. Contra Religionem.

41. 39. *Illa particula*, quam primum, in-

intelligitur, *cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*, ſed talis non eſt propria illius particulæ ſignificatio.

42. 40. *Eſt probabilis opinio*, *quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem*, *& ſenſibilem*, *quæ ex oſculo oritur*, *ſecluſo conſenſus ulterioris, & pollutionis periculo*. Contrarium expreſsè docuerat S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 4. ubi vide rationem. Contra Caſtitatem.

43. 41. *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam*, *ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii*, *vulgò* Regalo, *dum deficiente illo*, *nimis ægrè ageret vitam*, *& aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent*, *& alia famula nimis difficile inveniretur*. Certum eſt, quod circumſtantiæ omnes explicatæ, occaſionem proximam non reddunt abſolutè involuntariam; & ſic non expoliant illam à ratione peccati. Contra Caſtitatem.

44. 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget, ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus*. Et ita poteram contra juſtitiam exigere, ſi me obligaſſem ad non repetendum per annum, per menſem, per diem, per horam, per quadrans, quantum eſt ex vi propoſitionis.

45. 43. *Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quam per decem annos*. Omninò contrarium exigit propria ſignificatio illius particulæ *Annuum legatum*. Contra juſtitiam.

46. 44. *Quoad forum conſcientiæ Reo correcto*, *ejuſque contumacia ceſſante*, *ceſſant cenſuræ:* quæ ſunt pœna; & ita magna fœlicitas eſſet, ſi finito homicidio, vel alio peccato, reus non eſſet ampliùs obnoxius pœnæ. Contra juſtitiam legalem Eccleſiaſticam.

47. 45. *Libri prohibiti*, *donec expurgentur, poſſunt retineri*, *uſque dum adhibita diligentia corrigantur*, quando, & iſtos retinere prohibemur expreſsè in decreto. Contra Studioſitatem.

Primas 28. Alexander damnavit *ad minimum ut ſcandaloſas*: At ſequentes damnavit ad minimum ut ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas.

CAPUT XXVI.

Dantur propoſitiones prohibitæ ab Innocentio XI. ut ad minimum ſcandaloſæ, & in praxi pernicioſæ.

1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*. Contra virtutem Religionis: etenim exponimus Sacramenta periculo nullitatis.

2. *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem*. Ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 60. art. 2. judicium eſt temerarium, quando *deeſt certitudo rationis*; quæ ex ar. 3. ad 1. *in humanis actibus invenitur*, *putà*, *cum aliquid per idoneos teſtes probatur*. Vide clariùs, & fuſiùs eundem q. 67. a. 2. Contra juſtitiam.

3. *Generatim, dum probabilitate*, *ſive intrinſeca, ſive extrinſeca*, *quantumvis tenui*, *modò à probabilitatis finibus non exeatur*, *confiſi aliquid agimus*, *ſemper prudenter agimus*. Probabilitas extrinſeca eſt authoritas Doctorum, quæ ex cap. 25. num. 29. ad probandum eſt *locus infirmiſſimus*. Prudentia, utpotè virtus in intellectu reſidens reſpicit, pro objecto, quod eſt per ſe verum, ſed practicum, ideòque potens deficere, ſed per accidens, & ut in paucioribus; quare nullatenus poteſt reſpicere probabile, ut in propoſitione.

4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis*, *non credens ductus opinione minùs probabili*. Ex S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 1. motivum, quo ducimur ad credendum, eſt veritas prima revelans; propterea ex eodem q. 10. ar. 1. non ex opinione, infidelitas rationem exuit peccati, ſed quia nihil infidelis audierit de fide.

5. *An peccet mortaliter*, *qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret?* *condemnare non audemus*. Vide primam Alex. VII.

6. *Probabile eſt*, *ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*. Vide eandem.

7. *Tunc*

utriuſque ſexus Chriſti fideles ingreſſi ſunt. Qui ad tam frequentes, & numeroſas Redemptiones à dicto Ordine, ab initio illius fundationis, uſque ad præſens factas, liberalibus eleemoſinis cooperati ſunt.

3. Veriſſimum eſt evulgatas olim fuiſſe plurimas Indulgentias, quæ vel nunquam conceſſæ, vel jam revocatæ fuerant; & Confeſſor, qui nonnullas hujuſmodi velit agnoſcere, legat decretum de *Apocryphis Indulgentiis*, editum approbatione Innocenti XI. de anno 1678. Hujuſmodi etiam nonnullæ irrepſerant in Summario Indulgentiarum conceſſarum Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, ut non modò conſtat ex eodem Decreto; §. *Porro Summaria* &c. ſed & ex pluribus foliis, vel libris, in quibus leguntur Indulgentiæ ad oculum Apocryphæ; quare mandatur in prædicto Decreto, ut non permittantur hujuſmodi Summaria, niſi recognita. Porrò ut evulgari poſſent veræ Indulgentiæ, P. Joſephus Monior, vir doctrina, & pietate celebris, qui tunc temporis in Curia Romana erat Procurator Generalis totius Ordinis, Summarium noviter confectum præſentavit S. Congregationi *de Indulgentiis*, à qua recognitum fuit, & approbatum; atque Innocentius XI. inſeruit prædictæ Conſtitutioni decimæ in Ordinis Bullario.

4. Ad has igitur Indulgentias Confeſſores, ſive ii ſint Religioſi Calceati, & Excalceati ejuſdem Ordinis, ſive *alii*, qui audiunt Confeſſiones adſcriptorum in dictis Confraternitatibus, auctoritate Apoſtolica, erectis, vel erigendis, incitabunt ſuos Pœnitentes. Alias autem Apocryphas omninò prætermittent niſi velint ſubjacere Cenſuris, quas latas contra prædicantes Indulgentias falſas, diximus c. 20. verbo, *Simonia*.

Indulgentiæ autem in eadem Bulla inſertæ ſunt hujuſmodi.

5. 1. Conceditur plenaria omnibus pro die prima, qua vere pœnitentes, confeſſi, & ſacra communione refecti, adſcribentur dictæ Confraternitati, & ſuſcipient Scapulare benedictum à Superiore aliquo Ordinis, abſque voti emiſſione.

6. 2. Plenaria eiſdem, qui deferentes Scapulare, verè pœnitentes, & confeſſi, refecti ſacra communione, in articulo. mortis, protulerint, ſi potuerint, ore, ſin minus corde, Sanctiſſimum Jeſu nomen.

7. 3. Plenaria eiſdem, in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, ſi verè pœnitentes, confeſſi, & ſacra Communione refecti, Eccleſias, aut Capellam, vel Oratorium Ordinis, aut Confraternitatis viſitaverint. Debent orare pro concordia Principium Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, & exaltatione Eccleſiæ.

8. 4. Plenaria viſitantibus Eccleſias Ordinis in die feſto SS. Joannis de Matha, & Fælicis Valeſii.

9. 5. Plenaria in feſto Nativitatis, & Purificationis B. Mariæ, in die Cinerum, in feſto S. Agnetis ſecundò, in Dominica ſecunda Octobris, & in feſto S. Catharinæ V. & M. Dummodò orent, ut in tertia, & inſuper pro Captivorum libertate, & perſeverantia in fide.

10. 6. Plenaria eiſdem, qui tranſlaturi ſe ad partes Infidelium, pro redimendis Captivis, prius verè Pœnitentes, & Confeſſi communicaverint.

11. 7. Plenaria pro Captivis Redemptis, etiamſi non fuerint Confratres, qui intrà menſem à die, quo reducti ſunt, verè Pœnitentes, & confeſſi communicaverint.

12. 8. Eiſdem, eo die, quo in Miſſali Romano aſſignantur Stationes, ſi viſitaverint Eccleſias, aut Capellas, vel Oratoria Ordinis, aut Confraternitatis, conceduntur Indulgentiæ Stationum Urbis.

13. 9. Eiſdem, ſi pio cordis affectu deferentes Scapulare benedictum, & cum ſigno Crucis, ſemel in die recitabunt ſexies Orationem Dominicam, cum Verſiculo *Gloria Patri*, &c. ſexieſque Salutationem Angelicam, cum eodem Verſiculo, pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, & exaltatione Eccleſiæ, conceduntur ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

14. 10. Eiſdem, ſi in die Nativitatis, & Reſurrectionis Chriſti, nec non Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, viſitaverint Eccleſias, aut Capellas, vel Oratoria Ordinis,

dinis, aut Confraternitatis, recitando orationes poſitas in nona, ad eoſdem effectus concordiæ &c. ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

15. 11. Eiſdem, ſi pœnitentes, & confeſſi interfuerint Proceſſioni Scapularis una Dominica menſis; ſeptem anni, & totidem quadragenæ. Quod ſi, ultrà confeſſionem, communicaverint, & Deum oraverint, ut ſuprà in nona, conceditur Indulgentia plenaria.

16. 12. Eiſdem anni, & quadragenæ totidem, ſi exerceant opera pia, ſpiritualia, vel temporalia quæ dirigant ad finem conſequendi remiſſionem ſuorum peccatorum, & ut Captivi redimantur à ſervitute Infidelium.

17. 13. Eiſdem anni ſeptem Indulgentiarum, ſemel quotannis, & quo anni die maluerint, ſi quotidiè per annum recitantes ter orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam, ac ſemel Verſiculum *Gloria Patri* &c. cum aliis Orationibus à Superiore aſſignandis, vel loco harum à Superiore aſſignandarum, unum *Salve Regina*, verè pœnitentes, & confeſſi communicent, orantes pro Captivis apud Turcas, ne blaſphemetur nomen Domini Jeſu, ſed ut conſtantes in fide perſiſtant, & quantociùs liberentur.

18. 14. Eiſdem anni ſeptem, & quadragenæ totidem, ſi confeſſi, vel ſaltem habentes propoſitum confitendi, receperint proceſſionaliter captivos redemptos, & comitati fuerint ad Eccleſiam, Capellam, vel Oratorium Ordinis.

19. 15. Eiſdem quinque anni, & totidem quadragenæ, ſi comitentur, cum lumine, ubi poſſint, vel abſque lumine, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cum defertur ad infirmos, & pro his oraverint.

20. 16. Eiſdem dies centum, quoties comitantur ad ſepulturam corpus alicujus defuncti, & orant pro illo.

21. 17. Eiſdem dies centum toties, quoties interfuerint Miſſis, & aliis divinis Officiis in Eccleſiis, Capellis, aut Oratoriis Confraternitatis, vel ejuſdem publicis, aut privatis Congregationibus, vel pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut exercuerint aliud quodcumque opus pietatis, vel charitatis.

22. 18. Extat alia Indulgentia, ſed mihi attentè legenti Breve Clementis X. ordine decimum in noſtro Bullario, videtur ſolùm conceſſa Confratribus, & Sororibus, qui erunt adſcripti Confraternitatibus erectis in Eccleſiis noſtrorum Excalceatorum Congregationis Hiſpaniæ. Iſti, ſi per quadrantem horæ vacent orationi mentali, toties, quoties lucrantur centum dies, quod ſi vacent per mediam horam continuatam, lucrantur ſeptem annos. Quod ſi huic orationi, ſaltem per quadrantem, vacent ſingulis diebus ſemel, quolibet menſe, poſſunt lucrari plenariam, ſi verè Pœnitentes, & confeſſi communicent, quam plenariam poſſunt etiam, per modum ſuffragii, applicare pro animabus Purgatorii.

23. Pro conſequendis Indulgentiis hujuſmodi, ſolùm tenentur confratres deferre, & ſuper ſe geſtare Scapularium Ordinis parvulum ex lana alba, mun tum Cruce rubra, & cærulea, benedictumque ab aliquo Superiore Ordinis; Quod ſi Scapulare ſciſſum, amiſerit formam, renovata Cruce, iterum debet benedici. Prætereà debent apponere omnia, & ſingula opera, quæ Pontifex præcipit, juxtà dicta c. 13. n. 12. Porrò notabit Confeſſor, pluries injungi diverſa opera, ſed etiam orationes pro diverſis; v. gr. tertia exigit orationes pro concordia Principum &c. quinta verò exigit orationes pro Captivis. Omnia igitur erunt dirigenda in finem illum, quem Pontifex præcipit; & pro illis determinatè orandum, pro quibus injungitur. Hinc apparet non ſatisfacere ſuo muneri plenè Confeſſarium, qui manifeſtat Pœnitenti adeſſe Indulgentiam in aliqua Eccleſia, niſi etiam explicet opera Injuncta pro conſequenda Indulgentia, & ad quem finem particularem dirigendæ ſint orationes. Id ſanè aliis indicare non poterit, niſi prius attentè legerit formulam Indulgentiæ. Veruntamen quia ſæpè in Confeſſionali Pœnitens petit inſtrui, pro quibus orandum ſit, ſi aliàs in promptu non habet explicare, doceat, ut orationes applicet juxtà intentionem concedentis expreſſam in verbis formulæ.

24. Quia verò Confratribus, quinquies in anno, dari conſuevit Benedictio, ſeu Abſolutio generalis, nempè, feria quarta Cinerum, feria quinta majoris Hebdomadæ, in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, in feſto S. Catherinæ Virginis, & Martyris, & in feſto S. Agnetis ſecundò, hujuſmodi Abſolutio non eſt propriè à culpa, ſed

Digitized by Google

per illam ſolis Confratribus, ac Sororibus communicantur bona, & ſuffragia Religionis, dummodò vere penitentes, & confeſſi, ac ſacra communione refecti interſint hujuſmodi functioni. Et abſolutionem hanc propterea conſueverunt Religio, & Confraternitates largiri, etiam in Anno Sancto, ſecundum quod declaravit S. Congregatio Concilii, de menſe Januarii, anno 1700.

25. Illud præterea curet in praxi Confeſſor, ut Penitentes Indulgentiam lucraturi, adamuſſim, quantum fieri poteſt, opere impleant, quod Pontifex præcipit, non reſpicientes ad quaſdam opiniones, quę prætendunt variari poſſe ordinem operum injunctorum, ſi variatio eſſe dubitetur in ſubſtantia. Exemplo ſit Clauſula, quæ ſolet apponi communiter in Indulgentiis pro viſitatione Eccleſiarum, in earundem ſolemnitatibus, ut illas conſequantur, qui confeſſi, & ſacra communione refecti, viſitaverint Eccleſiam &c. Utique adſunt, qui credant viſitari poſſe prius Eccleſiam, & poſtponi confeſſionem, aut communionem; quidquid ſit de hac opinione, curet prædicta opera poni ordinate.

26. Quia verò dum Apoſtolica Sedes concedit Indulgentiam viſitantibus aliquam Eccleſiam, ſolet apponere clauſulam illam: *Volumus, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam, qualibet anni die viſitantibus, aliaqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit præſentes litteræ nullæ ſint*, gratum erit Confeſſori ſcire, quomodo intelligatur predicta clauſula. Igitur Sacra Congregatio Rituum anno 1676. 23. Junii, approbante Summo Pontifice, declaravit in dicta clauſula *minime contineri Altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias, aut certo perſonarum generi, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſve hujuſmodi preces recitantibus, ac iis qui Chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Eucharistiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias, inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ, conceſſas, neque demum, quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice, generatim Chriſti fidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Capellam viſitantibus eodem ãni die, vel diverſo, conceſſa fuerit, de qua non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe, prorſus irritas, ac nullas.*

27. Quia vero *ex omni ſatisfactionum genere*, inquit Catechiſmus p.2.c.5.n.80. *maximè convenit Penitentibus præcipere, ut ... pro omnibus, & præſertim pro iis, qui ex hac vita in Domino deceſſeruut, preces Deo faciant.* Confeſſor etiam incitabit ad lucrandas Indulgentias pro animabus defunctorum, præſertim per Miſsas (ubi Pœnitens id exequi commodè poteſt) celebrandas in Altari privilegiato. Circa quarum Miſsarum pro Defunctorum Animabus applicationem plura inſurrexere dubia, ſuper quibus emanavit deciſio Apoſtolica, & tandem Innocentius XI. 4. Maii 1688. expedivit Breve, cujus hęc eſt ſumma, quod Miſsæ celebratæ ad Altare privilegiatum ſuffragarentur, *ita ut Animæ Chriſti fidelium pro quibus celebrantur Indulgentias per Privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur, in omnibus, & per omnia, perinde ac si Miſſæ defunctorum ad formam eorundem Privilegiorum celebratæ fuiſſent*, quando Miſsę non dicuntur de Requiem, & quia juxta Rubricas Miſsalis, in tali die non poſsunt celebrari, quomodocunque id vetet Rubrica, ſive quia ſit feſtũ duplex, vel Dominica, feria, aut octava Privilegiata; Ex quibus verbis habes duo; primum, quod ut Indulgentia valeat alicui Animæ per modum ſuffragii, debet miſsa celebrari pro illa, ſecundo, quod eadem Miſsa debet eſse defunctorum, ubi Rubricæ Miſsalis non impediunt ita celebrari.

28. Pontifex concedens alicui Eccleſiæ hoc Altare privilegiatum ſolet exigere in dicta Eccleſia numerum determinatum Miſsarum. Circa quem numerum conſulatur Breve Pontificis concedentis. Porro ſuper hoc nu. excitata fuere dubia ſequentia.

Primò: *An abſentibus Religioſis, ex cauſa prædicationis, tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, à Superioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur. Indulgentiæ conceſſę cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorſus ceſſent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Miſſarum non fuerit adim-*

Digitized by Google

adimpletus; ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore.

Secundò: *An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm Sæcularium.*

Tertiò: *An pariter id ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero Miſſarum, ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menſes.*

29. Horum dubiorum reſolutionem Summus Pontifex remiſit Sacræ Congregationi Concilii, quæ anno 1701. 30. Julii reſpondit.

Ad primum. *Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ, remanere ſuſpenſas; non autem in reliquis, dummodò rarò contingat.*

Ad ſecundum: *Non remanere ſuſpenſas.*

Ad tertium: *Proviſum in primo.*

30. Hæc omnia Confeſſor habebit præ oculis: hoc enim eſt, *more periti Medici ſuperinfundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati*, ut præcipitur in c. *Omnis utriuſque* adducto c. 9. nu. 3. Infundit vinum, oſtendens gravitatem pœnæ in Purgatorio luendæ per veteres Canones; & infundit oleum, inſinuans modum ſatisfaciendi pro talibus pœnis per ſatisfactionem Sanctorum, B. Virginis, & Chriſti, applicatam ſibi à Romano Pontifice in Indulgentia.

CAPUT XXIV.

De ipſo Pœnitentiæ Sacramento.

1. IN quolibet genere ſcientia partium ordinatur ad perfectam intelligentiam totius; & præſertim ſi totum ſit opus practicum, ſeù factibile à nobis, Magiſtri diſcipulos inſtruunt de partibus, ut ex illis tanquam mediis perfectiùs ſciant ordinare totum. Ita ſapiens Medicus inſtruit diſcipulos de natura lapidum, herbarum, etiam de motu planetarum, eclypſi, aut conjunctione ſolis, & lunæ, ut deinde ſciant diſcipuli ordinare medicinam congruam pro ſanatione infirmi. Eodem modo, quæ dicta ſunt fuſiùs de partibus ſacramenti Pœnitentiæ, ordinanda ſunt ad rectam adminiſtrationem ejuſdem ſacramenti; circà quam pauca ſuperſunt dicenda: etenim qui benè novit ordinare partes, etiam novit ordinare totum: nihilominus credidi, quod multùm poſſint aperire intellectum præparantis ſe ad confeſſiones hæc, quæ ſequuntur.

2. D. Extat nè præceptum aliquod Chriſtianis impoſitum ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ?

M. Duo ſacramenta tenentur ex præcepto divino ſuſcipere omnes Chriſtiani adulti, adeòut mortaliter peccent, ſi non ſuſcipiant, nempè, Baptiſmum, & Euchariſtiam. Tertium verò, ſcilicet, Pœnitentiam, tenentur ſuſcipere Chriſtiani omnes, qui poſt baptiſma lapſi ſunt in aliquod mortale peccatum. Ad hoc tenentur, & ex jure divino, & Eccleſiaſtico. Tridentinum exprimit jus divinum ſeſſ. 14. c. 1. 2. & 5. Eccleſiaſticum verò can. 8. & ſuprà cap. 8 data eſt lex, ſeù Canon promulgatus in Concilio Lateranenſi.

3. D. Ad quod Decalogi præceptum reducitur hoc præceptum de ſuſcipiendo Pœnitentiæ ſacramento?

M. Reduci poteſt ad primum Decalogi præceptum ex duplici capite: primò ex fine, quo tenemur ſuſcipere hoc ſacramentum, nam præcipitur nobis illud ſuſcipere, ut qui conſtitueramus nos ipſos finem ultimum noſtri, reſtituamus Deo rationem finis ultimi, quod jubet primum Decalogi præceptum: Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 16. num. 2. Ex alio capite reducitur ad illud, in quo tenemur exhibere cultum Deo; & ſicuti per ſecundum præceptum tenemur ad exhibendum cultum debitum in aſſumptione nominis divini, ita per primum tenemur exhibere cultum in aſſumptione rerum divinarum, quales ſunt omnia ſacramenta.

4. D. Tenemur nè ſuſcipere ſacramentum hoc ſtatim, ac nos cognoſcimus in peccato mortali?

M. Videatur S. Thomas ſuppl. q. 6. a. 5. qui, quia hoc præceptum affirmativum obligans ſemper, ſed non ad ſemper, deducit jure divino, præter quàm in articulo mortis, non eſſe determinatum tempus præciſum recipiendi hoc ſacramentum, licèt aliquoties in vita nos obliget, ſed jure Eccleſiaſtico ex c. 8. n. 2. tenemur ſaltem ſemel in anno.

5. D. Si ego in vigilia S. Petri non jejunem, pecco mortaliter, ſed tranſacto illo die, & anno, in ſequenti non teneor jejunare bis; ſemel pro anno præterito, & ſemel pro præſenti, currit nè eadem paritas

ritas de præcepto confeſſionis?

M. Non currit, & diſparitas eſt, quia jejunium eſt affixum tali tempori: At ſuſcipere ſacramentum pœnitentiæ non eſt affixum tali anno: Non enim Eccleſia dedit ipſa de ſe hoc præceptum; ſed quia Deus non determinavit tempus hujus ſacramenti, Eccleſia ſuo præcepto determinavit illud, volens, quod non tranſiret peccatori annus ſine hoc ſacramento, & anno tranſacto nos obligat ad confitendum quam primùm: quare omittens confeſſionem in ſecundo anno dupliciter peccat: primò quia pro anno præcedenti non eſt confeſſus quam primùm: ſecundò quia non eſt confeſſus in ſecundo: & in tertio currunt tres obligationes, & ita de reliquis, quod autem obligatio ſuſcipiendi hoc ſacramento non ſit anno affixa, ſicut affixum eſt diei jejunium, habetur ex communi intelligentia Eccleſiæ, quæ intelligit affixum diei præceptum jejunii, divini officii &c. ſed non præceptum hujus ſacramenti. Facilè hinc Confeſſor enumerabit, quot peccata committat, qui v. g. per decennium omittit confiteri; quæ non conſiderat pœnitens; At ſi Concionator in concionibus, Parochus in explicando die Dominico doctrinam Chriſtianam, & Confeſſor in confeſſionario, inducant auditores ad hanc reflexionem, videbit multos terreri numero tot peccatorum, & conaturos, ut diminuant.

6. D. Cui virtuti opponitur violatio hujus præcepti, ſeu divini, ſeu Eccleſiaſtici?

M. Violatio hæc opponitur virtuti Religionis, per quam tenemur exhibere cultum debitum Deo; & violatio hæc opponitur dictæ virtuti tam per peccatum omiſſionis, contradictoriè oppoſitum, quam per peccatum commiſſionis oppoſitum contrariè: peccatum omiſſionis eſt, quando obligatus ego confiteri, non confiteor: peccatum commiſſionis eſt, quando obligatus ego facere confeſſionem bonam, facio malam quoad ſubſtantiam: ſicut enim extat præceptum affirmativum faciendi confeſſionem bonam, ita extat præceptum negativum, obligans ſemper, & ad ſemper, de non faciendo confeſſionem malam, quoad ſubſtantiam. Hoc violo per peccatum commiſſionis, quod eſt ſacrilegium. Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis c.30. n.9.*

7. D. Satisfacitnè præcepto annuæ confeſſionis, qui facit confeſſionem voluntariè nullam?

M. Id priùs aſſerebant nonnulli Doctores, eo motivo, quia Eccleſia non præcipit actus internos. At Alexander VII. prop. 4. prohibuit hanc opinionem: & juſtiſſimè: ut enim dictum eſt n. 5. Eccleſia determinavit tempus, quod Chriſtus indeterminatum reliquit, ſuſcipiendi hoc ſacramentum; quod non ſuſcipit, qui facit confeſſionem voluntariè nullam.

8. D. Quia dictum eſt de propoſitione prohibita circà hoc ſacramentum, dicatur etiam, an extent pœnæ ab Eccleſia conſtitutæ contra non recipientes hoc ſacramentum?

M. Legatur Canon editus in Concilio Lateranenſi, & poſitus ſuprà c. 8. n. 2.

CAPUT XXV.

Dantur propoſitiones in materia morum prohibitæ ab Alexandro VII.

1. RItuale in Confeſſario duplicem ſcientiam requirit: alteram illis verbis adductis c. 7. num. 9. *Hujus ſacramenti doctrinam omnem rectè noſſe ſtudebit*: His verbis innuitur ſcientia de ſacramento Pœnitentiæ, ejuſque partibus, quæ huc uſque propoſita fuit, meo videri, quantum ſufficit Confeſſori ordinario, & exercenti munus illud triplex Judicis, Doctoris, & Medici pro communitate fidelium: requirit alteram illis verbis ex nu. 7. *diſcernens inter lepram, & lepram*, per quæ juxtà dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c.40.n.26. innuitur, quod Confeſſor debeat diſcernere peccatum à peccato &c. Utramque porrò ſcientiam Confeſſario comparandam dicit ibidem Ritualem per triplex medium, per orationem, per ſtudiū, & per conſilium. Circà ſtudiū, cui tantùm in hoc opere ſubveniri poteſt, præcipit fieri ex *probatis Auctoribus*, *præſertim è Catechiſmo Romano*. Agnoſcit quippè Catechiſmum editum juſſu Sedis Apoſtolicæ, quæ omnium eſt Eccleſiarum Mater, ac Magiſtra: quare Confeſſor *præſertim*, ſeu principaliter haurire debet ab hoc fonte ſuam ſcientiam, & ita proceſſimus huc uſque agentes de ſacramento Pœnitentiæ: propoſitis primum, quæ circà iſtud ſtatuit, vel declaravit, vel confirmavit Apoſtolica Se-

des

des, in Tridentino, vel aliis Conciliis, in Catechiſmo, & in Rituali. Eodem igitur ordine procedendum eſt circà inſtructionem dandam de peccatis, ut primò præparans ſe ad confeſſiones ſciat, quid Apoſtolica Sedes decreverit circa nonnullas de moribus opiniones, quæ circumferebantur apud quoſdam Theologos. Et verò damnationem hanc maximè debet habere ad manus, qui ſe præparat audiendis confeſſionibus, tùm pro examine Romano, in quo de approbando experimentum ſumitur præcipuè ex iſtis: tùm maximè, quia, niſi probè ſciant damnationem, facilè illas imbibent ut licitas, ex frequenti lectione Auctorum, quos debent ſæpiùs evolvere, & fortè ex iis nonnullas olim amplectebantur.

2. Ut magis prodeſſem recurrenti has theſes damnatas, duo judicavi utillima: primùm innuere, cui virtuti opponantur ſingulæ propoſitiones morales: alterum: addere rationem aliquam, quæ mihi videtur efficax ad oſtendendum meritò fuiſſe damnatam. Illud tamen caveat Lector, ne judicet Apoſtolicam Sedem proceſſiſſe ad damnationem ex illa ratione: cum enim, quæ mihi videtur efficaciſſima, videri poſſit alteri infirmiſſima, qui talem judicaret rationem à me adductam poſſet ſibi videri damnata propoſitio abſque ſufficienti fundamento, quod tamen eſſet omninò temerarium, ne quid ampliùs pro nunc dicam. Igitur Apoſtolicas Sedes damnavit prædictas theſes, præcipuumque habet ſuæ damnationis fundamentum; Sancti Spiritus inſtinctum, à quo Eccleſia docetur omnem veritatem; & ubi agitur de judicatis ab Apoſtolica Sede, motivum illa credendi debet eſſe non ratio, ſed quia proponuntur ab ipſa dictante Spiritu Sancto. Si verò quis ulteriùs peteret rationes, ob quas Theologi ab Apoſtolica Sede ad illarum examen deputati, cenſuerunt conſulendam damnationem, hujuſmodi rationes nunquam proponi conſueverunt.

Propoſitiones damnatæ de Anno 1665.

3. 1. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum* Fidei, Spei, & Charitatis, *ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Deſtruit præceptum affirmativum prædictarum virtutum, quæ ex Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 161. a. 4. ad 1. ſunt cauſa cæterarum, & finis: quare magis debemus verſari circa illas, quam circa reliquas, quæ ſunt media. Videatur Sanctus Thomas 2. 2 de præcepto fidei quæſt. 16. de præcepto ſpei qu. 22. de præcepto charitatis quæſt. 44.

4. 2. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Duellum quatenus ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 95. a. 8. ad 3. reducitur ad divinationem ſortis, eſt contra Religionem, &, quatenùs exponunt ſe periculo homicidii, eſt contrà juſtitiam; ad ſalvandam famam fortitudinis, non licet exponere periculo vitam hominis, quæ eſt bonum majus fama: vide dicta c. 14. n. 4. & S. Thomam q. 64. a. 5. Superſtitio etiam in omni caſu eſt prohibita, ejuſque ſpecies, divinatio.

5. 3. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1626. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregat. Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt*. Confert juriſdictionem, quæ ſpectat ad virtutem juſtitiæ legalis, nullatenùs toleratam, ſed imò ſemper reprobatam. Facultas Epiſcopis tradita per Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de ref. expreſsè tollitur verbis Bullæ Cœnæ. Vide dicta cap. 19. num. 43.

6. 4. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommuni catione propter eam incurſa*. Multò fortius damnari debuit ob motivum præcedentis.

7. 5. *Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis*. Offendit juſtitiam ex parte Denunciatoris, qui nunquam tenetur probare. S. Thom. 2. 2. q. 68. a. 2. ad 3.

8. 6. *Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti cartam poſteà legendam, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus*. Eſt contrà virtutem Religionis, & reverentiam debitam Sacramento, ſatis explicatam à Gregorio XV. in conſtitutione contrà ſollicitantes: Ut enim verè occidit,

qui

qui tradit enſem ad occidendum, licet non adhibendum nunc, ſed poſt mediam horam, ita ſollicitat ad rebellionem; qui tradit cartam rebellionis poſteà legendam, & ſollicitat ad Venerem in confeſſione, qui tradit tunc inſtrumentum, quo poſteà actu ſollicitetur.

9. 7. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur eum ſollicitante: hic poteſt ipſam abſolvere, abſque onere denunciandi.* Tribuit juriſdictionem, quæ ſpectat ad juſtitiam legalem, & deobligat à præcepto, quod omnes indiſtinctim afficere voluit Gregorius.

10. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt Decretum Urbani VIII.* Deſtruit rationem ſacrificii, quod eſt actus Religionis; & de quo dicitur 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris*; & Hæbr. 5. *Debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre.* Vide S. Thomam 3. par. quæſt. 82. art. 4.

11. 9. *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Contrà juſtitiam, ut cujus tenetur ad reſtitutionem ex eodem Decreto, & ex reſponſo Sacræ Congregationis ad octavum, & decimum dubium, inſerto in Bulla Innocentii Duodecimi de celebratione Miſſarum.

12. 10 *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* Attende Lector: Urbanus declarat, quod hujuſmodi accipientes *ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*, quæ eſt actus juſtitiæ commutativæ; & vide, cui credendum, an Pontifici definienti, an Theologo privato opinanti.

13. 11. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.* Contrà virtutem Religionis deſtruit integritatem Sacramenti, in quo ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. Sacerdos eſt Judex, ac Medicus; & ex cap. 5. *vulnus, quod ignorat, medicina non curat.* Abſolvitur quidem indirectè peccatum oblitum, ſed quia non poteſt Sacerdos judicare, quod pœnitens non accuſat, ut de illo judicetur, debet in ſequenti confeſſione exprimi.

14 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.* Contrà juriſdictionem, quę ſpectat ad juſtitiam legalem: quæ juriſdictio, ſi erat, fuit omninò ablata per Clem. VIII. & per Clem. X. Vide ſup. c. 9. n. 8.

15. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.* Contrà virtutem juſtitiæ legalis, ut dat hanc juriſdictionem: Epiſcopus quidem peccat, injuſtè reprobando; ſed quis unquam ſomniavit in ulla Republica, quod peccatum Principis conferat juriſdictionem, quam ipſe Princeps [licèt injuſtè] non vult conferre.

16. 14. *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Vide rationem c. 26. n. 7.

17. 15. *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.* Vide dicta c. 6. num. 12.

18. 16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Contrà juſtitiam legalem confert juriſdictionem non habenti, quandoquidem ab Ordinario confertur juriſdictio; & contrà Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 15. de ref.

19. 17. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator, ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Eſt contrà juſtitiam commutativam, & ad vitandum minus malum, quod eſt infamia, aſſumitur majus malum, quod eſt occiſio. Vide dicta c. 14. n. 7.

20. 18. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia*

via non poteſt innocens damnum evitare. Ut præcedens; & ſi agatur de ſententia mortis, adhuc non licet ex S. Thoma 2. 2. q. 64. a. 7. Poſſum me defendere, etiam ſi ſequatur mors; & quando taliter inſtat violentè aggreſſor contra vitam, ut nulla alia ſit via me defendendi, quàm defenſione occiſiva. Hi autem verè, & propriè non aggrediuntur, ſed imò illos ego aggredior, & ita non me defendo, ſed alios offendo.

21. 19. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam*. Contra juſtitiam legalem, & commutativam, nec non pietatem. Vide Sanctum Thomam ſuppl. quæſt. 60. ar. 1. Hominem ſolus licitè poteſt occidere, qui à Principe conſtitutus eſt carnifex, & id poſtquam judicio publico reus fuit ſaltem convictus. Videat maritus, an à lege ſit declaratus carnifex.

22. 20. *Reſtitutio à Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia, ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna*. Expreſsè contraria Conſtitutione Pianæ dicenti, quod ex Concilio Lateranenſi *ſuos non faciat fructus, ſed tanquam injuſtè perceptos* erogare teneatur &c. Retinet igitur contra juſtitiam.

23. 21. *Habens Capellaniam collativam, aut aliud quodvis beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet*. Peccat contra virtutem Religionis, ad cujus determinatum actum Eccleſia obligat hujuſmodi Beneficiatum per ſe, non per alios, quia eſt onus individui, non communitatis. Vide apud S. Thomam ſuppl. q. 41. a. 2. rationem pro differentia præceptorum communitati, & præceptorum individuo. Et etiam contra Juſtitiam, ita ut teneatur reſtituere.

24. 22. *Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Eſt peccatum acceptionis perſonarum contra juſtitiam diſtributivam, de quo in genere, vide Sanctum Thomam 2. 2. quæſt. 62. ar. 2. & quæſt. 100. art. 3. ubi oſtendit, quæ ſunt ſpiritualibus annexa, ut à ſpiritualibus dependentia, gratis etiam exhibenda eſſe, ut ipſa ſpiritualia. Et etiam eſt Simonia contra Religionem.

25. 23. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult ſe ſubiicere præcepto*. E contra S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 3. recognoſcit jejunium, ut actum virtutis abſtinentiæ ab Eccleſia determinatum, pro tali tempore, cujus tranſgreſſor peccet mortaliter, non ſolum ſi contemnat ſtatutum Eccleſiæ, ait ad 2. ſed etiam *ſi hoc modo tranſgrediatur, quod impediatur finis, quem intendit*.

26. 24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideòque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem*. Vide Sanctum Thomam 2. 2. quæſt. 154. artic. 11. expreſsè diſtinguentem has omnes ſpecies immunditiarum.

27. 25. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra Caſtitatem, non explicando copulam*. Trid. ſeſſ. 14. oſtendit in confeſſione explicandam eſſe ſpeciem peccatorum, & circumſtantias neceſſarias. Porrò ex S. Thoma 1. 2. qu. 72. art. 7. actus conſumatus eſt in diverſa ſpecie ab actu incompleto; quare in tali caſu non explicatur ſpecies completa peccati.

28. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio*. Ex S. Thoma 2. 2. qu. 67. a. 3. *Homines ad Judicem confugiunt, ut ad Juſtitiam animatam*. Juſtitia autem legibus, & ratione dirigitur, non pecunia.

29. 27. *Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtet; rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*. Hæc propoſitio, quatenùs reſpicit agibilia, pertinet ad Syneſim, & eſſent ſanè fortunati, qui naſcuntur noviſſimè, ſi, quidquid afferunt, judicari deberet probabile, quouſque contrarium non proferat oraculum Spiritus Sancti. At è contra ſtatuere debet Theologus cum Boetio, quod *locus ab authoritate* humana infirmiſſimus eſt, ut conſentit Divus Thomas 1. part. quæſt. 1. a. 8. ad 2.

30.

30. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*. Eſt contra juſtitiam legalem, vi cujus Rom. 13 *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, Subditi eſtote non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*. S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 4. qui ad 3. vult eſſe obediendum etiam legi injuſtè gravanti ſubditos, quando ſine ſcandalo, vel majori detrimento nequit reſiſti; & 2. 2. q. 69. art. 4. docet, quod neque reo ad mortem damnato injuſtè, licet reſiſtere per violentiam malo Principi, quando timetur ſcandalum, vel gravis turbatio.

Theſes damnatæ de Anno 1666.

31. 29. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Videntur inducti ad hanc propoſitionem contra virtutem abſtinentiæ ex principio magis univerſali, quod plures actiones phyſicè ſeparatæ nequeunt coadunari ad integrandam unam moralem; & quia quælibet comeſtio phyſica eſt in parva quantitate, nequit ex illis iteratis reſultare peccatum violationis jejunii. Sed ſi ita eſſet, quia in uno morſu quis parùm comedit, poſſet per totam diem replicare morſus ſine peccato: nec enim integrarentur ad unam actionem moralem. Vide S. Thomam 2. 2. quæſt. 147. art. 4. ad 4. ubi notat præcipi unicam comeſtionem, quæ ſufficiat ad victum, & certum eſt, quod in fine diei multùm exceſſit contra hoc præceptum.

32. 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.* E contrà S. Thomas in prædicto articulo requirit, quod *cauſa ſit evidens*, & ſi ſit dubia, quod recurratur ad ſuperiorem, & ad 3. differens de operariis, qui laborant corporaliter in Republica, ait eſſe obligatos jejunio, etiam ſi labor ſit incompatibilis, quando commodè poteſt differri. At ſi non poſſit commodè differri, tunc eſſe recurrendum ad ſuperiorem, niſi aliud ſit conſuetum: nam tunc Prælati diſſimulantes videntur annuere.

33. 31. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter neceſſarium ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.* Ratio data eſt in præcedenti.

34. 32. *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia, in quadrageſima obliget.* S. Thomas ubi ſupra a. 8. ad 3. *Inter alia jejunia ſolemnius eſt quadrageſimale .... ideò in quolibet jejunio interdicitur eſus carnium: in quadrageſimali autem interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia.*

35. 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſinas, quas anteà Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.* Vidimus ad 20. quod omittens horas ex Conſtitutione Pii injuſtè percipiat fructus, nec faciat ſuos: qui autem heri fecit eleemoſinam, & hodie furatur, per eleemoſinam heri factam, non facit ſuum, quod hodie furatur.

36. 34. *In die Palmarum, recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto* Contra virtutem Religionis illo die nos obligantem ex præcepto Eccleſiæ ad multò longiorem orationem, quam nos obliget in die Paſchæ.

37. 35. *Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die craſtino, & præſenti.* Caſus figurabatur, ut proponitur in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 14. num. 22. ſed quia ſeptem Horæ ſunt onus cujuslibet diei, quolibet die recitandæ ſunt ſeptem Horæ.

38. 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.* Ac ſi poſſit eſſe meum, quod Princeps voluit non ampliùs eſſe meum, vel uti re, quæ non amplius eſt mea. Contra juſtitiam legalem, & commutativam.

39. 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V., hodiè ſunt revalidatæ*, quando eas nullatenùs revalidarunt Pontifices, ad quos pertinet diſtributio theſauri Eccleſiæ.

40. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primùm, eſt conſilium, non præceptum.* Idem ſunt *mandatum, & præceptum*: è contra opponuntur *mandatum*, & *conſilium*, quare implicat in terminis propoſitio. Contra Religionem.

41. 39. *Illa particula*, quam primum, in-

intelligitur , cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur, ſed talis non eſt propria illius particulæ ſignificatio.

42. 40. *Eſt probabilis opinio , quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum h. bitum ob delectationem carnalem , & ſenſibilem , quæ ex oſculo oritur , ſecluſo conſenſus ulterioris, & pollutionis periculo*. Contrarium expreſsè docuerat S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 4. ubi vide rationem . Contra Caſtitatem.

43. 41. *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam , ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii , vulgò* Regalo, *dum deficiente illo , nimis ægrè ageret vitam , & aliæ epulæ tedio magno concubinarium afficerent , & alia famula nimis difficile inveniretur*. Certum eſt, quod circumſtantiæ omnes explicatæ , occaſionem proximam non reddunt abſolutè involuntariam; & ſic non expoliant illam à ratione peccati. Contra Caſtitatem.

44. 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget, ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus*. Et ita poteram contra juſtitiam exigere, ſi me obligaſſem ad non repetendum per annum, per menſem , per diem, per horam, per quadrans, quantum eſt ex vi propoſitionis.

45. 43. *Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quam per decem annos*. Omninò contrarium exigit propria ſignificatio illius particulæ *Annuum legatum*. Contra juſtitiam.

46. 44. *Quoad forum conſcientiæ Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ:* quæ ſunt pœna; & ita magna fœlicitas eſſet, ſi finito homicidio , vel alio peccato, reus non eſſet ampliùs obnoxius pœnæ. Contra juſtitiam legalem Eccleſiaſticam.

47. 45. *Libri prohibiti , donec expurgentur, poſſunt retineri , uſque dum adhibita diligentia corrigantur* , quando, & iſtos retinere prohibemur expreſsè in decreto . Contra Studioſitatem.

Primas 28. Alexander damnavit *ad minimum ut ſcandaloſas*: At ſequentes damnavit ad minimum ut ſcandaloſas , & in praxi pernicioſas.

CAPUT XXVI.

Dantur propoſitiones prohibitæ ab Innocentio XI. ut ad minimum ſcandaloſę , & in praxi pernicioſæ.

1. N*On eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex , conventio , aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione baptiſmi , Ordinis Sacerdotalis , aut Epiſcopalis*. Contra virtutem Religionis: etenim exponimus Sacramenta periculo nullitatis.

2. *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem* . Ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 60. art. 2. judicium eſt temerarium , quando *deeſt certitudo rationis*; quæ ex ar. 3. ad 1. *in humanis actibus invenitur , putà , cum aliquid per idoneos teſtes probatur* . Vide clariùs, & fuſiùs eundem q. 67. a. 2. Contra juſtitiam.

3. *Generatim , dum probabilitate , ſive intrinſeca, ſive extrinſeca , quantumvis tenui , modò à probabilitatis finibus non exeatur , confiſi aliquid agimus , ſemper prudenter agimus*. Probabilitas extrinſeca eſt authoritas Doctorum , quæ ex cap. 25. num. 29. ad probandum eſt *locus infirmiſſimus*. Prudentia , utpotè virtus in intellectu reſidens reſpicit, pro objecto, quod eſt per ſe verum, ſed practicum , ideòque potens deficere, ſed per accidens , & ut in paucioribus; quare nullatenus poteſt reſpicere probabile, ut in propoſitione.

4. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis , non credens ductus opinione minùs probabili*. Ex S. Thoma 2. 2. q. 1. a. 1. motivum , quo ducimur ad credendum, eſt veritas prima revelans; propterea ex eodem q. 10. ar. 1. non ex opinione , infidelitas rationem exuit peccati , ſed quia nihil infidelis audierit de fide.

5. *An peccet mortaliter , qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret ? condemnare non audemus* . Vide primam Alex. VII.

6. *Probabile eſt , ne ſingulis quidem rigoroſè quinqueniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*. Vide eandem.

7. *Tunc*

7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.* Tenemur juſtificari, ut amemus Deum, non amare Deum, ut juſtificemur.

8. *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* In nullo actu poſſumus quærere delectationem ſecundum ſe; quare peccat, qui comedit ob ſolam voluptatem; multò magis ſi comedat ad ſatietatem. S. Thomas ſuppl. q.49. a.6. in argumento: *Sed contra*. Eſt contra Abſtinentiam.

9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.* Ratio præcedentis eſt univerſalis. Vide S. Thomam ſuppl. q.49.a.6. Contra Caſtitatem.

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* Vide S. Th. 2.2.q.25. a. 12. qui ex S. Auguſt. ponit quatuor diligenda ex charitate, Deum, qui ſuprà nos eſt, nos ipſos, qui intrà nos ſumus, proximum, qui juxtà nos eſt, & corpus proprium, quod infrà nos eſt. Secundum mandatum eſt. Matt. 22. *Diliges proximum tuum*; dilectio autem eſt actus internus, & formalis. Contra charitatem.

11. *Præcepto proximum diligendi, ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Vide præcedentem.

12. *Vix in ſæcularibus, invenies, etiam in regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſinam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui:* Dicitur 1. Jo. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate*; quare ultra actum internum diligendus eſt proximus, etiam per externã beneficentiam: quid autem intelligatur per ſuperfluum ſtatui, vide apud S. Th. 2.2.qu. 32. a.5. & 6 Contra charitatem.

13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali, de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Mors proximi ſolùm poteſt ordinari, ut medium, ad bonum publicum, utpotè majus, & quidem ab habente authoritatem publicam, & quando vita eſſet maximè damnoſa bono publico. Contra charitatem approbat Invidiam.

14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Vide præcedentem.

15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio, parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Vide duas præcedentes.

16. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.* Dicitur Jo. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Contra Fidem.

17. *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Vide primam ex damnatis ab Alexandro VII. & præcedentem.

18. *Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.* Cõtrarium probat S. Th. 2.2.q.3.a.2. ex illo Rom. 10. *Ore confeſſio fit ad ſalutem*, dicens obligari, *ſi quis interrogatus de fide taceret*, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quòd fides non *eſſet vera, vel alii, per ejus taciturnitatem, averterentur à fide.*

19. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Pertinacia, qua ſæpè defendimus vana, & futilia, etiam ſine ulla ratione, oſtendit, quàm falſa ſit propoſitio. Contra Fidem.

20. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* Prudentia eſt recta ratio agibilium; & aſſenſus ſupernaturalis eſt aſſenſus fundatus in revelatione divina: quare juxtã hanc Theſim, recta ratio poterat dictare, quod ut falſa repudiaremus, quæ Deus revelavit eſſe vera.

21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* E contra ex Auguſtino Angelicus 2.2.q.171. a. 5. vult quod fidei aſſenſus habeat *maximum certitudinem*, & quod Abraham nullatenùs præparaſſet ſe ad immolandum filium, *niſi de divina revelatione fuiſſet certiſſimus.*

22. *Non niſi fides unius Dei videtur neceſſaria neceſſitate medii; non autem explicita Remuneratoris.* E cõtra Hebr. 11. dicitur: *Accedentem ad Deum oportet credere quia*

eſt,

eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit: Si eſt neceſſaria charitas, etiam fides, & ſpes, quæ præcedunt charitatem.

23. *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit.* Debet præcedere virtus fidei Theologicæ, hoc eſt, fundatæ in teſtimonio primæ veritatis loquentis ad Eccleſiam Catholicam, & per Eccleſiam Catholicam nobis.

24. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.* E' contra S. Thomas 2.2. q. 98. a. 3. ad 2. *Qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam, ſed quantum ad aliquid magis auget; & ideo non excuſatur à peccato mortali.* Contrà Religionem.

25. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Qui jurat ſine animo jurandi, adhibet verba de ſe ſignificativa animi, quem non habet; & ita mentitur, habens aliud in ore, aliud in corde. Vide San. Thomam 2.2. qu. 110. a. 1. Contrà Religionem.

26. *Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa ſive quocunque alio fine juret. ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam* [illegible] *ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Juramentum confirmat, quod ore exprimitur: quare ſi aliud ſit in mente, aliud in voce, jam eſt mendacium. Contra Religionem.

27. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Occultare veritatem tacendo, licet aliquando ex San. Thoma 2. 2. q. 69. a. 1. ſed utendo amphibologiis in datis caſibus facimus aliquid amplius, quam occultare ſilentio veritatem: Porrò præparans ſe ad confeſſiones inveſtiget, ad quod vitium reducatur hæc amphibologia, ut poſſit Theologice diſcernere, num liceat ob graviores cauſas. Contra Veracitatem.

28. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis quia non tenetur fateri crimen occultum.* S. Th. 2.2. q. 89. a. 7. ad 4. ait: *Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, ſi hoc provenit ex dolo jurantis, debet ſervari juxta ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur*: Vide illum: duo enim probat: primò quod tale juramentum ſit doloſum, & per conſequens perjurium: ſecundò quod ſervandum ſit juxta intentionem exigentis.

29. *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta ſacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Hæc ſimulatio, utpote intrinſece mala, non poteſt cohoneſtari ex timore gravi. Contra Religionem.

30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapham, vel fuſte percutiat; & poſt impactam alapham, vel ictum fuſtis fugiat.* Eſt contra juſtitiam commutativam: Vide 18. Alexandri VII.

31. *Regulariter poſſum occidere furem pro conſervatione unius aurei.* Hanc Theſim horrebant etiam Hæretici, utpotè facientem minoris uno aureo vitam hominis. Contra Juſtitiam.

32. *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* Verbo defenſionis cohoneſtat occiſionem, quæ eſt vera offenſio, niſi ad ſummum in caſu, de quo S Thomas adductus ad 18. Alexandri VII. Contra Juſtitiam.

33. *Licitum eſt tam Hæredi, quam Legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.* Vide præcedentem. Occiſio nullatenus poteſt intendi, & ut permittatur licitè, nulla alia debet eſſe via defendendi vitam meam. Contra Juſtitiam.

33. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, nè puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Reducitur ad homicidium innocentis, cui vita impeditur; nec poteſt tolli vita vel in actu, vel in potentia innocenti, ne tollatur vita pecca-

Digitized by Google

peccatori; multò minùs ne tollatur fama, quæ eſt bonum inferius vita. Contra Juſtitiam.

35. *Videtur probabile, omnem fætum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tùnc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Contra omnem Philoſophiam inducta fuit hæc opinio, ut juxtà præcedentem puellæ paſsim, ad ſalvandam famam, poſſent procurare quemlibet abortum.

36. *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Contra juſtitiam: vide S. Thomam 2. 2. q. 66. a. 7. qui docet arbitrio poſſidentis eſſe commiſſum, ut diſpenſet propria, ut ſubveniat neceſſitatibus aliorum; & tunc ſolùm licitè accipi poſſe rem alienam, quando eſt *evidens, & urgens neceſſitas*, hoc eſt, *cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt.*

37. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere, ad compenſandam operam ſuam; quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Et ita in cauſa propria famulus conſtituitur Judex ſui heri, quo nihil monſtruoſius? Contra Juſtitiam.

38. *Non tenetur quis ſub pœnâ peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.* Ita docentès decepti ſunt eo, quia ſemper iſte fur accipit alienum in materia levi; ſed notandum, quod reſtituere tenetur etiam, qui alienum retinet in materia gravi, eſto non peccaſſet, quando accepit; ergo fur, de quo in caſu, peccat mortaliter, quia retinet; imò retentio voluntaria eſt continuata acceptio, ſicuti conſervatio rei eſt continuata productio. Contrà juſtitiam.

39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.* Quicumque eſt cauſa injuſtitiæ tenetur eam reparare; & in moralibus magis conſiderantur cauſæ morales, quam phyſicæ. Vide 2. 2. q. 62. a. 7.

40. *Contractus* Mohatra *licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri.* Contractus eſt hujuſmodi. Titio à me petenti centum nummos, offero pannum valoris centum, ſi æſtimetur pretio rigoroſo; & paciſcor, quòd ſtatim ubi Titius emerit tali pretio, ipſe pannum eundem mihi vendat pretio infimo, quod eſt octoginta, quos ſtatim enumero, recipiens mihi pannum; & ita in rei veritate, præſcindendo à ſubtilitatibus metaphyſicis, do octoginta, & in ſyngrapha ſcribitur Titius debitor centum. Contra Juſtitiam.

41. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem à Mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Coincidit cum 42. Alexandri VII. poſſemque juxta theſim mutuando tibi centum per quadrans, aliquid exigere, ſicuti mutuans per annum, quod eſt vendere tempus. Contra Juſtitiam.

42. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur, tanquam ex juſtitia debitum* S. Thomas 2. 2. q. 106. a. 1. ad 2. *Ad virtutem gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex ſolo debito honeſtatis, quam, ſcilicet, aliquis ſpontè facit;* quare implicant hæc duo ſimùl *exigere, & exigere ex gratitudine;* ſed qui exigit, debet eſſe fundatus in juſtitià.

43. *Quid ni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* Poſt vitam, & bona exteriora tot modis impetita, impetitur jam fama proximi. E contra S. Thomas 2. 2. q. 73. a. 2. ait.: *Auferre alicui famam valdè grave eſt, quia inter res temporales videtur fama eſſe pretioſior.* Contra Juſtitiam.

44. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia.* Sub ſpecioſo titulo defenſionis, licitæ, quando eſt regulata ratione, involvitur offenſio graviſſima, quæ ſemper de natura ſua eſt peccatum mortale. Contra Juſtitiam.

45. *Dare temporale pro ſpirituali, non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum, gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.* Unicum ſpiritualia conferendi, vel efficiendi motivum eſt bonum Eccleſiæ ex

S. Tho-

S. Thoma 2. 2. quæſt. 63. a. 2. Propterea neque poſſum dare ſpiritualia, ut gratuitè compenſem temporalia mihi collata: nam unicè poſſum dare ſpiritualia in bonum Eccleſiæ: neque poſſum, ex motivo compenſandi ſpiritualia, mihi collata, dare temporalia, quia compenſatio importat proportionem, quæ nulla poteſt eſſe inter temporale, & ſpirituale, addito maximè, quod juſtitia diſtributiva debet habere locum in ſpiritualibus, quorum diſpenſator non eſt dominus; & ſic non poteſt compenſari de eo; quod mihi non confert gratis: nàm gratitudo compenſantis præſupponit gratiam benefactoris. Contrà Religionem.

46. *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis*. Multò gravior præcedenti.

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi, quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primò videtur, per hoc* digniores, *non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo propoſitivo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos: non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò, quando ſit concurſus*. Omnes explicationes de ſe corruunt, ſemper enim verba ſunt accipienda in ſenſu proprio, niſi aliter cogat neceſſitas. Tres iſtæ Theſes tangunt bona ſpiritualia.

48. *Tam clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam; & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur*. E contrà tàm clarum eſt fornicationem eſſe prohibitam jure naturæ, utpotè adverſantem fini ſecundario generationis, qui eſt educatio prolis, ut habentes aliquod lumen rationis, non poſſint capere, quomodo Theologi potuerint docere contrarium. Vide S. Thomam 2. 2. q. 154. art. 2. Contrà Caſtitatem.

49. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*. Quæ tamen eſt gravius peccatum ſimplici fornicatione, quia eſt contrà primarium finem à natura intentum: & ideò dicitur *peccatum contra naturam*. Vide S. Thomam art. 11. Contrà Caſtitatem.

50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*. Committit injuſtitiam, qui de jure non poteſt conſentire, etiamſi de facto conſentiat, ut apparet in depoſitario, qui de facto conſentit furanti depoſitum; & ideò eſt adulterium, ſi maritus conſentiat, quia de jure non poteſt conſentire, ut ſua uxor commiſceatur alteri. S. Thomas art. 8. in argumento *Sed contra*.

51. *Famulus, qui, ſubmiſſis humeris, ſcientèr adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multotiès eidem deſervit deferendo ſcalam, aperiendo Januam, aut quid ſimile cooperando non peccat mortalitèr, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur; ne domo expellatur*. Certum eſt, quod hujuſmodi actiones abſque ullo metu, & causà factæ, erant de ſe, & ab intrinſeco illicitæ contrà ſextum Decalogi præceptum. Porrò nulla actio contrà hoc præceptum poteſt cohoneſtari per ullum metum etiam mortis. Contrà Caſtitatem.

52. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus*. Contrà virtutem Religionis, cujus actum determinatum præcipit Eccleſia, & de ratione præcepti eſt obligare ſub mortali. S. Thomas 2. 2. quæſt. 104. & q. 186. art. 9. ad 2.

53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit*. Contrà virtutem Religionis, quæ ex præcepto Eccleſiæ nos obligat ad ſacrum integrum; nec talitèr auditum dici poteſt integrum in proprio verborum ſenſu.

54. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem*. Imò è contrà ubi debemus aliquod diviſibile, ſi non poſſumus reddere totum, reddimus partem, quam poſſumus. Deo, Patribus, & Magiſtris non poſſumus reddere ad æqualitatem; & ridiculus eſſet, qui propterea, nihil redderet. Contrà Religionem.

55. *Precepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Vide 14. Alex. VII. Contrà Religionem.

56. *Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*. Dicitur 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Igitur bona opera ſunt nota, ſeu ſignum prædeſtinationis.

57. *Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam*. Debent eſſe in eodem genere forma, & diſpoſitio ad formam: ſicut igitur gratia per ſacramentum Pœnitentiæ introducenda, eſt ſupernaturalis; debet etiam eſſe talis attritio, quæ diſponit ad gratiam, & ad convertendum hominem in Deum, ut Authorem ſupernaturalem. Per quid autem actus dicatur ſupernaturalis, vide dicta c.13. n.3. Contrà Religionem.

58. *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*. Conſuetudo ex c.22. n.4. eſt circumſtantia, quæ variat judicium Confeſſarii, & ideò explicanda; etenim juxtà ibi dicta, ut plurimum debebit differre abſolutionem. Contrà Pœnitentiam.

59. *Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ*. Vide c.13. n.4.

60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contrà legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodò ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem*. Dicitur Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cælorum, ſed qui fecerit*, &c. contrà Pœnitentiam.

61. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere; quin imò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*. Dictum eſt c.22. n.5. quod occaſio proxima voluntaria peccandi eſt peccatum ſpectans ad ſpeciem illius peccati, in cujus occaſione ſe conſtituit: quare Theſis docet poſſe abſolvi, qui eſt in propoſito, ſeu voluntate peccandi.

62. *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*. Semper ob dictam rationem fugienda eſt occaſio proxima; poteſt tamen dari caſus, quod reddatur involuntaria, ut contingit in filio familias; & tunc utpotè involuntaria non eſt peccatum.

63. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono temporali, vel ſpirituali noſtro, vel proximi*. Ut ad duas præcedentes.

64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei; & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Ignorans, etiam invincibiliter myſteria neceſſaria neceſſitate medii, ſicut non poteſt ſalvari, ita non poteſt juſtificari per ſacramentum, quia gratia eſt ſemen gloriæ. Ignorans culpabiliter myſteria neceſſitate præcepti, niſi pœniteat ignorantiæ, eſt voluntariè conſtitutus in peccato habituali; & ita abſolveretur, qui eſt in voluntate peccandi. Contrà Pœnitentiam.

65. *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe*. Vide Tridentinum c.4. n.5. ex quo mihi videor deduxiſſe, quod homo quoties vult juſtificari, debet ad ejus juſtificationem influere ſaltem virtualiter actus fidei de illis myſteriis. Ex propoſitione 57. dolor debet eſſe ſupernaturalis, hoc eſt, regulatus lumine fidei; in qua fide prædicta ſunt principaliora myſteria; & in omni genere, quod eſt principale, magis debet influere. Contrà Fidem, & Pœnitentiam.

CAPUT XXVII.

Dantur propoſitiones ab Innocentio XI. prohibitæ, Michaelis de Molinos.

1. HArum notitia non eſt omninò neceſſaria, ut præcedentium, Confeſſori ordinario, & expoſito multitudini fidelium, nihilominùs quia plurimi amantes perfectionis Chriſtianæ, præſertim inter Moniales, affectant contemplationem acquiſitam, cui perſuadendæ Molinos illa ſcripſit, erit utiliſſimum cuilibet, habere prædictam damnationem. Et quia pleræque propoſitionum ſunt dogmaticæ, non poteſt dici, quod opponantur virtutibus in praxi; quare ab hoc abſtinebo, ſed tantùm aſſignabo brevem rationem. Cave tamen, ne cogites inductam à mea ratione Sedem Apoſtolicam ad illas damnandas, juxtà dicta c.25. n.2.

1. Opor-

Digitized by Google

1. *Oportet hominem ſuas potentias annihilare. Et hæc eſt Via interna.*

Dum dicitur *annihilare potentias*, intelligitur, quod nihil operentur per ſuam virtutem, ita ut ſolùm moveantur à Deo, ut ab artifice ad operandum movetur martellus, non moveant ſe ipſas, ut eſt proprium rationalis creaturæ, à Deo quidem motæ, ſed, & ſimul moventis ſe ipſam: quare propoſitio mihi videtur contra Tridentinum ſeſs. 6. c. 5. in illis verbis: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omninò agit &c.*

2. *Velle operari activè eſt Deum offendere, qui vult ipſe ſolus Agens; & ideò opus eſt ſe ipſum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & poſteà permanere, velut corpus exanime.* Vide clariùs in hac ſecunda inſinuatum primæ ſenſum, & datam apertè paritatem inſtrumenti inanimati, non ſe moventis, ſed tantùm moti.

3. *Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.* Cum tamen Religionis vota ſint conſilia Euangelica; quæ ducunt ad perfectionem.

4. *Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis, ſine nobis.* E contrà Auguſtinus ab Eccleſia tota receptus habet illud inſigne. *Qui fecit te ſine te, non juſtificabit te ſine te*; quod intelligitur etiam de augmento quolibet juſtificationis.

5. *Nihil operando Anima ſe annihilat, & ad ſuum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, & divinizata, & Deus tunc in ſe ipſo remanet; quia tunc non ſunt ampliùs duæ res unitæ, ſed una tantùm: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & Anima ſe ipſam annihilat in eſſe operativo:* Anima divinizatur faciendo operationes proprias Dei, quæ ſunt cognoſcere, & amare Deum: Vita Dei eſt ejus operatio; quare in nobis vivit, & regnat, ſi operemur modo proprio creaturæ rationalis, qui eſt moveri à Deo, & ſe movere. Deus communicat animæ non ſolùm eſſe divinum per gratiam, ſed etiam operari divina per cognitionem, & amorem: quare anima debet eſſe, non ut corpus exanime, ſed ut anima, cui proprium eſt ſe movere ad operandum.

6. *Via interna eſt illa, in qua non cognoſcitur nec lumen, nec amor, nec reſignatio & non oportet Deum cognoſcere, & hoc modo, rectè proceditur.* Contrà illud Apoſtoli 1. Cor. 2. *Spiritum Dei accepimus, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis.* Et ſuper hoc textu vide S. Thomam 2. 2. q. 161. a. 3.

7. *Non debet Anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.* Contrà hanc ſufficiat innuere, quod fides explicita Dei Remuneratoris per Paradiſum, & infernum, eſt neceſſaria neceſſitate medii.

8. *Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, nec nè, nec opus eſt, ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet, ut corpus exanime, manere.* Vide primam, & ſextam.

9. *Non debet anima reminiſci, nec ſui, nec Dei, & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiã reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.* In tribus fidei myſteriis neceſſariis neceſſitate medii reminiſcimur Dei, & animæ noſtræ, cui ut immortali confertur præmium, & pœna. In examine autem conſcientiæ, reflectimus ad noſtras actiones, & defectus.

10. *Si propriis defectibus alios, ſcandalizet non eſt neceſſarium reflectere, dummodò non adſit voluntas ſcandalizandi, & ad proprios defectus nõ poſſe reflectere gratia Dei eſt.* Ut in aliis peccatis, ita in ſcandalo, peccatur, etiamſi deſit voluntas ſcandalizandi, ſi actio de ſe ſit occaſio ruinæ ſpiritualis. Quoad ſecundum, ſi eſſet verum, eſſet gratia Dei, non peccatum, relinquere examen conſcientiæ ad confeſſionem.

11. *Ad dubia, quæ occurrunt, an rectè procedatur nec nè, non opus eſt reflectere.* Imò è contrà opus eſt reflectere; nam operans cum conſcientia dubia peccat: quare opus eſt deponere dubium re prudenter examinata; vel ſuſpendere operationem, ſi dubium perſeveret.

12. *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo; nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.* Quoad Infernum, & Paradiſum vide prop. 7. Quoad propriam perfectionem &c. eſt contrà illud Luc. 13. *Contendite intrare per anguſtam portam.* Hæc anguſta porta eſt

Digitized by Google

perfectio Chriſtiana, & verbum *Contendere* ſignificat ardens deſiderium.

13. *Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.* Vide contrarium Auguſtini dictum propoſit. 4.

14. *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat; quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, & electionis; & eſt velle, quod divina voluntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra divinæ; Et illud Euangelii:* Petite, & accipietis, *non eſt dictum à Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imò hujuſmodi Animæ, eò perveniunt, ut non poſſint à Deo rem aliquam petere.* Petere eſt indigentis, quare ſi animæ internæ non petunt, nec poſſunt petere, non indigent. Dum petimus, conformamur divinæ voluntati, quia ipſe non ſolum voluit, ſed præcepit, ut peteremus. Verbum illud *Petite* &c. habetur Luc. 11. poſtquam Chriſtus docuerat orationem Dominicam. Porrò hanc ex Matth. 6. colligitur docuiſſe Dominus in monte pro eo tempore, quo explicuerat octo beatitudines, quæ ſunt ſumma totius Chriſtianæ perfectionis.

15. *Sicut non debent rem aliquam petere à Deo, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.* Contrà illud Apoſtoli, Eph. 5. *Implemini Spiritu Sancto*, quod eſt perfectorum, *gratias agentes ſemper pro omnibus.*

16. *Non convenit Indulgentias quærere, pro pœna propriis peccatis debita, quia melius eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quàm divinam miſericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato; nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle Crucem fugere.* In omni opere Dei ſplendet miſericordia, & juſtitia, ſed *Miſericordia ſuperexaltat judicium* Jacob. 2. Quærenda nobis eſt gloria Dei, ſed in miſericordia, non in juſtitia, ſicut ipſe dixit: *Miſericordiam volo, & non in judicium*: Matth. 9.

17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione Animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura*, Contrà illud Pauli, Eph. 6. *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die mala, & in omnibus PERFECTI ſtare.* Et Jac. 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.*

18. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.* Illud Jo: 4. ex quo conſtituitur ſecunda pars explicatur à S. Thoma 2. 2. qu. 81. ad 1. quod adoratio externa debeat procedere ab actu interno, & q. 83. a. 13. ad 1. quod actus iſte internus debeat eſſe ex inſtinctu Spiritus Sancti operantis in homine, juxtà modum hominis, qui per ſenſibilia ducitur ad inſenſibilia.

19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectu comprehendit, non amat verum Deum.* Niſi aliud obſtet, amat verum Deum, quia amor ſequitur ad cognitionem, & *Inviſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, licèt imperfectè.

20. *Aſſerere, quod in oratione ſibi opus eſt per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt: Deus nunquam loquitur: ejus locutio eſt operatio; & ſemper in Anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.* Contrà illud Tridentini ab Auguſtino deſumptum: *Deus jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis.*

21 *In oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione cujuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis; & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inſerviendum ſed abſque productione actuum, quia Deus in his ſibi non complacet.* Ad actum explicitum fidei, de Deo Uno, & Trino, Remuneratore, & Incarnato convenit, quod ſequatur in voluntate Adoratio, & Amor, cum hi ſint actus voluntatis: Ridiculus eſt, qui dicit Deum adorandum, & amandum, ſed abſque productione actuum.

22. *Cognitio hæc per fidem non eſt actus à creatura productus, ſed eſt cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſteà cognoſcit illam ſe habuiſſe, & idem dicitur de Amore.*

Cogni-

Digitized by Google

Cognitio, & Amor ſunt actus creaturæ rationalis; quare in iſto ſtatu (quidquid ſit de poſſibili) ſunt actus producti ab homine moto quidem primò à Deo, ſed & ſe movente.

23. *Myſtici cum S. Bernardo, in ſcala Clauſtralium, diſtinguunt quatuor gradus. Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in quâ per totum vitam perſiſtendum eſt, dummodò Deus animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam; Et hac ceſſante, Anima regredi debet ad tertium gradum, abſque eo, quod ampliùs redeat ad ſecundùm, aut primùm.* E contrà S. Thomas 2. 2 q. 180. a. 3. ponit omnes illos pertinere ad vitam contemplativam, & a. 6. ponit motum obliquum compoſitum ex circulari, & recto. Rectus autem eſt per diſcurſum, quare motus contemplationis obliquus habet diſcurrere meditando. Et ita ſi ceſſat actualis contemplatio, debemus redire ad meditationem.

24. *Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contrà Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt Orationem fidei; imò eam perfectiorem efficiunt, quia Anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.* Vide 17.

25. *Etiam ſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominùs fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio, & reſignatio, reſignatio, & oratio idem ſunt; & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.* Ridiculus eſt, qui vult durare actum, aut orationis, aut reſignationis, quando per ſomnum ceſſat omnis actus, & uſus rationis. Equidem S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 2. ad 4. dicit operationem quaſi continuam, eſto dormiamus (ex neceſſitate naturæ, non in oratione) ſed manifeſtè ait per ſomnum ceſſare actum omnem, & vult quaſi continuari contemplationem, quia ſomnus ordinatur, ut deinde poſſimus actu contemplari.

26. *Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in myſtica; cum non ſit niſi unica via, ſcilicet, via Interna.* Sufficiat, quod Eccleſia tota ſemper diviſerit illas tres vias.

27. *Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſe ipſum; & malè agit, cum deſiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit tam in locis ſacris, quàm in diebus ſolemnibus.* Non malè deſiderat, qui ut medium deſiderat, quod eſt ordinatum à Deo ad aliquem finem: quare deſiderans devotionem ſenſibilem, ut medium ad intelligibilem, non malè agit, nec quærit ſeipſum.

28. *Tedium rerum ſpiritualium bonum eſt; ſiquidem per illud purgatur amor proprius.* Hoc tedium eſt Accidia; quare Accidia non erit vitium capitale, ſed virtus; quo nihil ineptius?

29. *Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.* Uti ad præcedentem.

30. *Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.* Media ſpecificantur à fine. Cum igitur hoc ſenſibile ſit medium ad vitam ſpiritualem, cogitur dicere, quod hæc ſit abominabilis, ſpurca, & immunda.

31. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.* Quoad primam partem Meditativus, ſi non exercet virtutes, non amabit Deum, neque ſperabit, aut credet; & ita erit ſemper in peccato mortali; nam aliàs obligamur exercere actus verarum virtutum Theologalium. Quoad ſecundam, ſi opus eſt amittere virtutes, debebimus acquirere vitia.

32. *Nec ante, nec poſt communionem, alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quàm permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis, inſurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; aliàs ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.* Quaſi (quoad primam partem) ſit melius nihil boni operari, quàm operari. Quoad ſecundam; lumen fidei ſufficienter nos docet quod nemo poteſt facere hos actus, niſi in Spiritu Sancto. Lumine ulteriori non indigemus.

H 3 Natura

Digitized by Google

Natura nondum mortua inclinat ad actus ſuperbiæ, non humiliationis &c.

33. *Malè agit Anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum, quoniam Animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris, quia hujuſmodi Animabus, omnia loca ſunt æqualia.* Si vera eſſet hæc doctrina, malè fideles, in diebus feſtis, abſtinerent ab opere ſervili, & audirent ſacrum: Etiam malè, cum ſpecialiori devotione, aſſiſterent locis ſacris; quando aliàs Eccleſia ſpecialiori cultu præcepit coli dies feſtos, & loca ſacra; & quò major eſt in illis noſtra devotio, magis Eccleſiæ placemus, & Deo.

34. *Verbis, & lingua gratias agere Deo, non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe orationem Dominicam, ſeù* Pater Noſter *recitare*. Omne, quod à Deo habemus, expendi debet in laudem Dei, etiam verba, & lingua. Si aliquando patitur in recitando, id certè non provenit à Deo; quem in patria etiam vocaliter, Sancti laudabunt.

35. *Non convenit Animabus viæ hujus internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas ex propria electione, & activitate. Aliàs non eſſent mortuæ, nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti; quia cùm iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt etiam amor ergà illa*. Quoad primam partem vide primam, & ſecundam: quoad alteram; primò Amor non eſt talis, qualis eſt in ſe objectum; ſed qualе repræſentatur per cognitionem: quia verò Sancti, Virgo, & Humanitas Chriſti cognoſcuntur per cognitionem intellectus ornati lumine fidei, amor ad illam ſequens eſt voluntatis, non appetitus ſenſitivi, & ſi eſſet ſenſibilis, non propterea malus ex dictis prop. 30.

36. *Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & ſedere*. Terminus hic *Sedere* importat, quod ametur ut finis. Porrò Charitas amat duos, ut finem; Deum, & proximum, licet Deum ſolum ut finem ultimum; quare propoſitio hæc deſtruit ſecundarium objectum charitatis.

37 *In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto Amore, & reſignatione manere*. Vide 17.

38. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum; ideòque dimittenda*. E contrà Mat. 16. dicitur: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam*. Et Matth. 19. *Vende, quæ habes*, quod certè eſt crux voluntaria, cujus ut fructum oſtendat, addit: *Habebis theſaurum in cælo*.

39. *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab Anima, vel unicam adhæſionem.* Hæc refrænant concupiſcentias, & per conſequens mortificant adhæſionem ad bonum concupiſcibile, ut contrarium gratiæ.

40. *B. Virgo nullum unquam opus exterius fecit, & tamen fuit ſanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori*. Luc 1. & 2. narrantur, plures actus externi B. Virginis erga Cognatam Eliſabeth, erga puerum Jeſum; & notatur, quod in Paſcha ibat in Jeruſalem *per ſingulos annos*. Jo: 19. *Stabat juxtà crucem Jeſu Maria Mater ejus*. Alia plura vide in Euangeliis. Conſequentia quàm mala ſit, apparet, quia ſacramentorum perceptio eſt actus externus, ſine quo non poſſumus ſalvari, uti neque ſine aliis actibus externis à lege præceptis.

41. *Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſicè illorum manus, & alia membra contrà earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos; in quo caſu non ſunt peccata, quia his non adeſt conſenſus*. Homo in vigilia, non offuſcatus, neque exterius à potentiore coactus, eſt dominus ſui actus, præſertim quoad motum manuum, & aliorum membrorum non inſervientium generationi: quare niſi omninò cogatur, poteſt reſiſtere. Ex membra inſervientia generationi, quia non perfectè ſubduntur rationi, poſſunt quidem moveri, ſed hos motus Anima advertens debet reprimere.

42. *Poteſt dari caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales cõtingant eodem*

tempore,

Digitized by Google

tempore, ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus. Multò abſurdior quàm præcedens.

43. *Deus præteritis ſæculis efficiebat Sanctos Tyrannorum miniſterio, nunc verò eos efficit Sanctos miniſterio dæmonum, qui, cauſando in eis prædictas violentias, facit, ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent*. Ut ad duas præcedentes.

44. *Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex dæmonis violentia*. In hoc, & aliis exemplis à Sacra Scriptura petitis, quæ poſteà dabuntur, patiatur Lector unicam illam à me rationem afferri, quod ita ſit intelligenda, nempè, quia ſic intellexit Eccleſia, cujus eſt fidelibus exponere verum Scripturæ ſenſum à Spiritu Sancto intentum.

45. *S. Paulus hujuſmodi dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit*. Non quod volo bonum, hoc ago, ſed, quod nolo malum, hoc facio. Ut ad præcedentē.

46. *Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via. Et hæc eſt via facilior, & tutior*. Via facilior, & tutior, ut exuatur homo vetus, & induatur novus, qui ſit filius adoptivus Dei, eſt facere operationes proprias Dei, nempè, cognoſcere, & amare Deum, omniaque ordinare in ipſum Deum, ut ipſe Deus cognoſcit, amat ſe, & omnia ordinat in ſe.

47 *Cum hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo, & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus eſt ſe ipſum inquietari, ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores; quia Anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſimè fit hæc non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur dæmon, & acquiritur theſaurus pacis*. Quoad primam partem de reſiſtendo, vide 17. Quoad ſecundam, ex S. Thoma 3. p. q. 80. a. 7. mens per hujuſmodi paſſiones in ſomno contingentes, etiam abſque cauſa ex parte noſtra, diſtrahitur, & obfuſcatur, non illuminatur. Quoad tertiam eſt contrà praxim in toto hoc opere ſtabilitam, ut confiteamur omnes noſtras paſſiones iræ, ſpei, timoris &c. eſto videantur ordinatiſſimæ, quia difficillimum eſt in his non excedere; ſed multò magis accuſandæ ſunt immunditiæ hujuſmodi, etiam quando accidunt in ſomno. Quoad quartam, imò Tridentinum ſeſſ. 14. c. 3. ſerenitatem conſcientiæ, ſeù theſaurum pacis ponit pro effectu confeſſionis, non quidem ſemper, ſed aliquando ſubſequente.

48. *Satanas, qui hujuſmodi violentias infert; ſuadet deindè gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, nè in via interna ulterius progrediatur: unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia*. Ex parte noſtra Diabolus retunditur maximè per humilitatem, cujus actum excellentem exercemus in confeſſione. Pro parte Dei, nos ille adjuvat ad retundendum, per ſacramenta. Utrum verò ſint peccata, debet deſumi aliundè, quàm ex dicto Magiſtri ab Eccleſia damnati, ut Hæreſiarchæ.

49. *Job ex violentia dæmonis ſe propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (ſic interpretando locum ex c. 19. Job*. Vide 44.

50. *David, Hieremias, & multi alii ex Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum*. Vide 44.

51. *In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos. Uti illud de Samſone, qui per violentiam ſe ipſum occidit cum Philiſteis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuiſſent. De Juditha, quæ Holoferni mentita fuit. De Eliſeo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Acab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel Dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur*. Non omnia prædicta exempla Interpretes excuſant, quidquid tamen de hoc ſit; quæ peracta fuere peculiari Sancti Spiritus inſtinctu, non fuere per violentiam; quia Deus operatur per modum naturæ, licèt directione donorum.

52. *Cum hujuſmodi violentiæ etiam impuræ, abſque mentis obfuſcatione accidunt, tunc Anima Deo poteſt uniri, & de facto ſem-*

per magis unitur. Vide doctrinam S. Thomæ prop 47. Unimur Deo per cognitionem, & amorem: Amor ſequitur ad cognitionem, & cognitio ad ſpecies objecti: Impuritates hujuſmodi relinquunt ſpecies ſenſibiles in ſenſibus, qui trahunt intellectum; quomodo igitur Anima in illis poteſt Deo uniri?

53. *Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, ne dum ſunt proteſtationes Animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quod in iis conſenſerint; & videre, quod ſint Animæ, quæ proficiunt in via interna, ſed regulam ſumere à lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologia ſuperiore, quod me certò cognoſcere facit cum interna certitudine, quòd talis operatio eſt violentia, & certus ſum, quòd hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit cum certitudine, quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore, animam certam reddit, quòd ipſe ſit, qui revelat, & Anima contrarium non poteſt dubitare*. De hoc Doctore, ſuique ſimilibus, dicit Dominus Jer. 23. *Seduxerunt populum meum, cum ego non miſiſſem eos*. Hinc diſcat Confeſſor dirigere animas per Scripturam, Traditionem, per Superioris ordinationes, & rationem naturalem: Scriptura, & Traditio ſunt ipſum Dei lumen, & verbum, quo Deus alloquitur nos: Superiores, & Patres inſtrumentum, & miniſtri Dei: Ratio autem naturalis inſerta eſt nobis ab ipſo Deo. Et quia Confeſſori poteſt facere difficultatem, quòd, ſicut Patres veteris teſtamenti certificabat Deus peculiari lumine ad aliqua, cur non eodem modo poteſt hoc peculiari lumine Confeſſorem certificare, ſciat ex S. Thoma 2.2. q.171. a.5. primò Deum non certificare de his, quæ per inſtinctum nobis inſpirat; quare ex Scriptura &c. certificari debemus, an fuerint ex inſtinctu: ſecundò certificavit in expreſſa revelatione primos fidei fundatores. De reliquis vult, ut diſcernant ſuas revelationes ex regulis univerſalibus Scripturæ, Eccleſiæ &c.

54. *Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis*. Vita ordinaria tantùm purgat paſſiones, quantùm exercet virtutes.

55. *Per hanc viam internam pervenitur, & ſi multa cum ſufferentia ad purgandas, & extinguendas, omnes paſſiones, ità quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec amplius ſe anima commoveri ſinit*. Donec extat fomes in nobis, extant paſſiones. Porrò fomes nunquam totaliter extinguitur; imò ex S. Thoma 3.p. q 27.a. 3. in B. Virgine ſolum fuit extinctus in Annunciatione; Anteà verò præſervata ſpecialiſſimè ab omni peccato per protectionem extrinſecam.

56. *Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut fit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem veniale peccatum*. Et ita per hanc viam internam ſomniabat evadere perfectiores Apoſtolo, qui dicebat Rom. 7. *Video aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ*.

57. *Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia*. Trident. ſeſſ 6. can.23. *Si quis dixerit hominem .... poſſe in tota vita, peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit*.

58 *Ad hujuſmodi ſtatum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur*. E contrà Jer. 12. dicitur. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*.

59. *Via interna ſejuncta eſt à Confeſſione, à Confeſſario, à caſibus conſcientiæ, à Theologia, & Philoſophia*. Et ſic nullo lumine dirigitur, neque naturali, neque ſupernaturali.

60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia perſeverante, quantam in ſacramento reciperent, & ideò hujuſmodi Animabus, non eſt bonum in tali caſu ad ſacramentum Pœnitentiæ accedere: quia id eſt illis impoſſibile*. Cum ex 57. omnes peccent, *omnes*, ut dicitur Rom 3 *egent gratia Dei*

per

Digitized by Google

per ſacramentum Pœnitentiæ ad hoc inſtitutum.

61. *Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quòd Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.* Cum tamen ex 57. non poſſimus vitare omnia venialia: quæ contingunt, quia non facimus voluntatem Dei.

63. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum: quin imò ſignum, quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, ideſt, mortis Myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eos applicet.* Duo involuit hæc propoſitio: primum quod ſenſus non repræſentet ſenſibilia ſufficienter applicata: ſecundum quod neque intellectus applicet his: Porrò, & ſenſus, & intellectus ſunt potentiæ neceſſariò motæ à ſuis hiſce objectis, & ſola voluntas poteſt illos divertere: quare ſola hæc poteſt illos non applicare per ſuam motionem.

64. *Theologus minorem diſpoſitionem habet, quàm homo rudis ad ſtatum contemplativi: primò, quia non habet fidem adeò puram: ſecundò, quia non eſt adeò humilis: tertiò, quia non adeo curat propriam ſalutem: quartò, quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus; & non poteſt in illum ingredi verum lumen.* Obruitur hæc propoſitio exemplis SS. Thomæ, Bonaventuræ, Auguſtini &c. ſed & ratione: Theologia enim de ſe docet veras virtutes ad contemplationem requiſitas, & per ſe loquendo aptior eſt alicui exercitio, qui ſcit illud, quàm qui omninò ignorat: Lumen, quod habetur per rationis inquiſitionem adjuvat ad habendum aliud per quandam connaturalitatem; conſuetudo enim, & connaturalitas fit per multiplicatos actus: Theologia ſubordinatur lumini ſupernaturali perfecto patriæ, cujus participatio eſt omnis noſtra contemplatio.

65. *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodò ad exterius pertingit. In interiore verò aliter res ſe habet, quò ſolus Deus, & Director intrant.* E contrà Hæbr. 13. dicitur: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: dixit pro animabus.* & hoc eſt forum internum. Si forum interius intrat Director, debet eſſe director ordinatur à Deo, qui ſolùm ordinavit Præpoſitos legitimos.

66. *Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſià Dei, quòd anima, quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, Anima ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt, quia Ecceſia non judicat de occultis; & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi benè viſum.* Epiſcopi ſunt Directores conſtituti à Deo, juxtà illud Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

67. *Dicere, quòd internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quòd peccatum eſt id non facere, eſt manifeſta deceptio, quia Eccleſia non judicat de occultis, & propriis Animabus præjudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.* Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5. *Colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia . . . in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima ſint, & tantùm adverſus duo ultima Decalogi præcepta.* Equidem Eccleſia non judicat, neque punit occulta, ſeù interna; niſi manifeſtentur, ſed à Deo præcipimur hæc manifeſtare, ut Eccleſia nos dirigat.

68. *In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur epiſtolæ Directoris, quoad internum Animę, & ideò opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ* &c. Sic ſcribunt, qui volunt docere falſa, & ſi detegantur, timent Sanctam Inquiſitionem; ad quam ſpectat judicare quidquid circà materiam fidei manifeſtatur externè per ſcripturam: Nec ſolum id eſt hujus Tribunalis, ſed & aliorum civilium; etenim ſi Director ſcribat ſuadens rebellionem contrà Principem, debet omninò manifeſtari.

Hujuſmodi 68. propoſitiones Innocentius XI. damnavit, ut *hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & ſeditioſas reſpectivè*], cum prohibitione

loquen-

Digitized by Google

loquendi, *ſcribendi*, *diſputandi*, *credendi*, *docendi*, *tenendi*, *aut in praxim reducendi* illas, ſub pœna excommunicationis reſervatæ, ipſo facto incurrenda.

Circa vitam Contemplativam Innocentius XII. prohibuit alias viginti tres, ut deſumptas ex libro inſcripto *Maximes des Saints* &c. ſed illas omitto, quia non credo eſſe omninò neceſſarias pro Confeſſore ordinario.

CAPUT XXVIII.

Dantur propoſitiones prohibitæ ab Alexandro VIII.

1. B*Onitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum: Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè* .... *HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS*. Damnatur ut hæretica: nam obligationem amandi Deum declarant pęnè omnes paginæ Sacri Textus,

2. *Peccatum Philoſophicum, ſeu Morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternà pęnà dignum*. Damnatur ut erronea &c. Sępiſſimè S Thomas ex Philoſopho notat mundum eſſe unum unitate ordinis, cujus Deus eſt Caput. Porrò in omni corpore tàm phyſico, quàm morali Reipublicæ, offendens unum membrum, offendit totam Rempublicam, & præcipuè illius Caput, etiamſi ignoret, vel actu non cogitet de Republicà, & ejus Capite; qui enim offendit partem, eo ipſo offendit totum, cujus eſt pars. S. Thomas 1. 2. q. art. 3. Ad idem facit, quod de arte, & artificiato ait q. 71. a. 2. ad 4.

3. Idem Alexander de anno 1690. damnavit alias tringintà unam; quæ quidem non omnes pertinent ad mores; At quia non eſt hominis privati edicere, quæ ſpectent, & quæ non ſpectent, quando alii poſſunt judicare, quod ſpectent, quas ego crediderim non ſpectare; ideò illas omnes hic ſubiicio.

4. 1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causà ſuà, peccato originali, & libertate Adami peccantis*. S. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. probat ad libertatem requiri, quòd ipſe operans poſſit utrumque contradictorium; & a. 2. ad 3. quòd hæc libertas per Adæ peccatum non fuit amiſſą, ſed debilitata, & 1. 2. q. 21. art. 2. quod actus habet rationem culpabilis, quia eſt in poteſtate operantis.

5. 2. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipsà, non excuſat a peccato formali*. Ratio hujus non poteſt exprimi paucis verbis; quare vide S. Thomam 1. 2. q. 94. a. 4. & 6.

6. 3. *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles, probabiliſſimam*. Quid intenderint per hanc theſim non capio: nàm quando inter opiniones probabiles adeò aliqua excedit, ut attingat gradum probabiliſſimæ, jam talis eſt, ut inter eas habeat illam certitudinem, quæ *invenitur in humanis actibus, non ſicut in demonſtrativis, ſed ſecundum quod convenit tali materiæ*, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. ad 1. & ibidem confirmat Cajetanus exemplo judicii Salomonis. 3. Reg. 3.

4. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo; non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus*. Dicitur 1. Jo. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*.

5. *Pagani, Judei, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti*. Contradictoria juſtiſſimè definitur: conſtat enim complures ex nominatis habere inſpirationes vividas, ut ſe ad fidem convertant; Complures exprobrari poſſunt illis verbis, Actor. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*.

6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ut proinde meritò poſſimus petere: A gratia ſufficienti*

libera nos Domine. Theſis videtur loqui de gratià purè ſufficienti, quæ tamen fatenda eſt Dei donum; & de illa diſſerendum, uti de fide informi diſſerit S. Thomas 2. 2. q. 6. art. 2.

7. *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt*. Plura opera faciunt peccatores. ut ſe diſponant ad Caritatem Patris, quæ propterea nec ſunt charitas Patris, nec concupiſcentia carnis.

8. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare*. Et ſic peccabit, contrà omnem rationem, dum voluntariè acceptat inſpirationes præambulas ad fidem; quæ tamen procedunt ex illuſtratione Spiritus Sancti, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 8. art. 5. Videatur etiam q. 10. a. 4.

9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum reſpectu*. Ex S. Tho. 1. 2. q. 21. art. 3. & 4. omnis actio hominis habet ordinem ad naturam rationalem, & alium ordinem in Deum: quomodo igitur peccat, qui conſiderat peccatum ſub primà ratione. Vide eundem q. 100. art. 10. ad. 2.

10. *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè, ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens*. Ut præcedens.

11. *Omne, quod non eſt fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt* Phraſis uſurpata ex Apoſtolo, Gal. 5. etiam à Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. Nunc utrobique legitur, *quæ per charitatem operatur*, ut poſſit haberi reſpectus ad habitum charitatis. At San Thomas 2. 2. queſt. 4. art 2. ad 3.; & queſt. 23. art. 6. ad 2., ut etiam poſſit intelligi actus dilectionis, ſeu charitatis; ſeu dilectio, quæ eſt actus virtutis char tatis, & coincidit cum Theſi ſeptimà. Videatur S. Doctor. 2. 2. queſt. 23. a. 7.

12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana*. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. ſolum ante fidem requirit liberam motionem in Deum ex parte voluntatis; amoris initialis meminit poſt enumeratos à fide complures actus in intellectu, & voluntate. Alias certum eſt, quòd, remoto poſteriori, poteſt remanere prius: quare omni amore non tantum perfecto Dei, ſed & initiali remoto, poteſt remanere fides. S. Thomas 2.2. q. 4. a. 7. præſertim ad 4.

13. *Quiſquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis, operatur*. Videtur excludere omnem famulatum, etiamſi perinde illum in primis glorificetur Deus; & ſic intellecta, eſt contrà Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. Si loquatur de famulante mere ob intuitum æternæ mercedis, vide dicta ad 9. & ſubſequentes.

14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*. qui tamen procedit à fide, quæ ex dictis cap. 13. num. 3. eſt principium ſupernaturalitatis. Tridentinum dolorem peccati ortum ex illo ſeſſ 14. c. 4. vocat donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti. Vide. San. Thomam 2. 2. q. 19. art. 4. 7. & 9.

15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*. Fides, non dilectio, eſt principium ſupernaturalitatis ex præcedente.

16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio; natura rei id ipſum quodammodo dictante*. In nullo judicio reus ante ſententiam Judicis habet ſubire pœnam, ut eſt ſatisfactoria delicti commiſſi. Utique ſatisfactio ſacramentalis ex Rituali c. 7. n° 23. debet etiam eſſe medicinalis in futurum; ſed ſemper in ſacramento determinanda per Judicem.

17. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ, eſt inverſus*. Falſitas deducitur ex dictis in præcedenti.

18. *Conſuetudo moderna, quoad adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet. nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu*. Videatur S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ubi oſtendit ſolum illam conſuetudinem de ſe, & in genere eſſe abuſum quæ eſt contrà legem divinam, aut naturalem.

ralem. Igitur antequam conſuetudo adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ dicatur abuſus, in particulari debet oſtendi, quid præjudicet legi divinæ, aut naturali; quando maximè arguitur efficaciter non præjudicare, ſi ſuſtentatur diuturnitate, & authoritate: nihil enim contrà legem Dei, aut naturæ in Eccleſiâ diu duravit, nec habuit authoritatem.

19. *Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali*. S. Thomas ſuppl. q. 2. art. 2. docet de originali non poſſe haberi veram contritionem; licèt de ſatisfactione taceat; nihilominus 3. p. q. 68. a. 5. firmat peccatoribus baptizatis non eſſe imponenda opera pœnalia, quia fieret injuria morti Chriſti, quaſi non eſſet ſufficiens, quando applicatur tota ejus efficacia. Vide illum.

20. *Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ*. Hujus Theſis inſubſiſtentia ex ſe apparet.

21. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemmoſinis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi, & incongruâ pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis*. Legatur S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. ut poſſit concipi, quàm grave peccatum ſit iſta ſuſpicio contrà præclariſſimas, & ſanctiſſimas Religiones.

22. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint*. Tamen tota ſemper Eccleſia ſolùm illos judicavit ſacrilegos, qui communicant cum conſcientia peccati mortalis. Adde, quod hæc Theſis tollit ſecundarium effectum Euchariſtiæ, qui eſt remittere pœnam peccatis debitam (ut explicat Sant. Thomas 3. part. quæſt. 79. art. 5.) hoc ipſo quod docet communicandum poſt condignam pœnitentiam; hoc eſt, ſine ullo debito pœnæ.

23. *Similiter arcendi ſunt a ſacra communione, quibus nondum ineſt Amor puriſſimus, & omnis mixtionis expers*. Tollitur per hanc alius effectus, qui eſt tollere venialia, quoad maculam culpæ. Sant. Thomas art. 4. nam amor omnis mixtionis expers non compatitur venialia.

24. *Oblatio in templo, quæ fiebat à B. Virgine Maria, in die Purificationis ſuæ, per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula Matri maculatus eſſet, ſecundum verba legis*. Videatur Sant. Thomas 3. part. quæſt. 37. art. 3., & 4. ubi loquitur de Filio, & de Matre. In 4. ad 3. dicit maculam legalem fuiſſe quandam irregularitatem, à quâ expreſsè præſervat matrem.

25. *Dei Patris ſedentis ſimulachrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare*. Sanctus Thomas 3. parte quæſt. 25. art. 3. probat licitam imaginum adorationem.

26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt*. quæ tamen eſt actus virtutis Hyperduliæ. Videatur Sanct. Thomas 2. 2. quæſt. 103. præſertim art. 4. ad 2. & ad 3. habes, quod eſſet vana laus delata creaturæ irrationali, ut tali, non ſic rationali, in quam tendere poſſumus motu abſoluto, imò 3. part. quæſt. 25. art. 5. vult Matrem Dei eſſe adorandam motu abſoluto, quanquam referatur ad filium.

27. *Valuit aliquandò baptiſmus ſub hac formâ collatus*. In nomine Patris &c. *prætermiſſis illis*. Ego te baptizo. S. Thomas 3. part. quæſt. 66. art 5. dicit neceſſariò exprimendas in baptiſmate duas cauſas, principalem, atque inſtrumentalem, & ad 2. quòd ſit exprimenda actio miniſtri, per illav erba, *Ego te Baptizo*, quia per alia exprimentia cauſam principalem, non habetur determinatus effectus, ad quem verba aſſumantur.

28. *Valet baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat: intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit*. Non intendo facere, quod facit Eccleſiâ. Ex S. Thoma 2. part. q. 64. a. 8. quia forma baptiſmi eſt indifferens, ut aſſumatur ad baptizandum, ad ludum &c. debet determinari ad baptizandum per intentionem baptizantis, qui ubi contrarium determinat, certè non habet intentionem. Ad 2 videtur exigere, quod intentio contraria exprimatur exterius: hoc tamen addit, ut baptizatus poſſit ſufficienter dubitare de ſuo baptiſmo. Damnatio habet locum, quando ſimul pro-

fereno-

ferendo verba; intùs habet contrariam intentionem.

29. *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſuprà Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.* Sanè futilis non eſt, quam efficaciter firmat S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 10. & innumeri poſt ipſum Theologi.

30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Sicut ad aſſerendam rationem entis non ſufficit reſpicere cauſam proximam, niſi reſpiciatur etiam cauſa prima entis, ita ad aſſerendam rationem veri, non ſufficit reſpicere regulam proximam, niſi reſpiciatur etiam prima viſibilis regula veritatis, quæ eſt Sedes Apoſtolica, & ejus Bullæ. Hoc innuit idem Auguſtinus adductus à S. Thoma 1. p. q. 1. ar. 8. ad 1. in fine, latiùs videndus in fonte ipſius epiſtolæ 19.

31. *Bulla Urbani Octavi* In eminenti, *eſt ſubreptitia.* Credendum eſt Sedi Apoſtolicæ atteſtanti ſuggeſtam ſibi nullatenus fuiſſe falſitatem.

Hujuſmodi propoſitiones Alexander damnavit, ut temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas.

CAPUT XXIX.

Obſervationes generales in propoſitiones prohibitas.

1. HOc Caput non eſt omninò néceſſarium pro Confeſſoribus ordinariis; nihilominùs illius doctrina generalis poterit eſſe multum utilis. Non eſt neceſſarium, quia vix invenietur Catholicus, qui ſciens aliquas theſes in materia morum eſſe prohibitas ab Apoſtolica Sede, velit illas adhuc ſuſtinere in ſenſu damnato, & in praxim reducere: quòd ſi aliquis inveniatur, primò non eſt hoc ex peccatis, quæ ordinariè ſoleant contingere: ſecundò poteſt à Pœnitente Confeſſor ſibi tempus petere, ut videat notam, ſeù cenſuram, ſub qua propoſitio fuit damnata; ut exquirat conſilium doctiorum &c. ſed tamen prodeſt plurimum habere regulas generales, quas facilè poſſit applicare. Igitur.

2. Primò: propoſitiones intelliguntur ſemper damnatæ in proprio verborum ſenſu, & ut jacent, niſi aliud exprimeret decretum: quare nunquam extorquendæ ſunt in ſenſus improprios, & alienos à proprietate ſermonis, quem verba, ut jacent, præſeferunt.

3. Secundò notandum, quod ordinariè loquendo, Pontifex prohibens propoſitiones in materia morum, etiam in virtute ſanctæ obedientiæ vetat eas reduci ad praxim: v. gr. ſecunda propoſitio Alexandri VII. deduceretur in praxim, ſi vir equeſtris acceptaret duellum in vim illius propoſitionis, ut licitum, quando aliàs agnoſcit illud eſſe vetitum in tali propoſitione; in quo caſu peccaret duplici peccato, & duelli, & inobedientiæ contrà præceptum Romani Pontificis. At ſi, ne videatur timidus, acceptet duellum, non habens reſpectum ad illius uſum permiſſum in tali propoſitione, tunc peccat tantùm peccato duelli. Aliud eſt fornicari, & aliud eſt fornicari, credendo fornicationem eſſe licitam.

4. Tertiò: ſi aliquando contingat pœnitentem audiviſſe alios, qui ſuſtinerent propoſitiones prohibitas, ut Confeſſor ſciat, num ſit obligandus ad denunciationem in Sancto Tribunali, neceſſe eſt, quod calleat cenſuras injuſtas prædictis propoſitionibus: Explicatur aliquando ſola cenſura *ſcandaloſæ*, aliquando etiam aliæ. Ubi ergo damnantur propoſitiones ut hæreticæ, vel alia cenſura, vi cujus illas docens reddatur ſuſpectus de hæreſi, tunc obligandus erit ad denunciationem juxtà edictum Sancti Officii: At ſi non adſit hujuſmodi cenſura, tunc utique erit excommunicatus, qui illas docet &c. non tamen obligabitur ad denunciationem, qui audit illas docentem &c. Eritque imponenda hæc obligatio denunciationis, etiamſi tali determinatæ propoſitioni non inuratur cēſura determinata, ſed tantùm omnes expoſitæ dicantur damnari, ut hæreticæ, erroneæ, ſcandaloſæ &c. nam poterit quidem contingere, quòd illa particularis propoſitio damnata fuerit in ſe, ſolùm ut ſcandaloſa, ſed quia id ignorat Pœnitens, & Confeſſor, hujus non eſt determinare cenſuram, quam Pontifex voluit indeterminatam: Remittendum ergo

Digitized by Google

erit negotium Sancto Tribunali, cujus Miniſtri nullatenùs accipient juridicam denunciationem, quando non adſit locus.

5. Ut conſulatur praxi, notabit 45. Alexandri, & 65. Innocentii, fuiſſe damnatas, ut *ſcandaloſas*, & *in praxi pernicioſas*. Hæc cenſura non reddit ſuſpectum de hæreſi: quare Pœnitens, qui ſciat aliquam illarum teneri, ex vi talis damnationis, non tenetur illum denunciare. At 68. Innocentii, & duas, ac 31. Alexandri VIII. videt damnatas ut hæreticas, erroneas &c. quare illas tenens eſt ſupectus de hæreſi; ac propterea denunciandus.

CAPUT XXX.

Præparans ſe ad confeſſiones debebit ſemper magni facere doctrinam S. Thomæ.

1. QUò ad exercendum rectè ſuum triplex officium Judicis, Medici ac Doctoris, Confeſſor ut poſset diſcernere inter lepram, & lepram, hoc eſt, diſtinguere inter ſe peccata, Rituale c. 7. n. 7. commendavit eidem primò ſtudium Catechiſmi Romani, & in illis verbis univerſaliter ſtudium omnis doctrinæ, quam Sedes Apoſtolica ſtabilivit circa peccata; ideòque omnium primò adductæ ſunt propoſitiones prohibitæ: ſecundò Rituale commendat ſtudium probatorum Auctorum: Præparans ſe ad confeſſiones, utpotè filius obediens ſanctæ Matris Eccleſiæ, ſequetur in omnibus ſanctæ Matris ductum: quare ubi curaverit callere circa peccata propoſitiones prohibitas, evolvet ſemper probatos Authores. Porrò alii ſunt probati ex communi conſenſu fidelium, qui eis utuntur; illoſque permittit Eccleſia: Alii ſunt probati poſitivè per auctoritatem Eccleſię: Utroſque curabit ſæpiùs legere, & intelligere Confeſſor, ſed tamen ratio dictat, ut principem locum det Authoribus poſitivè approbatis. Quoad primos, maximè incumbet iis, qui communiter reputantur Claſſici; & quia non omnes omnia poſſumus, Doctores ſe diviſerunt, ſcribentes alii ex profeſso in una materia, & alii in alia. Unumquemque ſuo loco habebit, ut pluris fiat in materia ex profeſso examinata, quam in alia. Non negligantur libelli probatorum Authorum, qui Moralem redegerunt in breve compendium, ita tamen ut hi inſerviant ad retinenda memoriter principia magis univerſalia, peccatorumque definitiones, quibus memoriter conſervatis, peccata obvia reducuntur ad ſuas ſpecies; difficile tamen eſt cum ſolis illis decidere caſus pauló abſtruſiores; quare horum deciſio petenda eſt ſtudio probatorum Authorum, qui de illa materia tractarunt ex profeſso.

2 Ex Auctoribus, qui methodicè tractarunt Theologiam Moralem, neminem reperio præcipuè commēdatum ab Apoſtolica Sede, niſi Præceptorem Angelicum, S. Thomam Aquinatem: C. 12. n. 12. innui per tranſennam, quanti ſemper habitus fuerit, & annuatim habeatur ab Eccleſia univerſali. Ad exemplum Matris, viri prudentiſſimi Fundatores Academiarum, ac Religionum quam plurimi præſcripſerunt ſuis Angelici doctrinam ſequendam; & ſingulariter commendandus venit S. Philippus Nerius: qui non modò ſectandum indixit, ſed unicè prælegendum voluit Sancti Doctoris textum, ad cujus amuſſim Eminentiſſimus Cardinalis Caſanate, præter alia in favorem hujus doctrinæ, in Conventu primario de Urbe, erexit duas cathedras perpetuas, & quotidianas, quorum Lectores publicè legerent, & ad litteram explicarent eundem textum.

3. Fuit quidem S. Thomas magni ſemper habitus in omni ſcientiarum genere, ſed in Theologia Morali, quandam adhùc habet eminentiam. Imea etiam florentiſſima ſchola Scoti amplectitur Angelici ſententias, ubi ex ſuo Doctore Subtili non habet quid particularius definiat, adeò ut in Morali dicendus ſit S. Th. Magiſter communis. Et verò æquiſſimus in omnibus, neque relaxans, neq; premens conſcientias, ita Teologiæ Moralis fundamenta ſtabilit, ut omnium caſuum, etiam abſtruſiorum, enodationem polliceri poſſit ſibi quicumque profundiùs illa curaverit introſpicere (loquendo ſemper de iis, quæ non pendent à jure poſitivo Eccleſiæ, poſt mortem Sancti Doctoris firmato; nam omnia hæc petenda ſunt ab ipſis legibus Eccleſiaſticis) Appoſitè Solem geſtat in pectore, ut omnes irradiet: qui tamen præparans ſe ad confeſſiones, Aquilæ oculos non habet, videat in radiis, quibus reflectit iſte Sol in Montibus, nempe, in tot Doctoribus, qui ſcripſere ſuper opera Theologica S. Thomæ.

4. Mi-

4. Mirabilis eſt Angelici doctrina, ſed, & ordo, quo traditur: Theologi compluresprocedunt examinando caſus in particulari, & vulgus complacet in hac methodo varia in ſingulis ferè paginis, ob varietatem caſuum: Varietas enim delectat; S. Thomas 1. 2. q. 32. a. 1. & delectatio nos reddit attentiores. Idem q. 33. a 4. Sed iſta methodus nec habet ordinem, nec poteſt ſufficere; infiniti enim ſunt caſus, & quemlibet infinitæ poſſunt variare circumſtantiæ. Alii per præcepta diſſerunt; ſed neque iſta methodus eſt omnibus numeris abſoluta: cum enim ex præceptis non habeatur perfectè differentia ſpecifica peccatorum, qui prædictam viam incedit, neceſſe habet, ut aliunde ſpeciem dignoſcat.

5. S. Tomas Theologiam Moralem præcipuè tradidit in ſecunda parte ſuæ Summæ. Ut hæc evaderet omnibus numeris abſolutiſſima; ſubdiviſa eſt in duas partes, quarum altera dicitur prima ſecundæ: altera ſecunda pars ſecundæ partis. In prima agit de fine hominis: ſecundò de actibus, per quos pervenitur ad finem: tertiò de principiis intrinſecis, & extrinſecis horum actuum, quæ ſunt fundamenta univerſalia Theologiæ Moralis. Quia tamen hæc ſcientia eſt practica, & directiva operationum: Operationes autem ſunt in ſingularibus; ideò addidit ſecundam partem, in qua particulariter ageret de actionibus, & bonis, & malis. Comprehendit omnes virtutes ſub illis ſeptem, quarum tres ſunt Thologicæ, quatuor Cardinales. Poſt virtutem agit de vitiis eidem virtuti oppoſitis, de præceptis ad quamlibet virtutem ſpectantibus, & de donis Spiritus Sancti eidem correſpondentibus.

6. Ad complementum totius Theologiæ Moralis reſtat notitia ſacramentorum, & quæ dignè, ac reverenter ſumere ſpectat ad Religionem, ſed tamen Angelicus judicavit commodiùs de iilis agi poſſe in tertia parte: quia ſunt medicinæ hominis infirmi, debeat de illis agere poſt Chriſtum Medicum. In hoc opere nullatenùs agetur de ſex ſacramentis, quorum adminiſtratio ſpectat ad alios, præter Confeſſores: de ſacramento autem Pœnitentiæ actum eſt in præcedentibus, quia ſemper notitia finis debet præcedere notitiam mediorum. Nùnc autem procedemus, agentes principaliter de peccatis, quæ ſunt medium, ſeù materia remota ſacramenti: neceſſarium erit aliquid tangere de virtutibus, tùm quia unum oppoſitorum innoteſcit per aliud, tùm quia Confeſsoris munus eſt evellere vitia, plantare virtutes; quoniam nihilominùs opus dirigitur ad inſtructionem Confeſsoris ordinarii expoſiti fidelium multitudini, & virtus perfecta, eſt paucorum, ideò principalior tractatio erit de peccatis; At ſemper juxta methodum Sancti Doctoris, ut data aliquali notitia virtutis, Donique correſpondentis, aſſignentur ſingula peccata eidem virtuti oppoſita.

CAPUT XXXI.

Præparanti ſe ad confeſſiones proponitur diſtinctio actuum internorum.

1. De fine hominis non eſt, quod agatur cum Confeſsore ordinario, qui per fidem credit hominem elevatum eſſe ad æternam beatitudinem conſiſtentem in clarâ Dei viſione. Actus autem, quibus ab hoc fine abducimur, alii ſunt merè interni, quia completi tantùm in corde: alii ſunt externi, quia conſummati in opere. Quilibet Chriſtianus facilè agnoſcit peccata ſua externa, & de illis confitetur: non ita contingit de peccatis internis: quare ex Rituali adducto cap. 7. num. 19. pœnitentem in hoc debet adjuvare Confeſſarius, ut comprehendat illorum ſpeciem, ac numerum.

2. Prima diviſio actuum internorum, eſt in Amorem, & Odium: ſed hæc eſt diſtinctio valdè generica. Amare eſt *velle bonum*. Odire eſt *velle malum*: & æquè vult bonum, qui triſtatur de malo proximi, qui gaudet de bono proximi, qui deſiderat bonum proximi &c. cum tamen iſti ſint actus ſpecie diſtincti: Idem à contrario dic de odio: quare in confeſſione non ſufficienter ſe explicat pœnitens, qui ſe accuſat v. g. *Ter odio habui proximum meum*: ſed ulteriùs illum debet interrogare Confeſſarius, ut explicet nùm odiverit triſtando de ejus bono, vel deſiderando malum, vel gaudendo de malo: & præterea,

quæ

quæ ratio mali fuerit volita : nam ſicut facere malum proximo in bonis externis , eſt peccatum ſpecie diſtinctum à peccato , quod facit malum in fama , vel in perſona, ita ſunt diſtincta ſpecie peccata interna , quibus volumus proximo malum rei exernæ, malum famæ , malum perſonæ. Preparans ſe ad confeſſiones ad id maximè attendat : nàm in examine Romano interrogabitur , non ſuper caſibus hinc inde diſputatis , ſed an ſciat diſcernere lepram à lepra , ubi pœnitens illam non diſcernit , ſcilicet , an ſciat exquirere à pœnitente , quæ in dato caſu ſit ſpecies odii.

3. In actibus internis etiam diſtinguendi ſunt: primò ſimplex complacentia : ſecundò deſiderium : tertiò Intentio : quartò Electio , poſt quas venit executio , quæ eſt actus externus , & tandem gaudium, ſeù delectatio, quam habemus in re poſſeſſa. Et quidem Pęnitens in confeſſione aperiens externum ſuum peccatum , ſufficienter explicat omnes illos actus, dicendo ſe verbi gratia ſemel peccaſſe cùm fœmina: etenim primi quatuor neceſſariò præcedunt, & ultimus neceſſariò conſequitur ad actum; imò actus eligitur propter delectationem; & qui habet quartum, neceſſariò fatetur primos tres, ſine quibus non poteſt haberi quartus. Idem dic de reliquis reſpectu ſuorum præcedentium. At non eſt ita de præcedentibus reſpectu ſubſequentium , & tùnc exigitur prudentia Confeſſarii, præſertìm in peccatis contra Caſtitatem , juxta monitum Ritualis c. 7. n. 20. Contingit enim in praxi , quod fœminæ , præcipuè Virgines nobiles , ſi aliquando ex fragilitate labantur, ſe accuſant unicè , quòd habuerint cogitationes minùs honeſtas . Per quam accuſationem nihil adhùc aperiunt peccati , quia cogitationes hujuſmodi ſæpè ſunt in animabus ſanctioribus; quare prudentiam Rituale, ubi ſupra, requirit in Confeſſario, ne ex una parte doceat peccare pœnitentem: ex aliâ eliciat primò, ſi peccaverit : ſecundò ſpeciem peccati ,quam non poterit agnoſcere, niſi ſciat] diſtinctionem actuum prædictorum .

4. Simplex complacentia eſt actus , quo quis ſimpliciter ſibi complacet de objecto cogitato, abſque ullo reſpectu ad illud in actu conſequendum : ab aliquibus vocatur *Deſiderium inefficax* . Præparans ſe ad confeſſiones non litiget de verbis, & nominibus: Intelligat ſubſtantiam, ſeù ſpeciem,ac numerum actuum, & otioſis relinquat quæſtiones de nomine. Contingit ſæpè in praxi, quod fœminæ nobiles habent actum poſitivum, quæ determinatæ ſunt potiùs mori , quam aliquid externum', vel minimum committere contrarium honori, non propterea ſtatim illas excuſet à peccato Confeſſor , ſed neque ſtatim damnet : etenim delectatio illa potuit fuiſſe orta in appetitu tantùm ſenſitivo , renuente per omnia voluntate; in quo caſu poteſt eſſe materia magni meriti , ſed prudenter inquirat , nùm advertens ad illas cogitationes inhoneſtas, voluntariè commorata fuerit in illis: & quando non plenè ſe explicet , ſucceſſivè interroget de aliis actibus, objectis &c.

5. Hęc ſufficiunt de ſimplici complacentia in genere. Confeſſor debet pleniùs inſtrui de illa ut eſt peccatum . Dignoſcitur autem eſſe peccatum , ex illa regula Sancti Thomæ 1. 2. quæſtion. 34. a. 2. *Delectatio ſequitur naturam actus* . quare complacentia erit licita , ſi actus eſt licitus, & illicita, ſi actus eſt illicitus . Simplex complacentia , etiam voluntaria de actu conjugali, ſine ulteriori periculo, eſt licita maritatis, quia illis hìc, & nùnc, ratione matrimonii actus eſt licitus , eſto per accidens , ob abſentiam mariti , non poſſit exerceri : E contra ſponſæ illicita eſt delectatio de actu conjugali futuro, vel etiam viduæ de actu conjugali præterito , quia ambabus pro tempore, quo delectantur, actus eſt per ſe prohibitus . Ex illo Sancti Thomæ principio venialis erit delectatio , ſi venialiter, & mortalis , ſi mortaliter interdicatur actus . Hæc ſimplex complacentia, quæ eſt peccatum , vocatur delectatio moroſa, non à mora temporis, qua quis in illa ſiſtit : nam omne peccatum fieri poteſt in inſtanti , ſed à voluntatis , quatenùs eſt in voluntaria , etiam per unicum inſtans.

6. Quod dictum eſt delectationem eſſe malam, ſi actus ſit illicitus, non eſt intelligendum ita univerſaliter, ut non fiat aliqua diſtinctio:nam S. Thomas dixit: *Delectatio ſequitur naturam actus* ; quare non erit

erit peccaminoſa delectatio conſurgens ex actu cogitato, qui de natura, & ab intrinſeco non ſit illicitus, etiamſi talis actus extrinſecè in re, per ſuperioris præceptum, remaneat prohibitus: non peccat, qui in die Veneris delectatur de comeſtione carnium, niſi delectetur, ut in die Veneris, quia tunc fertur formaliter contrà præceptum, & id eſt malum intrinſecè, & de natura ſua. Errant autem, qui credunt ſolùm eſſe peccatum delectationem contrà Caſtitatem: etiam eſt peccatum delectari moroſè de homicidio, de furto, & in genere omnis delectatio moroſa, de objecto intrinſecè malo, eſt mala.

7. Theologi diſſident diſputantes, num in delectatione moroſa ſit explicanda circumſtantia, quæ neceſſariò explicari deberet in deſideriis, & aliis actibus, v. g. qui delectatur de fœmina, num explicare debeat, quòd ſit Virgo, vel nupta &c. Certum eſt, quòd circumſtantia concurrens ex parte ſubjecti, debet explicari, ut ſi delectetur Sacerdos, maritatus &c. De circumſtantia ex parte objecti, Theologi diſſident, ſed ego cenſeo explicandas eſſe has etiam circumſtantias ratione objecti.

8. Secundus actus internus conſiderandus præparanti ſe ad confeſſiones, eſt deſiderium. Ut nomen importat, eſt actus tendens in opus externum, adeò ut ex vi actus ſemper velimus conſequi, quod deſideramus, licèt non ſemper media ponantur ad illud conſequendum, ut ſi Ruſticus inhoneſtè deſideret Reginam ſanctam. Hoc deſiderium erit mortale peccatum, ſi ſit deſiderium objecti, quòd ſit contrà legem Dei: Erit veniale, ſi hoc objectum ſit præter legem Dei. Licèt delectatio de re mala, quia prohibita, non ſit peccatum, nihilominùs deſiderium rei malæ, quia prohibitæ, eſt peccatum, quando ſcitur lex prohibens. Licèt, ut num. 7. dictum eſt, in moroſa delectatione aliqui teneant non neceſſariò explicandam eſſe circumſtantiam objecti, tamen omnes tenent explicari debere in deſiderio.

9. Tertius actus internus eſt intentio finis. Ex S. Thoma 1. 2. q. 12. a. 1. ad 3. diſtinguitur à deſiderio, quia hoc vult aliquid, v. gr. ſanitatem: At intentio vult hoc totum, nempè, pervenire ad ſanitatem. In peccatis deſiderat homo rem alienam, & intendit pervenire ad accipiendum aliena.

10. Quartus actus internus eſt electio. De hac S. Thomas 1. 2. q. 13. & de conſilio præcedente electionem q. 14. Igitur, ubi homo intendit pervenire ad aliquem finem, ſi adſint plura media perveniendi ad illum, ordo exigit, ut quærat medium magis utile, magiſque proportionatum fini: & iſta inquiſitio eſt propriè conſilium pertinens ad intellectum: Ubi verò, conſideratis omnibus mediis, accipit unum præ alio, dicitur electio mediorum ad finem, pertinens ad voluntatem. Poteſt peccari & in conſilio, & in electione: In conſilio quidem eo ipſo, quòd voluntas applicat intellectum ad conſiliandum de mediis illicitis, ut cum quis conſulit dæmonem: ſpecies porrò peccatorum, quæ committi poſſunt in conſilio per defectum habes p. 2. c. 16. n. 3. & per exceſſum c. 17. n. 3. In electione peccatur etiam: quare qui elegit expectare hoſtem in via, ut illum occidat, etiamſi pœniteat, dum expectat, non ſufficienter explicat ſuum peccatum in confeſſione, accuſans ſe, quòd propoſuerit illum occidere, ſed debet explicare medium electum, quòd illum expectaverit &c. Inſuper ſi aſſumpſit media de ſe aliàs illicita, ut ſi dedit pecuniam ſicario, quòd prohibetur per leges; Regula autem ad dignoſcendum, quæ media ſpecialiter ſint explicanda, dabitur c. 38. n. 16. cum agemus de præceptis obligantibus per ſe, & per accidens.

11. Quintò: ſuccedit actus externus, de quo nihil nunc eſt differendum; & quo explicato in confeſſione, intelliguntur explicati actus præcedentes, ut dictum eſt n. 3. Imò intelligitur etiam explicata delectatio, ſeù gaudium immediatè conſequens ad ipſum actum: At ſi poſt tempus reflectens peccator ſuprà ipſum actum, noviter gaudet, eſt novum peccatum; & in confeſſione debet explicare pœnitens, non tantùm quòd delectatus fuerit de morte inimici: tunc enim tale gaudium, quod eſt ſpecies diſtincta à ſimplici complacentia, confunderetur cum iſta, ſed explicari debet, ſe gaviſum fuiſſe, aut delectatum de occiſione à ſe perpetrata. Idem dic in aliis caſibus.

12. Videbis à q. 15. ad 18. S. Thomam nominare alios actus, de quibus nunc non diſſero, qui non reperiuntur ſeparati à prædictis: ergo etiamſi perfectè illos non percipiat Confeſſor, non eſt periculum, quòd reddatur defectuoſa confeſſio. Ad

 plenio-

pleniorem notitiam videantur in fonte. Prædictorum differentiam præparans ſe ad confeſſiones curet perfectè noſcere, & quod magis neceſſarium eſt, explicari perfectè à Pœnitentibus, ubi deficiunt: aliter enim non ſunt explicatæ ſpecies peccatorum, ut requiritur ad integram confeſſionem.

CAPUT XXXII.

De Paſſionibus Animæ.

1. SAnctus Thomas, poſt explicatos actus internos voluntatis, à q. 18. ad 22. examinat, undè prædicti actus deſumant bonitatem, vel malitiam: finis hujus operis non eſt ita ſublimis, ut finis Theologiæ S. Thomæ: nam finis eſt *diſcernere lepram à lepra*, hoc eſt, peccatum à peccato; quare procedendum eſt ad explicandas cum eodem Angelico à q. 22. ad 49. paſſiones animæ, quibus moderandis in Pœnitente plurimùm Confeſſor debet inſiſtere, præſertim in iis, qui frequentant Pœnitentiæ Sacramentum. Horum videris complures bis, ter, aut ſæpiùs in hebdomada, ſemper accuſantes eaſdem paſſionum inordinationes, quæ tamen poſt plura etiam luſtra ſemper inſurgunt inordinatiores. Id ſanè ex culpa pœnitentis, ſed cui Confeſſor deberet mederi; & proptereà multi ſuſpicantur de hujuſmodi confeſſionibus, ex quibus nulla, vel minima emendatio apparet de peccatis venialibus, quæ repetimus tam frequenter. Sed quomodo Medici officium exercebit Confeſſor circà hujuſmodi peccata provenientia ex inordinatione paſſionum, ſi omninò ignorat ipſas paſſiones? *Vulnus, quod ignorat, medicina non curat*, ait Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5., & morbum nequit tollere Medicus, qui neſcit radicem morbi.

2. Homo habet duplicem appetitum: intellectivum, qui dicitur voluntas, & ſequitur ad cognitionem intellectus, habetque actus enumeratos capite præcedenti: Alterum ſenſitivum, qui dicitur ſenſualitas, & movetur ad cognitionem ſenſitivam, cujus actus pauló poſt enumerabimus. Loquendo de peccatis mortalibus, homo ut plurimùm peccat per utrumque appetitum: fœmina v. g. repræſentatur homini, ex cujus imaginatione, conſurgit delectatio, ſeù complacentia in appetitu ſenſitivo; quà imaginatione, & delectatione per intellectum repræſentata voluntati; hæc etiam vult utramque; & ita committitur peccatum. Idem dic de reliquis peccatis; nam ordinariè committuntur, quia appetitus ſenſitivus movetur erga ſuum bonum, & voluntas, quæ eſt domina, deberetque moderare hos motus ſenſitivi appetitus juxtà dictamen rationis, non ſe opponit motui ſenſualitatis iis modis, quibus tenetur; & ita ſerva prævalet in dominam, concupiſcentia trahit voluntatem; Non tamen omne peccatum ſemper contingit hoc modo. Sæpè, antequam exurgat motus concupiſcentiæ, ipſa voluntas excitat concupiſcentiam, ſeù ſenſualitatem: ſæpè etiam peccat homo circà ea, quæ non poſſunt appeti motu ſenſualitatis, ut qui diſcredit Deo &c. Hæc autem peccata, quæ contingunt per motionem primam voluntatis, ex ſuo genere ſunt graviſſima.

3. Appetitus ſenſitivus habet duas potentias: altera dicitur Concupiſcibilis, & altera Iraſcibilis. Per Concupiſcibilem fertur in bonum ſibi conveniens, vel utile, vel delectabile (bonum, ut honeſtum, eſt objectum voluntatis) vel fugit à malo. Per Iraſcibilem fertur ad vincendas difficultates, quæ ſibi occurrunt, pro conſecutione talis boni, vel ad ſuperandas difficultates, quæ occurrunt in evitando malo imminēti.

4. Actus appetitui ſenſitivo competentes quoad utramque potentiam vocantur paſſiones, quia fiunt cum aliqua immutatione corporis: & id patet: nam etiam in facie cognoſcitur per alterationem, an quis gaudeat, an timeat, an deſperet, an ſit iratus &c. Sunt undecim hæ paſſiones: Amor, qui eſt ſimplex complacentia, Abominatio, quæ etiam dicitur Odium, & eſt ſimplex diſplicentia, Deſiderium, quod eſt actus efficax tendens in opus: Fuga, ſeù Odium, quod eſt deſiderium mali, Gaudium, quod eſt delectatio in bono poſſeſſo, & Triſtitia, quæ eſt diſplicentia de malo præſenti, quod habemus, Spes, quæ firmat appetitum in eo, quod deſideramus ad illud conſequendum, contrà difficultates, quas patimur in ejus conſecutione: Deſperatio, quæ eſt deſtitutio appetitus conſequendi bonum, ex eo quod apprehendimus non poſſe nos ſuperare difficultates occurrentes in ejus conſecutione, per quod etiam deſiſtimus à deſiderando, quia non ampliùs nobis apparet conſequibile: Timor in nobis

nobis oritur, cùm videmus imminere malum, quod difficilè poſſumus evitare. Ad hunc timorem facillimè ſequitur deſperatio: Audacia ſequitur ad ſpem: quando enim ſperamus conſequi aliquod bonum, eſto mala, ſeù difficultates nobis impediant ejus conſecutionem, animamur ad vincenda illa mala, ſeù difficultates; & hæc animatio dicitur Audacia: Tandem Ira eſt appetitus vindictæ: cum homo triſtatus eſt ob malum ſibi illatum, & ſperat illud vindicare, reſtituendo nocenti; quod tenet convenire, ut nocens habeat malum pro malo, tunc inſurgit in appetitu Iraſcibili paſſio hæc Iræ, quâ appetit vindicare.

5. Sex primæ pertinent ad concupiſcibilem: quinque ultimæ ad iraſcibilem.: Et hoc ordine procedunt etiam in brutis, cum quibus illas homo habet communes: Quoad bonum, imaginativa repræſentat talem cibum eſſe ſaporoſum, & complacet ſibi in ſapore imaginato: progreditur imaginans ſibi convenire talem cibum, & deſiderat: ſed hìc repræſentatur difficultas in obtinendo illo, quare firmat ſe per ſpem, quæ movet ad Audaciam, ut, ſcilicet, in opere aggrediamur ſuperare difficultates, ex quarum apprehenſione priùs per ſpem firmaveramus nos in deſiderio illius conſequendi: & quia imaginamur Petrum habentem in ſua manu cibum, nobis injuſtè opponi ad tradendum, excitamus iram contra Petrum, appetentes vindicari de injuſta parvipenſione, quam habet de nobis: Portò his obſtaculis remotis, habito jam cibo, gaudemus illum comedendo. Semper igitur incipit operari concupiſcibilis: Ubi opus eſt, mediat Iraſcibilis, & ſemper terminat concupiſcibilis. Si difficultates apprehendantur vix ſuperabiles, poſt deſiderium ſequitur timor de illis ſuperandis; & tandem ubi apprehenduntur inſuperabiles, ſequitur deſperatio. Ad apprehenſionem mali ſequitur abominatio, ſeù diſplicentia; & ſi iterum imaginemur poſſe advenire, ſequitur Odium, ſeù Fuga: quòd ſi videatur difficile vitari poſſe, ſequitur timor: ubi verò nobis advenit malum, ſequitur Triſtitia: quare pariformiter incipit operari concupiſcibilis: ubi opus eſt, mediat Iraſcibilis, & terminat concupiſcibilis.

6. Undecim hæ paſſiones de ſe non ſunt peccata; ſed imò Deus inſerit homini, ut illis adjuvetur ad conſequendum bonum honeſtum: Timor gehennæ retrahit à multis exceſſibus, & inducit remotè ad charitatem: Audacia, & Ira competunt viro forti, ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 123. art. 3. & 10. Dupliciter poſſunt eſſe malæ: primò: ſi excitentur voluntariè paſſiones iſtæ circà objectum aliàs prohibitum: ſecundò: ſi circà objectum licitum excitentur inordinatè; & Ira, quæ ponitur vitium Capitale, non eſt ipſa paſſio Iræ ſecundùm ſe, ſed ut eſt inordinata.

7. Multi decipiuntur credentes non eſſe peccatum mortale quidquid provenit ex paſſione iræ, maledicentias, imprecationes, blaſphemias, etiam hæreticales: Hinc vulgus innumerum perſeverat in peccatis mortalibus: confitentur equidem ſe hujuſmodi maledicentias &c. protuliſſe ex animo, ſed ex animo irato: Ubi autem Confeſſarius imperitus intelligit, ſtatim eximit ab omni culpa mortali. Præparans ſe ad confeſſiones ſciat ex S. Thoma 1. 2. q. 77. præſertim a. 7. quòd omnis paſſio poteſt prævenire rationem, quoad ipſum actum paſſionis, v. g. quoad ipſam iram, ſed non quoad actus aliarum potentiarum, qui excitantur per iram. Id totum paucis verbis explicari nequit meliùs, quàm adducendo doctrinam ejuſdem ex 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3. ubi loquitur de blaſphemia, & ait: *Blaſphemia poteſt abſque deliberatione, ex ſurreptione procedere dupliciter: Uno modo, quòd aliquis non advertat hoc, quod dicit eſſe blaſphemiam: quod poteſt contingere, cum aliquis ſubitò ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat; & tunc eſt peccatum veniale Alio modo, quando advertit hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum; & tunc non excuſatur à peccato mortali, ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxtà ſe ſedentem.* Quæ multò magis locum habent in maledicentiis, & imprecationibus matrum erga filios &c. ex animo jactis pro illo inſtanti iræ: nam maledicentia ex animo jacta, eſt maledicentia volita per voluntatem, & conſequenter priùs conſiderata per intellectum: quare toties mortaliter peccant, quoties maledicunt ex animo.

8. Confeſſor advertat has undecim paſſiones eſſe genera, non ſpecies: quare quando in illis eſt peccatum mortale, non ſufficit Pœni enti ſe accuſare, quòd prorupe rit

in odium, in iram &c. ſed debet ulteriùs explicare, quod malum voluerit per odium, & quomodo, an, ſcilicet, complacendo, vel deſiderando &c. ut dictum eſt c. 31. n. 2. Porrò circà pœnitentes timoratos, qui frequentant hoc ſacramentum ſine peccatis mortalibus, maximè attendat, ut, quantùm fieri poteſt, moderentur paulatim ſuas paſſiones: ut id conſequantur, proponet duplex medium: primò: ut in omnibus conſiderent finem, & ita aſſument paſſiones v. gr. iram, quantùm eſt neceſſaria, ut cum fructu corrigant vitia: Idem dic de gaudio, ſeù delectatione in cibo, potu, & reliquis actibus pertinentibus ad propagationem ſpeciei, ut curent nihil ampliùs delectationis quærere, quàm quod confert ad fines talium actuum: ſecundò: quia difficillimum eſt, ut in hujuſmodi actibus exercendis, ita ratio moderetur appetitum ſenſitivum, ut hic neque deficiat, neque excedat in iraſcendo &c. optimum erit conſulere prædictis pœnitentibus, quòd, ubi paſſio concurrit ad aliquam operationem, ſe accuſent in fine confeſſionis ex corde, de inordinatione paſſionis: v. gr. pater, & mater debent iraſci contrà filium delinquentem; ſe accuſent veniam petentes à Deo, ſi fortè defecerint, vel exceſſerint in ira. Hoc eſt remedium efficax ad paſſiones magis, ac magis moderandas: nam duo concurrunt: primò: noſtra humilitas: ſecundò: meritum Chriſti applicatum per ſacramentum, quod inſtitutum eſt in remedium noſtræ infirmitatis; & exceſſus, vel paſſionis defectus in hujuſmodi caſibus provenit ex infirmitate.

CAPUT XXXIII.

De principiis bonorum Actuum.

1. EQuidem finis principalior hujus operis eſt *diſcernere lepram à lepra*, hoc eſt, inſtruere præparantem ſe ad confeſſiones de diſtinctione peccatorum, ut in Confeſſionali ritè poſſit exercere triplex illud officium Judicis, Medici, & Doctoris. Sed, quia unius oppoſiti nequit haberi perfecta cognitio, niſi, ſaltem imperfectè, cognoſcatur aliud oppoſitum, ideò, ubi agitur de peccatis, & vitiis, præparans ſe ad confeſſiones, etiam aliqualiter debet inſtrui de bonitate actuum, & de virtutibus. S. Thomas poſtquam egit primò de actibus appetitus intellectivi, quos dedimus cap. 31. & de actibus appetitus ſenſitivi, quos dedimus c. 32. procedit ad agendum de principiis intrinſecis actuum, & bonorum, & malorum: Diſtinguit principia intrinſeca ab extrinſecis: quia enim actus noſtri appetitus ſunt vitales, manent in ipſo operante: Igitur principium intrinſecum apud Angelicum eſt, quod recipit ipſam operationem: quare appetitus ipſe dicitur principium intrinſecum, & quidquid concurrit ad operationem, ut forma ipſius appetitus: Principium verò extrinſecum dicitur omne principium, quod ab appetitu diſtinctum concurrit ad operationem, eſtò imprimat aliquid in ipſo appetitu, ut eſt Deus, qui aliàs in appetitu infundit gratiam actualem auxiliantem &c. De potentiis appetitivis tractaverat ſufficienter S. Doctor in 1. p. q. 70. ad 74 cum in earum conſideratione nihil occurrat ſpeciale pro Confeſſario, brevitatis gratia nihil circà illas attingam: qui pleniùs inſtrui cuperet, videat Sanctum in prædictis locis. Hic autem agit de habitibus in genere, qui potentias informant à q. 49. ad 54., ſive concurrant ad bonum, ſive ad malum; & à 56. ad 71. de habitibus bonis cum aliquibus eorum actibus ſpecialibus. At fortè faciliùs evadet præparanti ſe ad confeſſiones, ſi in hoc capite breviter concludatur, quidquid ſpectat ad principia bonarum operationum, phyſicè operantia, ſive ſit ipſe Deus per ſuam gratiam, ſive voluntas ipſa per ſuos habitus.

2. Voluntas Juſti, quando operatur bonum, & movet ſe ipſam ad tale bonum, & movetur etiam à Deo ad illud: quare debet perfici per duplicem habitum. Alter dicitur virtus, & alter dicitur Donum Spiritus Sancti. Virtutes omnes Morales reducuntur ad ſeptem, quarum tres ſunt Theologicæ, quatuor Cardinales: Etiam ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti. De utriſque videnda eſt *Inſtructio pro ordinandis* c. 12. quoad univerſalem quandam intelligentiam: quæ verò perfectiùs de illis debet ſcire præparans ſe ad confeſſiones, dicentur ſuis locis de qualibet virtute in particulari, & dono eidem correſpondente. Virtutes Cardinales aliæ ſunt acquiſitæ, & aliæ infuſæ: dicuntur acquiſitæ, quæ nos diſponunt ad ſuos actus naturales: infuſæ verò, quæ nos diſponunt ad actus ſupernaturales earumdem virtutum: Theologicæ Virtutes,

tutes,

Digitized by Google

tutes, & Dona ſunt ſolum ſupernaturales, quia omnes ſequuntur ad fidem, quæ eſt principium ſupernaturalitatis. Tam virtutes, quàm Dona ſunt invicem connexa interſe, & cum charitate, ut nequeat haberi perfecta ex omni parte una Virtus, & Donum, niſi habeantur omnes, & maximè Charitas: quare in peccatore nulla virtus, eſt ex omni parte perfecta; ſed, ſi habet aliquem habitum inclinantem ad actus virtuoſos, ille habitus in ratione virtutis, nullatenùs eſt omni ex parte perfectus: cum hoc tamen ſtat, quod eliciat aliquos actus vere virtuoſos: nam actuum vere vituoſorum alii ſunt perfecti, & alii imperfecti. Primi exigunt procedere ab habitu virtutis: ſecundi autem præcedunt, veluti diſpoſitio, ad introducendam virtutem: Sicut ignis habet producere calorem: ſed alius eſt calor perfectus, & alius eſt imperfectus: Octavus gradus eſt perfectus, & iſte ſemper exiſtit cum forma ignis: cœteri ſunt imperfecti, qui non ſemper exigunt eſſe cum ipſa forma ignis, ſed præcedunt tanquam diſpoſitionem: nihilominus ſunt verus calor, eſto ſint imperfecti.

3. Etiam in linea donorum Spiritus Sancti reperio actus imperfectos; & perfectos; ne videar ſine fundamento ponere hanc diſtinctionem, legatur S. Thomas 2. 2. q. 8. a. 5. ubi ait, quod *qui nondum conſecutus eſt donum* Intellectus tamen *ex illuſtratione Spiritus Sancti alia quædam præambula cognoſcit*. Ad 1. addit Auguſtinum aliquando nomine doni Intellectus, accepiſſe quamcumque *illuſtrationem intellectualem, quæ tamen non pertingit ad perfectam doni rationem*. Et hi actus in linea donorum imperfecti reperiuntur etiam in peccatore. Porrò actus perfecti Donorum ſunt in duplici genere: nam alii ſunt perfectiſſimi, & alii minus perfecti. In hoc ſecundo genere ſunt duodecim fructus Spiritus Sancti, & in primo ſunt octo Beatitudines, & actiones, quas vocant Virtutis Heroicæ. Notitia ſuperficialis utrorumque data eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 7. & 8. Præparans ſe ad confeſſiones, qui velit de illis pleniùs inſtrui, legat S. Thomam 1. 2. q. 69. & 70.

4. Principium extrinſecum concurrens phyſicè cum voluntate ad ejus operationes, eſt Deus per ſuam gratiam. De hac gratia plenè San Thomas 1. 2. à queſt. 109. ad finem: Gratiæ neceſſitatem ut intelligat præparans ſed ad confeſſiones, habeat ante oculos doctrinam univerſaliorem Catechiſmi Romani 1. p. c. 2. n. 22. ubi dicitur: *Non ſolum Deus univerſa, quæ ſunt, providentia ſua tuetur, atque adminiſtrat: verum etiam, quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut, quamvis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat; & quemadmodum Sapiens teſtatur* Sap. 8. Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. *Quare ab Apoſtolo* Act. 17. *dictum eſt, cum apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant:* Non longè eſt ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus. *Atque hæc* &c. Id verò pridem exemplo mirabiliter explicuerat S. Thomas q. 3. de. pot. art. 7. ad. 9. Artifex enim ſecuri dat primò eſſe, ut ſit ſecuris: ſecundò conſervat eſſe ſecuri, non deſtruendo illam: tertiò dat virtutem ſecuri, acuendo illam, ſed eſtò ſit perfectiſſima in his tribus, nunquam tamen actu ſcindet, niſi actu artifex illam moveat ad ſcindendum. Ita ſemper ſe habet cauſa univerſalis, reſpectu particularis, & maxime prima reſpectu ſecundæ, ſcilicet, Deus.

5. Scio, quod præparans ſe ad confeſſiones non facilè percipiet hanc doctrinam reſpectu cauſarum contingentium, de quibus non omninò adæquatum exemplum reperitur extrà Deum: nihilominus debet ſupponere duo certiſſima: primò Artifex tollens, velut ab otioſitate ſecurim, & per impulſum movens illam ad ſciendendum, nihil virtutis, quam priùs habebat, tollit ſecuri; & ſi ex utraque parte erat acuta, ita ut ex utraque poſſet ſcindere, artifex imprimens illi motum ad ſcindendum ex hac parte, nihil pœnitus acuminis tollit ex altera parte, ſed ſolum iſtam movet: uno verbo dat iſti operationem, ſed nihil virtutis, aut potentiæ ad ſcindendum tollit alteri: Eodem modo Deus movens cauſam contingentem ad hanc operationem, dat illi ſolum talem operationem determinatam, ſed nihil virtutis, aut potentiæ tollit cauſæ contingenti ad aliam operationem; & conſequenter adhuc ipſa operatio eſt contingens, quia procedens à cauſa illam ita operante, ut cum illa operatione actuali conjungat potentiã, & virtutem ad

 aliam,

aliam, quæ ſi per motum, quo Deus movet ad talem operationem non tollitur, profectò remanet: ſecundò, ut melius id percipiat, notet primum principium, quod traditur in Summulis: *Concluſio ſequitur debiliorem partem*; & quia operatio procedens à cauſa prima, Deo, ſimul & ſecunda, eſt veluti concluſio, talis operatio debet ſequi cauſam particularem, & contingentem, ut ſit particularis, & contingens: Ratio deſumitur ex alio principio æquè certo; Effectus nequit eſſe perfectior ſuis cauſis: cum igitur omnis ratio formalis reperta in effectu, procedat indiviſibiliter à duabus illis cauſis, ſi haberet neceſſitatem à prima, & non contingentiam à ſecunda; cum hæc neceſſitas in effectu, tribuenda ſit utrique cauſæ, jam effectus eſſet perfectior ſua cauſa.

6. Hæc omnia deducuntur ex principiis naturalibus; cæterum præparans ſe ad confeſſiones ulterius ex fide ſupponet per Adæ peccatum fuiſſe multum debilitatas hominis potentias ad bonum, ita quod amiſit primò amorem naturalem, Dei finis ultimi; & ſcimus, quod ab intentione finis regulatur electio mediorum: ſecundò incurrit in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam, in Iraſcibili infirmitatem, in Concupiſcibili concupiſcentiam. S. Thomas 1. 2. q. 75. a. 3. Vide c. 3. n. 11. Ita vulneratus homo remanſit in bonum quaſi ſecuris, cui multum eſt diminutum de acie; & ſicut hæc taliter relicta; ut actu ſcindat, duobus indiget, primò, quod reddatur acies, ſeu vis ad ſcindendum ſecundò quod actu moveatur ad ſcindendum; ita homò, ut operetur bonum, indiget duobus, primò: quod per auxilium gratiæ confortentur vires debilitatæ per peccatum: ſecundò: quod tali auxilio confortatæ moveantur ad operandum per aliud auxilium gratiæ; & quidem intellectus contra ignorantiam, ad cognoſcendum verum, confortatur principaliter lumine fidei, doniſque fidei correſpondentibus, ſive ſint actus perfecti, ſive imperfecti; ſed ubi ad cognoſcendum adſit hæc gratia in intellectu, non per hoc eſt confortatus in voluntate ad bonum: Patet exemplo infirmi duabus infirmitatibus, nempe, in oculis, & in pedibus: Illum perfectiſſimè ſanavit Medicus in oculis, fecitque videre medicinam in angulo cubiculi, efficaciſſimam ad ſtatim ſanandos pedes. Ergò id multum adjuvet, quod infirmus cognoſcat virtutem medicinæ, tamen non ſufficit, ut convaleſcat, niſi ſublatum in humeros Medicus ducat ad ipſam medicinam. Id innuere volens Tridentinum ſeſſ. 6. can. 4. dixit *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum* &c. volens & excitationem, qua illuminamur, & præterea motionem, qua illuminati movemur. Porrò ſunt varia genera gratiarum, de quibus, ut dictum eſt, ſi velit plenius inſtrui præparans ſe ad confeſſiones, conſulat loco prædicto S. Thomam. Et de gratiis gratis datis 2. 2 à q. 171. ad 179. qua doctrina maximè indiget Confeſſor dirigens animas perfectiores ſimul cum damnatione propoſitionum Michaelis de Molinos.

CAPUT XXXIV.

Quid circa peccatum in genere debeat particulariter addiſcere præparans ſe ad Confeſſiones.

1. SAnctus Thomas poſtquam egit de actibus virtutum, ejuſque principiis intrinſecis, à q. 71. ad 89. pleniſſimè agit de peccato, ejuſque principiis, adeo ut perfectus Theologus nihil ulterius poſſit deſiderare ad totalem peccati notitiam. Quia tamen hoc opus eò ſolum tendit, ut inſtruat Confeſſorem ordinarium, ut ſciat, quæ ſpectant ad exercendum ritè ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, ac Medici, ſecundum quod exercent in aliis negotiis ordinarii Judices, Medici, & Doctores, ideò ex theſauro Angelico ſolum ſeligentur, quæ tenetur ſcire Confeſſor ordinarius. Rei cujuslibet agnoſcenda eſt ſaltem craſſa Minerva, & eſſentia, & accidentia; quare cum peccata ſint materia remota, circa quam ſuum triplex officium Confeſſor exercet, debebit ſcire peccati eſſentiam, ſeu ſpeciem, ac numerum, & peccati accidentia, ſeu circumſtantias, quas peccati accidentia vocat S. Thomas 1. 2. q. 21. a. 10. præſertim ad 2. Quę omnia, ut quantum fieri poteſt, clariſſime proponantur, ſciendum, quòd, quę conveniunt univocè ſub uno nomine, prius definiuntur, deinde dividuntur; at quæ conveniunt analogice, ut peccatum ex S. Thoma q. 88. a. 11. ad 1., prius, dividuntur, deinde definiuntur; quare.

2. D. Detur diſtinctio peccatorum?

M. Pec.

M. Peccatum aliud eſt originale: aliud actuale: De originali dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 11. & c. 41. à n. 4. datæ ſunt Scripturæ authoritates à Tridentino primùm adductæ, ut Miſſionarii hæreticis probent dari hoc originale peccatum. S. Th. à q. 81 ad 84. & 4. contra Gentes c. 50. 51. 52.

3. D. Quotuplex eſt peccatum actuale?

M. Peccatum actuale primò dividitur in capitale, & non capitale: Capitalia peccata dicuntur, quæ ſunt caput, ſeu origo, undè alia proveniant. S. Thomas q. 84. a. 3. & ſunt ſeptem data in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 13. & ſeqq. quorum tria de natura ſua non ſunt mortalia, nempè, Avaritia, Gula, & Ira. S. Thomas art. 4. de quorum ſingulis dicetur ſuo loco, cum agemus de virtutibus, quibus opponuntur: ſecundò: peccatum aliud eſt ſpirituale, aliud carnale: Carnale perficitur, ſeu completur in delectatione guſtus, & tactus: ſpirituale verò in aliis delectationibus. S. Thomas q. 72. art. 2. Tertiò: aliud eſt peccatum in Deum, aliud in ſe ipſum, aliud in proximum. Licet omnia peccata ſint in Deum, dicimur tamen ſpecialiter peccare in Deum, quando peccamus in his, quę ratio dictat deberi ſoli Deo ut quando peccamus contra virtutes Theologicas, vel contra virtutem Latriæ: dicimur peccare in nos ipſos, quando peccamus in his, quæ ratio dicta deberi nobis, ut quando peccamus gulà, &c. dicimur peccare in proximum, quando peccamus in his, quæ ratio dictat deberi proximo, ut quando lędimus juſtitiam. S. Thomas q. 72. art. 4. Quartò: peccatum aliud eſt commiſſionis, aliud omiſſionis: Peccatum commiſſionis eſt contra præceptum negativum: quare furtum eſt peccatum commiſſionis, quia eſt contra præceptum negativum, ſeu prohibens furari: Peccatum omiſſionis eſt contra præceptum poſitivum. quare omiſſio ſacri in die feſto eſt peccatum omiſſionis, quia eſt contra præceptum poſitivum, ſeu præcipiens auditionem ſacri. S. Thomas art. 6. Quintò: diſtinguitur peccatum cordis, oris, & operis. S. Thomas art. 7. apud quem videbis alias diſtinctiones peccatorum, ſed pro quanto neceſſarium eſt præparanti ſe ad confeſſiones, reducuntur ad iſtas, vel ad diſtinctionem peccati venialis, & mortalis, de qua n. ſequenti. Porrò Confeſſor curabit, ut in confeſſione pœnitens explicet has differentias, ubi agitur de mortalibus: nec enim ſufficienter ſe accuſat dicendo, v. g. *Peccavi graviter contrà charitatem proximi*, ſed debet addere, num læſerit proximum peccato omiſſionis, negando illi ſigna benevolentiæ poſitivè præcepta, vel peccato commiſſionis, operando contra præceptum negativum prohibens odium &c. Similiter debet explicare, num odium fuerit tantum in corde, vel addita fuerint verba indicativa odii, vel tandem deventum fuerit ad actus externos odii. Porrò prædictæ peccatorum differentiæ inveniuntur æque in peccato mortali, ac in veniali.

4. D. Imple promiſſum factum dandi diſtinctionem peccati venialis, & mortalis?

M. Sextò: peccatum dividitur in mortale, & veniale: Mortale eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam Dei: Veniale eſt dictum, factum, vel concupitum præter legem æternam Dei S. Th. q. 71. a. 6. additis, quæ habet q. 88. art. 1. ad 1. Illud propriè dicitur contra legem, quod eſt contra finem legis: Porrò 1. Tim. 1. *Finis præcepti*, ſeu legis, *eſt charitas*: quare propriè peccatum mortale eſt contra legem, quia deſtruit charitatem: Veniale verò dicitur præter legem, quia non deſtruit charitatem.

5. D. Ex S. Thoma 1. 2. q. 96. art. 4. leges humanæ obligant in conſcientia, & præſertim præcepta obligant ſub mortali ex 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2. quare videtur dari peccatum mortale, quòd tamen non eſt contra legem æternam?

M. Ex eodem 1. 2. q. 95. a. 2. omnis lex humana juſta (& ſolùm juſta obligat in conſcientia) derivatur à naturali, quam Deus indidit in corde hominum, ut imaginem particularem ſuæ legis æternæ univerſalis: ergo ſicut offendit Principem, qui offendit imaginem Principis, ita offendit legem æternam, qui offendit imaginem legis æternæ. Vide rationem adductam pro damnatione peccati Philoſophici cap. 28. num. 2.

6. D. Quædam peccata dicuntur mortalia ex genere ſuo, & quædam ex genere ſuo non ſunt mortalia; vellem ſcire, qua regula poſſim diſcernere hanc differentiam?

M. Duplici regula poteris id diſcernere: prima eſt digna Theologo; quia uni-

verſalis: Dictum eſt numero præcedenti peccatum mortale eſſe contra finem legis, ſeu contra charitatem: quare Theologus videns peccatum aliquod habere de natura ſua oppoſitionem cum charitate, vel cum mediis neceſſariis ad conſervandam charitatem, judicabit illud eſſe de natura ſua mortale. Secunda regula magis infigetur memoriæ Confeſſoris ordinarii: videbit primò, quænam virtutes obligent nos de natura ſua ad ſuos actus ſub mortali; & deinde judicavit peccata illis oppoſita de natura ſua eſſe mortalia. Sed quia homo facilius percipit res in particulari, quam in univerſali, ſciat in ſua 2. 2. S. Thomam examinare tringinta octo virtutes, quarum quatuordecim ſub mortali nos obligant ad ſuos actus, nempè, Fides, Spes, Charitas, Juſtitia commutativa, Juſtitia Diſtributiva, Juſtitia legalis, Juſtitia Vindicativa in Superiore, Religio, Pietas, Obedientia, Obſervantia, quæ dat obſequium debitum Superioribus, Sobrietas, Caſtitas, & Humilitas. Reliquæ non obligant de natura ſua ſub mortali. Prudentia v. g. determinat media ad conſequendum, vel conſervandum finem charitatis, & quia non omne medium eſt omnino neceſſarium ſed aliquod eſt ad melius, ſeu perfectius conſervare charitatem, ideò de natura ſua non obligat ſub mortali, ſed, ſolum quando medium eſt tale, ut ſine eo non poſſet haberi charitas. Igitur peccata prudentiæ oppoſita de natura ſua non ſunt mortalia. Similiter liberalitas non obligat nos ſub mortali, quia poſſumus habere charitatem erga proximum, etiamſi non ſimus liberales, dummodò exerceamus charitatem in caſibus particularibus, quando proximus eſt in extremâ neceſſitate, aut gravi, vel habemus ſuperflua; quod autem obligat nos tantum in caſibus particularibus, non obligat nos de natura ſua, & per conſequens peccata liberalitati oppoſita, de natura ſua non erunt mortalia. In *Inſtructione pro ordinandis* cap. 40. n. 27 enumeravi ſingulas ſpecies peccatorum ſingulis quatuordecim prædictis virtutibus oppoſitas, ut novus Sacerdos memoriæ facilè commendaret, quæ peccata de natura ſua ſint mortalia; cæterum hic non eſt neceſſe illa repetere, quia de ſingulis agetur ſuo loco.

7. D. Pluries dictum eſt, quod verba Ritualis *diſcernens inter lepram, & lepram*, important, ut Confeſſor ſciat diſtinctionem ſpecificam, & numericam peccatorum; qua ergo regula uti debeo ad dignoſcendam hanc diſtinctionem?

M. In praxi hoc eſt præcipuum munus Confeſſarii, qua Judex eſt ut à pœnitente faciat explicari ſpeciem, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias peccatorum, juxta Rituale adductum c. 7. n. 19. Sed in ſubſequentibus agetur de circumſtantiis, quæ ſunt accidentia, & de individuatione, ſeu numero; in præſenti danda eſt regula, ut cognoſcatur eſſentia (quæ eſt fundamentum cæterorum) ſeu ſpecies. Igitur præparans ſe ad confeſſiones utetur duabus regulis, quæ tamen in idem recidunt: primo: peccata ſunt diverſa ſpecie, quæ habent diverſum formale objectum; quæ eſt regula generalis ad diſtinguendum omnem actum. S. Thomas 1. pa. q. 77. art. 3. Alia regula pro diſtinguendâ particulariter ſpecie peccatorum, eſt hujuſmodi: *Tunc peccata diſtinguuntur ſpecie, quando opponuntur diverſis virtutibus, vel eidem virtuti per exceſſum, & defectum*. Ita odium, & furtum diſtinguuntur ſpecie, quia primum opponitur charitati: ſecundum opponitur juſtitiæ: Eſtò eidem liberalitati oppoſita prodigalitas, & avaritia, diſtinguuntur ſpecie, quia prima excedit in dando, ſecunda deficit: Furtum, & homicidium, licet oppoſita eidem juſtitiæ commutativæ, diſtinguuntur ſpecie, quia homicidium tollit vitam, quæ eſt bonum ſuperioris ordinis omni bono fortunæ. Idem dic de reliquis. Confeſſarius igitur à Pœnitente audiens, quòd peccavit contra virtutem aliquam, ulteriùs inquirat ſpeciem, quia plura ſunt peccata ſpecie diverſa contra eandem virtutem. S. Thomas 1. 2. queſt. 72. art. 8. Hæc regula duplex in rei veritate non ſolum inſeruit ad diſtinguendas ſpecies peccatorum mortalium, ſed etiam venialium adinvicem.

8. D. Plura inferius aſſignabis peccata contrà dona Spiritus Sancti: nam dices c. 35. n. 18. Ignorantiam opponi dono Scientiæ. Par. 2. ſuo loco. Hebetudinem ſenſus, & Cæcitatem mentis opponi dono Sapientiæ. Propterea videntur non ex ſola oppoſitione ad virtutes diſtingui peccata?

M. Optimè peccata diſtinguuntur ex oppoſitione ad virtutes; eſtò aſſignentur

pec-

peccata contra dona Spiritus Sancti, inter quæ computari debent blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, de quibus dicetur Par. 2. ſuo loco. Notandum ex S. Thoma 2. 2. qu. 159. art. 2. ad 1. quòd dona Spiritus Sancti apud Theologos, in ſuo actu perfectiſſimo correſpondent virtuti Heroicæ apud Philoſophos, quam etiam vocabant divinam, quia excedit modum, quo ſolent operari homines. Theologi quærunt, an virtus Heroica diſtinguatur ſpecie à communi. De hoc non curet Confeſſor: poteſt enim ſatisfacere ſuo muneri Judicis, eſtò ignoret prædictam diſtinctionem. Loquendo autem de peccatis oppoſitis virtuti Heroicæ, ſeù donis, illa erunt talia, quæ à Philoſophis dicuntur, beſtialia, inhumana, & contra naturam. Hujuſmodi eſt in Luxuria peccatum Antonomaſticè dictum *Contra naturam*: Hujuſmodi ſunt blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, quas inter S. Thomas enumerat obſtinationem; & deinde 2.2. q.88. a.6. ait obſtinationem eſſe circumſtantiam notabiliter aggravantem. Quæſt. 159. art. 12. ad 1. Crudelitatem enumerat inter peccata oppoſita donis. Omnia porrò hæc peccata ſaltem mediatè opponuntur virtutibus. Et vel differant ſpecie, vel tantùm aggravent, Confeſſor curabit explicari ex ratione danda n.20.

9. D. Quia diſcernere lepram à lepra non ſolum importat agnoſcere ſpeciem, ſed etiam numerum peccatorum, ideò detur mihi regula, ut diſcernam, quomodò peccata diſtinguantur numero?

M. Confeſſor non debet curare unitatem, & diſtinctionem numericam peccatorum in genere phyſico, ſed in genere moris, ut ſunt peccata. Hinc ex S. Thoma 1.2. quæſt. 20. a. 6. plures actiones phyſicè (etiam ſpecie) diverſæ, erunt unum numero peccatum, ſi ad eundem finem ordinentur v.g. Petrus ut occidat hoſtem in mane, citiùs ſolito in veſperi vadit dormitum, ſurgit, induit ſe, arripit enſem, exit domo, ambulat per compita, ut hoſtem inveniat: Equidem phyſicè ſunt plures actiones diverſæ ſpecie, ſed in genere moris, quia unus eſt omnium finis, unum ſunt numero peccatum. E contrà, ſi dum continuè ambulat, incipiat curſum, primò propter vanam gloriam: ſecundò propter gloriam Dei, tertiò ut furetur: una phyſicè actio erit primò peccatum veniale: ſecundò actus bonus: tertiò peccatum mortale, quia eſt ordinata in tres fines: Secundò: ſicut ex diverſitate objecti formalis deſumitur diſtinctio ſpecifica, & formalis, ita ex diverſitate objecti materialis deſumitur diſtinctio materialis, & numerica peccatorum. Id niſi maximè attendat Confeſſor, millies exponet Sacramentum pœnitentiæ periculo nullitatis: etenim Philoſophus, etiam lumine naturali, agnovit, quod *Injuria eſt in injurato*: quare ſi uno ictu duos occidam, uno verbo duobus detraham, vel duobus ſim ſcandalo, quanquàm una ſit actio, tot erunt peccata homicidii, detractionis, & ſcandali, quot ſunt offenſi; & tamen plures Confeſſarii à pœnitentibus non ſufficienter explicantibus fortè negligunt petere numerum offenſorum, ex quo pendet cognoſcere quot numero peccata commiſerit. Tertiò: etiam diſtinguuntur, ſeù multiplicantur numero peccata ex diverſitate temporis, quo commiſſa fuerunt, ut ſi hodiè, & cras percutio inimicum, erunt duo peccata numero diſtincta. Porrò totum hoc videtur provenire, quia tanta intercapedo temporis facit mutare intentionem, ſeù quòd non remanet virtualiter prima illa intentio, ſed interrumpatur per actus, qui mediant, moraliter. Hinc tempus illud faciet diſtinctionem numericam peccatorum, quod moraliter cenſetur ſufficere ad variandam intentionem. Et hoc debet hìc, & nunc determinari judicio prudentium; & Confeſſor in praxi, ubi poteſt eſſe dubium, provideat ſecuritati conſcientiarum.

10. D. Explicata eſt ſufficienter pro quanto pertinet ad Confeſſorem ordinarium, & eſſentia, ſeu diſtinctio ſpecifica, & individuatio, ſeu diſtinctio numerica peccatorum: explicentur nunc accidentia, ſeu circumſtantiæ.

M. Confeſſarius, quià Judex, debet etiam ſcire circumſtantias peccati; nam, quod ait Rituale adductum c. 7. n. 19. *Si Pœnitens .... circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget*; innuit officium Judicis, cujus eſt interrogare. De circumſtantiis actuum humanorum agit S. Thomas 1.2. quæſt. 7. q 18. a.3. a.10. & 11. & de circumſtantiis peccatorum q. 72. art. 9. q. 73. a.3. & q.88. ar. 5. Porrò notandum, quòd accidentium aliqua verè ſunt in

ſe

Digitized by Google

ſe talia, & aliqua ſunt in ſe ſubſtantiæ, ſed accidentia reſpectu ſubjecti, cui ſuperveniunt: albedo hominis v.g. in ſe verè eſt accidens: veſtis autem dicitur accidens reſpectu hominis, cui ſupervenit, ſeù accidit, cæterum in ſe eſt ſubſtantia; quæ applicando circumſtantiis peccatorum, aliæ ſunt verè accidentia, ita quòd cum actu conſtituant unicum peccatum: aliæ verò ſunt accidentia reſpectu illius actus, verè tamen in ſe habent rationem alterius peccati: primæ circumſtantiæ dicuntur aggravare, vel diminuere peccatum intra eandem ſpeciem: ſecundæ verò dicuntur mutare, ſeù transferre ſpeciem peccati in aliam: Ut autem ſciamus, quando circumſtantiæ aggravent intra eandem ſpeciem, & quando mutent ſpeciem, notanda eſt regula nu. 7. tradita pro diſtinctione ſpecifica peccatorum: Ibi diximus peccata diſtingui ſpecie, ſi opponantur diverſis virtutibus, vel eidem virtuti per exceſſum, & defectum: ſi ergo idem actus phyſicus opponatur diverſis virtutibus, vel eidem per exceſſum, & defectum, erit in duplici ſpecie morali, eruntque duo peccata ſpecificè diſtincta: ſicut enim in uno actu dicuntur duo peccata numero diſtincta, ſi attingantur duo objecta materialia, ut firmatum eſt n.9. ita, ſi uno actu attingantur duo objecta formalia, erunt duo peccata ſpecie diſtincta, & ita unum furtum rei ſacræ eſt duplex peccatum. Eodem modo ſi quis eodem actu furetur, & occidat, committit duplex peccatum contra juſtitiam, quia ille actus eſt in duplici ſpecie.

11. D. Quæ ſunt circumſtantiæ peccatorum, ad quas præcipuè Confeſſor debet attendere?

M. Comprehenduntur illo verſu, quem 1.2. q.7.a.3. recitat S. Thomas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

cum hunc verſum vel pueri ferè decantent, gratior eſſe non potero præparanti ſe ad confeſſiones, quàm, ſi particulariter explicem, quando circumſtantiæ in illo enumeratæ mutent ſpeciem: pro quo ante omnia ex nu. 5. recolendæ ſunt quatuordecim virtutes, quæ nos obligant ſub mortali, ac differentia inter præceptum negativum, & affirmativum, quòd illud obligat ſemper, & ad ſemper: iſtud ſemper, ſed non ad ſemper. Igitur.

12. Prima circumſtantia *Quis* importat perſonam peccantem, & perſonam, in quam peccatur. Circa peccantem mutabit ſpeciem, quando actus univerſaliter prohibitus ab una virtute, ſpeciali prohibetur tali perſonæ per aliam virtutem, vel actus univerſaliter hic, & nunc præceptus omittitur ab eo, qui hic, & nunc obligatur ad illum ex virtute: Hoc ſecundùm dico quoad præcepta affirmativa, quæ non obligant ad ſemper. Exemplo reſerit clarior. Caſtitas univerſaliter prohibet omne peccatum luxuriæ, & ſunt aliæ virtutes, quæ ſub alia ratione illud prohibent aliquibus perſonis ſpecialibus. Igitur quis peccet, primò conſiderandum eſt in omnibus peccatis contra charitatem proximi; & debet conſiderari ſolùm quoad hæc duo, *ſi ſit conjunctus*, & *ſi ſit ſuperior*; tunc enim quoad primum, illa peccata ſunt contra Pietatem, & quoad ſecundum contra obſervantiam; nec modò in peccatis contrariè oppoſitis, ſed etiam in peccato omiſſionis, ut ſi omittam ſubvenire patrem in extrema neceſſitate: ſecundò: ob eandem rationem utrumque eſt conſiderandum in juſtitia commutativa, ut ſi offendam patrem, vel Superiorem, vel Clericum juxta c. *Si quis ſuadente* 17. q.4 tunc enim, ut potè contra Religionem, eſt ſacrilegium. Tertiò: in materia Caſtitatis, eſt conſiderandum, ſi ſit conjunctus; quia eſt contra Pietatem: ſi ſit maritatus, vel ſub ejus cuſtodia ſit Virgo, quia utrumque eſt contra juſtitiã; ſi ſit voto adſtrictus, quia eſt contra Religionem. Quis etiam ſit ille, in quem peccatur explicandum eſt in prædictis caſibus ob eaſdem rationes; & ſi contra Caſtitatem ambo ſint maritati, tunc erit duplex numero peccatum in ſpecie adulterii: ſic enim duplex injuria: vir ſuæ uxori, & uxor ſuo marito.

13. Circumſtantia *quid* importat, quid ſequatur per ſe ex tali peccato. Scandalum poteſt ordinariè ſequi ad quodlibet peccatum exteriùs expreſſum; & conſequenter hæc circumſtantia *quid* poteſt habere locum, ubi violatur quælibet ex prædictis quatuordecim virtutibus, etiam ubi violatur ipſa charitas: nam v.g. qui omittit ſubvenire proximo in extrema neceſſitate, ultrà peccatum omiſſionis contra præceptum poſitivum eleemoſinæ, facit peccatum (ſi publicè omittat) de ſe ſcandaloſum, & inductivum ruinæ ſpiritualis proximi, contrà præceptum negativum Cha-

Digitized by Google

ritatis; quare cum tali publicitate hoc peccatum habet duas malitias ſpecie diverſas, quia una eidem virtuti opponitur per exceſſum ſuprà aliam: inducere ad ruinam ſpiritualem eſt malum de ſe multò gravius, quàm non ſuſtentare vitam corporalem: quare in hoc caſu circumſtantia *quid* ponit peccatum in duplici ſpecie, totque numero peccata erunt, quot fuerint homines affecti ſcandalo. Alios malos eventus eſt opus conſiderare, præſertim in adulterio, ſi naſcantur filii, qui ſupponantur vero marito: etenim tunc emergit damnum, & marito, & filiis legitimis: marito; nam educat filios alienos: legitimis autem, quorum hæreditas dividitur cum extraneis. Confeſſor in his caſibus interrogabit omnia, & imponet matri, ut de ſuo, vel de bonis adulteri alat filium illegitimum, cui etiam conſulet ingredi Religionem tempore opportuno, ita quòd etiam cælet ſuam turpitudinem. Etiam erunt interrogandi pœnitentes hi, quando explicant expoſuiſſe filios in Hoſpitali an ſint pauperes. Hoſpitalia enim ſunt erecta pro pauperibus: quare ſi ſint divites, in conſcientia tenentur Hoſpitali de alimentis, licèt non exigantur ab Hoſpitalibus via juridica. Idem dic de infirmo habente competens patrimonium, & ex avaritia ſe conferens ad Hoſpitale in infirmitate.

14. Circumſtantia *Ubi* ſignificat locum, in quo committitur peccatum; Per conſtitutiones Eccleſiaſticas religio ſub mortali ſpecialiter prohibet ſine debitis facultatibus extrahere delinquentes è loco ſacro, furari, rapere bona exteriora, vel inſultare alterius vitæ in loco ſacro, Religio etiam ſpecialiter præcipit obſervantiam Caſtitatis in loco ſacro; Ubi Confeſſor audierit hujuſmodi peccata, prudenter debebit interrogare circumſtantiam iſtam loci, ut quæ conſtituat illud peccatum etiam in ſpecie ſacrilegii. Ulteriùs ex circumſtantia *Ubi*, peccata contra vitam proximi conſtituuntur in ſpecie contra Virtutem Obſervantiæ Principi debitæ, ſi offendatur proximus in ipſo Principis Palatio, vel alio in loco, ratione cujus tali offenſio ſit crimen læſæ Majeſtatis.

15. Circumſtantia *quibus auxiliis* importat inſtrumenta, quibus utimur ad peccatum, non quidem inſtrumenta phyſicè tantùm diverſa, ut ſi percutiam fuſte, vel enſe, ſed ſi ſint inſtrumenta moraliter diverſa; Poſſum uti homine tanquam inſtrumento in peccatis contrà ſingulas quatuordecim virtutes, ad diſſeminandam hæreſim v. g. ad inducendum in deſperationem alios, ad violandam fœminæ caſtitatem, ut ſeducatur &c. Poſſum uti dæmone, quod eſt peccatum ſuperſtitionis Religioni oppoſitum, & diſtinctum in varias ſpecies, ut ſuo loco dicetur. Poſſum uti, ſeu veriùs abuti Sacramentis; Peccatum pariter oppoſitum Religioni, quod non habet nomen particulare; ſed vocatur ſacrilegium nomine ſui generis. Et ita interrogandus eſt prudenter pœnitens, de ſingulis his, & aliis auxiliis, ſeu inſtrumentis, quæ hìc; & nunc doctus Confeſſor agnoſcet, vel ſaltem dubitabit poſſe conſtituere diverſitatem ſpecificam ex oppoſitione ad aliam virtutem; quæque cum ſint infinita, & infinitè variabilia, non poſſunt hic ſingula enumerari.

16. Circumſtantia *Cur* denotat finem peccaminoſum, in quem dirigo aliud peccatum: Hæc etiam circumſtantia poteſt habere locum in peccatis contra ſingulas quatuordecim virtutes: nam, eligere poſſum unum peccatum, ut medium ad aliud. Ita nonnulli amplectuntur hæreſim, ut libidini vacent: Alii furantur è terris Chriſtianorum, ut habeant, unde poſſint convolare ad partes infidelium pro hæreſi amplectenda &c.

17. Circumſtantia *Quomodo* importat qualiter quis operetur, quali animo, an ex paſſione, an ex malitia, vel habitu, an intensè, an remiſsè &c. Dicamus etiam, quòd ad hanc circumſtantiam reducatur quantitas: nam interroganti *qualis eſt injuria, qualis paſſio* &c. reſpondemus: *magna, vel parva*; eſto philoſophicè, ac propriè loquendo quantitas ſit propria materiæ: qualitas verò propria formæ. Hæc circumſtantia ut explicata non habet mutare ſpeciem, ſed ſolùm aggravare intrà eandem ſpeciem: virtus enim, quæ prohibet abſolutè actum, prohibet ſimul qualitatem, & quantitatem: qui enim tollit fundamentum, tollit multò magis, quæ ſolùm inniti poſſunt tali fundamento: & quando diximus peccata ſpecie diſtingui per exceſſum, & defectum, intelligitur exceſſus, & defectus ex parte objecti, non ex parte actus.

18. Circumſtantia *Quando* importat tempus, ut ſi quis in odio proximi duret

por

per horam, vel per menſem &c. ſi peccatum committatur die feſtivo &c. Neque circumſtantia hæc mutat ſpeciem; quoad durationem actus valet eadem ratio, quæ in præcedenti: quoad tempus feſtivum nonnulli tenent quarto Decalogi præcepto cum operibus ſervilibus prohiberi ſimul ſpecialiter mortale peccatum; ſed communiter nimis rigoroſa reputatur hæc opinio: cum tot peccata committantur in die feſto; nec Confeſsores, nec Pœnitentes etiam timorati, ſunt ſolliciti, ut explicent hanc circumſtantiam; & ratio eſt, quia tale præceptum formaliter prohibet opera ſervilia, quæ ſervis propriè competunt per exercitium corporale, propterea ſi fur die feſto corporaliter laboraret per horas, transferendo rem furto ablatam, peccaret duplex peccatum in confeſſione aperiendum.

19. Ex his ſeptem circumſtantiis, quæ transferunt peccatum in aliam ſpeciem, omninò ſunt aperiendæ in confeſſione. Trid. ita determinavit ſeſs. 14. c. 5.

20. D. Tenemurne in confeſſione aperire circumſtantias notabiliter aggravantes, vel diminuentes intra eandem ſpeciem?

D. Ex Catechiſmo adducto c. 6. n. 10. tenemur explicare quantitatem furti: ex 58. propoſitione Innocentii XI. tenemur explicare conſuetudinem peccati. Quia Sedes Apoſtolica nihil temerè definit, danda eſt ratio. Hæc autem utpotè univerſalis oſtendet generaliter, quas circumſtantias teneamur aperire. Porrò illam non poteſt nos docere meliùs, quàm ipſa columna, & firmamentum veritatis, Eccleſia. Hæc in Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. docet circumſtantias mutantes ſpeciem explicandas eſſe, quia *fieri nequit, ut de gravitate criminum rectè Confeſſores cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, imponere pœnitentibus pro illis*. Ponit concluſionem & tradit rationem. Concluſio eſt, quòd circumſtantiæ ſpeciem mutantes explicandę ſint: quare id eſt de fide, contra hæreticos, qui negabant hoc præceptum. Circa circumſtantias notabiliter aggravantes nihil definivit, quia controverſia erat inter Doctores Catholicos, conveneratque Synodus ad eliminandos errores Hæreticorum, non ad damnandas opinionem Catholicorum; tamen adduxit rationem, quæ mihi & aliis videtur generaliter concludere pro omnibus circumſtantiis, etiam notabiliter aggravantibus. Confeſſor enim has ignorans certè nequit judicare de gravitate criminum, nec imponere pœnitentiam convenientem. Furanti centum millia nummos imponenda eſt major pœnitentia, quàm furanti teſtonem: Ulteriùs furans teſtonem, ſi prima vice promittat reſtituere, poteſt abſolvi ſtatim, antequam incipiat reſtitutionem, etiamſi commodè poſſit actu reſtituere: Furans centum millia, potenſque actu reſtituere, non eſt abſolvendus, niſi priùs ſaltem reſtituat partem notabilem. Idem dic de conſuetudinario: Hic, ut dictum eſt c. 22. n. 4. niſi præcedat notabilis emendatio, nequit abſolvi: quare ſit hæc regula generalis: Explicandæ ſunt circumſtantię notabiliter aggravantes, quę vel circa dandam abſolutionem, vel circa imponendam pœnitentiam notabiliter variant judicium Confeſſarii. Diverſo modo tractandus eſt, qui per unum inſtans odio habet proximum, & qui odio habet per menſem uno actu continuato; & ſic diſſerendum de reliquis. Caſus, in quibus notabiliter aggravetur peccatum, non poſſunt hic omnes enumerari, quia ſunt infiniti; ſed tamen Confeſſor habens præ oculis prædictam regulam univerſalem, & illam applicans caſui particulari, ſecundum quod innitur à pœnitente, poterit plus, vel minùs diſcernere; an ulterior explicatio pœnitentis ſit exigenda; quòd ſi non adeò doctum ſe agnoſcat, ut poſſit ex ſe ſolo ſtatim judicare, reducat in memoriam pœnitentis, quòd ipſe eſt Medicus, & quòd, in explicanda infirmitate corporali, abundare potiùs, quàm deficere debent infirmi ex corde cupientes ſanari. Ubi caſus eſt dubius, non aſſerat certò notabiliter aggravari peccatum, ut id non aſſerit Medicus corporalis, ſed oſtendat meritum humilitatis Chriſtianæ in vincenda erubeſcentia, quam fortè non tenemur vincere. Omnia verò peragat juxta regulam Ritualis poſitam c. 7. n. 20. ſed præſertim in circumſtantiis peccatorum contra Caſtitatem. Meminerit quali cautela, & honeſtate verborum, Medicus corporalis prudens interroget Virginem pudicam circa morbos interiorum membrorum.

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

De Ignorantia, quæ habet cauſare, vel excuſare peccatum.

1. UBi ſufficienter explicatum eſt peccatum in ſe, ſeù, quoad cauſam formalem, quæ eſt ejus definitio, procedit S. Thomas ad inquirendum de aliis cauſis peccatorum à q. 73. ad 85. Sunt autem plures cauſæ, de quibus videatur S. Doctor. Præparans ſe ad confeſſiones maximè debet ſcire duas: primam, an peccatum ſit ex malitia, ſive habitu, an ex paſſione, quia inde pendet, an ſtatim poſſit abſolvere: ut enim toties dictum eſt, conſuetudinariis, vel habituatis differenda eſt abſolutio. De hac cauſa ſufficienter dictum eſt c. 22. n. 4. Secundam, an peccatum ſit ex ignorantia; & de hac tantò magis dicendum eſt, quia poteſt aliquandò cauſare peccatum, & aliquandò excuſare totaliter, aliquandò diminuere gravitatem peccati. Propriè autem loquendo, diſtingui debent hæc tria, *Inadvertentia*, *Ignorantia*, & *Error*, Inadvertentia eſt, cum quis habet habitum ſcientiæ, ſed actu ad illam non reflectit, neque applicat Hoc pacto ſciens aliquis eſſe diem jejunii, ſed non reflectens, dum dividit carnes pro infirmis, inadvertenter proiicit fruſtum in os. Ignorans dicitur, qui non habet habitum ſcientiæ, quem aliàs natus eſt habere, ut quando quis ignorat eſſe diem jejunii. Utramque diſtinguebant damnati ab Alexandro VIII. c. 28. n. 2. ignorantiam in illis verbis, *qui Deum, vel ignorat*: Inadvertentiam in illis: *vel de Deo actu non cogitat*: Error eſt, quando quis habet habitum contrarium. Id videre eſt circa fidei myſteria: nam ignorans tria principaliora, graviſſimè quidem peccat, ſed non eſt hæreticus, neque denunciandus, niſi poſitivè credat, quod v. g. non detur Trinitas. Vide dicta c. 19. n. 3. De errore ſpecialiùs agetur c. 39. ubi de conſcientia n. 5. Hic agimus de ignorantia, prout comprehendit Inadvertentiam; Utraque enim poteſt cauſare, & excuſare peccatum; & iſta eſt Ignorantia, de qua nùnc loquimur; & de quâ conſulatur S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 8. q. 76. q. 88. a. 6. ad 2. & 2. 2. q. 59. art. 4 ad 1. & 3. p. q. 80. a. 4 ad 5.

2. D. Quotuplex eſt Ignorantia?

M. Plures Ignorantiæ diviſiones videbis apud S. Thomam, & Doctores paſsìm; quia tamen hoc opus eò tendit, ut ſit adjumento præparanti ſe ad confeſſiones pro diſcernenda lepra, à lepra, ideò brevitatis gratia omiſſis, quæ inſerviunt Theologo Scholaſtico, proponentur ſolùm, quæ poſſunt prodeſſe ad praxim. Igitur notandum ex S. Thoma 1. 2. q. 76. a. 1. quòd homo per uſum rationis operans actum voluntatis, præmittit actum rationis, ſeù diſcurſum, qui habet duas præmiſſas, alteram univerſalem; & alteram particularem: v. g. præmittit hunc ſyllogiſmum: *Nullus homo eſt occidendus: ſed animal, quod movetur, eſt homo, ergo non eſt occidendum.* In vim cujus concluſionis retrahit ſe ab occidendo. Poſſum igitùr ignorare primam propoſitionem, & cognita ſufficienter prima propoſitione, poſſum ignorare ſecundam, ſive per veram ignorantiam, qua neſciam tale animal eſſe hominem, ſive per inadvertentiam, quà ſciens eſſe hominem, hic, & nùnc non advertam. Prima dicitur ignorantia juris: ſecunda dicitur ignorantia facti.

3. D. Videtur mihi, quod clariùs procedes, ſi diviſìm agas de ſingulis: quare primùm peto edoceri de prima, utrùm ſit peccatum, & utrùm excuſet à peccato?

M. S. Thomas q. 76. a. 2. ait: *Omnes communiter tenentur ſcire, quæ ſunt fidei, & univerſalia Juris præcepta: ſinguli autem, ea, quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant.* Notet hæc ultima verba præparans ſe ad confeſſiones; tùm propter ſe, tùm propter pœnitentes; propter ſe quidem, quia tenetur ſcire, quæ ſpectant ad ſtatum Sacerdotis, & ad officium Judicis, Medici, ac Doctoris; propter pœnitentes verò, ut juxtà Rituale adductum cap 7. n. 15. inquirat de eorum ſtatu, & an ſciat, agatque pertinentia ſuo ſtatui.

4. D. Ex illis verbis Sancti is cognoſco verè S. Thomam fuiſſe intellectus Angelici comprehendentis multa ſub una ſpecie univerſali, ſed ego indigeo, ut particulariter ſingula mihi proponatur; quare peto, quæ ſunt myſteria fidei communiter ſcienda ab omnibus.

M. Vide hæc particulariter enumerata, par. 2. c. 1. n 19. & nota, quod aliud eſt actu credere prædicta myſteria; aliud ſci-

Digitized by Google

re: ad credenda tenemur præcepto affirmativo virtutis Fidei; propterea non obligante nos ad ſemper: Ad ſcienda tenemur præcepto negativo doni Scientiæ obligante nos ad ſemper: quare qui per annum ignoravit; addidit circumſtantiam *quando* notabiliter aggravantem. Ad exequendum præceptum negativum Doni Scientiæ tenemur ponere actum addiſcendi, quem actum, utpotè præcepto affirmativo impoſitum, non tenemur ad ſemper eliciendum; quare qui per annum ignoravit niſi, renovaverit hunc actum, quòd poſitivè velit ignorare (tùnc enim tot numero peccata committit, quot actus renovat) commiſit unum peccatum, ſed cùm circumſtantia temporis notabiliter aggravante, contra præceptum negativum: & quia omiſit frequentare Parochiam, ut inſtrueretur in fide Chriſtiana, commiſit aliud peccatum ſpecie diverſum, utpotè contra preceptum affirmativum addiſcendi; quod peccatum toties in illo anno multiplicavit numero, quoties tenebatur frequentare Parochiam ſub mortali: Equidem Parochi quolibet die Dominico docent doctrinam Chriſtianam, ſed non crediderim ſub mortali obligatum ignorantem frequentare illam quolibet die Dominico ſub mortali; nec volo ex me determinare, ſi obligetur ſemel, vel pluries in menſe, quia id non determinavit Eccleſia; ſolùm, dico, quòd Pœnitens debet explicare, ſe per annum neglexiſſe Parochiam, ut inde Confeſſor cognoſcat peccata *circumcirca*, quæ commiſit, & ſi deficiat Pœnitens, interrogandus eſt juxtà Rituale adductum c. 7. n. 19.

5. D. Tenemurnè omnes communiter ſcire orationem Dominicam?

M. Utique tenemur, Eccleſia dicente in Miſſa *Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati* &c. eritque peccatum ignorare illam, & aliud peccatum non addiſcere, & aliud non recitare ſuo tempore juxta dicta numero præcedenti. Hoc ultimum contrà virtutem Religionis, & Donum Pietatis: prima duo contra donum Scientiæ. Contra quod erit pariter, ſi quis ignoret facere actum Spei, & Charitatis; & ſi quis negligat id addiſcere. In quibus tamen omnibus conſtituenda eſt graduatio, ut primò omnium ſciantur myſteria fidei: ſecundò quid ſit objectum Spei: tertiò quid ſit objectum Charitatis: quattò ut ſciamus à Deo petere per orationem Dominicam; & propterea eſtò jure divino præcepta ſit hæc oratio, tamen homo poſſet ſalvari abſolutè loquendo cum ejus ignorantia: ſi quis adultus conſtitutus in articulo mortis vellet baptizari, nec adeſſet tempus docendi orationem Dominicam; in tali caſu inſtructus de tribus principalioribus myſteriis fidei, de objecto Spei, & Charitatis, poſſet baptizari, & ſi ita decederet, ſalvaretur.

6. D. Tenemurnè communiter ſcire alia circa Fidem?

M. Tenemur ſcire virtutem Pœnitentiæ in genere, explicatam illis Symboli verbis *Remiſſionem peccatorum*, ita quòd infidelis adultus baptizandus tenetur ſcire pœnitentiam, quæ ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 1. eſt neceſſaria ante baptiſma. Notandum tamen, quòd non tenetur ſcire diſtinctè, ſed ſufficit, quò ſciat baptiſmo juſtificari per merita Chriſti hominem ad ſalutem; ex hoc enim ſcit, quod debet. Ideò Eccleſia ſupponit, quòd ſciens, & volens baptiſmum, ſciat, & velit media neceſſaria pro ſuſcipiendo ritè baptiſmo: quare baptizat correptum apoplexia, qui priùs oſtendit deſiderium baptiſmi. Orationem Dominicam aliquandò tenemur ſcire poſt baptiſma, ut qui baptizatur infans, vel in articulo mortis: tenebitur enim diſcere, ſi convaluerit: aliquandò tenemur ſcire ante baptiſma, ut adultus, à quo pluries Rituale exigit recitari orationem Dominicam, priùs quàm baptizetur. Peccator fidelis tenetur ſcire vim ſacramenti Pœnitentiæ, & quæ faciunt ad ejus legitimam ſuſceptionem.

7. D. Tenemurnè ſcire alia circa fidem?

M. Tenemur ſcire ſinguli, quæ ad noſtrum ſtatum, & officium ſpectant; qui proximus eſt, ut communicet, tenetur ſcire ſacramentum Euchariſtiæ, & quæ neceſſaria ſunt ad ejus legitimam ſuſceptionem, quilibet juxta ſuum captum: alii magis, alii minus; & eodem modo diſſerendum de reliquis ſacramentis. Conſtitutus in matrimonio, quæ neceſſaria ſunt huic ſtatui; conſtitutus in ſacris ordinibus eorum obligationes; & ita diſſerendum de uniuſcujuſque ſtatu.

8. D. Poteſt ne in aliquo dari ignorantia invincibilis eorum, quæ circa fidem tenemur ſcire communiter.

M. Igno-

Digitized by Google

M. Ignorantia eſt duplex, alia vincibilis, alia invincibilis: ſecunda nullatenus eſt peccatum, ſi explicetur, ut debet explicari: prima eſt peccatum, quando eſt de iis, quæ poſſumus, & tenemur ſcire, adeò quòd hæc duo ſimùl requirantur, & quòd poſſimus, & quòd teneamur ſcire: altero deficiente non eſt peccatum; ſi verò non poſſumus ſcire dicitur ignorantia invincibilis, quæ ut appareat, an detur de myſteriis fidei etiam principalioribus; ita diſſero: Ex Apoſtolo Ro. 10. *Fides ex auditu:* quare qui nunquam potuit audire prædicatorem ſibi proponentem prædicta myſteria, nunquam illa potuit ſcire: Igitur invincibilis ignorantia fidei erit in illo, qui nunquam audivit Miſſionarios, nec per ſe, nec per alios amicos, qui retulerint adeſſe prædicatores fidei; Si quis extat hujuſmodi ruſticus in remotioribus orbis montibus, utique dicatur habere ignorantiam invincibilem de myſteriis fidei. At ſi quis inter Catholicos, etiam in ſylvis educatus, prætendat ſe habere ignorantiam invincibilem de hujuſmodi myſteriis, corripiatur acriter: habet enim patrem, & matrem, habet Parochum, habet ſocios Chriſtianos, à quibus poteſt petere inſtructionem, præſertim quia pauciſſima ſunt, & facili negotio addiſcibilia, quæ tenetur ſcire circa fidem, nempè, tria myſteria neceſſaria neceſſitate medii, incluſa in ſigno Crucis, ut dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 8. n. 53.; quoad neceſſitatem præcepti, Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam.

9. D. Quid important illa verba S. Thom. adducta n. 3. *univerſalia Juris præcepta*.

M. Important, quòd, ſaltem quoad ſubſtantiam, ut ex Sancto Carolo dictum eſt cap. 11. num. 19. tenemur ſcire primò præcepta Decalogi, & de illorum ignorantia diſſerendum eſt, ut de ignorantia myſteriorum fidei diſſeruimus numer. 4.

10. D. Poteſt ne in aliquo eſſe ignorantia invincibilis præceptorum Decalogi?

M. Ex dictis num. 8. poſt in aliquo eſſe invincibilis ignorantia eorum, quæ ſunt fidei; nam hæc proponuntur, utpotè ſupernaturalia, ex revelatione Dei, quam nos acquirimus audiendo Prædicatores: At præcepta Decalogi nobis innoteſcunt naturæ lumine. Equidem Decalogus fuit Dei lege traditus; verè tamen dici debet renovatus, non primò datus; ejus enim præcepta ſunt naturalia; Deuſque renovavit, non quia nobis nulla eorum eſſet cognitio ex lumine naturæ, ſed quia multùm erat obſcurata ex S. Thoma 1. 2. q. 100. a. 3. præcepta naturæ primò ſunt hæc duo: *Quod tibi vis fieri, feceris alteri*, &, *Quod tibi non vis fieri, ne feceris alteri*. Hæc ſunt principia univerſaliſſima, ex quibus majoris claritatis gratia ſunt deducta Decalogi præcepta, etiam ipſa lumine naturæ cognita, & obvia cuilibet ex prima apprehenſione terminorum. Ex illis principiis Decalogi univerſalibus deducuntur alia minùs univerſalia: verb. gr. diſputabatur ante Concilium Lateranenſe, an Montes Pietatis eſſent liciti; & nonnulli aſſerebant illicitos contrà ſeptimum Decalogi præceptum, conſequenter volebant hanc univerſalem *Montes Pietatis ſunt illiciti*, deduci ex illo univerſaliori *Non furaberis*. Ex dictis c. 31. n. 7. in delectatione moroſa nonnulli volunt explicandum eſſe ſtatum fœminæ, alii negant; quare diſputant, an ſit contra nonum præceptum naturæ lumine cognitum in univerſali. Explicato ita ſtatu quæſtionis, reſpondetur cum S. Thoma citato, quòd præceptorum Decalogi *homo habet à Deo notitiam per ipſum Deum, & ſcripta in ratione naturali, quaſi per ſe nota*. De his propterea dari nequit ignorantia invincibilis. Alia deducuntur ex ipſis, ſed *ſtatim ex primis principiis communibus cognoſci poſſunt modica conſideratione*, v. g. uſuram eſſe illicitam, & contra ſeptimum præceptum, quia eſtò non formaliter, & expreſsè videatur ibi prohibita, tamen modicà conſideratione, per unum, vel alterum diſcurſum, quem quilibet homo, ut rationalis, ex ſe facilè poteſt elicere, apparet uſura comprehenſa in illo præcepto; & de his neque dari poteſt ignorantia invincibilis; quia per ſe illorum homo facilè poteſt habere notitiam. Alia verò ſunt, *quæ per diligentem inquiſitionem ſapientium inveniuntur convenire rationi* naturali, vel eſſe contra Decalogum & horum, etiamſi alias prohibita ſint lumine naturæ in præceptis Decalogi, dari poteſt ignorantia invincibilis; Exemplo innegabili poſſunt eſſe plures contractus olim frequentati, quos deinde, ut in ſe uſurarios damnavit Sedes Apoſtolica. Certè inerant contra ſeptimū Decalogi præceptum, quod

tamen

tamen invincibiliter ignorabant (nec tùnc peccabant) contrahentes, quia illorum notitiam non poterat habere quilibet, ſed uſuraria pravitas innotuit *per diligentem inquiſitionem Sapientium*. Sic ergo habes, de quibus prohibitis lege naturæ, & de quibus dari non poſſit ignorantia invincibilis. Ut magis inſtruaris, lege ſæpiùs S. Thomam 1. 2. quæſt. 94.

11. D. Sunt nè alia univerſalia juris præcepta, quæ teneamur ſcire communiter?

M. Præter præcepta naturalia Decalogi, tenemur ſcire præcepta juris divini promulgata in lege gratiæ, quæ ſunt circa exercitium trium Virtutum Theologicarum, & circa ſuſceptionem Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ quoad peccatores, & præterea ſinguli, quæ ad ſuum ſtatum, & officium pertinent.

12. D. Dari nè poteſt ignorantia invincibilis præceptorum juris divini?

M. Vide dicta n. 8. de articulis fidei; nam æquè diſſerendum eſt de illis, & de iſtis.

14. D. Tenemur nè ſcire communiter aliqua præcepta univerſalia, quæ ſint juris humani?

M. Tenemur ſcire communiter quinque præcepta Eccleſiæ. S. Carolus adductus c. 11. n. 19. De anno 1656. quæſita fuit Apoſtolica Sedes, *utrum Miſſionarii novis Chriſtianis* Sinenſibus, *quam primùm baptizantur, debeant intimare jus poſitivum, tanquam obligatorium ſub mortali, quantùm ad jejunia, feſta ſervare, & conſiteri ſemel in anno, ac communicare?* Reſponſum eſt per ſanctam Inquiſitionem: *jus poſitivum Eccleſiaſticum, quoad jejunia, obſervationem feſtorum, ſacramentalem confeſſionem, & communionem ſemel in anno eſſe à Miſſionariis notificandum Sinenſibus Chriſtianis, ut obligatorium ſub peccato mortali: poſſe tamen ſimùl explicare cauſas propter quas excuſantur* &c.

14. D. Dari nè poteſt invincibilis ignorantia hujuſmodi præceptorum Eccleſiæ? &c.

M. Dari poteſt: cæterùm propter obligationem, quæ ineſt fidelibus frequentandi Parochiam, & propter obligationem illa explicandi, quam habent Parochi, an in facti contingentiâ, invincibilis, nec ne, cenſenda ſit ignorantia hujuſmodi, vide dicta n. 8.

15. D. Quæ pluribus numeris huc uſque dicta ſunt, videntur contraria communi adagio Juriſtarum una voce clamantium, quòd *Ignorantia facti excuſat* à peccato, *non ignorantia Juris*: quod principium ex Philoſopho recipit etiam S. Thomas pluribus locis, & expreſſè 2. 2. q. 59. a. 4. ad 1. Porrò nondum huc uſque diſſeruiſti de ignorantia facti, ſed juris tantùm.

M. Quòd per S. Thomam detur ignorantia invincibilis alicujus juris naturalis apparet ex dictis n. 11. quòd dari poſſit invincibilis ignorantia juris divini, & excuſans à peccato, apparet ex 2. 2. q. 10. a. 1. Et de conſtitutionibus Pontificiis agens quod lib. 1. a. 19. ait: *Si quis neſciat propter negligentiam, non excuſatur à peccato, ſi contra conſtitutionem Papæ agat: ſi verò aliquis habeat ſufficiens impedimentum, puta, ſi fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas conſtitutio non pervenit, vel propter aliquod ſimile, talis ignorantia excuſat, ut non peccet contra conſtitutionem Papæ agens*. Igitur ſunt caſus, in quibus ignorantia eſt invincibilis, & ſine peccato. Ut autem ſciatur, quando, ad differentiam ignorantiæ facti non excuſet ignorantia juris, recole nos dixiſſe n. 1. quòd nomine ignorantiæ venit etiam inadvertentia & n. 2. quòd in operando facimus ſyllogiſmum, v. g. ut jejunemus, ita ratiocinamur: *In vigiliis eſt jejunandum, hodiè eſt vigilia, ergo hodiè eſt jejunandum*; & ſi comedam ſciens quidem habitualiter vigiliam S. Bartholomæi, ſed non advertens, neque reflectens, quòd ſit hodiè, ignorantia facti excuſat me à peccato; At ſi advertens, hodiè eſſe vigiliam, non advertens ad primam præmiſſam univerſalem, quòd in vigiliis ſit jejunandum, tùnc ignorantia Juris non excuſat, quia poſſum, & teneor advertere: ſecundò dicitur ignorantia juris non excuſare, quatenùs in foro externo præſumitur potuiſſe habere ſcientiam illorum univerſalium præceptorum, quæ ſuperiores ubi volunt eſſe univerſalia, curant ſufficienter promulgari; & Confeſſor in foro conſcientiæ, antequam excuſet pœnitentem à peccato, diligentiſſimè debet inquirere, an potuerit, vel immediatè, vel mediatè, ſcientiam illorum habere juxtà ea, quæ dicta ſunt num. 8. Vide cap. 19. num. 45.

16. D. Deſcendiſti pedetentim ad ignorantiam

rantiam facti, ſeu præmiſſæ particularis, præcedentis operationem, nempè, in dato ſyllogiſmo. *Hodiè eſt Vigilia*, quæro igitur, an ignorantia hujus præmiſſæ totaliter excuſet à peccato?

M. Multiplex dari poteſt ignorantia facti, ſive iſtius præmiſſæ. Videatur S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 8. & q. 76. a. 3. & 4. Singularum notitia non eſt neceſſaria Confeſſori: ſufficit illum ſcire quòd tùnc ignorantia, vel juris, vel facti (in iis, in quibus extat ignorantia invincibilis) excuſat à peccato, cùm ex eà provenit actus, & ſine illà non proveniret. v. g. non pecco comedens ex ignorantia Vigiliæ, ſi ſum ita diſpoſitus, ut ſciens vigiliam, non comederem. Et hanc ignorantiam S. Thomas vocat antecedentem.

17. D. Vellem mihi decidi caſum, de quo alias multi diſputant: Confeſſarius agnoſcit pœnitentem invincibiliter ignorare, v. g. impedimentum dirimens, quod ſibi intercedit cum fœmina, quam ſibi conjunxit invalidè ob tale impedimentum; agnoſcit præterea illum ita diſpoſitum, ut perſeveraret in ſtatu fornicario ſciens tale impedimentum; Confeſſor, ut mihi videtur, deberet illum relinquere in tali ignorantia, in qua non peccat, potiùs, quàm patefacere impedimentum dirimens, quo patefacto peccaret; & probo id ex reſolutione, quam dicitur dediſſe Sacra Pœnitentiaria: Annis elapſis dicitur filius inhoneſto amore ſuccenſus cognoviſſe matrem viduam, quæ concepit, & peperit fœminam. Graviſſimi inceſtus vix commiſſi horrore perculſus aufugit è domo filius peregrinus in varias regiones per annos circiter quindecim; quo tempore mater peperit, & filiam in domo educavit. Hujus non modò nativitatem, ſed neque conceptum ſuſpicans filius, ubi redux vidit cum matre, quæſivit, quænam Virgo eſſet: Reſpondit mater fuiſſe ſibi aſſumptam in ſolamen ſuæ ſolitudinis; & ita ignorans filius invincibiliter, quæ eſſet, proceſſu temporis exardeſcens in ejus amore, ſibi deſpondit factus jam pater, frater, & maritus, matre crimen omnimodis tacente; ſed tandem agitata ſcrupulis, poſt matrimonium celebratum in facie Eccleſiæ, & conſumatum, aperuit negotium Confeſſario, qui conſulens Sacram Pœnitentiariam, obtinuit reſcriptum, ut relinqueret conjuges in bona fide.

M. Agis perſonam Magiſtri, quando in confirmationem tuorum dictorum affers exempla, & probationes ita apparentes, ut certè tales non adducantur ab omnibus. Ut ordinatim reſpondeam dubio, quod multum poterit inſtruere præparantem ſe ad confeſſiones: dico primò; non ita facilè credendum in facto, quòd ille caſus contigerit, nec deciſioni, quæ dicitur emanaſſe: etenim de ordine Urbani VIII. nulla fides eſt adhibenda deciſionibus Sacrarum Congregationum, quæ non anthenticè conſtent, quantò minùs eſt habenda deciſioni Pœnitentiariæ, apud quam nullum ſervatur regiſtrum. Sed Theologus, exemplo Sancti Thomæ ſupplement. quæſtion. 71. articul. quinto, ad 5. de anima Trajani, ſæpè ſupponit factum minùs authenticum, ut afferat rationem univerſalem pro ſimilibus, quæ poſſunt contingere; dico igitur ſecundò (ſi verum eſt factum) Sacrum Tribunal proceſſiſſe rationabiliter: quia matrimonium erat contractum in facie Eccleſiæ, adeò legitimè, ut cenſuris poſſet compellere conjuges ad illud, contra quod nihil valere poterat unicum teſtimonium matris, infamiſſimæ (ac ideò repellendæ) ſi proderet ſuam turpitudinem adeò horrendam. Cæterùm ſi ſupponamus, quòd impedimentum potuiſſet legitimè detegi, aliud conſultum fuiſſet, eſtò prævidérentur conjuges velle in eo ſtatu perſeverare. Atque ita debet procedere Confeſſor, agens non modo Judicis, ſed & Doctoris officium: qui ex charitate docet, non tenetur ad correctionem, niſi probabiliter ſperet fructum; At qui ex officio, ſeù ex juſtitia docet, tenetur implere ſuum munus. Ignorantiam, de qua in dubio, ego neque invincibilem, neque antecedentem judico: Non invincibilem: quia poteſt vinci facile per Confeſſarium, cujus conſilio debet ſtare: Non antecedentem, quia ex num. 16. antecedens eſt ita cauſa actus, ut eſſet diſpoſitus illum relinquere, ſi ſciret eſſe peccatum.

18. D. Contra quam virtutem agit, qui peccat ex ignorantia vincibili?

M. Quando ignorantia ipſa eſt peccatum, illa tùnc eſt contra donum ſcientiæ ex dictis n. 4. At ſi loquamur de ipſo peccato per ignorantiam commiſſo, ſpectat ad eandem ſpeciem, cujus eſt actus commiſſus cum ſcientia, & talem ſpeciem cum nu-

mero, & circumſtantiis debet explicare pænitens.

19. D. Ex dictis cap. 34. n. 8. Peccatum contrà donum eſt beſtiale, inhumanum &c. Ignorantia autem non videtur adeò grave peccatum?

M. Ignorantia vincibilis neceſſariorum eſt omninò inhumana: etenim natura hominis habet apprehendere prima principia: nec homo eſt, qui illa ignorat ex apprehenſione pura terminorum. Eſtò enim articuli fidei ſint ſupernaturales, tamen proponuntur modo humano, tanquam prima principia, ut non indigeamus diſcurſu ad illos.

CAPUT XXXVI.

An peccatum alias mortale, quia contra legem, reddi poſſit veniale, & quomodo?

1. EX Rituali addncto c. 7. n. 6. Confeſſor conſtituitur *à Deo Miniſter divinæ juſtitiæ ſimul, & miſericordiæ, ut tanquam arbiter inter Deum, & homines honori divino, & animarum ſaluti conſulat*. Porrò Arbiter, ſeù Judex non debet declinare ad dexteram, reſtringendo conſcientias, neque ad ſiniſtram, relaxando, ſed judicare, quod juſtum eſt, habendo præ oculis, quod S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 5. commendat cuicunque Judici, ut nunquam judicet ex ſuo arbitratu, ſed ſemper ſecundum leges, & rationem petitam è viſceribus legis; Propterea toties commendavimus in hoc opere, ſed nunquam ſatis inculcavimus, ut Confeſſor quoad leges, perſæpè recoleret Tridentinum, ordinationes Pontificias, conſtitutiones ſuæ Diæceſis &c.; quoad rationem verò Doctores probatos, præcipuè S. Thomam; etenim ſi id facit Judex unius diurnæ mercedis inter famulum, & dominum, quantò magis faciat Arbiter æternæ beatitudinis inter hominem, & Deum.

2. Ex S. Thoma 2. 2. q. 60. art. 4. ad 2. audiens confeſſiones poteſt exercere triplex judicium; primùm de ipſis actionibus, utrùm ſint peccata, nec ne: ſecundùm de pœnitentibus, utrùm peccaverint; tertium veluti Medicus applicando remedia efficaciſſima ad tollendum peccatum. In ſingulis procedet juxtà doctrinam Angelici: etenim ad medendum efficacitèr pœnitenti, abſolvet pœnitentem, eſtò non ſit certus, quòd peccaverit mortalitèr; eſtò propter varias Doctorum opiniones, indubiè non poſſit affirmare talem actionem eſſe peccatum, candidè tamen conſulet, ut teneat certum, dimittat incertum, exemplo Medici corporalis, qui nunquam conſulit remedia inter Doctores controverſa, utrùm ſint ſalubria, ſed ſemper præcipit abſtinere ab his. In judicio de Pœnitente, utrùm peccaverit, inclinabit ſemper, quantum fieri poteſt, omnibus conſideratis, ut potiùs bonum, quàm ut malum judicet Pœnitentem. In judicio autem de ipſis actibus, quos accuſat, judicabit actionem, qualis ſibi ex confeſſione ſincerà pœnitentis apparet, illius ſubſtantià in ſe Theologicè conſideratà, ad quod neceſſaria eſt quanta maxima ſcientia, atque prudentia petita tùm aſſiduis ad Deum precibus, tùm ſtudio probatorum Auctorum, tùm conſilio peritiorum, præcipuè Epiſcoporum, quos Deus dedit Eccleſiæ ſuæ Doctores; quare mala judicabit ut mala, bona, ut bona, dubia, ut dubia, omnibus hic, & nunc juſtitiæ ſanctuariique ſemper lance ponderatis.

3. Hinc vides, quàm neceſſarium ſit præparanti ſe ad confeſſiones in praxi audiendas præſens caput; etenim, ad munus Judicis, Medici, & Doctoris ritè obeundum in praxi, non ſufficit ſcire, an in ſe, ſeù ex genere ſuo, actio aliqua ſit peccatum, ſed requiritur ſcire, an hic, & nunc, ut facta eſt à tali pœnitente, ſit peccatum. Ut autem Confeſſor id judicet, priùs in univerſali debet habere principia, ex quibus eliciat, quomodo peccatum mortale reddatur veniale: nàm, ut deducitur ex c. 35. n. 2. judicium hoc, quo Confeſſor judicat hìc, & nunc me peccaſſe mortalitèr, ſubſequi debet ad ſyllogiſmum confectum ex alterà præmiſsà univerſali, & alterà particulari: *Ubi peccatum proceſſit cum omnibus requiſitis, ut ſit mortale fuit, verè mortale, ſed hoc ita proceſſit, ergo* &c. primam igitur præmiſſam debet ſcire in univerſali, ut deinde, quoad ſecundam, applicet illa huic actioni, & videat, num concurrant.

4. D. Optimè diſſeris; & video id maximè neceſſarium præparanti ſe ad confeſſiones; & credo, quòd univerſalitèr loquaris non ſolùm de peccato ex genere ſuo mor-

mortali, ſed etiam de peccato, quod eſt mortale propter prohibitionem legis poſitivæ. Igitur dà mihi regulas, unde poſſim diſcernere, quommodò unum peccatum aliàs mortale, reddatur veniale?

M. Primò omnium, ignorantia (ſive ſit neſcientia, ſive inadvertentia) ut dictum eſt c. præcedenti, actionem de ſe peccaminoſam mortalitèr poteſt reddere nullatenùs peccaminoſam, neque venialiter, dummodò neſcientia ſit invincibilis, qualis dicta eſt ibi, & paritèr inadvertentia; tales ſunt motus primò primi: quòd ſi adſit aliqua advertentia, ſed ſemiplena, & non perfecta, qualis plerumque eſt in ſemivigilantibus, tùnc dicuntur motus ſecundò primi, & actio aliàs peccaminoſa mortalitèr, tùnc redditur veniale peccatum ex inadvertentia non plenà. Contingit hoc ſæpiſſimè in peccatis contrà caſtitatem, apud viros timoratæ conſcientiæ, quibus fervet ſanguis, adeò ut ſint aliqualiter negligentes in repellendis hujuſmodi cogitationibus; cum tamen perfectè advertunt, mori malunt, quàm fædari. Cum his eſſe debet ſummè charitativus Confeſſor, ut illos patientèr audiat, inducatque ſincerè totam aperire conſcientiam. Hic enim morbus, præſertìm in junioribus, ſanatur primò per gratiam ſacramentalem Pœnitentiæ ſacramenti, & deinde per ſpirituales alias medicinas; quare per Confeſſarium prudentem, ac diſcretum, confortandi ſunt, ut ſuam conſcientiam candidè aperiant, accuſantes ſe tùm in genere, tùm in ſpecie, de quàlibet circumſtantià, & proponentes majorem cautelam in poſterum. Pariformiter differendum de reliquis S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 6.

5. D. Quia dixiſti *primò omnium:* iſta particula videtur habere ordinem ad ſecundum: quare crediderim præter ignorantiam, dari alias cauſas, ex quibus peccatum de ſe mortale reddatur veniale?

M. Optimè differis: quare ſecundò peccatum de ſe mortale reddi poteſt veniale ex parvitate materiæ. Circà materiæ parvitatem maximè debet inſtrui præparans ſe ad confeſſiones, quia ſæpiſſimè ſuper illà fideles interrogant Confeſſarium, & quia plurimi caſus contingunt, in quibus pœnitentes prætendunt excuſari à mortali ob parvitatem materiæ, quando non habet locum; è contrà in aliis habet locum, & debent excuſari: Quando Theologicè tractandum eſſet hoc punctum, certè longior evaderem, nec facilè poſſem percipi ab iis præparantibus ſe ad confeſſiones, qui non feciſſent grandes progreſſus in Theologià Scholaſticà, Adde, quòd S. Thomas nunquam ſpecialiter agit de hoc puncto: nam tunc temporis cognoſcentes actum aliquem de ſe eſſe prohibitum, accuſabant illum in confeſſione pœnitentes, cum firmo propoſito non ampliùs committendi venialia hujuſmodi procedentia ex plenà deliberatione. Igitur in hoc itinere non habens pro duce, brevem, & claram S. Doctoris methodum, curans eſſe brevis, obſcurus fierem; quare, ut magis me componam captui multitudinis; omiſsà ratione fundamentali, referam, quod acceptatur communitèr in hac materià: In moralibus, multa ſecuriùs deciduntur ex communi conſenſu, quàm ex ſubtiliori ratione, quando maximè conſenſus eſt fidelium timoratorum, quos debemus credere à Deo non deferendos in vià ſalutis. De ratione autem, *etiam inter viros magni nominis, atque pietatis non adeò verſatos in ſcholis, eſt illud adagium, nonnullos uti ratione, ſicuti Sutores utuntur pelle, quam dentibus extendunt, quouſque ſufficiat calceo formando; & ita rationem Confeſſor aliquando nimis indulgens pœnitenti, ſuà ſpeculatione extendit, quouſque illius conſcientiam efformet juxtà ſuas inclinationes.

6. D. Utinam hæc nunquam in praxi contigiſſent, ſed unuquiſque conſulat ſuam conſcientiam; interim, nè ſcientiæ neceſſariæ defectu, exponam me huic periculo, dic mihi, in quibus peccatis de ſe mortalibus dari poſſit parvitas materiæ, cujus ratione reddantur venialia; id enim ubi agnovero, aſſiduis orationibus Deum rogabo, ne in Confeſſionali permittat me declinare à vià rectà, timore perdendi pœnitentem nobilem, aut nimio amore complacendi eidem?

M. Ubi tota deformitas reperitur ſive in parvo; ſive in magno, hujuſmodi peccata nunquam redduntur venialia ratione parvitatis materiæ. ubi verò in parvo minor eſt deformitas, tùnc ratione parvitatis materiæ peccatum aliàs de ſe mortale redditur veniale. Regula hęc paucis verbis

bis comprehenſa eſt generaliſſima, nihilominùs illam fortè quilibet non facilè percipiet abſque ſubſidio exemplorum particularium. Igitur primò loquamur de peccatis, quæ ex genere ſuo, & ab intrinſeco ſunt mortalia. Cap. 34. nu. 5. audiſti quatuordecim virtutes ibi enumeratas (quas nunc relege) obligare nos ſub mortali: quare peccata illis oppoſita ex genere ſuo ſunt mortalia. Ut autem videas, quæ ex illis peccatis non admittat parvitatem materiæ, applica prædictam regulam. Prima Virtus eſt Fides innixa ſummæ veracitati Dei loquentis Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis. Peccata interna fidei oppoſita non admittunt parvitatem materiæ: ſi enim diſcredis canem Tobię moviſſe caudam, jam tollis ſummam veracitatem Dei, & conſequenter totum Deum, qui non poteſt eſse Deus, niſi in omnibus, & ſummè ſit verax. Eodem modo non datur parvitas materiæ in peccatis contra Spem, & Charitatem Dei. Omnia ferè peccata contra charitatem proximi admittunt parvitatem materiæ. Poſsum v.g. per odium velle malum proximi, aut triſtari de levi ejus bono. In hoc levi odio non reperitur tota deformitas, ac in odio gravi; nam amicitia, quam intendit charitas, non rumpitur, per hoc, quòd leviter contriſtem amicum. Aliqua peccata Religioni oppoſita admittunt, alia non admittunt parvitatem materiæ. Peccata contra quamcumque juſtitiam admittunt parvitatem materiæ, ſicut etiam peccata oppoſita Pietati, Obedientiæ, Obſervantiæ, Sobrietati, & Humilitati. Peccata autem oppoſita Caſtitati non admittunt parvitatem materię, ſi ſint plenè deliberata: Poſsum quidem intenſiùs, vel remiſſiùs delectari: cæterùm in actu intenſo, & remiſso eſt tota delectatio, quam prohibet Caſtitas. Quòd ſi hæc ratio generalis non tibi plenè ſatisfaciat, memento me jam dixiſse in hoc magis me adhæſurum communi ſenſui, quàm rationi, & pro communi ſenſu negante parvitatem materiæ in peccatis contrà Caſtitatem, ſufficiat tibi, quòd inclyta Societas Jeſu ferax virorum ſummè excellentium, & in doctrina, & in praxi audiendi Confeſſiones, ſub excommunicatione prohibuit omnibus ſuis docere parvitatem materiæ in hujuſmodi peccatis, vel ad praxim reducere opinionem, quæ admittit.

7. D. Si enumerares ſingula peccata, quæ non admittunt materiæ parvitatem, ego illa memoriter addiſcerem, ad quæ reflectens in confeſſionali, ſtatim judicare poſsem de gravitate peccati?

M. Commodior locus id explicandi erit, cùm agemus in particulari de ſingulis peccatis: quare ubi, explicatis virtutibus, enumerabimus ſingula peccata illis oppoſita, dicetur etiam, quæ admittant, vel non admittant parvitatem materiæ.

8. D. Dixiſti de peccatis, quæ ex genere ſuo, & ab intrinſeco ſunt mortalia, quæro nunc, an admittant parvitatem materię omnia peccata, quæ ſunt talia propter prohibitionem Eccleſiæ.

M. Præceptum Eccleſiæ affirmativum ordinariè admittit parvitatem materiæ, ſi non ſit in ſignificationem, vel ſi ejus tranſgreſſio non involvat contemptum præcepti, quod involvitur, quando res præcepta debet poni per virtutem Obedientiæ. Eccleſia præcipit Sacerdoti apponere aquam in Calice ob ſignificationem adductam in *Inſtructione pro ordinandis* c. 39. nu. 38. & quamquàm debeat apponi aquæ gutta, peccatur mortaliter tranſgrediendo præceptum, quia perit tota ſignificatio non apponendo. Vide n. 6. Pariter ſumere, vel ſemel tabachum in Eccleſia S. Petri eſt mortale peccatum, quia prohibitum ſub excommunicatione, quæ ex dictis c. 17. n. 14. infertur ſolùm per contumacia, & contemptu. Præcepta negativa Eccleſiæ ſunt pauciſſima. Extat præceptum negativum jejunii naturalis quoad communionem. In hoc omnes conveniunt non dari parvitatem materiæ. Igitur eſtò biberis unam aquæ guttam, peccas mortaliter, ſi communices. Extat præceptum negativum circà cibos Paſchales in jejuniis. Authores diſſident, an hoc admittat parvitatem materiæ, ita ut à mortali excuſetur, qui comederet advertenter ſine ulla neceſſitate, aut utilitate filum carnis. In hoc diſſidio tu juxta noſtrum principium, ſi quis comediſset, cura ſuaviter, ut ſubiiciat clavibus hoc peccatum qualecunque ſit; & quoad futurum, hortare, ut neque illud filum comedat.

9. D. Quæ dicetur materiæ parvitas, ratione cujus excuſabitur quis à peccato mortali?

M. Sacra Congregatio Interpres Tridentini, referente Fagnano in cap. Nulli, de

de rebus Eccl. non alien. num. 24. reſpondit non eſſe tutum definire, quæ ſint res parvæ; quòd ſi non eſt tutum reſpectu Congregationis habentis authoritatem Apoſtolicam, multò minus erit tutum reſpectu ſimplicis Theologi proferentis non authoritativum, ſed tantùm doctrinale judicium, quod in omnibus debet ſequi authoritativum Sedis Apoſtolicæ, maximè in hoc locò, ubi generaliter loquimur; cum materiæ quantitas eſſe poſſit parva in uno genere, quæ magna erit reſpectu alterius.

CAPUT XXXVII.

An peccatum de ſe veniale, reddi poſſit mortale.

1. EX dictis c. 36. n. 1. Confeſsor conſtituitur Arbiter inter Deum, & homines, ut honori divino, & animarum ſaluti conſulat; & quidem ſaluti animarum conſulit, ſi non aggravet pœnitentes conſtituendo reos peccati mortalis eos, qui vel nihil, vel tantùm venialiter peccarunt; è contrà conſulit honori divino, ſi declaret reos peccati mortalis, qui credunt ſe tantùm venialiter peccaſse, cum re verà peccaverint mortaliter, quod multoties poteſt contingere conſideranti peccatum in ſe, & abſque ullà ratione circumſtantiarum annexarum; videatur S. Thomas 1.2. qu. 73. a. 7. 8. & 9. & quæſt. 88. a.4 & 5.

2. D. Ex quot capitibus peccatum aliàs de ſe veniale, poteſt reddi, & fieri mortale?

M. Ex pluribus, ratione illarum, circumſtantiarum.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

per circumſtantiam *quis* offendens: primò ſi ex conſcientià erroneà, operans credat eſſe mortale, quod eſt veniale: ſecundò: ſi ex conſcientià dubià dubitat eſſe mortale, quod eſt veniale tantùm: tertiò: per circumſtantiam *quis* offenſus, ſi ratione perſonæ offenſæ, injuria de ſe levis reddatur gravis: quartò: ſi per circumſtantiam *quid*, ſequatur grave nocumentum ex tali actione: quintò: per circumſtantiam *Ubi*, ſi talis actio de ſe leviter peccaminoſa, fiat grave peccatum ratione loci: ſextò: per circumſtantiam, *quibus auxiliis*, ſi utamur mediis ſub mortali prohibitis: ſeptimò: per circumſtantiam *Cur*, ſi operemur illud ex fine graviter prohibito; octavò: ex circumſtantià *quomodo* ſi fiat modo graviter prohibito: nonò: ex circumſtantià *quando*, ſi fieret in tempore, quo graviter prohiberetur; quæ prohibitio non extat nunc.

3. D. Explicà mihi magis in particulari ſingula capita; primò quidem conſcientiam erroneam?

M. Peccaret mortaliter, qui committeret aliquod peccatum veniale, certò ſibi perſuadens illud eſſe mortale; nam opus tale redditur, quale judicatur ab intellectu operantis: quæ ratio eſt univerſaliſſima, quare peccaret etiam mortaliter, ſi id crederet de actione indifferenti, vel ampliùs de actione, quæ aliàs de ſe eſſet bona.

4. D. Explicà mihi ſecundum caput, nempè conſcientiam dubiam?

M. Eodem modo, & ob eandem rationem univerſalem, peccaret mortaliter, ſi dubitaret, nùm actio illa prohibeatur ſub mortali; nam *qui amat periculum, peribit in illo*. Eccl. 3. Et ob hanc rationem peccaret mortaliter, ſi dubitaret id de actione indifferenti, vel aliàs bonà.

D. Explicà tertium caput, vi cujus veniale reddi poteſt mortale, ratione perſonæ offenſæ?

M. Perſona offenſa poteſt eſſe tantæ dignitatis, ut injuria, quæ reſpectu aliorum eſſet venialis, reſpectu illius ſit mortalis. Maledicentia, quæ ſine interno deſiderio illius mali jacta in alium quemcumque, de ſe eſt venialis, ſi à filio jaciatur in patrem, eſt irreverentia gravis, & contrà pietatem.

6. D. Explicà quartum caput ex circumſtantia *quid* ratione nocumenti?

M. Hoc eſt clarum in furto, v.g. acus, quod ratione parvitatis materiæ eſt veniale; peccò tamen mortaliter, ſi furor prævidens ex illius uſu, ſuſtentandam hodiè familiam integram. Ita peccat mortaliter Religioſus, qui ſuorum collegarum leves defectus revelat, quando prævidet, vel prævidere poteſt ex tali revelatione proventura gravia, & longa diſſidia in totà communitate.

7. D. Explicà quintum caput ex circumſtantia *Ubi*.

M. Communiter dicunt, quòd actus matrimonialis exercitus abſque urgenti neceſſitate in Eccleſia, ſit peccatum mortale, quia ſub mortali Eccleſia præcepit hunc actum Religionis ergà loca ſacra, ut, ſcilicet, fideles in illis abſtinerent à tali actu.

8. D. Explicà ſextum caput ex circumſtantia *quibus auxiliis:*

M. Exemplum non eſt ita obvium: finge tamen ſub mortali prohibitum Fratribus Minoribus vehi rheda, ſi ego velim cum illis vehi abſque neceſſitate, hęc actio mihi indifferens, redditur peccatum mortale ob media, quibus utor, ut cooperans alieno mortali peccato.

9. D. Explicà mihi ſeptimum caput, quando ex circumſtantiâ *Cur* veniale reddatur mortale?

M. Omne peccatum veniale, & quælibet actio de ſe indifferens, Imò bona ex natura ſua, erit peccatum mortale, ſi operans in ea conſtituat finem ultimum, qui conſtituendus eſt ſolùm in actibus patriæ tanquam illi, quibus conſequimur (quilibet ex illis ſuo modo, & ordine) Deum finem ultimum omnium.

10. D. Explicà octavum caput, quando ex circumſtantiâ *quomodo* veniale reddatur mortale?

M. Peccatum veniale, ſicut & alia quęlibet actio, ſi fiat ex contemptu, redditur mortale peccatum, in quo contemptu non datur parvitas materiæ. Porrò S. Thomas 2.2. q. 186. a 9. ad 3. explicat, quid ſit peccare ex contemptu, inquiens. *Tunc tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas renuit ſubjici ordinationi legis; & in hoc procedit ad faciendum contra legem: quando autem propter particularem cauſam, putà, concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra legem, non peccat ex contemptu, etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel ſimili peccatum iteret: ſicut & Auguſtinus dicit...... Frequentia tamen peccati diſpoſitivè inducit ad contemptum.* Ex prioribus verbis agnoſce, quando peccatum ſit ex contemptu: ex ultimis ſume argumentum, ut abſterreas pœnitentem à frequentatione peccati.

11. Quæ omnia ſunt particulariter explicata in gratiam Confeſſoris ordinarii; nam Theologo ſufficiebat innuere generaliter, quod veniale, & mortale, utpotè ſummo genere diverſa, nunquam poſſunt convenire, ſed dicitur mortale reddi veniale, vel è contra veniale reddi mortale, quatenùs illa actio, quæ ſecundùm ſe conſiderata eſt venialis, per aliquam cauſam, vel circumſtantiam conſtituitur ſub aliquâ ſpecie, cujus actus nobis prohibentur ſub mortali, & è contra loquere, quando ex capite præcedenti mortale redditur veniale.

CAPUT XXXVIII.

De Legibus in generali.

1. SAnctus Thomas poſtquam conſideravit actus humanos, bonos, & malos, in ſe, & ſecundum omnia ſua principia intrinſeca, ordine ſcientifico procedit ad conſideranda bonorum principia extrinſeca, quorum aliud eſt conjunctum ipſi voluntati, nempè, intellectus per leges regulans, & dirigens voluntatem: aliud eſt omninò ſeparatum, nempè, Deus per ſuam gratiam intrinſecè movens ipſam voluntatem, non modò faciens opera bona cùm ipſa voluntate, ſed faciens illam facere, juxtà illud Ezech. 36. *faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Circa ſecundum hoc principium delibavimus aliquid c. 33. n. 4. quantum erat neceſſarium præparanti ſe ad confeſſiones, ut ſciret gratiam Dei: nec plura judicavimus addenda: nam cætera ſpectant ad Theologum, qui cùm hæreticis congrediatur, non ad Confeſſorem ordinarium. Super primo principio extrinſeco, ſeù ſuper intellectu voluntatem dirigente per leges, debet magis informari Confeſſor ex duplici capite: primò: quia Deus quotidiè Confeſſori dicit, quod olim c. 1. dixit Jeremiæ: *Ecce conſtitui te ſuper Gentes, ut evellas, & deſtruas, ædifices, & plantes.* Debet ergo plantare virtutes, quas nunquam plantabit, niſi ſciat leges, ex quarum directione homo evadit virtuoſus: ſecundò: quia Confeſſor habet principaliter tollere peccata, juxtà illud Iſ. 27. *Iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum*, & Apoſtolis, quorum vices gerunt Confeſſores, dictum eſt Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram* &c. Ex hoc igitur duplici capite Confeſſor debet ſcire plurima de legibus.

2. Dictum eſt cap. 35. num. 2. quòd intellectus voluntatem ad operandum dirigit per ſyllogiſmum, cujus altera præmiſſa eſt

eſt univerſalis, altera verò particularis. Id magis nunc explicatur addendo, quòd operans benè utitur vero, & bono ſyllogiſmo conſtante tribus tantùm terminis; & operans malè utitur paralogiſmo, ſeù malo ſyllogiſmo conſtante quatuor terminis: v.g. operans benè, ſic arguit: *Ex quinto præcepto privatus non poteſt occidere proximum, ſed hæc actio eſſet occiſio hominis ergo* &c. Sed operans malè ſic arguit: *Injuria eſt omninò delenda, etiam per mortem injuriantis; at proximus injuriam mihi intulit, ergo delenda eſt hæc injuria, etiam per mortem proximi*. Quatuor terminis conſtat iſte ſyllogiſmus: etenim prima præmiſſa univerſalis deſumitur ex directione juſtitiæ vindicativæ. Porrò hæc utitur prædicta propoſitione cum pluribus reſtrictionibus neceſſariis ad omnem actum virtutis in genere, & præcipuè cum reſtrictione propriâ ipſius juſtitiæ vindicativæ, quòd, ſcilicèt, actum exteriorem offenſus exerceat non per ſe, ſed per legitimum ſuperiorem. Ex hac autem propoſitione univerſali, quæ intellecta ſub his terminis eſt veriſſima, concludit mortem inimici, ſub aliis terminis, nempè, ut inferendam à ſe ipſo, atque ita ex mala operatione rationis dirigitur ad malam operationem voluntatis. Quæ notata ſunt (clarè, quantùm fieri potuit) pro plena inſtructione præparantis ſe ad confeſſiones: etenim ſciens ordinem, & proceſſum actuum interiorum, omnemque motum voluntatis dirigi per ſyllogiſmum, agnoſcet principale ſuum munus eſſe, ut rectificet intellectum pœnitentis, curando, ut percipiat præmiſſas, in ſuis terminis, & reſtrictionibus, non ampliando &c., quod continget in dato caſu, ſi oſtendat, quid competat juſtitiæ Vindicativæ, quà Virtus eſt, & quà talis virtus eſt, ſcilicet, non exercere proprium actum externum per ſe ipſum.

3. Sed hæc ſunt dicta ratione particularis exempli propoſiti, reducendo ad generalia; cum duplex præmiſſa conſtituat ſyllogiſmum, quo voluntas dirigitur ad operandum; altera univerſalis, & altera particularis: præparans ſe ad confeſſiones videt operantem indigere duplici cognitione practica, quarum altera ſit univerſalis, & altera particularis. Prima dicitur actus Synderesis, & ſecunda dicitur Conſcientia. Majoris claritatis gratiâ, de utraque differendum eſt diſtinctè, & in præſenti quidem capite diſſeretur de Syndereſi; in ſequenti verò, de ipsâ Conſcientiâ, & ita præparans ſe ad confeſſiones habebit quidquid ex parte intellectus eſt neceſſarium, ut voluntas dirigatur ad operationes bonas; & prætereà facilè cognoſcet, quando pœnitens peccet non ſequendo directionem intellectus.

4. De Syndereſi agit S. Thomas 1. p. q. 79. a. 12. & illam vocat habitum naturalem primorum principiorum practicabilium. Intellectus hominis eſt multùm diverſus ab Angelico: Deus creavit Angelos, & illis indidit ſpecies rerum. Intellectus autem hominis eſt in ſui creatione tanquàm tabula raſa, nec ullas tunc habet ſpecies à Deo, quibus poſſit cognoſcere aliquid; ſed, ubi cognoſcit ſucceſſivè ſenſibilia per ſenſus, tunc utitur ſpeciebus materialibus, ſeù phantaſmatibus relictis ab objecto ſenſibili, & ſimul cum his per intellectum agentem efformat ſpecies ſpirituales, adjutorio quarum informatur intellectus, qui dicitur poſſibilis, ut valeat elicere cognitionem ſpiritualem, etiam de objectis inſenſibilibus, & ſpiritualibus, etiam de Deo: quare infans primò videt matrem: ſecundò eam cognoſcit per ſenſus internos: tertiò intellectus agens infantis cum illis ſpeciebus ſenſibilibus efformat ſpecies ſpirituales de matre; ut eſt homo: quartò intellectus poſſibilis cognoſcit hominem. Porrò aliqua ſunt, quæ ex ſola apprehenſione terminorum cognoſcit ſtatim eſſe talia; alia verò ut talia eſse cognoſcat, indiget edoceri magìs vel minùs, ſecundùm quod ſunt magìs, vel minùs obſcura: longo tempore addiſcit ſcientias: At hoc principium: *omne totum eſt majus ſua parte* cognoſcit eſſe verum ſtatim, ac explicantur termini *totum*, & *pars*, & frequentando actus, quibus affirmet totum eſſe majus ſuâ parte, acquirit facilitatem, ſeù habitum ad actus ſimiles. Hic autem habitus judicandi de principiis univerſalibus ſpeculativis naturaliter notis ex ſolâ apprehenſione terminorum vocatur *Intellectus* eodem nomine, quo ipſa potentia intellectiva. Sicut homo cognoſcit ex ſolâ apprehenſione terminorum principia univerſalia ſpeculativa, ita naturaliter ex ſolâ apprehenſione terminorum, cognoſcit, & judicat de hoc principio univerſali practico *Non occides*, & de reliquis Deca-

K 4 logi

logi præceptis, quæ in operabili ſunt principia univerſalia, & frequentando hujuſmodi actus, acquirit facilitatem, ſeù habitum ad eliciendos ſimiles actus; qui habitus vocatur *Synderesis*.

5. Ex legibus aliæ ſunt naturales, aliæ divinæ, & aliæ humanæ. Ex qualibet harum formari poteſt prima univerſalis præmiſſa Ex naturali formatur in hoc ſyllogiſmo: *Non eſt occidendum, ſed hæc actio eſſet occiſio, ergo* &c. Ex divinà in hoc: *In articulo mortis eſt mihi nihil communicandum, ſed nunc mihi imminet articulus mortis, ergo* &c. Ex humanà in hoc: *Pro impetranda gratia, vel juſtitia a Sede Apoſtolica, nihil eſt conferendum Mediatoribus, ſed hic eſt Mediator, ergo nihil huic eſt conferendum*. Sicut ergo ſunt plures leges, ita plures habitus inclinantes ad cognitionem talium legum. Habitus inclinans ad leges naturales dicitur Synderesis, illiuſque actus eſt prima præmiſſa. Habitus inclinans ad leges divinas, eſt ſecundum donum Spiritus Sancti, qui dicitur Intellectus, habens ſimul judicare de myſteriis Fidei ſpeculativis, & de legibus divinis practicis. S. Thomas 2. 2. quæſt. 8. art. 3. Habitus autem inclinans ad leges humanas, dicitur Juriſprudentia, & aliqui eorum actus imperfecti, ut eſt actus de unà vel altera lege, poteſt haberi ſine ipſis habitibus, juxta dicta c. 33. n. 2. Præparans ſe ad confeſſiones, ut ritè poſſit efformare has præmiſſas univerſales, debet ſcire ſaltem in confuſo leges ipſas principaliores, quarum notitiam nullatenùs deſerat, eſtò ſibi videatur difficile, imò impoſſibile penetrare decurſum noſtrorum ſyllogiſmorum in operando, qui ſanè nõ ita facile percipietur, tùm quia eſt de actibus internis, tùm quia nec per umbram attingitur vel in ſcholis, vel in libris, ſed quaſi marceſcit inter opera S. Thomæ.

Quando igitur ſibi videatur imperceptibilis iſte decurſus, eo omiſſo, percipiat, quantum poteſt, ſequentia de legibus.

6. D. Quia habitus, & actus ultimò ſpecificantur ab objectis, ideò præparans ſe ad confeſſiones, debet optimè ſcire, quid ſit lex, cujus cognitio requiritur ad formandum illum ſyllogiſmum: benè enim voluntas operabitur, ſi benè ſyllogizet?

M. Lex à S. Thoma 1. 2. q. 90. art. 4. dicitur: *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata*. Singulas autem definitionis particulas vide mirabiliter explicatas in articulis præcedentibus. Legem naturalem promulgat Deus in corde hominum juxta dicta cap. 35. n. 10. Legem divinam Chriſtus promulgavit in Evangelio, & per Prædicatores deducitur in cognitionem gentium, adeò ut non obligentur, qui ejus notitiam habere non poſſunt juxta dicta cap. 35. num. 8. legem humanam promulgant Principes, ſervata per quemlibet forma promulgandi, quam leges antiquæ, vel conſuetudo, vel ipſa voluntas Principis ſanxerunt; Summus Pontifex perſæpè declarat, ſuas leges promulgari ſufficienter ex hoc, quòd ſint affixæ in locis conſuetis Urbis, eſtò non publicentur in ſingulis Provinciis. Alias vult, ut obligent, promulgari in ſingulis Provinciis. Hoc ſecundum conſuevere Principes temporales. Ubi Pœnitens excuſet tranſgreſſionem legis ex defectu promulgationis, examinet ante omnia, ipſius legis, verba: nàm ex ejus tenore diſcernet, quæ promulgatio requiratur; ubi rem clarè non exprimit lex, conſulat intelligentiam illi datam per Doctores, & alios Judices, præſertìm in Judiciis, & in ipſa Metropoli Principis, in cujus facie lex uno modo intellecta cenſetur eſſe juxtà mentem Principis. Ubi verò his omnibus conſideratis, res eſt dubia, Confeſſor ex ſe nihil decidat, quia ejus eſt legem interpretari, cujus eſt condere. Confeſſor circa promulgationem ſæpè conſulitur de caſu ſequenti, vel ſimili. Mercator ſcit à Principe diminuendum eſſe pretium tritici v. g. (Idem dic de valore pecuniæ &c.) per legem cras promulgandam ſuper diminutione pretii. Qua determinatione cognita Mercator petit, nùm ante promulgationem poſſit vendere triticum pretio currenti. Confeſſor autem reſpondeat non peccare contrà juſtitiam, licet in aliquo caſu poſſit peccare contrà charitatem. Hæc pro praxi videntur ſcienda Confeſſori ordinario circà particulas in definitione legis adductas. De reliquis nihil eſt ſpeciale pro hujuſmodi Confeſſario.

7. D. Sunt nè idem omninò lex, & præceptum?

M. Ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 90. art. 1. ad 1. non ſunt idem omnino; nam lex fit communiter pluribus: præceptum verò applicat legem communem huic ſingulari, & ideò præceptum imponi poteſt etiam

etiam uni, ita tamen, quòd huic uni detur ad bonum commune. Igitur nec ipſa præcepta imponi poſſunt particularibus, niſi per ordinem ad bonum commune; quia imponuntur per authoritatem Superioris, & Superior eſt quis, ut ſervet bonum commune. Si aliquid ordinetur pluribus, ita ut in poſterum ſinguli debeant dirigi per illud, talis ordinatio tunc erit ſimul lex, & præceptum. Hoc modo ſe habet Decalogus, lex divina de Baptiſmo, Euchariſtia, & Pœnitentia, nec non quinque præcepta Eccleſiæ.

8. D. Habent nè leges vim obligandi in conſcientia?

M. Super hac quæſtione implentur volumina, diſtinguuntque Authores legem in realem, quæ aliquid ordinat: pœnalem, quæ conſtituit: *fiat hoc ſub tali pœna*: & mixtam, quæ conſtituit: *fiat hoc, & qui non fecerit, mulctetur tali pœna*. Præparans ſe ad confeſſiones ſciat omnem legem Principis juſtam poſſe in conſcientia obligare ſubditos: Ità deducitur ex propoſitione 28. damnata per Alexandrum VII. & ex S. Thoma q. 96. art 4. etiam legem pœnalem: Cùm id Princeps poſſit, videndum eſt, an hic, & nunc voluerit: etenim aliquando ſufficit Principibus per legem realem obligare nos quoad externam politiam, vel per mixtam, aut pœnalem, obligare ſolùm ad talem pœnam; & hoc modo procedere legem, ſeu Regulam Patrum Prædicatorum expreſsè docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 186. ar. 9. ad 1. & ferè omnes Congregationes in Eccleſia natæ poſt Dominicanos. Dari igitur nequit regula generalis, ſed Confeſſor in facti contingentia ſemper conſulat verba legis in particulari, ex quarum attenta lectione (ſæpiùs, ſi eſt neceſſe, repetita) colliget ſenſum proprium, & obvium: quòd ſi ex ſe non poſſit, conſulet Doctores, præſertim inſigniores, qui ſuper illa ſcripſerunt, ut dictum eſt num. 6. adhibens præ cæteris aſſiduas ad Deum preces juxtà Rituale adductum c. 7. n. 7.

9. D. Suppoſito, quòd importetur obligatio in conſcientia, vel ex verbis legis, vel ex conſuetudine optima Interprete legis, vel ex alio capite, obligabitnè lex ſub mortali?

M. S. Thomas 2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 2. ait: *Non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cujuſdam, vel ſtatuti obligantis ad certam pœnam..., ità nec in lege Eccleſiæ omnes ordinationes, vel publica ſtatuta obligant ad mortale*. In quibus verbis ſtabilit concluſionem, & affert rationem. Concluſio eſt, quòd non omnia Eccleſiæ ſtatuta obligant ad mortale. Ut cognoſcas autem, quæ obligent ad mortale, ponit rationem univerſalem, diſtinguendo præceptum à ſtatuto, & præcepta quidem obligant ſub mortali; ſed hæc pro tota univerſitate fidelium ſunt pauciſſima. Quoad credenda, extat obligatio tantùm credendi ſymbolum: quoad operabilia, quinque ſunt Eccleſiæ præcepta. Cętera, quæ traduntur per modum ſtatuti, non per hoc, quòd ſint ordinata, obligant ſub mortali, ſed juxtà materiæ gravitatem.

10. D. Quomodo diſtinguemus ea, quæ traduntur per modum præcepti ab iis, quæ traduntur per modum ſtatuti.

M. In Clem. *Exivi de Paradiſo* dantur plures regulæ ad dignoſcendum id, ſed quia longior eſt, nequit adduci in hoc compendio, nec eſt omninò neceſſaria Confeſſori ordinario, qui tamen optimè faciet, ſi eam ſæpius attentè relegat, petito priùs frequenter Dei adjutorio, ut intelligat: præcipuè autem conſiderabit, quando conſulitur ſuper lege particulari, conferens utramque, ut videat, num in lege ſit particula, quæ in illa Clem. ſit declarata obtinere vim præcepti, quare nunquam in Confeſſionali decidet momento temporis pro una, vel altera parte: Memor erit, quod Bartholus, Archivium legum omnium, *conſultus in manè reſpondebat in veſperi, & conſultus in veſperi reſpondebat in manè*: quòd ſi Pœnitens debeat accedere ad Euchariſtiam, Confeſſor illum excitet ad intimum dolorem de offenſa Dei, caſu, quo violans legem peccaſſet mortaliter: confortet ad propoſitum non amplius violandi, caſu quo, vel alii doctiores Theologi, poſt diligens ſtudium, ferventeſque ad Deum orationes, judicarent peccari mortaliter in hujuſmodi violatione; aſſignet tempus, quo debeat redire pro certa deciſione, & ita abſolvat.

11. D. Peregrini tenentur nè legibus locorum, per quos tranſeunt?

M. Authores plura congerunt circà hunc

art:-

Digitized by Google

articulum. In univerſali dicendum, non poſſe dari regulam generalem. Eſt certum quòd quædam leges obligant etiam peregrinos, & certum eſt, quòd aliæ quædam non obligant. Ex c. 9. num. 5. peregrinus tenetur lege reſervationis: Commiſit peccatum in Diœceſi, in qua non erat reſervatum; tranſit per diœceſim, in qua eſt reſervatum: in hac non poteſt abſolvi: Committit homicidium, vel furtum, ſubjacet legibus pœnalibus loci, per quem tranſiens peccavit, contrà homicidas, & fures. Tenetur emere pretio per leges in tali loco ſtatutas &c. E contra non tenetur Sacerdos recitare officium Eccleſiæ, per quam tranſit. Ideò erit optimum, ſi nihil Confeſſor in generali determinet, ſed omnia in particulari conſideret juxtà obſervationem traditam numero præcedenti: Solum illud notet in genere, quòd ex n. 6. lex eſt *ordinatio rationis in bonum commune*. Nemo tenetur velle ſemper bonum alterius privatum, tenetur tamen ſemper nihil agere contra bonum alterius privatum; & ita nemo tenetur velle ſemper bonum alterius commune, ſed tamen tenetur ſemper nihil agere contra bonum commune alterius corporis myſtici, ſeù Reipublicæ. Igitur erunt diſtinguendæ leges, quarum obſervantia promovet bonum commune, ſed tamen earum inobſervantia nihil dicit poſitivè contra bonum commune. Tales ſunt leges officii, jejuniorum, feſtorum, &c. quibus promovetur bonum commune talis Reipublicæ, teneturque membra invicem conformari, ita ut participantes fructum boni operis, habeant etiam onus illud operandi: hæc tamen omittere eſt privari bono, non facere malum bono communi; &, quod non eſt membrum talis Reipublicæ, non tenetur de ſe illius bonum promovere. Aliæ ſunt leges, quarum inobſervantia infert damnum poſitivum bono communi; ut ſi homicida non puniatur ita ſeverè, prout exigunt leges iſtius Reipublicæ. Reſervatio ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 7. fit, ut ex difficultate abſolutionis coerceantur graviora crimina; quare ſi peregrinus non ſubjaceret legibus loci, delicta jam eſſent impunita eo rigore, quo merentur, & crimina atrociora eſſent magis frequentia; Igitur ex hac ratione leges ſecundi generis videntur obligare peregrinos magis, quàm leges primi generis; Tutius erit nihilominus habere ſemper ante oculos intentionem legiſlatoris per verba expreſſam cum praxi communi timoratorum, & ſemper tenere certum, dimittere incertum.

12. D. Tolline poſſunt leges per conſuetudinem contrariam?

M. Utique lex aliqua poteſt tolli, ſed non omnis. Lex naturalis nequit mutari. Videatur S. Th. 1. 2. qu. 94. a. 4. 5. & 6. ubi ponit rationes univerſales ad decidendos mille caſus. Neque lex divina poteſt mutari. Idem q. 96. a. 4. quare quidquid contra utramque inducunt homines, eſt abuſus, non uſus, q. 97. a. 3. ad 1. Lex humana poteſt abrogari per conſuetudinem contrariam; quando autem dicatur uſus, non abuſus, ita explicat S. Thomas q. 97. a. 3. ad 2. *Si adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit*. Exemplificando in particulari; Conſuetudo collationis ſerotinæ in die jejunii potuit tollere præceptum unicæ comeſtionis; etenim non durat eadem ratio, propter quàm utilis erat unica comeſtio. Hæc præcipiebatur ad exercendum actum virtutis abſtinentiæ, qui ut verè ſit virtuoſus, eſſe debet ordinatus, & moderatè, non nimis affligere. Quæ tempore S. Thomæ affligebat moderatè unica comeſtio, nunc, debilitata hominis complexione, nimis affligeret. Ideò ſerotina collatio non dicitur abuſus. E' contrà dicitur abuſus conſuetudo recitandi officium divinum contra Canones præcipientes recitari *attentè, ac devotè*, quia durat idem finis, ob quem præcepta fuit attentio, & devotio. Tamen præparans ſe ad Confeſſiones notet, quòd ſuperior ex pluribus finibus, unius tantùm meminit in promulgatione legis; imò aliquando nullum memorat, quia ita convenit Superiori: Non ergo judicet legem illegitimè promulgatam, ubi finis non exprimitur, vel ceſſaſſe omnem finem, quando ceſſat, qui exprimitur; ſed conſulat praxim approbatam, Doctores de illa ſcribentes &c. juxtà dicta n. 6.

13. Secundò notet verba ad 3. *Multitudo, in qua conſuetudo introducitur, duplicis conditionis eſſe poteſt. Si enim ſit libera, quæ poſſit ſibi legem facere, plus eſt conſenſus totius multitudinis ad aliquid obſervandum, quod conſuetudo manifeſtat, quàm authoritas Principis. Si multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem,*

tamen ipſa conſuetudo in multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: hoc enim ipſo videntur approbare, quod conſuetudo introduxit. Ex his habes conſuetudinem derogare legi Pontificiæ, quamquam Immediatè à Chriſto Pontifex habeat juriſdictionem. Quia tamen tunc derogat, quando Pontifex *videtur approbare* conſuetudinem contrariam, propterea primò requiritur, ut ſciat conſuetudinem contrariam: quod enim ignoratur, non approbatur: ſecundò, quod talem conſuetudinem toleret, non tolerantia tantùm permiſſiva, ſed approbativa: dicitur tolerare permiſſivè, quando permittit inobſervantiam ſuæ legis, quando ſi vellet coercere, ſequerentur plura mala, & ideò permittit minus malum, ne ſequatur majus. Ubi autem in ſua lege Pontifex exprimit, quòd non cenſeatur derogata per quamcumque tolerantiam, exprimit jam ſe nolle approbare. Igitur in facti contingentia Confeſſor ante omnia conſiderabit attentè legem; in quà ſi extet talis aperta declaratio, nihil valebit uſus quicumque contrarius, ſed erit abuſus: Ubi non extet illa declaratio, quidquid afferat Pœnitens, conſiderabit, an Pontifex veroſimiliter ſciat uſum contrarium; & ſi neſciat, erit abuſus; tertiò ſi ſciat, videbit, an toleret ad vitandum majus malum &c.

14. D. Audivi, quòd conſuetudo diſtinguatur in plures ſpecies, vellem ſcire illas?

M. Conſuetudo alia legitimè inducitur per decem annos: alia per triginta: quædam conſuetudo dicitur immemorabilis: Ut iſta legitimetur, requiritur uſus excedens memoriam hominum, ſcilicet, aſcendens ad annos ſexaginta. Alia eſt conſuetudo centenaria; & hanc voluit Urbanus Octavus, ut poſſet dici toleratus approbativè cultus eorum Dei Servorum, quos non canonizaverat Apoſtolica Sedes; Alia eſt ducentenaria; & hanc requiſivit Pius Quintus, ut legitimus diceretur uſus non recitandi officium divinum juxtà Breviarium Romanum, quæ ex his ſufficiat ad abrogandam legem, non poteſt generaliter definiri; ſed benè conſiderandum, quid cuilibet legi in particulari ſit congruum, ſive ex gravitate materiæ, circà quam eſt lex, ſive ex intentione legiſlatoris &c. Quia autem cognoſcere hæc omnia munus eſt Juriſtarum, caveat Theologus Confeſſor, ne falcem mittat in meſſem alienam, ex ſe, ſive cum auxilio alicujus libercali Caſuiſtarum definiendo, quòd in tali caſu ſufficiat decennalis conſuetudo; & non requiratur tricennalis &c.

15. D. Poteſtnè conſuetudo aliqua obligare ſubditos, ut illam ſequantur ſub peccato mortali?

M. Quia conſuetudo habet vim legis, ideò in iis terminis, in quibus n. 9. dictum eſt legem nos obligare, dicendum erit, quòd etiam obliget ipſa conſuetudo.

16. D. Audivi, quòd ex legibus, & conſuetudinibus aliæ nos per ſe obligant; aliæ per accidens. Vellem ſcire, an hæc diſtinctio relinquenda ſit Scholaſticis, vel potiùs, quia conferat aliqualiter ad praxim, ſit etiam, imperfectè ſaltem, agnoſcenda Confeſſori.

M. Ita utique diſtinguuntur: diciturque lex obligare per ſe, quando tenemur ad aliquid ratione ipſius præcepti, vel legis, de faciendo tali actu virtutis: dicitur autem obligare per accidens, quando obligat ratione alterius præcepti. Res exemplo fiet clarior. Præceptum, ſeù lex eliciendi actum fidei juxtà dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c.8. n.18. per ſe nos obligat: primò, cum pervenimus ad uſum rationis: ſecundò, cum ſumus in articulo mortis: tertiò, quinquies vel ſexies in anno. Per accidens verò nos obligat in multis aliis caſibus, v. g. cum tentamur ad aliquod peccatum, ita quod ſine actu fidei non poſſemus reſiſtere tentationi: tunc per ſe non obligat, ſed ratione alterius præcepti, nè ſuccumbamus tali tentationi: Pariter in die feſto tenemur per accidens ad actum fidei, ratione præcepti Eccleſiaſtici audiendi ſacrum; cui non poſſumus obtemperare, niſi credamus Chriſtum verum Deum eſſe ſub hoſtia, quàm, audientes miſſam adoramus. Hæc autem diſtinctio eſt maximè notanda Confeſſori ad dignoſcenda quot peccata ſæpè committat pœnitens: etenim fidelis omittens in die feſto audire ſacrum, & elicere actum fidei circà Euchariſtiam, quia ad hunc per accidens obligatur, committit unicum peccatum, & ſufficit, ſi ſe accuſet in confeſſione, quòd omiſerit ſacrum, non accuſando, quòd omiſerit actum fidei. At ſupponamus, quòd per bimeſtre omiſerit audire

audire ſacrum, & elicere actum fidei, ad quem per ſe tenetur in quolibet bimeſtri, tunc in ultima Dominica omittens ſacrum, & actum fidei, non ſufficit, ſi ſe accuſet in confeſſione, quòd per octo Dominicas omiſerit ſacrum, ſed inſuper debet explicare, quòd in ultima Dominica, in qua tenebatur per ſe, omiſerit actum fidei, quia tunc duo peccata commiſit. Confeſſor igitur debet ſcire hanc diſtinctionem, ut, quando opus eſt, imponat tale onus pœnitenti: debet ſcire etiam ex alio capite, ut non aggravet pœnitentem, quando opus non eſt: etenim elicientes actum, quando obligamur per accidens, etiam ſatisfacimus obligationi per ſe, v. g. per bimeſtre omiſi audire ſacrum, & omnem actum fidei: in die ultima ſecundi menſis audio ſacrum, & elicio unicum actum fidei, ad quem obligor ratione ſacri: per hunc actum fidei ſatisfacio obligationi per ſe provenienti ex virtute fidei pro quolibet bimeſtri: quare in confeſſione accuſabo me, quòd ſepties omiſerim ſacrum; & quia per illum unicum fidei actum ſatisfeci obligationi, quæ mihi proveniebat ex præcepto fidei, quia contrà hoc non peccavi, non teneor me accuſare. Hæc omnia probè ſciat Confeſſor, ut neminem obliget ſuprà quàm par eſt: neminem deobliget minùs, quàm par eſt. Et iſtam regulam obſervet in præceptis quarumlibet virtutum.

17. D. Noſtris temporibus plurimæ ſunt leges, quas certè non omnes tenetur obligatione ſtrictiſſima ſcire Confeſſor ordinarius, indica igitur mihi, quas teneatur ſcire principaliter; etenim in iis habendis ponam meum principale ſtudium, nec unquam audebo me examini audiendarum confeſſionum exponere, niſi probè ſim ſuper illis inſtructus?

M. Confeſſor, utpotè exercens munus, Judicis, Doctoris, & Medici, animadvertat, ad hujuſmodi officia, in Republica civili non admitti indifferenter omnes, leviter inſtructos de prædictis muniis, ſed eos tantùm, qui poſſint inſuper communicare aliis, quæ ipſi ſciunt. In naturalibus, non omne calidum calefacit, ſed major calor requiritur, ut calefaciat, quàm ut caleat. S. Bernardus conchæ aſſimilat Confeſſores, quæ, ut in alios aquam refundat, debet eſſe in ſe ſuper plena. Confeſſor igitur debet ita ſcire aliquas leges, ut, ex redundantia ſcientiæ in ſe, poſſit alios edocere. Hujuſmodi eſt primò lex naturalis contenta in præceptis Decalogi: ſecundò lex divina, ut præcipit actus internos Fidei, Spei, & Charitatis, ſecundum tempus, circumcirca, quo obligant juxtà dicta n. 16., & ut præcipit ſumptionem trium ſacramentorum ſuo tempore, ſcilicet, Baptiſmi, Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ: tertiò quinque præcepta Eccleſiæ, ita quòd interrogatus de illis poſſit reſpondere, quæ contingunt ordinariè. Hæc debet ſcire ut Doctor: quartò ut Judex debet ſcire caſus reſervatos (præſertim in Bulla Cœnæ) ut præcipit Rituale adductum cap. 7. num. 8. quintò caput *Omnis utriuſque* adductum c. 8. ubi explicantur qualitates bonæ confeſſionis: quintò Bullam Gregorii XV. *contra ſollicitantes* diſtinguens quoſcumque caſus in ea contentos: ſextò edictum Sanctæ Inquiſitionis: ſeptimò doctrinam Tridentini de ſacramento Pœnitentiæ: octavò Ritualis Romani Inſtructionem de hoc ſacramento, ſimul cum ordine illud adminiſtrandi; nonò leges ſibi præcipuè ſtabilitas ab Epiſcopo in litteris patentibus pro audiendis confeſſionibus; decimò ut Medicus debet ſcire, quæ pro excidendis occaſionibus proximis ex Sancto Carolo tradita ſunt c. 11. à num. 19.

18. Hæc generaliter debet maximè ſcire quilibet Confeſſor ordinarius. Prudens autem Confeſſor ulteriùs notet vitia, quæ magis regnant in ſua Diœceſi, & leges ſpeciales ſuper illis: etenim ex Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 2. artic. 7. cætera debet ſcire *magis, vel minus, ſecundum quod competit ſtatui, & officio uniuſcujuſque*; propterea prudens Confeſſor notabit, an ad ſuum Confeſſionale ſoleant, ut in pluribus, accedere Nobiles, Negotiatores, Artifices, Ruſtici, Clerici, Judices, Potentes &c. Si in Parochia ruſticana accedat pœnitens nobilis, id omninò poteſt eſſe per accidens, nec imputabitur Parocho, ſi ignoret leges, ex quarum cognitione poterit ſtatim judicare, num peccaverit in caſu non ita obvio. At qui ſolet audire negotiatores v. g. tenetur ſcire leges communes, quæ competunt negotiatoribus. In Urbe præſertim neceſſe eſt, ut ſemper ante oculos habeant Bullam, quæ dicitur *de Datis, & acceptis ob impetrandam gratiam, vel juſtitiam à Sede*

Apoſto-

Apoſtolica; ob frequentiſſimum periculum violandi illam. Idem dic de reliquis ſtatibus, & officiis. Vide S. Carolum c. 11. à n. 31.

19. Ulteriùs Confeſſor ordinarius habeat præ oculis illud Eccl. 7. *Noli quærere fieri Judex, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Confeſſario, qui eſt verè Judex, non prohibet Spiritus Sanctus exercere miniſterium, ſed quærere divites, aut nobiles, ut exerceat hoc miniſterium: experientia enim docet, quòd quærens hujuſmodi pœnitentes, extimeſcit faciem eorum, nec fortis eſt in redarguendo peccata, in excidenda occaſione proxima &c. ſed imò quærit *excuſationes in peccatis*, opiniones, quas, ut illis placeat, judicat probabiles &c. Qui ſe agnoſcit ſufficienter inſtructum, modeſtè quidem poteſt petere, ut admittatur ad confeſſiones pro illis, quibus abſolvendis cognoſcit ſe ſufficienter inſtructum, ſed non pro aliis. Illud avidiùs quærendum, quod ait Sanctus Auguſtinus lib. 10. de Civ. Dei: *Otium ſanctum quærit charitas veritatis: negotium juſtum ſuſpicit neceſſitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſtinenda eſt propter charitatis neceſſitatem.* Verbum *quæro*, & apud Sapientem, & apud Auguſtinum importat avidiùs affectare. Vide c. 11. n. 5.

CAPUT XXXIX.

De Conſcientiâ.

1. Diximus c. præcedenti, quæ neceſſaria ſunt ad intelligentiam legum in genere, pro efformandâ prima univerſali præmiſſa ſyllogiſmi operativi, & apparet, quòd ſit actus ſynderefis, ſi ſit circa leges naturales, actus doni Intellectus, ſi ſit circa leges divinas; actus verò Juriſprudentiæ; ſi ſit circa leges humanas; dicendum reſtat de ſecunda præmiſſa, & de concluſione. Concluſio eſt actus illius virtutis, quam infero eſse operandam. Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 1. & 2. Igitur agemus de concluſione, dùm agemus de qualibet virtute in particulari. Reſtat igitur agere de ſecunda præmiſſa particulari v. g. *hæc actio eſt occiſio*. Vides ad eliciendam hanc præmiſſam concurrere multos habitus; Sanctus Thomas 1. p. q. 79. art. 13. ad 3. In primis concurrit habitus Synderefis: nam illa particularis premiſſa, utpotè contenta in univerſali, debet etiam dependere ab habitu præmiſſæ univerſalis. Concurrit etiam habitus Theologiæ Moralis, qui tractat de juſtitia, & alii partiales habitus ejuſdem Theologiæ, ſi ſit circa alias virtutes. Porrò hæc ſecunda præmiſſa dicitur haberi per conſcientiam; quæ ut rectè inſtituatur, præparans ſe ad confeſſiones primò ſciet, quid in ſe ſit conſcientia; ſecundò, quia jam ex cap. 36. præcedenti ſcivit habitum ſynderefis, à quo principaliter informatur, ſciet etiam alias virtutes in particulari, à quibus informatur, & de his diſſeremus in ſubſequentibus, nùnc de ipſo actu, qui dicitur Conſcientia, eſt diſſerendum.

2. Circa conſcientiam vide Sanctum Thomam 1. part. quæſt. 79. a. 3. ex quo habes, quòd ſit actus procedens à ſynderefi, ſeù habitu primorum principiorum, & propterea unum quandoque ponitur pro alio, quia ſæpè nomen proprium cauſæ tribuimus effectui, & nomen proprium effectus tribuimus cauſæ. Cum diverſimodè apud Patres, & Doctores nomen conſcientiæ accipiatur, in præſenti ſumitur, ut conſcienta *eſt dictamen rationis practicum*, ſeù *dictans aliquid hic, & nùnc, eſſe faciendum, vel fugiendum*: dictat enim, quòd talis actio in particulari conſiderata ſit v. g. homicidium.

3. D. Quotuplex eſt Conſcientia?

M. Eſt quintuplex, Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, & Scrupuloſa. Recta eſt, quæ dictat hic, & nùnc id eſse bonum, vel malum, faciendum, vel fugiendum, quod ita eſt in rei veritate. Erronea eſt, quæ dictat hic, & nùnc eſse faciendum, quod in rei veritate eſt fugiendum, vel è contra. Dubia eſt, quando remaneo ſuſpenſus, circa utranque partem contradictorii, quia non poſſum me determinare, an talis actio ſit bona, vel mala, facienda, vel fugienda. Probabilis eſt, quando judico eſse bonam, vel malam, faciendam, vel fugiendam ſed ex fundamentis, quæ ex ſe relinquunt formidinem oppoſiti. Scrupuloſa eſt, quando judico aliquid malum, vel bonum, fugiendum, vel faciendum ex levibus omninò fundamentis.

4. D. Conſcientia recta eſt nè regula ſufficie

ficiens humanorum actuum, ſeù, quòd idem eſt, poſſum nè ſequi conſcientiam rectam?

M. Utique poſſum ſequi: imò quilibet curare debet, ut in agendis agat, quod in rei veritate eſt agendum, & fugiat, quod in rei veritate eſt fugiendum.

5. D. Conſcientia erronea poteſt nè eſſe regula ſufficiens humanorum actuum, ſeù, quod idem eſt, poſſumnè ſequi conſcientiam erroneam?

M. Differentia inter ignorantiam, & errorem tradita eſt cap. 35. num. 1. quoad reliqua, differendum eſt de utroque pariformiter: quare poſſum ſequi conſcientiam erroneam invincibiliter; imò teneor aliquando ſequi, v. g. credo invincibiliter hodie eſſe diem feſtum, tenor audire ſacrum. Idem dic in reliquis caſibus: tunc enim eſt error materialiter, & in ſe, ſed formaliter, & mihi eſt recta; quando autem dicenda ſit vincibiliter, vel invincibiliter erronea, vide dicta cap. 35. num. 8. de ignorantia vincibili, & invincibili. S. Thomas 1. 2. quæſt. 19. a. 5.

6. D. Conſcientia dubia eſt nè regula ſufficiens humanorum actuum, ſeù, poſſum nè ſequi conſcientiam dubiam?

M. In nullo caſu poſſum ſequi conſcientiam dubiam: nec enim me poſſum exponere periculo peccandi; & ſi ſequerer conſcientiam dubiam, peccarem eo genere, ſeù ſpecie peccati, cujus periculo me expono: v g. ſi dubitans, an talis actio ſit peccatum veniale, illam operor, pecco venialiter: ſi dubitans, an talis actio ſit contrà caſtitatem, illam operor, pecco contra caſtitatem: Idem dic de reliquis; quare ſi pœnitens ſe accuſet aliquid feciſſe cum conſcientia dubia, Confeſſor ſit ſollicitus, ut, pro integritate confeſſionis, explicet omnia, quæ forent explicanda, ſi certò peccaſſet contra Caſtitatem &c. (Idem dic quoad hoc de ſequente conſcientiam erroneam. Sanctus Thomas 1. 2 q. 19. art. 5. ad 3.) Dubitans ergo, num actio aliqua ſit peccatum, debet, antequam operetur, adhibere diligentias debitas ad indagandam veritatem; quòd ſi, diligentiis adhibitis, veritas non appareat, juxtà commune proloquium, *In dubio tutior pars eſt eligenda* (quod eſt tenendum pro regula generali) eliget id, quod apparet non eſſe peccatum. Dubitat, nùm ſit dies feſtus, audiat ſacrum, quia in hoc certum eſt nullum eſſe peccatum.

7. D. Dubitat, quòd utraque pars contradictorii ſit peccatum, v. g. nùm ſit dies jejunii, & quòd obligetur: ex alia parte dubitat, nùm ſibi jejunare ſit peccatum, quid agat in tali caſu?

M. Hoc idem poteſt contingere per conſcientiam erroneam; & in utroque caſu pars tutior eſt eligenda. Dictum eſt cap. 14. num. 4. quòd de duobus malis minus eſt eligendum: quare tutius eſt eligere minus. Ergo videat in tali dubio, ſeù errore, an minùs malum ſit jejunare, vel non jejunare, & eligat minus; ſi non poſſit abſtinere ab utroque.

8. D. Si deberemus eligere tutiorem, quia tutius eſt ad ſalutem ſequi conſilia Euangelica, deberemus omnes profiteri Religionem, obligantes nos ad tria vota?

M. Hoc argumentum magni faciunt, & amplificant, qui impugnant aſſerentes nos debere ſequi opinionem probabiliorem in conſpectu minùs probabilis; Coacervant alia exempla, dicunt quòd dubitans, nùm in collatione ſerotina octo unciæ violent jejunium, deberet nihil omninò comedere in veſperi, quia tutiùs eſt obſervari jejunium nihil comedendo, quàm comedendo aliquid: nihilominùs dicendum eſt, nos debere ſequi tutiorem ex illis partibus, de quibus dubitatur: v. g. dubito, nùm poſſim attingere octo uncias, ſi certum eſt moraliter, quòd ſufficiant ſex, non teneor ad quinque, vel nullam, ſed teneor non excedere ſex: cumque certò ſufficiat ad ſalutem obſervantia præceptorum, non teneor ad conſilia.

9. D. Extat etiam aliud proloquium: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*; cum tamen tutius eſſet reſtituere?

M. Poſſeſſor bonæ fidei [de quo loquitur hæc regula juris, non de poſſeſſore malæ fidei] etiam ipſe, retinens in dubio rem, eligit partem tutiorem: eſto enim utrinque dubitet æquè, num res ſit ſua, vel Petri v. g. ex rationibus intrinſecis, tamen juvatur ad illam retinendam ex principio extrinſeco, nempè, ex authoritate Superiorum, qui potuerunt ſtatuere, & de facto ſtatuerunt, ut res remaneret pœnes poſſeſſorem bonæ fidei facta ſufficienti diligentia (bona enim exterior ra fortunæ, de quibus loquitur tale proloquium ſubjacent ordinationi Principis) cujus *melior*, ideſt, tutior eſt conditio ob dictam legem. Si verò ſimus extrà materiam juſtitiæ, ſemper

per eligi debet pars tutior. Id adeò eſt verum, ut inſigniores Theologi, & Canoniſtæ, imò communiter Doctores docent, ſi dubitem me occidiſſe, debere me gerere tanquam irregularem, ſed Judicem non poſſe me ut irregularem damnare: debeo me gerere ut Irregularem, abſtinendo ab exercitio Ordinum, & petendo diſpenſationem, ſed Judex non poteſt me damnare, quia in Judicio, quod eſt actus juſtitiæ, ſtat poſſeſſio pro meà indemnitate. Confeſſor, qui conſcientiarum curam habet, ſemper conſulat tutiorem ex partibus hinc inde controverſis.

10. D. Conſcientia probabilis eſt ne regula ſufficiens humanorum actuum, ſeù poſſum nè ſequi conſcientiam, & opinionem probabilem, præſertìm relictà probabiliore?

M. Quæſtio hæc noſtris temporibus maximè agitatur inter celebriores Theologos, & volumina edita ſuper illà implerent vaſtam Bibliothecam, quare non poteſt compendio redigi pro Confeſſore ordinario. Porrò hujus directioni ſufficiet, ſi proponantur, quæ jam Sedes Apoſtolica ſuper hac materia definivit ab omnibus tenenda: quare primò ex primâ propoſitione Innocentii XI. relegenda cap. 26. ubi agitur de valore ſacramentorum, ſi offerantur duæ opiniones probabiles, Confeſſor, ſeù quicunque alius, nihil curans de probabilitate, debet examinare, quænam illarum opinionum ſit tutior, & illam ſequi in conferendo ſacramento. Fac probabiliter ſuſtineri, quòd aqua roſacea ſit materia ſufficiens baptiſmi, quia agitur de valore ſacramenti, tu in baptizando non debes examinare probabilitatem; ſed videndo, quòd tutius ſit uti aqua naturali, debes illa uti, ſi habes, vel potes habere, antequam moriatur infans: quòd ſi deſit aqua naturalis, tùnc non es in conflictu opinionum quòad praxim, ſed uteris omni medio tibi poſſibili pro æterna ſalute infantis; quòd ſi convaleſceret, iterùm eſſet ſub conditione baptizandus aqua naturali: ſecundò ex ſecunda ejuſdem, Judex non poteſt judicare juxta ſententiam minùs probabilem. Tu conſidera, nùm hæc damnatio afficiat etiam Confeſſores, qui non poſſint judicare abſolvendo pœnitentem, quem probabilitèr opinantur diſpoſitum, ſed magis probabilitèr opinantur indiſpoſitum: tertiò ex tertia ejuſdem, qui aliquid judicat qualitercumque probabile, non proptereà prudentèr agit, operans illud, innixus tali utcunque probabilitati; ex quartà infidelitas non excuſatur, ſi ſequar opinionem, quæ eſt verè probabilis, ſed minùs probabilis: quintò ex 21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis non ſtat cum notitià ſolùm probabili revelationis, tu conſidera, nùm id proveniat, quia ſupernaturalis eſt, vel ex alià causà: ſextò ex 27. Alexandri Settimi non eſt cenſenda probabilis opinio ex hoc, quòd impreſſa eſt in libro moderno, nondùm rejecto quòad illam ab Apoſtolicà Sede: ſeptimò ex tertià Alexandri Ottavi licet ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam. Hec circà probabiliſſimum ſufficiunt Confeſsori ordinario. In reliquis caſibus, qui ſanè pauci erunt, procedat cum his cautelis: primò, non proponat probabiliſſimum, ut damnatum ab Eccleſià, quandò ſolùm damnavit illum in caſibus prædictis: ſecundò, ex regulà Auguſtini epiſt. 19. non credat verum, aut probabile, quia id alii tale dicunt, ſed credat verum, & probabile, quod ſibi per Scripturas ſacras, vel rationes perſuadetur tale: locus enim ab authoritate Caſuiſtarum, præcipuè Modernorum infirmiſſimus eſt, niſi fundent ſe in ratione: Cum his obſervationibus crediderim, quòd poterit ritè exercere ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici, abſque eo quòd tempus inſumat in illà, hodiè ob tot libros redditâ difficillimà quæſtione, implexà aliis mille quæſtionibus, an poſſim ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.

11. D. Conſcientia ſcrupuloſa eſt nè ſufficiens regula humanorum actuum, ſeù peccone, aliquid operans, de quo habeo ſcrupulum, quòd ſit peccatum mortale?

M. Si non ſit error, ſed merus ſcrupulus, non peccabo mortalitèr; levia enim indicia, ex quibus, ut dictum eſt num. 3. movetur ſcrupuloſus ad timendum, ne aliquid ſit peccatum mortale, non cogunt prudentem, ut ab opere illo abſtineat; imò dicitur Eccl. 19. *Qui citò credit, levis corde eſt*, ſcilicet, levitas eſt animi, *citò*, hoc eſt, ex levibus indiciis credere aliquid eſſe peccatum mortale?

12. D.

12. D. Quomodò Confeſſor agnoſcet eſſe ſcrupulum, non errorem?

M. Agnoſcet primò ex levitate indiciorum, quibus movetur, & per hoc diſtinguitur etiam à conſcientiâ dubia: ſecundò formidat, & titubat etiam, poſtquam viri prudentes, ut alius Confeſſor, teſtati ſunt, nullum in actione illâ eſſe periculum peccati: tertiò agnoſcet conferens, núm aliàs ille pœnitens timoratæ ſit conſcientiæ, qui fugiat in reliquis vel umbram peccati mortalis.

13. D. Quomodò Confeſſor exercebit ſuum officium ergà hujuſmodi verè ſcrupuloſos?

M. Nonnulli ſunt, qui à multo tempore vitam liberiorem agentes, dum redeunt ad cor, maximis anguntur ſcrupulis, timentes, núm aliquod vitæ præteritæ peccatum præterierint, vel circumſtantiam explicatu neceſſariam. Ergà hos officium Judicis præcipuè Confeſſor exercebit juxtà monitum Sancti Caroli adductum cap. 11. num. 15. invitabit ad confeſſionem generalem ab eo tempore ſaltèm, quo cæperunt liberius vivere; ad quam præparabuntur maturo, ac diligenti examine conſcientiæ. Porrò Confeſſor illos patientiſſimè audiens, ad ſingula peccatorum genera, quæ accuſant, interrogabit non modò ſpecies, numerum, atque circumſtantias; verùm, & illa peccata, quæ ut plurimùm, licèt non ſemper, conjungi ſolent accuſatis, ut, ſi peccavit contrà caſtitatem, explicatâ ſpecie, numero, ac circumſtantiis actuum externorum, quæ quilibet ſolet explicare, interrogetur, núm ergà eandem, vel alias fœminas habuerit deſideria merè interna, núm ſimplices delectationes moroſas, ſi accuſet confeſſiones ſacrilegas, inducat, ut non modò repetat peccata in illis confeſſa, ſed numerum confeſſionum ſacrilegarum, ſi fuerint in confeſſione annuâ ex præcepto Eccleſiæ: tùnc enim ſunt duo peccata: ſi poſt confeſſionem, communicavit ſacrilegè: quod ordinariè ſolet contingere, ut intelligat etiam in hoc numerum ſacrilegiorum, & duplex peccatum in communione Paſchali, &c. (quæ omnia præſertim meminerit petere in examine Romano, ubi ſuper ſimilibus examinetur approbandus) Hac generali confeſſione taliter factâ, Confeſſor præcipiat ſcrupuloſo non ampliùs inquirere in particulari vitam præteritam, etiam ut confiteatur aliquam ſpeciem, vel circumſtantiam: debet enim præſumere omnia ritè narrata, ſed ſolùm, ſi aliquod peccatum meminerit omnindò intactum, tùnc petat conſilium Confeſſoris, núm ſuper illo debeat inquirere. Alii Scrupuloſi ſunt, qui timent peccare mortaliter in omni opere [circa hos exercebit præcipue officium Doctoris, oſtendens peccatum mortale, non eſſe, niſi ſit omnindò voluntarium, clara eſſe ex Decalogo, lege divina, & præceptis Eccleſiæ peccata mortalia, quæ committi poſſunt frequentèr &c. Sunt alii tertiò, qui, opere peracto, timent peccaſſe. Circa hos exercebit præcipuè officium Medici. Ut eos ſanet, inducet contemnere ſcrupulos, operari contra ſcrupulum, nec in confeſſione accuſare actionem ullam, in qua non poſſit jurare ſe mortaliter peccaſſe, reſpectu aliquorum Pœnitentium. Præ omnibus utatur oratione, ſtudio Authorum; & conſilio Doctiorum juxta Rituale adductum c. 7. n. 7.

14. Hæc in univerſali propoſita, meo videri, ſufficere poſſunt, Confeſsori ordinario, ut abſque peccato exerceat ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici: nam primò inſtructus de damnis mali, ac utilitatibus boni Confeſsoris curabit evellere vitia, & plantare in Pœnitente virtutem: ſecundò inſtructus de ipſo Pœnitentiæ ſacramento, ex Doctrina Eccleſiæ in Tridentino, Rituali, Catechiſmo, ex S. Carolo: probatiſque Authoribus, quales præcipuè ſunt S. Thomas, & Magiſter Sententiarum, ſi quod hi docent, opere curet implere, nunquam porriget pro pane venenum: tertiò, quia principaliter debet inſiſtere, ut Pœnitentes forment rectum judicium de ſuis actionibus; quod judicium efformatur per ſyllogiſmum operabilem, habet primò cognitionem ſufficientem, ut illum poſſit dirigere in prima univerſali præmiſsa prædicti ſyllogiſmi, quæ procedit ex ſynderesi, quando verſatur circa operabile notum naturę lumen; à Dono Intellectus, quando verſatur circà operabile notum lumen fidei; à Juriſprudentia verò, quando verſatur circa operabile inductum lege humana; de quibus omnibus ut inſtrueretur præparans ſe ad confeſſiones, data eſt omnis doctrina magis neceſsaria Morali

ſi Theologo, quam S. Thomas inſerit in ſua 1. 2. Inſinuatum eſt etiam aliquid circa efformandam ſecundam præmiſſam particularem prædicti ſyllogiſmi operabilis, quæ efformatur per actum Conſcientiæ.

15. Reſtat agere de ipſa concluſione, quæ præmittitur ab intellectu, ut excitet voluntatem, quæ numquam vellet hoc particulare, niſi priùs illud cognoſceret: nam nihil volitum, quin præcognitum; ſed iſta concluſio, ex S. Thoma adducto, eſt actus illius virtutis, cujus eſt ipſa opetio. Vt cùm circa omnes Virtutes Pęnitens ſit dirigendus, & in omnibus vitiis poſſit peccare, Virtutum, ac Vitiorum ſingulorum notio debet conſtare præparanti ſe ad Confeſſiones. Igitur nunc eſt diſſerendum de his. Attamen hìc finit prima pars hujus operis: & remitto ad ſecundam tractatum de Virtutibus, & Vitiis, ex duplici capite: primò ne nimis creſcat moles Tomi: ſecundò, & principaliter, nè in minimo deflectam ab aurea Methodo mei Præceptoris Angelici, qui etiam diviſit Theologiam Moralem in duas partes, agens in prima de iis, quæ ſpectant ad efformandas præmiſſas ſyllogiſmi operabilis; & in ſecunda de ipſa concluſione, in omni materia, tractans Angelicè virtutes omnes, Dona Spiritus Sancti correſpondentia, & Vitia oppoſita. Adſit ſua gratia Deus, & ſua prece S. Præceptor, ut, quæ docenda ſunt, conſpiciam, & quæ agenda ſunt, ipſe omnium primus opere compleam.

Inſtructionis pro Præparantibus ſe ad Confeſſiones, Partis Primæ.

F I N I S.

L

Digitized by Google

INSTRUCTIO
PRO SE PRÆPARANTIBUS
AD AUDIENDAS
CONFESSIONES

Proficua, & utiliſſima Epiſcopis, Vicariis, Parochis, Confeſſariis, & Clericis, ac cæteris Theologiæ ſtudioſis.

AUCTORE

FRANCISCO MARIA CAMPIONI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI, CLERI EXAMINATORE APOSTOLICO, &c.

PARS SECUNDA.



VENETIIS, M. DCCXII.
Apud Jo: Baptiſtam Recurti ſub Signo Religionis.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTRUCTIO

Pro Præparantibus ſe ad audiendas Confeſſiones.

PARS SECUNDA.

De Virtutibus, & Vitiis in particulari.

CAPUT PRIMUM.

De Fidei virtute.

1. DIctum eſt p. 1. cap. 39. num. 1. quòd particularis præmiſſa ſyllogiſmi operativi, quæ eſt conſcientia, ſeù dictamen rationis dictans hìc, & nunc aliquid eſſe bonum, vel malum, v. g. dictans hunc actum eſſe occiſionem; unde concludimus eſſe fugiendam, dictum eſt, inquam, informari pluribus habitibus, ſeù, quod idem eſt, pendere à pluribus cognitionibus, & ſcientiis, quarum primaria quidem eſt Syndereſis, habitus legum naturalium, ut verſatur circà operabile præceptum lege naturæ: illos autem alios habitus eſſe ſcientiam Theologiæ moralis, ſecundum quod conflatur per plures habitus partiales, ſpectantes ad diverſas virtutes concurrentes ad formationem illius præmiſſæ, ut eſt in allatâ occiſionis, ad quam concurrit ſcientia de Juſtitia.

2. Hinc vides, quam methodicè, rationabiliter, & profundè, poſt tradita in univerſali principia Moralis Theologiæ in 1. 2. S. Thomas in 2. 2. deſcendat ad examen ſingularum virtutum. Studebat Angelicus Theologi conſcientiam in omnibus rectam efformare; nec poteſt efformari talis, niſi habeatur ſcientia cæterarum virtutum, quæ habent efformare conſcientiam.

3. S. Thomas 2. 2. q. 45. art. 2. notat poſſe dari duplex judicium de virtutibus: aliud *per rationis inquiſitionem*, aliud *per quandam connaturalitatem*: Rectè judicat de omnibus neceſſariis ad conſervandam caſtitatem, & de mediis fugiendi vitium oppoſitum Sutor ille, qui caſtè vivit, eſtò nunquam audierit Theologiam Moralem. Idem dic in reliquis virtutibus. Audiſti ex Hiſtoriâ ſacrâ pueros ita in fide inſtructos, ut judicaverint in puerili ætate vitam eſſe dandam pro illius confeſſione, & de facto dederunt, præcedente utique ſyllogiſmo, quem toties diximus neceſſarium ad operandum, cujus ſecunda præmiſſa dirigi debebat per aliquam fidei notitiam, nullatenùs hauſtam ex Theologiâ Morali. Hæc notitia prædictæ virtutis, cùm quâ indoctus operatur actum virtutis, dicitur *per quandam connaturalitatem*; & originatur in nobis, vel per exercitium talis virtutis, vel per donum Spiritus Sancti correſpondens tali virtuti. Aliud judicium dicitur *per rationis inquiſitionem*; & eſt in illo, qui, loquendo de caſtitate, vivit in ſe minùs caſtè, ſed didicit perfectè partem illam Theologiæ Moralis, quæ agit de caſtitate. Porrò ſi quæratur,

quod nam ex his judicium comparare debeat præparans ſe ad confeſſiones, dicendum ex Rituali adducto p.1.c.7.n.6.quamlibet ex dictis ſcientiis requiri: nam in confeſſore exigit bonitatem vitæ,& ſcientiam: per ſcientiam intelligit judicium acquiſitum per rationis inquiſitionem ex ſtudio Theologiæ Moralis: per bonitatem vitæ intelligit judicium acquiſitum ex connaturalitate per exercitium virtutis,& per donum Spiritus Sancti,cum ex S.Doct. 1.2.q.68. a.2. hæc ſint connexa cum virtutibus Chriſtianis. Ita tamen, quòd in dirigendis pœnitentibus utamur judicio per rationis inquiſitionem. Per hoc enim adſiſtere Chriſtus promiſit Eccleſiæ, ſuiſque Superioribus: quare nec ipſe Romanus Pontifex judicat per primum, ſed per ſecundum judicium, inquirens, quid ratio dictet; vel Spiritus Sanctus per inſpirationem,non per exercitium; valebitque ſuum judicium, eſtò ſit malus coràm Deo. Nihilominùs omne feret punctum Confeſſor, qui perfectiſſimè ſibi comparaverit utrumque judicium; Imò ad hoc maximè debet eniti, ut quancumque virtutem exercens excellentiſſimè, ſit doctiſſimus in Theologia Morali. Nec aliud commendant Scriptura, Patres, Concilia, Romani Pontifices, Epiſcopi, & Doctores, qui ſcripſerunt de ſanà Theologià Morali. Horum ſalutaria monita ſuſcepturus, quà par eſt, veneratione, præparans ſe ad confeſſiones conſideret primam Chriſtianarum virtutum eſſe fidem;quarè circà illam primò omnium efformanda eſt conſcientia, ſeù dictamen rationis, quod dictet, quando hìc, & nùnc ſit exercenda &c. Ad hoc de fide dictamen efformandum, poſt implorata humilitèr, & ferventèr, dona Sancti Spiritus, aſſueſcat exercere frequentèr actus prædictæ virtutis, ut judicet de illà ex quadam connaturalitate. Ut verò perfectum omni ex parte judicium acquirat, hæc præcipuè per rationis inquiſitionem addiſcet de illa.

4. D. S.Tho. ubi agit de virtute Fidei?

M. Agit 2.2.à q.1.ad 17.ubi agit primò de ipſa fide in ſe ipſa: ſecundò de actu interno fidei: tertiò de actu externo: quartò de habitu: quintò de cauſis: ſextò de effectibus: ſeptimò de donis Sancti Spiritus, quæ correſpondent fidei: octavò de peccatis oppoſitis fidei: nonò de præceptis fidei, & hoc ſemper per ordine procedit examinando ſingulas virtutes in particulari.

5. D. Præparans ſe ad confeſſiones debet ne inquirere de Habitu, an de Actu Fidei?

M. Principaliter inquirere debet de actu, quem tenetur exercere Chriſtianus, & ad cujus exercitium debet efformare conſcientiam Pœnitentis?

6. D. Quid eſt actus fidei?

M. Actus fidei alius eſt internus,& alius externus. Internus ex S. Auguſt. S.Thom. q.2.a.1. definit,quòd ſit *cum aſſenſione cogitare*. Quia præparans ſe ad confeſſiones, minùs aſſuetus terminis ſcholaſticis, non ita facilè percipiet illam definitionem, ad ejus faciliorem inſtructionem dico, quòd actus internus fidei Theologicæ eſt, quo firmitèr homo intellectu credit aliquid eſſe verum, ſeù tale,quale affirmatur,quia Deus ſummè verax revelavit Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſia Catholica illud nobis proponit ut verum, & revelatum à Deo. Externus autem eſt, quo verbis, vel ſignis exterioribus profitemur nos habere actum illum internum: Primò autem dicemus de interno, poſteà de externo.

7. D. Actus fidei non erit meritorius: meritum enim conſiſtit in actibus voluntatis, qui ſequuntur ad actum intellectus?

M. Valdè meritorius eſt actus fidei,utpotè virtutis Theologicæ, quem maximè debet frequentare Chriſtianus, & ad illum Confeſſor invitare pœnitentem; Imò facit optimè, qui pro pœnitentia in confeſſione imponit recitare ſymbolum Apoſtolorum, vel Nicænum, quod canitur in Miſſa, vel S. Athanaſii, quod dicitur ad Primam in Dominica; vel etiam Profeſſionem fidei ſtatutam à Pio IV., & poſitam in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 23. nu. 8. Aliqui actus intellectus præcedunt omnem actum voluntatis; & in illis nullum eſt meritum. Hujuſmodi ſunt tentationes in intellectu contrà fidem, caſtitatem &c. ſi quæ præcedunt omnem actum voluntatis.

8. D. Quomodo vocatur ille actus voluntatis, qui præcedit actum Fidei?

M. Tridentinum ſeſſ.6. cap.6. vocat actum, quo *liberè moventur in Deum*: Scholaſtici Moderni vocant piam affectionem, quà voluntas fertur in Deum, ut fontem omnis veritatis revelatæ Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſitæ, vi cujus afficimur ad credendum quidquid ille di-

dixit eidem, ſicuti filius ex affectu ad patrem, ut veracem, movetur ad credendum quidquid nomine patris refert pædagogus à patre deſtinatus, ut ſua filio dicta referat.

9. D. Hæc pia affectio non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei ſit firmior, quam mereatur pondus rationum?

M. Hæc eſt 19. propoſitio damnata ab Innocentio XI. Vide illam p. 1. cap. 26. Adde S. Thomam q. 1. a. 4. *Intellectus aliquando aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab objecto proprio, ſed quandam electionem, voluntariè declinans in unam partem magis, quam in aliam.*

10. D. Datur ne præceptum habendi hanc piam affectionem erga Deum loquentem Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis?

M. Qui præcipit finem, ſimùl præcipit media. Quia igitur jure divino tenemur explicitè credere tria fidei principaliora myſteria, etiam jure divino tenebimur ad piam hanc affectionem, ut revelavit tria myſteria: & quia præcepto Eccleſiæ tenemur ad totum ſymbolum, tenemur etiam ad piam hanc affectionem ex precepto Eccleſiæ. Idem dic de aliis explicitè credendis juxtà cujuſque ſtatum, & de credendis implicitè. Porrò quia hæc affectio præcipitur ratione finis, obligabit tantùm per accidens. Applicà igitur dicta p. 1. c. 38. n. 16. de præcepto obligante ſolùm per accidens.

11. D. Tot myſteria contenta in Sacrâ Scripturâ, & traditione à Chriſto, vel inſtinctu Spiritus Sancti accepta, ſub qua ratione ſunt credenda?

M. Omnia ſunt credenda ſub eà ratione, *quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ, & hæc nobis proponit.* Ad quam ut aſſueſcant Chriſtiani magis idiotæ, Parochi, Scholarum Magiſtri, Concionatores, curabunt tradere actus fidei cum illa cauſali, & Confeſſores imponent pœnitentibus, ut eliciant aliquoties actus fidei cum illa cauſali; uti traditum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 8. n. 19.

12. D. Ad juſtificationem ſufficit fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo?

M. Eſt 23. propoſitio damnata ab Innocentio XI. Vide p. 1. c. 26. Ex S. Thoma quæſt. 1. art. 1. poſſunt credi, & creduntur plura creata, ſed *quia Deus revelavit Eccleſiæ* &c. *Non enim fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quod eſt à Deo revelatum.*

13. D. Poteſt ne ſtare aſſenſus fidei cum notitiâ probabili revelationis, an requiritur evidentia moralis, quòd Deus fuerit locutus Eccleſiæ Catholicæ, & per illam nobis?

M. Theſis docens, quòd poſſit ſtare cùm notitiâ ſolùm probabili &c. eſt 21. damnata ab Innocentio XI. Eſtò fidei myſteria in particulari non appareant evidenter, tamen *in generali, ſcilicet, ſub ratione credibilis*, ait S. Thomas q. 1. a. 4. ad 2. *ſunt viſa ab eo, qui credit: non enim crederet, niſi videret eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi.* Et q. 171. a. 5. *Signum propheticæ certitudinis accipere poſſumus ex hoc, quòd Abraham admonitus in propheticà viſione ſe præparavit ad filium unigenitum immolandum, quod nullatenùs feciſſet, niſi de divina revelatione fuiſſet certiſſimus.* Quinque ſigna, quæ ſimùl juncta faciunt hanc evidentiam, affert 1. contrà Gent. c. 6. primò miracula: ſecundò efficaciam Prædicatorum: viliſſimi enim, indoctique Apoſtoli ſubegerunt orbem: tertiò ſublimitatem doctrinæ omninò contrariam ſenſibus, & tamen adeò univerſaliter acceptatam: quartò poteſtatem impugnantium, qua non obſtante, magis crevit fides, quò magis irrigata ſanguine martyrum: quintò prohetias de hac lege Evangelica omninò completas. Hæc, addit S. Thomas, *in ſuo effectu* converſione mundi *apparent evidenter*, ſicut evidenter apparet ignis ex fumò: nec tamen eſt neceſſe, quòd omnia hæc ſigna omnibus innoteſcant. S. Thomas dixit *propter evidentiam ſignorum; vel aliquid hujuſmodi.* Ex hoc ſecundo capite apparet evidenter notitia revelationis puero, qui perveniens ad uſum rationis elicit actum fidei ex inſtructione parentum, Magiſtri, vel Parochi, eſtò ad prędicta ſigna non reflectat, ſed ſolùm directè movetur ad talem actum fidei, ex evidentià, quam habet, quòd in materia ſalutis ęternę ſequenda eſt eorum inſtructio.

14. D. Credimus ne fide Theologica revelationes particulares factas alicui Sancto, dùm Romanus Pontifex proponit illas, ut factas à Deo, quales ſunt revelationis S. Birgittæ, de qua in Collecta dicitur, *Deus, qui B. Birgittæ per Filium*

tuum ſecreta cœleſtia revelaſti &c.

M. Non tenemur : *Innititur fides noſtra* ex Sancto Thoma 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. *revelationi Apoſtolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros ſcripſerunt: non autem revelationi, ſi qua fuit aliis Doctoribus facta*. De fide credenda debent contineri litteraliter in aliquo textu Scripturæ; vel in traditione habita ore Chriſti, aut inſtinctu Spiritus Sancti. Propterea eſt de fide, quod in hoſtia conſecrata ſit Chriſtus; & non eſt de fide, quod hæc hoſtia particularis ſit conſecrata : nec enim hoc ſecundum continetur eo modo in Scriptura, vel traditione.

15. D. Poteſt ne fide Theologica credi unus articulus ſine alio, ut Calviniſtæ credunt Trinitatem, ſine præſentia Chriſti in Euchariſtia ?

M. Non poteſt credi : etenim ſi credit, ut à Deo revelatum Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſitum, quia utrumque ſtat ſub hac ratione formali, utrumque eſt credendum : credit igitur ſub alia ratione, quia proponitur à tali Eccleſia particulari S. Thomas quæſt. 5. art. 3. Hæreticus igitur eſtò millies ore proteſtetur ſe credere ex tali ratione formali, eſt proteſtatio contra factum.

16. D. Tenemur ne credere omnia literaliter contenta in Scriptura; vel traditione habita ore Chriſti, inſtinctu Spiritus Sancti, per Eccleſiam propoſita ?

M. Omnia tenemur credere, quia omnia ſtant ſub ratione formali poſita nu. 11. Non tamen omnia tenemur credere explicitè, ſed aliqua ſufficit credere implicitè. Juxta *Inſtructionem pro ordinandis* c. 8 n. 5. credimus implicitè, quando credimus in generali, quando credimus quidquid ab Eccleſia proponitur: credimus explicitè, quando credimus hoc, vel illud myſterium in particulari.

17. D. Unde habemus hoc præceptum eliciendi actum fidei ?

M. Ex illis Apoſtoli verbis, Hæbr. 10. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Sanctus Thomas q. 2. art. 3. & q 16. Vide p. 1. c. 25. primam propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam, & cap. 26. decimam ſextam ab Innocentio XI. damnatam.

18. D. Circa myſteria explicitè credenda, calleo dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 8. præſertim à nu. 7. ad 17. & ne memoria excidant, frequenter lego librum. Inſuper lego, quæ circa hoc ex Sancto Carolo tradita ſunt p. 1. c. 11. num. 19. ſed quia me præparo ad munus Doctoris in Confeſſionali; & iſte debet *paratus eſſe omni poſcenti ſe rationem reddere* de fide 1. Pet. 3. vellem ſcire, unde habeatur præceptum divinum credendi tria principaliora myſteria, de quibus in *Inſtructione pro ordinandis* c. 8. n. 9.

M. Præceptum divinum credendi unitatem Dei, & remunerationem æternam habemus. Hæbr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe Remunerator ſit*. Hæc duo myſteria erant credenda in omni lege, etiam Moyſis, & naturæ. S. Thomas q. 2. art. 5. Præceptum divinum credendi Trinitatem habetur Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris* &c. Præceptum divinum credendi Incarnationem: Jo: 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, addita expoſitione Auguſtini ep. 157. *Illa fides ſana eſt, qua credimus nullum hominem (ſive majoris, ſive parvæ ætatis) liberari à contagio mortis, & obligatione peccati, niſi per unum mediatorem Dei, & hominum, Jeſum Chriſtum*. Sanct. Thomas q. 1. a. 8. q. 2. a 7. Præceptum divinum de paſſione, & morte Chriſti. 1. Cor. 1. *Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum*. Præceptum divinum de reſurrectione. 1. Cor. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit inanis eſt fides*. S. Thomas q. 1. a. 8.

19. D. Ex *Inſtructione pro ordinandis*, cap. 8. n. 9. Chriſtiani tenentur ad illa tria tantùm myſteria ex præcepto divino, & ex num. 18. tenentur per ſe ad actum fidei de illis: primò in uſu rationis: ſecundò in articulo mortis: tertiò quinquies vel ſexies in anno, jam quæro, an extet præceptum Eccleſiæ credendi aliqua myſteria, quæ, & quando ?

M. Ex præcepto Eccleſiæ tenemur credere tria illa myſteria : ſed omittendo utrumque præceptum, committimus unicum peccatum : quia diſtinctio peccatorum non ſumitur ex diverſitate præcepti, ſed, ut dictum eſt p. 1. c. 35. num. 7. Inſuper ex præcepto Eccleſiæ Chriſtiani univerſaliter tenentur per ſe ad myſteria ſymboli Apoſtolici, pro iiſdem temporibus, quibus tenentur ad tria myſteria.

20. D. Tenemur igitur iiſdem temporibus ad recitandum ſymbolum quinquies, vel ſexies in anno; ſed ſicut indeterminatum

tum communicandi præceptum divinum, Eccleſia determinavit ad Paſcha, ſic determinavit nè tempus præciſum ad tales actus?

M. Ex univerſali conſuetudine cognoſcimus extare præceptum credendi myſteria ſymboli, dicente S. Thoma q. 2. art. 7. *Tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti, præcipuè quantum ad ea, quæ communitèr in Eccleſia ſolemnizantur, & publicè proponuntur.* TransfiguratioChriſti non ſolemnizatur communiter, ſed ſolùm ab Eccleſiaſticis: quare ab his credenda eſt, & à toto populo illius Eccleſiæ particularis, in quà communiter ſolemnizaretur: non tamen eſt determinatum tempus credendi ſolemnizata communitèr.

21. D. Confeſſor à pœnitente debet haurire numerum peccatorum; quomodò igitur à pœnitente, qui per triennium omiſit actus fidei, poterit ſcire utrum commiſerit, quindecim, vel octodecim peccata?

M. Confeſſor in tali caſu faciet explicare tempus, & inde circumcircà eliciet numerum peccatorum: *ſufficit diſcipulo, ſi ſit, ſicut magiſter ejus* Matth. 10. Cum ergo Eccleſiæ Magiſtræ ſufficiat ſcire circumcircà numerum, ſufficiet idem Confeſſori diſcipulo Eccleſiæ.

22. Præter hæc myſteria omnibus credenda, tenentur nè alia credere; Chriſtiani particulares?

M. Ex S. Thomà q. 2. a. 6. *Plura tenentur explicitè credere majores, qui habent officium inſtruendi, quam alii*; quare ſuprà univerſalitatem Chriſtianorum, quò majus eſt officium inſtruendi, plura tenetur credere; Epiſcopus ſuprà Sacerdotem, Sacerdos ſuprà Clericum, Clericus ſuprà Laicum. Vide dicta part. 1. c. 35. n. 7. Ex his, qui ignoraret, quæ tenetur alios docere, committeret triplex peccatum in Confeſſione ſpecialiter aperiendum: primò, quia omiſit inſtruere populum ſuo tempore, uti tenebatur ex juſtitià: ſecundò, quia contrà præceptum affirmativum omiſit illa explicitè credere ſuo tempore: tertiò, quia contrà præceptum negativum ignoravit. Si non explicet omnia tria, Confeſſor tenetur inquirere.

23. D. Univerſalitas Chriſtianorum per ſe tenetur ad actus fidei, ut dictum eſt n. 19. tenebiturnè alià per accidens?

M. Vide dicta p. 1. c. 35. n. 6. nàm ſacramenta recipiens tenetur ad explicitè credendum principaliora illius ſacramenti, v. g. in Paſchate, quid ſit ſacramentum Euchariſtiæ: quolibet etiam die Dominico, dùm audit miſſam, tenetur ad idem, & prætereà, ut, quòd ſubſtantiam, explicitè (licèt non reflexè) credat poteſtatem Sacerdotis ad tranſubſtantiandum panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti, quam, niſi adorans hoſtiam conſecratam, credendo ſupponeret, eſſet idolatra. Porrò conſideranti facilè occurret, quòd ſimùl creduntur tria myſteria neceſſaria neceſſitate medii: nàm in Euchariſtià creditur filius Dei, qualis eſt vivus in cœlo, qui ſeipſum ſacrificavit ob dandam nobis vitam æternam. Quæ omnia Parochus, & Confeſſor explicabunt clarè, ac diſtinctè, ut Chriſtiani curent reflexè tot actus elicere omni fervore, quò devotiùs audiant ſacrum, & recipiant ſacramenta, innuendo ſemper, ut exprimant rationem formalem, *quia Deus revelaverit Eccleſiæ* &c.

24. D. Tenetur nè alià homo per accidens ad actus fidei?

M. Tenentur primò Catechumeni: Rituale in Rubricà de baptiſmo adultorum ait: *Si adultus ſit baptizandus, debet priùs ſecundum Apoſtolicam regulam, in Chriſtiana fide, ac ſanctis moribus diligenter inſtrui, & per aliquos dies in operibus pietatis exerceri.* Per inſtructionem acquirit ſcientiam de his myſteriis, ad quam obligatur præcepto negativo. Vide dicta part. 14. cap. 35. num. 4. Primum opus pietatis exercendum eſt actus fidei, ad quem tenetur præcepto affirmativo; & exercitium dicit frequentiam; & verè ſunt actus fidei, licet imperfecti, quia non procedentes ab habitu. Vide p. 1. c. 33. n. 2.

25. Secundò addit Rituale. *Admonendus eſt Catechumenus, ut peccatorum ſuorum pœniteat*; utique dolore ſupernaturali, qui ex p. 1. c. 13. n. 3. dirigatur lumine fidei, & pœnitentia ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 1. neceſſarià iis *qui ſacramento baptiſmi ablui petiviſſent*, & ex S. Thoma 3. p. q. 90. art. 4. eſt pars ſubjectiva virtutis Pœnitentiæ,

26. Tertiò ante foras Eccleſiæ petit fidem à Sacerdote; quo ſuggerente: *Fides quid tibi præſtat?* reſpondet. *Vitam æternam*; quare credit Deum Remuneratorem.

rem. Proponit Sacerdos myſteria Symboli credenda: & Catechumenus ait: *Credo*; quare circà ſingula elicit ſingulos actus fidei, vel unum æquivalentem omnibus. Poſtea ſignatur cruce in fronte, cui ſigno voluntariè ſe ſubjiciens, profitetur jàm tèr principaliora myſteria. Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 8. n. 53.

27. Quartò recitat tèr Orationem Dominicam, quæ tota conſtans actibus Spei præſupponit in recitante totidem actus Fidei.

28. Quintò tenetur recitare ex ſe ſymbolum Apoſtolicum; & iterùm, ut tertiò, interrogatus de ejuſdem articulis reſpondet *Credo*. Quin imò conſideranti omnes rationes, & ritus, quibus ſuper baptizando utitur Sacerdos, conſtat præponi debere actum fidei ad omnes, & ſingulos.

29. Sextò: ſi Rubricæ Ritualis diligentèr perpendantur, uti præparans ſe ad confeſſiones perpendere debebit, in adminiſtratione, & receptione cujuſlibet ſacramenti, conſtabit ad illa, etiam ad abſolutionem cenſurarum, præexigi aliquem actum fidei, circà inſtitutionem, Miniſtrum, materiam &c. circà poteſtatem Eccleſiæ &c.

30. Septimò: Eccleſiaſticus ratione officii divini, tenetur ſaltèm tèr in die ad ſymbolum Apoſtolorum, in Matutino; Prima, & Completorio; & pluries in plubus officiis, præſertim diebus Dominicis, ad ſymbolum S. Athanaſii. Et totum officium, ut oratio, præſupponit actus fidei.

31. Octavò: Sacerdos celebrans penè innumeros elicit actus fidei, recitans orationes, ſymbolum Nicænum, commemorans Triniſtatem, myſteria Redemptionis; conſecrans &c. reverentiam exhibens nomini Jeſu, vel imagini Crucis, & ubicunque aliquid facit, ad quod faciendum dirigitur lumine Fidei: Propterea videns Eccleſia, toties, ut ita dicam, indie obligatum Chriſtianum ad tot actus fidei, noluit determinare tempus præciſum, quo teneremur ad illos, quia neceſſitas aliarum operationum nos urget ad pluries, quam poſitivo præcepto exigi poſſit frequentandos hujuſmodi actus. Hinc videas, quam juſtè Innocentius XI. damnaverit 17. propoſitionem: *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere*. Hæc, ut jacet, deobligans Chriſtianum ab omni actu fidei, ſive per ſe, ſive per accidens, deobligat ab omni oratione, perceptione ſacramentorum, ab omni actu ſupernaturali ſpei, charitatis &c.; quo nequius quidquam ſomniare potuit, vel impiiſſima ſecta.

32. Hæc circa fidei actum curabit per rationis inquiſitionem, ſeù diligenti ſtudio addiſcere præparans ſe ad confeſſiones, quæ juncta ſcientiæ ſibi comparatæ per quandam connaturalitatem ex frequentatione actuum fidei, plurimùm inſervient, ut Confeſſor efformet conſcientiam rectam, ſive ſuam, ſive pœnitentis, in ordine ad actus internos fidei, quos debet elicere (quantùm ſpectat ad Confeſſorem ordinarium) quotieſcunque in ſyllogiſmo operativo circa fidem, tenetur ponere particularem hanc præmiſſam, vel ſimilem, *Hic, & nùnc actus internus fidei me obligat*.

CAPUT II.

De actu externo Fidei.

1. NOn ſolùm obligamur actu interno credere myſteria à Deo revelata Eccleſiæ Catholicæ, & per illam tradita nobis; verùm inſuper obligamur eadem myſteria exteriùs profiteri verbis, vel ſignis. De hac externa profeſſione habemus præceptum affirmativum non obligans ad ſemper, quo tenemur aliquandò facere hos actus externos, & negativum obligans ad ſemper, quo tenemur nunquam ponere actus oppoſitos huic profeſſioni externæ fidei; quid quid de præcepto affirmativo aliquis dixerit damnatus ab Innocentio XI. prop. 18. Vide illam part. 1. cap. 27. Dandæ igitùr ſunt notitiæ, ut Confeſſor, quoad ea, quæ ordinariè contingunt, poſſit per rationis inquiſitionem efformare rectam conſcientiam pœnitentis, quoad actus externos fidei.

2. D. Quando nos obligat per ſe præceptum affirmativum (ſive ſit naturale, ſive divinum, circa quod non litiget Confeſſor) ad actum externum profeſſionis fidei?

M. Ex S. Th. q. 3. a. 2. *Confiteri fidem eſt de neceſſitate ſalutis, quando per dimiſſionem hujus confeſſionis, ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, puta, ſi aliquis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non eſſet vera, vel alii, propter ejus taciturnitatem, averterentur à fide*. Clara ſunt verba S. Doctoris, ex quibus apparet nullum eſſe

tem-

tempus huic præcepto determinatum ad actum externum fidei, ſed ad illum obligari nos tantùm in prædictis circumſtantiis: quare in illis, ſi Chriſtianus mentiens dicat ſe non eſſe talem coram multitudine, peccat primò peccato mendacii, graviſſimo, utpotè in materia fidei; & eſt peccatum commiſſionis: peccat ſecundò peccato omiſſionis non confitens fidem, quando tenetur ad id ſub gravi: tertiò peccat peccato ſcandali: quod multiplicatur juxta dicta p. 1. c. 34. n. 9. ſi non mentiatur, ſed taceat, erit duplex peccatum in ſpecie: alterum contra confeſſionem fidei: alterum commiſſionis, & ſcandali: At ſi nemo adſit, erit unicum peccatum. Ratio S. Thomæ videtur velle plùs, quam 18. propoſitio Innocentii XI. Hæc enim reſtringitur ad interrogatum à poteſtate publica; Ratio autem videtur univerſalis ad omnem caſum, in quo ſequerentur mala prædicta. Igitur incideret in pœnas Bullæ ſolùm, qui doceret interrogatum à poteſtate publica, &c. quia contrarium eſt definitum judicio authoritativo Sedis Apoſtolicæ: non incideret, qui doceret id de interrogato non à poteſtate publica: etenim docetur judicio tantùm doctrinali S. Thomæ.

3. D. Dixiſti n. 1. fidem eſſe profitendam non modò verbis, verùm, & ſignis externis, quæro, quomodo poſſit id contingere?

M. Multipliciter poteſt contingere, per ritus, veſtes, abſtinentiam à cibis prohibitis &c. quare, ſi caſus accidat, multùm ſit cautus Confeſſor: Chriſtianus tranſit per hæreticos, minanturque mortem, niſi comedat carnes die Veneris. Interrogandus eſt pœnitens, nùm invitent ad carnes, quò dignoſcant, an ſit Catholicus; Tenetur abſtinere in hoc caſu, etiam cum evidenti periculo mortis, & comedens peccat graviter contra præceptum profitendi fidem tali ſigno. Si verò non fiat in ſignum dignoſcendi eum Catholicum, ſed ſolùm ex malitia hæreticorum, non peccabit, quia cum tanto incommodo Eccleſia non obligat ad abſtinentiam; ſi deſit incommodum, peccabit ſolùm contra præceptum Eccleſiæ: ſi deſit incommodum, ſitque ſignum &c. peccabit duplici peccato. Idem dic in ſimili caſu de ritu, veſte &c.; quæ omnia Confeſſor interrogabit pœnitentem, ſi deficiat; & in examine Romano ſunt apertè diſtinguenda, quia ibi maximè ſumitur experimentum de approbandis, circa praxim.

4. D. Datur nè præceptum Eccleſiaſticum per ſe obligans ad profeſſionem externam fidei?

M. Pro tota Chriſtianorum univerſitate nullum datur. Ex particularibus obligantur primò qui dicti ſunt cap. 1 à n. 23. ſecundò tenentur ſuſpecti in fide, quorum alii ſunt ſuſpecti de levi, & alii de vehementi Confeſſor ordinarius non tenetur ſcire hanc diſtinctionem, ſed, ubi contingat pœnitentem commiſiſſe delictum, quo reddatur in fide ſuſpectus, vel ex natura delicti, vel ex præcepto Eccleſiæ, hortetur, quantùm poteſt, tanquam bonum conſilium, ut ſponte compareat coram Sancto Tribunali; & interim ipſe pro abſolutione ſacramentali eliciat externam profeſſionem fidei, quomodocunque ſit ſuſpectus: tertiò ex Tridentino ſeſs. 24. c. 12. de ref. tenentur Beneficiati cum cura animarum, *ad minùs intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis:* quartò ex eodem capite proviſi de Canonicatu, aut dignitate in Cathedrali: quintò ex conſtitutione Pii IV. incip. *Injunctum nobis* Regulares, etiàm Militares, proviſi de Monaſterio, Conventu &c. ſextò ex alia *In Sacroſancta* qui debent legere ſcientiam, vel artem liberalem, aut præſidere in Collegiis, ubi leguntur, juxta tenorem Conſtitutionis omninò legendæ. In quibus caſibus formula profeſſionis eſt, quam dedimus in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 23. n. 8. Cæterum non eſt meum definire, quale ſit peccatum omittere hanc profeſſionem externam fidei, & an conſuetudo illam omittendi introducta in quibuſdam communitatibus excuſet à peccato, vel an lex illam emittendi ſit tãtùm pœnalis. Hæc ſcire non eſt omninò neceſſarium Confeſſori ordinario, cui ſcribo: qui tamen penitiùs introſpicere vellet hujuſmodi materiam, apprimè debet callere dicta p. 1. c. 38. de legibus, & conſulere Canoniſtas magis claſſicos, qui de hac ex profeſſo ſcripſerunt, habentes præ oculis ordinationes Romanorum Pontificum, declarationes Sacræ Congregationis Concilii, & Conſtitutiones Epiſcopales Idem dic, ubi ad Confeſſorem ordinarium accedit pœnitens, inquiſitur num talem, vel talem pœnam, incurrerit in conſcientia comminatam omittentibus profeſſionem. Quia enim ſuper hoc non tenetur ſta-

tim

tim reſpondere confeſſor, petat tempus, ut conſulat prædictos. Adverto ſolùm ex Conſtitutionibus citatis obligari magis Superiores (nàm emittenda eſt in manus eorum) etenim ſubditus non poteſt alitèr ad illam teneri, quare Superiores conſiderent ſuum ſtatum, ubi negligunt exequi tàm ſalutare præceptum.

5. D. Chriſtianus per accidens tenetur nè unquam ex præceptis Eccleſiæ ad hanc profeſſionem externam?

M. Ut dictum eſt n.1. hæc externa profeſſio fieri poteſt verbis, & ſignis: quę dicta ſunt c. præcedenti à nu. 24. oſtendunt recitatione ſymboli &c. pluries per accidens teneri Chriſtianos ad hanc externam profeſſionem; ex quibus præparans ſe ad confeſſiones facili negotio deducet alios caſus innumeros, in quibus per accidens tenetur; ſed, & deducet non pauciores caſus, in quibus tenetur per accidens factis exprimere hanc fidem, ut quoties tenetur in Miſſa, vel Officio Sacerdos munire ſe ſigno Crucis; quando tenetur genuflectere coràm Sanctiſſimo &c. quæ ſunt facta de ſe proteſtativa fidei, licèt non ſemper præcipiantur in proteſtationem fidei: etenim ſi hoc modo præciperentur, vel communiter acciperentur, illa omittere ſemper eſſet peccatum mortale, nec daretur parvitas materiæ.

CAPUT III.

De Donis Intellectus, & Scientiæ, correſpondentibus virtuti Fidei.

1. QUi benè perpenderit dicta in præcedentibus de actu interno, & externo Fidei, videbit ea multùm prodeſſe, ut per rationis Inquiſitionem præparans ſe ad confeſſionem, poſſit elicere ambas præmiſſas ſyllogiſmi operativi, & univerſalem, & particularem: V. g. debet pœnitens ita ſyllogizare: *Quandocunque inſtat obligatio eliciendi actum Fidei, eſt eliciendus; At hic, & nunc inſtat obligatio, ergo hic, & nunc eſt eliciendus.* Et dicta duplici capite præcedenti illuminant pro utràque, ſed principaliter pro ſecunda particulari. Quia verò ex dictis p.1.c.38. n.5. ſpeculativa ſimùl, & practica ſunt dona Sancti Spiritus, æquè principaliter conferent ad utramque præmiſſam.

2. Explica mihi, in quo conſiſtat donum Intellectus?

M. Antequam eliciam hunc actum fidei, *Credo Trinitatem, quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc mihi proponitur*, debeo percipere terminos hujus actus, nempè, quid ſignificetur nomine Trinitatis, quid nomine Eccleſiæ Catholicæ, uti antequam judicem *Hæc domus eſt aliquod totum reſpectu manſionum*, debeo intelligere, quid ſit totum, quid ſit pars; & id intelligo per Intellectum, qui eſt habitus primorum principiorum naturalium; Antequam credam Petro dicenti ſe vidiſſe Conſtantinopolim, debeo percipere, quid ſit Conſtantinopolis, quid ſit videre; an accipiatur, ut videre dicitur etiam de intellectu, vel de oculo ſolùm corporeo. Igitur illos terminos *Trinitas, Eccleſia Catholica* &c. percipio per donum Intellectus, qua eſt ſpeculativus; & per donum Intellectus, qua eſt practicus, correſpondens Synderesi, percipio, ac cognoſco dari legem, ſeu præceptum eliciendi prædictum actum. Præparans ſe ad confeſſiones non intelliget primo ictu vim hanc donorum, quia de illis neque Scholaſtici, neque Morales tractant; nihilominùs relegat ſæpiùs, quæ dicta ſunt: nam explicata ſunt omni claritate, ac brevitate poſſibili, & quæ non percipit hic, legat profundiùs in S. Thoma q.8.

3. D. Dixiſti Donum Intellectus præcedere actum fidei: hoc autem videtur expreſsè contra S. Thomam, qui ponit dona ſolùm in habentibus gratiam: tu autem ponis donum Intellectus, etiam in peccatore fideli; imò, & in eo infideli, qui nondùm habet actum fidei, ſed diſponitur ad ipſum?

M. Habitus donorum certè ſunt ſolum in habente gratiam; ſed actus imperfecti, velut in linea donorum, reperiuntur etiam in peccatore fideli, & in diſponente ſe ad fidem: Hic enim debet percipere terminos, quos ponit in ſuo actu fidei: Vide dicta p.1.c.33.n.3. S. Thomas q.8.a.5. ad 1. expreſsè agnoſcit hunc actum imperfectum in linea doni, ut diſpoſitionem ad actum fidei.

4. D. Extat nè præceptum affirmativum habendi aliquandò hos actus doni Intellectus?

M. Extat; pro quo videatur S. Thomas q. 16. a.2. ſollicitus oſtendere, quòd fuerit hoc præceptum in lege veteri, concludenſque: *Hæc abundantius in novo te-*

ſta-

ſtamento, tàm in doctrina Evangelica, quàm Apoſtolica, *mandata leguntur*. Quatuor ſunt actus doni Intellectus: primò accipere terminos credendos, ut, cùm opus fuerit, circà illos eliciamus actum fidei: ſecundò ita accipere, ut de illis inſtruamus alios (circà hunc Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 14. de ref. vult comprobari per Epiſcopi examen idoneos quoſcunque ordinandos in Sacerdotium) tertiò ut ea meditemur per ſtudium: quartò, ut ea conſervemus memoriter: Primus actus præcipitur Matth. 17. illis verbis: *ipſum audite*: ſecundus illis Marc. 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*: tertius illis Luc. 21. *Attendite, ne fortè graventur corda veſtra* &c. quartus illis Jo. 15. *Mementote ſermonis mei*.

5. D. Hoc præceptum habendi actus doni Intellectus, obligat nè per ſe, an per accidens?

M. Obligat per accidens, ratione actus fidei, quem per ſe tenemur elicere, nec poſſumus, niſi percipiamus terminos, ſeù objectum, circà quod eliciendus eſt actus fidei.

6. D. Quid eſt donum Scientiæ?

M. Ad actum fidei Theologicæ eliciendum, non ſufficit percipere terminos, v.g. quid ſit Chriſtus, & quid ſit eſſe crucifixum: etenim ſi audio proferentem, quòd ſol in meridie non luceat, utique percipio terminos propoſitionis, nec tamen aſsentior, imò illum derideo, quia ſcio eſse incompoſſibiles prædictos terminos; ſi quis mihi aſserat ſe fuiſse Conſtantinopoli, percipio ſtatìm terminos, at non ſtatim credo, niſi conſtet mihi, quòd ille ſit veridicus, vel alia adducat argumenta, quæ id reddant credibile. Sic igitur, ubi à Concionatore percepi, quid ſit Chriſtus, & quid ſit fuiſse crucifixum, niſi conſtet mihi, quòd ſit verax Deus loquens per Concionatorem tanquam per inſtrumentum, vel niſi adducat motiva credibilitatis poſita c. 1. n. 13. non judicabo: & ſi quidem ſcio reducens in veracitatem Dei, eſt donum Sapientiæ de quà c. 13. ſi propter ſigna credibilitatis, eſt donum Scientiæ: actus quorum donorum ſequitur actus fidei credens, *quia Deus revelavit* &c. Porrò quæ dicta ſunt de dono Intellectus, pariter applicanda ſunt dono Scientiæ. Imò quartus actus Intellectui tributus, magis propriè convenit ſcientiæ. Objecta autem materialia, de quibus debet eſse donum Scientiæ numerata ſunt c. 1. à n. 16.

7. D. Quæ Beatitudines, & qui Fructus correſpondent duobus hiſce donis?

M. Ex S. Thoma q. 8. a. 7. dono Intellectus correſpondet ſexta Beatitudo: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Dono autem Scientiæ, ut q. 9. a 4. correſpondet tertia: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Ex fructibus fides correſpondet utrique dono: ſed ſciendum in fructibus venire non actum, ſed quandam certitudinem, unde Chriſtianus vitalium donorum eſt certus vera eſſe, quæ credit per actum fidei, & ad quæ credenda dirigitur dono Intellectus, & Scientiæ.

CAPUT IV.

De peccatis commiſſionis per ſe oppoſitis Virtuti Fidei.

1. Ut efformetur hic, & nunc rectum dictamen, ſeù recta conſcientia de fide, præparans ſe ad Confeſſiones debet per rationis inquiſitionem ſcire etiam actus oppoſitos fidei: nam oppoſita juxtà ſe poſita magis eluceſcunt. Porrò alii actus opponuntur fidei privativè, alii contrariè: opponuntur privativè peccata omiſſionis, quando omittimus ponere actus fidei, quos hic, & nunc præcepto affirmativo tenemur elicere. Opponuntur contrariè peccata commiſſionis, quando operamur contrà præceptum negativum fidei obligans nos ſemper, & ad ſemper. Quæ in præcedentibus dicta ſunt, abundè ſufficiunt, ut efformemus rectam conſcientiam, quòad fugienda peccata omiſſionis contra Fidem; quare nihil ampliùs de his reſtat dicendum. Ut recta efformetur circà peccata commiſſionis oppoſita contrariè fidei, diſtinguenda ſunt peccata per ſe oppoſita, ſeù ratione ſui, & peccata per accidens, ſeù, ratione periculi, quod immineret fidei, & de his agetur capite ſequenti.

2. D. Quot ſunt ſpecie peccata contrariè, & per ſe oppoſita fidei?

M. Primum ſpecie peccatum eſt Paganiſmus, quo nolumus credere myſteriis revelatis, neque in ſua veritate manifeſtata nobis per teſtamentum novum, neque

in

in ſua figura nobis propoſita in teſtamento veteri: Secundum eſt Hæbraiſmus, quo recipimus figuras teſtamenti veteris, ſed nolumus credere veritati revelatæ per Jeſum Chriſtum, & per Spiritum Sanctum Eccleſiæ: Tertium eſt Hæreſis, qua credimus aliquas ex prædictis veritatibus, ſed non omnes. Hæ tres peccatorum ſpecies opponuntur actui interno fidei. Quartum eſt blaſphemia hæreticalis oppoſita actui externo, tamen cum S. Thoma agemus de blaſphemia in generali. Quintum eſt Hebetudo ſenſuum, & ſextum cæcitas mentis: hæc duo opponuntur dono Intellectus. Septimum eſt Ignorantia rerum fidei, oppoſita dono Scientiæ, de qua nihil dicendum reſtat, quia ſufficienter de illa dictum eſt p. 1. cap. 35.

3. D. Scio peccata oppoſita actui interno vocari omnia nomine generico, Infidelitatem; & ſuper illis videbo S. Thomam q. 10. ſed quia hæreſis eſt peccatum, ſuper quo Examinatores Romani ferè ſemper experimentum ſumunt ab approbandis, ideò ſuper illa peto ſpecialiùs inſtrui?

M. Hæreſis eſt error in intellectu Chriſtiani cum pertinacia in voluntate, circà aliquem articulum fidei, & erit Hæbraiſmus, ſi ſit contrà omnem articulum teſtamenti novi; Paganiſmus, ſi contra omnem omninò Sacram Scripturam. Eſt error; quare non ſufficit ignorantia: vide dicta p. 1. c. 35. num. 1. Eſt error cum pertinacia; Hæc autem extat, quando ſciens homo Chriſtianus Eccleſiam aliquid definiviſſe, vult tenere contrarium: Ambo ad hæreſim requiruntur: unum ſine alio non ſufficit. Ruſticus credens Chriſtum non eſſe totum ſub utraque ſpecie, ſed ignorans, quòd id Eccleſia definierit, eſt hæreticus materialiter, & etiam ſine peccato. At ſi ſciat Eccleſiæ definitionem, & per unicum inſtans id credat, eſt hæreticus formaliter.

4. D. Petrus non abſolutè diſcredit Chriſtum eſſe totum ſub utraque ſpecie, ſed dubitat, ſciens tamen Eccleſiam definiviſſe contrarium, quod peccatum committit?

M. Si Petrus voluntariè dubitat, etiam per unicum inſtans, eſt hæreticus formaliter, & communiter dicitur: *Dubius in fide eſt infidelis*: nam habet errorem cum pertinacia: Error enim eſt omnis conceptus, quem de re habemus contra id, quod debemus habere.

5. D. Petrus credidit aliquid contra fidem, ſed aſſerit ſe non fuiſſe pertinacem, quia ignorabat definitionem Eccleſiæ?

M. Dictum eſt p. 1. c. 35 num. 8. quomodo Confeſſor procedere debeat cum pœnitente, qui allegat ignorantiam invincibilem de myſteriis Fidei; eodem modo procedendum eſt cum allegante ignorantiam definitionis Eccleſiæ. Et pro hæreſi eſt Regula S. Th. tùm 1. p. qu. 32. art. 4. tum hic q. 11. a. 2. ad 3. deſumpta ex principiis univerſalibus de ignorantia legis naturæ traditis p. 1. c. 35. num. 10. ſi enim diſcredo articulum obvium, & facilè cognoſcibilem, hoc ipſo, quòd illum diſcredo, eſt cum pertinacia; etenim non ignoro invincibiliter Eccleſiam definiviſſe talem articulum, qui mihi propoſitus fuit per Miniſtros Eccleſiæ: ſi autem non ſit obvius, nec expreſsè definitus, tunc ante definitionem expreſſam non erit hæreticus formaliter, qui contrarium ſenſerit. Hac methodo quotidiè procedit Eccleſia. Quoſdam articulos proponit ut Catholicos, non tamen declarat hæreticos, qui contrarium ſenſerunt ante ſuam definitionem. Ut ergo rectum judicium Confeſſor efformet, ſemper in particulari conſideret ſingula, Interroget pœnitentem, ubi non explicat; præ omnibus autem in facti contingentia meminerit conſulere Miniſtros Sancti Tribunalis, apud quos viderit plura definita judicio authoritativo, quæ ipſe, nec ex ſe, nec ex libris poterit determinare judicio doctrinali.

6. D. Eſt nè unicum ſpecie peccatum hæreſis an multiplex, ita ut pœnitens teneatur aperire in confeſſione, cui adhæſerit?

M. Eſt ſpecie multiplex: etenim peccata diverſificantur ſpecie per diverſitatem objecti, cui adhæreo, & ita ſanctum Tribunal in praxi exigit, ut explicentur variæ hæreſes. Huic praxi Eccleſiæ ſuæ Matris, ac Magiſtræ te conformabis; Diſtinguuntur autem ſpecie, quando ſunt contrà ſpecialem articulum. Ut autem cognoſcas, quando veniant ſub ſpeciali articulo, vide S. Thomam q. 1. a. 6. & 8.

7. D. Apoſtaſia eſt nè ſpecies infidelitatis diſtincta à reliquis?

M. De hac in generali agit S. Thomas q. 12. diſtinguens tres Apoſtaſiæ ſpecies: primò eſt, cum initiatus Ordine ſacro, relinquit habitum ſuum animo non amplius.

pliùs vivendi vitam Eccleſiaſticam ſibi debitam: ſecunda, cum relinquit eodem animo habitum regularem: tertia, cum profeſſus fidem Catholicam, ab ea diefcſcit; & videndum eſt, an amplectatur Hęreſim, an Hæbraiſmum, an Paganiſmum: quòd quis primò profeſſus fuerit fidem Catholicam ex S. Thoma q.12.a.1. ad 3. non diverſificat ſpeciem; eſt circumſtancia tantùm aggravans; quare aperienda in confeſſione, quia variat judicium Confeſſarii; & aperiendum, ſi pluries apoſtatavit, & pluries rediit in gremium Sanctæ Materis Eccleſiæ.

8. D. Explica mihi quartum peccatum, quod dicitur blaſphemia, & opponitur actui externo fidei, prohibeturque ſecundo Decalogi præcepto?

M. Blaſphemia oppoſita actui externo fidei eſt hæreticalis; nihilominus S. Thomas q.13. & 14. agit de omni blaſphemia, cum quo dicendum blaſphemiam eſſe convicium in Deum, vel Sanctos, & ſi ſolùm corde concipiatur, erit blaſphemia cordis; ſi ore proferatur, erit blaſphemia oris; ſi facto quis convicietur Deum, vel Sanctos, erit blaſphemia operis. Sive ſit in Deum, ſive in Sanctos eſt ejuſdem ſpeciei. S. Thomas qu.13. art.1. ad 2. Diſtinguitur tamen ſimplex ab hæreticali, & ſimplex opponitur virtuti Religionis. Hæreticalis addit ſuprà ſimplicem, quòd affirmet aliquid contra articulos fidei: quare dicens: *Deus eſt maledictus*, profert blaſphemiam hæreticalem; dicens verò *Deus ſit maledictus* profert blaſphemiam ſimplicem, quia non affirmat, ſed tantùm optat.

9. D. Videtur nulla intercedere differentia inter blaſphemiam hæreticalem, & hæreſim?

M. Intercedit maxima: quod ſic oſtendo: poſſum injuriari Petrum, vocando furem, ſed non credendo, quòd ſit fur; & poſſum vocare furem, credendo ſimul, quòd ſit fur: hæc ſecunda eſt multò major injuria quàm prima, quando præſertim eſt innocentiſſimus. Applicando hæc Deo, ſi dico *Deus eſt injuſtus*, non credendo, hæreticaliter blaſphemo: ſi credo, quòd ſit injuſtus, ſum hæreticus: quare ad dignoſcendam ſpeciem peccati, cùm pœnitens ſe accuſat, de hujuſmodi blaſphemiis, interrogandus eſt ſtatim, an crediderit etiam pro uno inſtanti: nam tunc eſt hæreticus: hæreſis enim, ut alia peccata, committi poteſt in uno inſtanti, dummodò adſit pertinacia, quòd, nempè, ſciam Eccleſiam definiviſſe contrarium.

10. D. Ut blaſphemia ſit peccatum mortale, requiritur ne animus conviciandi Deum?

M. Ex S. Thoma q.13. a.1. ad 1. ſicut, ad peccandum mortaliter peccato furti, non requiritur animus formalis diſplicendi Deo, aut proximo, ſed ſufficit advertere, quòd res accipienda ſit alteriùs; ita ad mortale peccatum blaſphemiæ ſufficit advertere, quòd ſignificatum verborum ſit Dei convicium, & qui haberet illum animum committeret duo peccata; alterum odii contrà charitatem in Deum, alterum blaſphemiæ contra religionem, vel contra fidem, ſi ſit hæreticalis.

11. D. Dixiſti nu.8. dari blaſphemiam cordis, oris, & operis; ego ſolùm concipio blaſphemiam oris?

M. Antequam ore proferas, v. gr. *Deus ſit maledictus*, habes hunc conceptum in corde: ſi ergo non proferas exteriùs, erit blaſphemia cordis: Blaſphemia operis eſſet, quando quis ex dictis c.2. n.3. obligatus facto profiteri fidem Chriſtianam, v.g. non comedendo carnes in die Veneris, comederet, & id cederet in injuriam Dei.

12. D. Quæ ſunt opera de ſe injurioſa Deo, ut propterea dici poſſint blaſphemię?

M. Omne peccatum eſt injurioſum Deo, ſed tamen aliqua ſunt de ſe ſpecialiùs injurioſa; & ſunt ſex, vocanturque blaſphemiæ in Spiritum Sanctum: prima eſt *Deſperatio* oppoſita Virtuti Spei: ſecunda *Præſumptio* eidem Spei oppoſita: tertia *Impęnitentia*, ſeù propoſitum formale non pœnitendi, oppoſita virtuti Pœnitentiæ: quarta eſt *Obſtinatio*: differunt Impœnitentia, & Obſtinatio, quòd illa firmat ſe in peccato, eſtò videat, & conſideret damna peccati, præſertim infernum: iſta firmat ſe in peccato, conſiderans delectationem ex peccato. Obſtinatio non eſt ſpecies peccati, ſed circumſtantia notabiliter aggràvans quamcumque ſpeciem peccati. S. Thomas q.88. a. 6. in fin. (propterea ex d.p.1. c.34. n.20. explicanda in confeſſione) quinta eſt *Impugnatio Veritatis agnitæ*: non eſt determinata ſpecies peccati, ſed eſt diverſa, juxtà diverſas formaliter veritates, quas impugnat: Sexta eſt *Invidentia fraternæ gratiæ*, quà quis, ait S. Thomas qu.14. art.2. *invidet gratiæ*

Dei

Digitized by Google

Dei creſcenti in mundo; Crediderim autem nomine invidentiæ hic venire quamlibet triſtitiam de gratiâ Dei, ſive ſit odium, ſive ſit Invidia; & juxtà diverſitates gratiarum, erit diverſum etiam ſpecie hoc peccatum v. g. ſi triſter, quòd aliquis ſit juſtus per gratiam ſanctificantem, eſt peccatum ſpecie diverſum ab eo, quòd triſter, quia habet gratiam gratis datam miraculorum. Hæc ſanè peccata ſunt rariſſima, ſed ſi contingant, Confeſſor debet inquirere ſpeciem omnem ſpecialiſſimam: quomodò autem de ſe ſint ſpecialiùs injurioſa Deo, explicat S. Thomas q. 14. Vide ipſum; qui art. 2. ad 4 ſchiſma reducit ad Invidentiam; & omnes hæ blaſphemiæ ſunt contrà dona Spiritus Sancti.

13. D. Explicà mihi ultima duo peccata fidei oppoſita, cùm de ignorantiâ jam multa dixeris?

M. Hebetudo ſenſus, & Cæcitas mentis opponuntur fidei, quatenùs opponuntur dono Intellectus, cujus aliquis actus præexigitur ad eliciendos actus fidei. De duobus hiſce peccatis agit S. Thomas q. 15. dictum eſt c. 3. n. 2. donum Intellectus in eo conſiſtere, ut percipiantur termini propoſitionis, quæ creditur: Vide ibi dicta: In corporalibus dicitur cæcus, qui nihil omninò videt: hebes autem viſu, qui non diſtinguit objecta, quantum debet diſtinguere. Transferendo hæc ad ſpiritualia, dicitur cæcus mente, qui nullatenùs percipit terminos, quos debet percipere in judicio formando per donum Intellectus: Hebes autem ſenſu, qui non ita illos diſtinguit, ut debet diſtinguere: Donum Intellectus eſt ſimùl ſpeculativum, & practicum: Ut ſpeculativum debet percipere terminos hujus actus v. g. *Chriſtus eſt crucifixus*: Ut practicum, debet percipere terminos hujus v. g. *Ad promerendam vitam æternam requiritur mortificatio carnis*. Quòad primum igitur, ſi nullatenùs percipiat, ly *Chriſtus* importare duas naturas, divinam, & humanam &c. erit cæcus mente: ſi percipiat, non tamen diſtinguat uti debet, erit hebes ſenſu. Confeſſarii experiuntur hujuſmodi morbis laborare plurimos, quorum alii ad Confeſſionale approximant, uti narrantes hiſtoricè ſua peccata, non perfectè percipientes, vel non videntes, quid interſit inter confeſſionem, & ſimplicem narrationem: alii communicant non diſtinguentes inter panem de cœlo, & panem communem: quoad diſpoſitionem accipiendi. Videntur alii ad divina, velut ſomnolenti, ac lethargici. Confeſſor hos omnes reprehendat acritèr, non tamen damnet peccati diſtincti, & ſpecialis, niſi ſciat ipſos advertiſſe primò, quòd facilè inciderent in hujuſmodi hebetudinem, aut cæcitatem, & cum hàc advertentiâ neglexerint remedia, nè incurrerent. In iſtis caſibus, & hebetudo, & cæcitas eſſent peccata diſtincta in confeſſione ſpecialitèr explicanda, quoad ſpeciem, & numerum, vel ſaltèm quoad tempus, quo permanſerunt in iſtà hebetudine, aut cæcitate de iis, quę debebant, & poterant percipere juxtà proprium ſtatum, & de credendis, & de operandis, ut cognito tempore, Confeſſor poſſit habere numerum *circumcirca* peccatorum: quia enim ex dictis c. 3. n. 4. dona nos obligant ratione actuum fidei, vel operationum ad Chriſtianos pertinentium, peccata hebetudinis, & cæcitatis multiplicabuntur numero, ſecundum quod, ratione illorum omittuntur illi actus præcepti.

14. D. Hebetudo ſenſus, & cæcitas mentis non videntur peccata inhumana, quando ſunt de articulis fidei, ut opponantur dono Intellectus?

M. Sunt peccata inhumana, ſicut de Ignorantiâ explicatum eſt part. 1. cap. 35. num. 19.

CAPUT V.

De peccatis per accidens oppoſitis Virtuti Fidei.

1. UOco peccata per accidens oppoſita fidei actiones illas, quas Eccleſia prohibet ratione periculi circà fidem. Peccaret utique contrà fidem, qui exercens actionem aliquam, etiam de ſe indifferentem, cognoſceret ex eâ ſe conſtitui in periculo proximo amittendi fidem, vel peccandi aliquo alio peccato ex enumeratis capite præcedenti; peccatque eâdem ſpecie peccati, cujus periculo ſe exponit, eſtò non committeret hoc peccatum quia id eſt omninò per accidens; nihilominùs de iſtis actionibus in preſenti non loquor. Prohibitæ ſunt ex naturâ rei, & ex intrinſecis virtutis fidei. Adverto ſolum, quòd non poteſt dari regula generalis ad dignoſcendum, quæ actiones impor-

Digitized by Google

tent hoc periculum proximum, ſed Confeſſor debet conſiderare ex circumſtantiis ſtatum perſonæ, ut ſi ſit idiota, puer, fœmina, parùm firmus in fide &c. hujuſmodi enim eſſe poteſt proximè periculoſa v.g. lectio alicujus libri, quæ talis non erit docto. Confeſſor ſi conjiciat hujuſmodi periculum, debet pœnitenti omninò prohibere talem lectionem, eſtò librum Eccleſia permittat univerſitati Chriſtianorum.

2. Aliæ ſunt actiones, non importantes quidem de ſui naturà periculum proximum, ſed quia ſunt multùm periculoſæ, præſertim reſpectu multitudinis, ideò illas Eccleſia abſolutè prohibuit cuilibet fideli, determinando etiam aliquandò per ſuum præceptum, quòd operans illas habeatur ut ſuſpectus de fide. Loquor in præſenti de hujuſmodi actionibus, quæ ante prohibitionem Eccleſiæ vel erant permiſſæ, ut eſt lectio nonnullorum librorum, vel non erant prohibitæ, ut contrà fidem, v.g. ſollicitatio Confeſſoris in Confeſſione ad turpia. Lectio libri antè prohibitionem Eccleſiæ, licèt permiſſa cuicunque ex illà non incurrat periculum Fidei: poſt prohibitionem, ſi declaretur doctrina eſſe contrà fidem (non tantùm contrà bonos mores) eſſet peccatum cuicunque legenti ſine licentia, oppoſitum virtuti fidei, ad quam pertinet ex determinatione illa Eccleſiæ: Sollicitatio autem ante Bullas Pontificias, erat peccatum, & ſanè graviſſimum; ſed per illas Bullas reductum eſt ad peccatum contrà virtutem fidei.

2. Porrò hìc non enumero ſingulas hujuſmodi actiones, quia principaliores continentur in Edicto Sanctæ Inquiſitionis, quod dandum cap. 6. Confeſſarii omnes debent frequenter legere, notando ſingulos apices, & conſiderando verba ſemper in proprio ſenſu, nè ex una parte deficiant ſuo muneri, in quo graviſſimæ pœnæ rei erunt apud Sanctum Tribunal: ex alia nè gravent pœnitentes, obligando illos adire Sanctum Tribunal, ubi verè non extaret hæc obligatio. Satius autem erit abundare, in mittendo illos: etenim Tribunalis Miniſtri optimè conſcii ſuarum facultatum, antequam in particulari, & judicialiter accipiant in ſcriptis delictum, interrogant minutè denunciantem, & dimittunt, ſi comperiant delictum noneſſe ſuæ juriſdictionis. In dubio autem nihil agat Confeſſor ſine conſilio Tribunalis.

4. D. Quare Sancta Mater Eccleſia prohibuit tot actiones contra fidem, quandoquidem pauciſſimas prohibet contrà aliàs virtutes?

M. Quia Sancta Mater Eccleſia gerit ſe more Sapientis Architecti, & Medici. Architectus principaliter inſiſtit, ne fundamentum patiatur: Medicus principaliter curat morbos, qui ſunt circa cor. Ambo invigilant contrà omne periculum, etiam non proximum, quod immineat, quia fundamento nutante, & corde infecto, ſequitur ruina, & mors. Fides eſt fundamentum ædificii, & cor vitæ ſpiritualis. Eodem, quo mater Eccleſia ſpiritu, procedet Confeſſor, avertens à ſuis pœnitentibus omne periculum circa doctrinam fidei.

5. D. Opera in edicto Sanctæ Inquiſitionis contenta videntur ſpectare ad præceptum negativum Eccleſiæ, quo illas prohibuit, & per ſuam determinationem poſuit ſub numero peccatorum Fidei aliqualiter oppoſitorum, libenter ſcirem, an adſit præceptum affirmativum, quo poſuerit aliquam actionem ſub virtute Fidei, adeò ut ejus omiſſio aliqualiter ſit contra Fidem?

M. Extat aliqua hujuſmodi actio: nam præcepto affirmativo Eccleſiæ obligamur denunciare, quos cognoſcimus reos contrà tale edictum. Porrò contrà hujuſmodi obligationem, ſequentia ſunt notanda. Primò: non omnia peccata in edicto contenta ſunt reſervata: v.g. ſuperſtitio, blaſphemia hæreticalis, ſollicitatio Confeſſoris ibi continentur, nec tamen ſunt reſervata, ſed quilibet illa poteſt abſolvere, niſi ſpecialiter Epiſcopus reſervet; cum hoc tamen, quòd reus ſic ſacramentaliter abſolutus à ſuo peccato, judicialiter damnabitur ad triremes, vel alias pœnas contrà ipſos inflictas; ſecundò: ubi pœnitens ſe accuſat de criminibus in Edicto contentis, (& aliàs non reſervatis) Confeſſor ſuavibus, ac efficacibus verbis, oſtendat, pro evadendis pœnis, nullum aliud remedium extare, quàm immediatè ſpontaneum comparere coram Tribunali. Summa enim miſericordia ſuſcipit ſpontaneè comparentes, dummodò non ſint diminuti, ſed omnia

ultrò fateantur contrà Edictum commiſſa, priuſquàm juridicè denuncientur. Imò ubi reus integrè comparvit ſpontaneè, etiamſi ſubſequenter mille teſtes deponerent contrà illum de crimine ſpontè confeſſo, & correcto per pœnitentias ſalutares orationum &c. Tribunal non ultrà procedit. Saxeus profectò erit pœnitens, qui hæc audiens renuat comparere ſpontaneus: tertiò: reus ipſe non tenetur ſub mortali ad denunciandum ſe ipſum: quartò: ex duobus complicibus alter ſub mortali tenetur denunciare alterum, etſi eſſent ſtrictiſſimi conſanguinei. Ne quid verò complex denuncians patiatur ex ſubſecutura confeſſione complicis, Confeſſor hortetur, ut primò ſpontè compareat pro ſuo delicto, & ſecundò denunciet complicem: quintò: in delictis ſpectantibus ad Sanctum Officium, non eſt præmittenda correctio fraterna: tum quià hæc præcedere debet, *ſi peccaverit in te* perſonam privatam frater tuus, non in Eccleſiam: tùm quià ſuſpectus de fide eſt ſuſpectus, quòd nolit ſe ſubjicere judicio totius Eccleſiæ, quomodo igitur ſperare poteris, quòd ſe corriget ob tuum privatum judicium? & aliàs, ubi admonentur, eſt grande periculum, ne fugiendo, ſe ſubtrahant à pœnis promeritis, transferanturque ad inficiendas alias provincias: ſextò: denunciandi ſunt Confeſſores de inquentes contrà Bullam *de ſollicitatione*, quamvis unicum proferant inhoneſtum verbum, quod protulerint, ſollicitati promiſſis, & minis à pœnitente. Quia ſolùm Bulla eſt contrà Confeſſorem, neque tenetur iſte confiteri ſpontaneè ſuum crimen; ſi ex ſimplicitate referat, non attenditur. Si Pœnitens petat à Confeſſore, quomodo debeat ſe gerere in tali caſu: reſpondeat Confeſſor, ut ſincerè dicat à priſtino Confeſſore dicta ſibi eſſe talia, vel talia verba, quæ verè dixit, & in reliquis expectet interrogationes Inquiſitoris, cui nunquam mentiatur: ſeptimò: qui agnoſcens reum contrà hoc edictum, & ſciens edictum, non ſatisfecerit infrà trigintà dies, præcepto in virtute ſanctæ obedientiæ per illud lato, poſt dictum terminum, incidit in excommunicationem majorem reſervatam ipſi Sancto Tribunali.

6. D. Poteſt ne alitèr, quàm modis in Edicto contentis periclitari fundamentum Chriſtiani ædificii, nempè fides?

M. Per ſe poteſt etiam aliqualitèr periclitari ex modo loquendi. Ut ait S. Hieronymus adductus à S. Thoma 3. part. quæſt. 16. art. 8. *Ex verbis incautè prolatis incurritur hæreſis*. Propterea conſuevit aliquandò Eccleſia prohibere nonnullas etiam locutiones, quæ poſſunt ſumi in malam partem. Hoc modo ibidem S. Thomas aſſerit fuiſſe prohibitam hanc theſim *Chriſtus eſt creatura*. Plurimæ hodie turbæ vexant Eccleſiam ob nonnullos, qui volunt uti modo loquendi antiquo, ſed à pluribus ſæculis jàm obſoleto. Id nullatenùs pœnitenti permittat Confeſſor; exemplum Hieronymi proponat, qui nunquam uſurpare voluit nomen *hypoſtaſis*, quouſque ab Apoſtolicà Sede certioratus non fuit de licito illius uſu. Meminerit filios ita revereri matrem carnalem, ut nullum addiſcant idioma, nec addiſcant verba, quæ reprobet mater. Pari pietate colenda eſt Mater, & Magiſtra Spiritualis Eccleſia.

D. 7. Peccata fidei oppoſita, & enumerata tùm in hoc capitè, tùm in præcedenti, admittunt nè parvitatem materiæ, ratione cujus reddantur venialia?

M. Peccata fidei oppoſita de naturà ſuà ſunt mortalia, ob rationem dictam p. 1. c. 34. num. 6. Etiam c. 36. ſtabilita ſunt principia, ex quibus deduci poteſt in genere, quando unum peccatum ex genere ſuo mortale reddi poſſit veniale. Confeſſor applicabit illa principia univerſalia huic peccato particulari oppoſito fidei; nihilominùs, quia non omnis, qui poteſt eſſe Confeſſor ordinarius, poteſt ex principiis univerſalibus pro ſuà capacitate, deducere omnes concluſiones particulares in illis contentas, ideò neceſſarium eſt ſubvenire cuilibet; & quia Confeſſor ordinarius poteſt communitèr interrogari, an ex parvitate materiæ peccata fidei oppoſita reddi poſſint venialia, ideò applicando prædicta principia, dico, quod peccatum omiſſionis in omittendo actum fidei, quando præcipitur, vel in omittendo denunciationem faciendam Sancto Tribunali, quando inſtat præceptum, non admittit parvitatem materiæ (quidquid ſit, an ex alio capite poſſint eſſe venialia) Peccatum commiſſionis oppoſitum fidei, eò quia facit irreverentiam Deo, non admittit parvi-

parvitatem materiæ, quia hæc ex S. Thoma 2. 2. q 98. a. 3. ad 2. *non evitat divinam irreverentiam, ſed quantum ad aliquid magis auget*, quia major videtur irreverentia negare fidem v. g. ex libito, ſine ullà neceſſitate, quàm negare fidem ad evitandam mortem. Crediderim dari parvitatem materiæ in iis peccatis, quæ ſunt contrà fidem ratione periculi: v. g prohibuit Eccleſia librum aliquem, vel communicationem cum hæreticis ob periculum, ne ſubvertatur Catholicus, in tali caſu, ſi legendo unam vel alteram lineam, dicendo unum, vel alterum verbum, deſit grave periculum, poterit excuſari ex parvitate materiæ.

CAPUT VI.

Edictum Sanctæ Inquiſitionis circà obligationem denunciandi delicta ſpectantia ad ipſum Tribunal.

1. POſtquam in genere dictum eſt de delictis ex Eccleſiæ ſtatuto annexis Fidei, ad evitandum ipſius fidei periculum, memini ex Rituali p. 1. cap. 7. n. 8. Confeſſorem ordinarium obligari, ut ſciat Eccleſiæ conſtitutiones, inter quas locum principalem habent Conſtitutiones Eccleſiæ Romanæ obligantes ſub pœnà excommunicationis. Hujuſmodi eſt edictum Sanctæ Inquiſitionis continens varia delicta, quæ tenemur denunciare. Quod propterea hic exhibeo, ut ſæpè legatur.

Nos . . . . divinà miſericordià S. R. E. Cardinales in totà Republicà Chriſtianà contrà hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores ab Apoſtolicà Sede ſpecialitèr deputati.

2. *CUm longa experientia nobis conſtet, multos ex malitia, alios ex inobedientia: & alios ex ignorantia, non ſatisfacere obligationi, quam habent, denunciandi Sanctæ Inquiſitioni delicta ad ipſam ſpectantia; ideòque contingere graviſſima inconvenientia, & errores, non ſolum contra bonos, & Chriſtianos mores, verùm etiam contra Fidem Catholicam, Nos, quibus præcipuè debet cordi eſſe Dei gloria, conſervatio, & augmentum Fidei Catholicæ, & ſalutis Animarum, volentes providere tantis incommodis, Apoſtolica authoritate Nobis commiſſa, præcimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, præter alias pœnas præſcriptas per Sacros Canones, decreta, Conſtitutiones, & Bullas Pontificum, tenore præſentis Edicti, omnibus, & ſingulis, cujuſque ſtatus, gradus, conditionis, & dignitatis, Eccleſiaſticæ, & Secularis, ut infra menſem, cujus decem dies ſint pro primo, decem pro ſecundo, & decem pro tertio termino peremptorio, ut denuncient; & juridicè notificent Sanctæ Inquiſitioni, aut locorum Ordinariis, omnes, & ſingulos, quos ſciant, habuerint, vel habebunt notitiam.*

3. *Quòd ſint Hæretici, aut ſuſpecti, vel difamati de hæreſi, aut illorum credentes, fautores, receptatores, aut defenſores; Adhæſerint, vel adhæreant Ritibus Judæorum, Mahumettanorum, aut Gentilium, aut Apoſtataverint à Fide Chriſtiana.*

4. *Quòd fecerint, vel faciant actus, ex quibus argui poſſit pactum expreſſum, vel tacitum cum Dæmone, exercendo incantationes, magias, ſortilegia, offerentes ſuffitum, incenſum, ad inveniendum theſauros & alia, petendo reſponſa illorum, invocando, & promittendo obedientiam, conſecrando pentacula, libros, enſes, ſpecula, & alia, in quibus interveniat nomen, & opera ipſius.*

5. *Quod ſe ingeſſerint, aut ingerant in experimentis Nicromanticis, aut Magicis cujuſcumque generis, ingrediendo circulos, faciendo experimentum Amphoræ aut Cribri, ad inveniendos theſauros, res occultas, furto ablatas, aut amiſſas, vel faciendo ſimiles actiones ſuperſtitioſas ad alios fines, maximè, cum abuſu ſacramentorum, rerum ſacrarum, aut benedictarum.*

6. *Quod abſque debita licentia retineant ſcripta continentia hæreſes, aut libros Hæreticorum tractantes ex profeſſo de Religione, illos legerint, tenuerint, impreſſerint, aut imprimi fecerint, vel legant, teneant, imprimant, aut imprimi faciant, introducant, aut defendant ſub quovis prætextu, & colore.*

7. *Quod habeant libros Nicromanticos, Magicos, aut continentes incantationes, ſortilegia, & ſimiles ſuperſtitiones, maximè cum abuſu rerum ſacrarum.*

8. *Quod contra votum ſolemne factum in Religione approbata, aut poſt ſuſceptos Ordines ſacros contraxerint, aut contrahant matrimonium.*

Digitized by Google

9. *Quòd primâ uxore vivente, nubant alteri, vel primo vivente marito ſecundum accipiant.*

10. *Quòd contrà decreta, & Conſtitutiones Apoſtolicas abuſi fuerint, vel abutantur ſacramento Pœnitentiæ, utentes Confeſſione, & Confeſſionali ad fines inhoneſtos, ſollicitando Pœnitentes in ipſis ad turpia, & cum his differentes de rebus illicitis, & inconvenientibus fini, propter quem fuit inſtitutum.*

11. *Quòd protulerint, vel proferant blaſphemias hæreticales contra Deum, B. Virginem, & Sanctos, aut procedant ad aliquem actum offenſionis, & contemptus contrà imagines, & figuras idem repreſentantes.*

12. *Quòd induxerint aliquem Chriſtianum ad Judaiſmum, aut aliam ſectam Fidei Catholicæ contrariam, aut impediverint à baptiſmo Judæos, vel Turchas.*

13. *Quòd non ordinati Sacerdotes, auſi fuerint ſacrilegè, aut audeant celebrare, eſtò non protulerint verba conſecrationis, aut præſumpſerint miniſtrare ſacramentum Pœnitentiæ Chriſtianis, etiamſi actu non abſolverint.*

14. *Præterea declaratur, quòd qui, juxta præſens edictum; non denunciabunt, à nemine abſolvi poſſunt, niſi à Sancto Officio, poſtquam in eo juridicè denunciaverint delinquentes; nec poſſint ſatisfacere huic obligationi per ſcripta, vel epiſtolas abſque nomine, & cognomine Authoris, vel aliis modis incertis, quorum nulla habetur ratio in Sancto Tribunali.*

15. *Ulteriùs declaratur per ſupradictam expreſſionem caſuum, ubi ſupra commemoratorum, non excludi alios caſus ad Sanctum Officium ſpectantes, & comprehenſos in Sacris Canonibus, Conſtitutionibus, & Bullis Pontificum. Nec præſenti Edicto intelligatur derogatum aliis proviſionibus Canonicis, & Apoſtolicis, neque aliis edictis Ordinariorum, & Inquiſitorum.*

16. *Et ne præſentis Edicti poſſit ignorantia obtendi, præcipimus affigi per conſueta loca Urbis, & notificari Epiſcopis Urbium Romæ vicinarum, in quibus non adſunt Inquiſitores, ut illud publicent, ordinentque ſuarum Diæceſeon Parochis illud legere quotannis primis Dominicis Adventus, & Quadrageſimæ; quod pariter fieri volumus à Parochis, & Regularibus Urbis, in propriis Eccleſiis, tempore majoris concurſus populorum; & poſtea illius exemplar affigi in Eccleſiis, & Sacriſtiis.*

CAPUT VII.

De Abſolutione à peccatis contra Fidem.

1. D. Quis poteſt abſolvere à peccatis omiſſionis, quæ ſunt contra fidem?

M. Dictum eſt peccata omiſſionis contrà fidem prohiberi omnia per præceptum affirmativum fidei, ſed alia prohiberi per præceptum fidei ex natura ſua obligantis; alia per præceptum fidei obligantis ex determinatione Eccleſiæ. Nullum ex his invenio reſervatum, niſi peccatum omittentis denunciationem debitam ex præcepto Eccleſiæ; nam ſciens edictum Sanctæ Inquiſitionis, & ſimul aliquem peccaſſe contrà illud, ſi omittat denunciare per triginta dies: poſt illud tempus incurrit mortale peccatum, & excommunicationem reſervatam. Sancto Tribunali, à quâ nec in Jubilæo poteſt abſolvi, niſi ſuæ prius obligationi ſatisfecerit.

3. D. Eſt ne reſervatum aliquod peccatum commiſſionis oppoſitum fidei ex præcepto Eccleſiæ?

M. In Bullâ Cœnæ §. 1. eſt reſervatum cum excommunicatione peccatum, quòd quis committit omnibus iis modis, qui explicantur ibi circà libros Hæreticorum. Debent autem primò eſſe libri Hæreticorum; ſecundò continere hæreſim, vel etiamſi non contineant hæreſim, ſi ſint libri Hæreticorum, dummodò tractent de Religione; quod totum interrogabit particulariter Confeſſor, ſi pœnitens non ſufficienter ſe explicet: ſecundò quicunque peccant contrà ſeptimum §. ejuſdem Bullæ, quod diligenter ſæpiùs leget Confeſſor.

3. D. Eſt ne reſervatum aliquod peccatum ex illis quæ per ſe opponuntur fidei?

M. Dictum eſt c. 4. n. 2. quòd ſeptem peccata per ſe opponuntur fidei, ex quibus tria prima hominis Chriſtiani ſunt reſervata cum excommunicatione in §. 1. Bullæ Cœnæ; quòd ad quartum de blaſphemiâ hæreticali, non eſt reſervatum Romæ, ſed ſolent illud reſervare Epiſcopi: Unuſquiſque videat tabulam Caſuum Reſervatorum in ſua Diœceſi.

4. D. Intelligitur ne in dicto primo §. reſer-

§. reſervata quælibet hæreſis, ſeù infidelitas?

M. Infidelitas, vel hæreſis alia eſt merè interna, & alia etiam externa: Qui verbo profert aliquem errorem contrà fidem, eſt blaſphemus hæreticaliter, ſi non credit: ſi credat, ſed ſine pertinaciâ, eò quia ignorat invincibiliter contrarium fuiſſe definitum ab Eccleſiâ, ubi hæc ignorantia poteſt admitti, eſt hæreticus materialiter, & non peccat, niſi quouſque adjungat pertinaciam: ubi hæc adjungitur, eſt hæreticus formaliter, & hæreticus externus, etiamſi proferat nemine audiente, nec valente audire, etiamſi non proferat ore, ſed tantùm ſcribat, vel faciat aliud ſignum externum, ſufficiens ad exprimendum, quòd ipſe taliter credat; & hujuſmodi quicunque ſit, comprehenditur in dicto primò §. Si verò ſit hæreticus tantum mentaliter, eſt hæreſis interna: non incurrit ullam excommunicationem, & poteſt abſolvi à quolibet Confeſſario.

5. D. Poteſt ne hæreſis externa abſolvi ſaltem virtute Jubilæi?

M. Vide dicta p. 1. c. 21. n. 5.

6. D. Si quis negaret exterius fidem, amplectens Mahumeti ſectam: ſed in corde tamen retineret fidem, poſſet nè abſolvi?

M. Dummodò teneat fidem in corde, non eſt infidelis, nèc excommunicatus in Bullâ Cœnæ: ſed tamen eſt denunciandus, & ſi velit effugere pœnas Sancti Tribunalis, debet comparere ſpontaneus, juxtà dicta quòad primum part. 1. cap. 19. num. 3. quòad ſecundum part. 2. cap. 5. num. 5.

7. D. Quas penitentias debet Confeſſor imponere pro peccatis contrà fidem?

M. Vide dicta p. 1. c. 13. n. 19.

8. D. Adſunt nè aliquæ propoſitiones prohibitæ circà fidem, ejuſque actus, aut peccata illi oppoſita?

M. Quòad objectum formale fidei, quod eſt revelatio divina facta Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſita, vide 23. Innocentii XI. Quòad objectum materiale circà articulos credendos, vide 26. quòad ipſum actum internum fidei, vide primam Alexandri VII. 16. 17. 19. 20. 21., & 65. Innocentii: quoad actum externum fidei, vide 18. Innocentii; quoad ignorantiam oppoſitam dono Scientiæ vide 64. ejuſdem: quoad præceptum affirmativum denunciandi, vide 5. 6. & 7. Alexandri VII. Quæ verò tangunt abſolutionem ab hæreſi ſunt inſinuatæ ſufficienter p. 1. c. 18. n. 23.

CAPUT VIII.

De Virtute Spei; & eius Actibus.

1. PRæparans ſe ad confeſſiones, ubi ſufficienter acceperit, quæ neceſſaria ſunt ad formandum ſecundam præmiſſam particularem ſyllogiſmi operativi circà fidem, ſeù ubi formaverit conſcientiam, ac dictamen rationis rectum circà illam, non debet eſſe contentus; nec enim habet in Confeſſionali ſolùm audire peccata contrà fidem, ſed peccata cujuſcunque generis, contrà quamcumque virtutem. Procedet autem ſapienter, idest, ordinatè, ut formato dictamine rationis recto circà primam virtutem, formet illud circà ſecundam, quæ dicitur Spes, & eſt Virtus Theologica.

2. De Spe, ut eſt paſſio appetitus ſenſitivi, dictum eſt aliquid p. 1. c. 32. quæ tamen eſt Virtus Theologica, reſidet in voluntate, ſeù appetitu intellectivo; quæ procedit hoc modo. Juſtificandus ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 6. ante omnia debet credere *vera eſſe, quæ divinitus promiſſa ſunt*. Hic eſt actus fidei circà Deum Remuneratorem (qui actus fuit neceſſarius in omni lege) Perceptis terminis importatis in Deo Remuneratore, nempè, vita æternâ gloriæ, & vitâ æternâ gehennæ, cognitiſque proprietatibus utriuſque, & quod gloria ſit maximum bonum, ad hanc cognitionem inclinatur voluntas, ut complaceat, & deſideret hanc gloriam: quæ complacentia, & deſiderium ſunt actus Voluntatis, ut eſt Concupiſcibilis; At quia deinde cognoſcit hoc bonum eſſe arduum, Voluntas, ut Iraſcibilis, per ſpem firmatur in tali deſiderio.

3. Spes iſta reſpicit quatuor cauſas noſtræ ſalvationis: primò finalem, quæ eſt ipſe Deus: nàm ſperamus conſequi Deum licet id, quo conſequimur Deum, ſit viſio beata: ſecundò efficientem, quæ dabit ipſum finem, & media pro conſequendo fine: hæc etiam eſt ipſe Deus: tertiò cauſam formalem, ſeù motivam; à quà movemur ad ſperandum, quòd Deus poterit, & volet dare nobis ſe ipſum: Hæc etiam

Digitized by Google

eſt ipſe Deus ſub ratione duplicis attributi; nempè, ut eſt Omnipotens, qui poteſt, & Miſericors, qui vult dare nobis beatitudinem: quartò cauſam inſtrumentalem. Hæc eſt aliquid creatum; & alia eſt neceſſaria omninò, alia utilis: neceſſaria omninò eſt duplex, nempè, primò gratia Dei, tàm actualis, quàm habitualis, collata nobis per Chriſtum; ſecundò noſtra bona opera facta per illam gratiam Utilis verò ſunt orationes Sanctorum, & quædã determinata ſupererogationis opera, ut facere eleemoſinam, quando non eſt in præcepto &c. Quæ ſunt neceſſaria, debemus comprehendere in ipſo actu Spei & comprehenduntur in actu Spei tradito in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 8. n. 19. quare ſemper, ut verus ſit actus Spei, proponenda ſunt opera bona; & nihilominùs eſt differentia inter Spem, & Charitatem: Charitas nùnc facit ſaltèm aliquem actum bonum, nempè, Contritionem: Spes verò proponit etiam iſtam pro futuro.

4. D. Tenemur nèmuquam præcepto affirmativo ad eliciendum aliquem Spei actum?

M. Juxtà dicta de fide c. 1. n. 19. tenemur primò: cum pervenimus ad uſum rationis: ſecundò: in articulo mortis: tertiò: quinquiès, vel ſexiès in anno.

5. D. Sunt nè præcepti nobis à Chriſto aliqui particulares actus Spei?

M. Ex dictis p. 1. cap. 35. n. 5. tenemur ſcire, & aliquotiès recitare orationem Dominicam. Porrò ex S. Thoma 2. 2. q. 83. art. 1. ad 1. oratio eſt interpres deſiderii; quòd ſi ſit de bono arduo, firmatur per ſpem: quare quot ſunt petitiones orationis Dominicæ, tot in nobis præcedunt actus Spei, & quia obligamur ad orationem Dominicam, obligamur etiam ad totidem actus Spei.

6. D. Univerſitas Chriſtianorum obligatur nè ex præcepto Eccleſiæ ad aliquem actum Spei?

M. Nullum invenio Eccleſiæ præceptum per ſe obligans univerſitatem Chriſtianorum ad aliquem actum Spei; ob rationem de fide adductam cap. 1. num. 31. Per accidens obligantur ex præcepto audiendi ſacrum, cujus orationibus non poſſunt conſentire, niſi ſuo modo etiam ſperent; ſecundò: ex præcepto confitendi, quod ut impleatur, conjungi debet cum ſpe veniæ: tertiò ex præcepto communicandi, quod ut impleatur, conjungitur cum ſpe gratiæ. Catechumenus totiès obligatur, quotiès ante baptiſmum, tenetur recitare orationem Dominicam. Eccleſiaſticus quotiès in officio, obligatur ad hanc, & ad Salutationem Angelicam, quæ etiam ex dictis in *Inſtructione pro ordinandis* c. 9. n. 11. tota eſt actus Spei. Obligatur Sacerdos, quando tenetur celebrare, tùm propter orationes, tùm propter Symbolum Nicænum; in quo ex Sant. Thoma quæſtione 17 art. 6. ad 2. dicens *Expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi*, ſuam fidem de duobus hiſce myſteriis manifeſtat per actum Spei. Hæc de Spe curabit callere Confeſſor ordinarius; cætera videat apud S. Thomam q. 17. & 18.

CAPUT IX.

De Dono Timoris.

1. QUia non poteſt ſcire, quid ſit aliqua ſpecies, niſi primò ſciatur, quid ſit veluti genus, ſub quo continetur, ideò S. Thomas quæſt. 19. explicaturus donum Timoris, explicat timorem in genere. Quintuplex eſt Timor: primus eſt naturalis, quando quis ex appreheſione mali contriſtantis naturam, refugit illud per actum Iraſcibilis. Hoc modo bruta cognoſcentia cognitione ſenſitivà mortem eſſe maximum malum ſibi, refugiunt illam; & homines illam refugiunt per voluntatem ad cognitionem intellectivam, antequam incipiant ratiocinari, an ſit adhùc ſubeunda ob bonum virtutis. De hoc timore S. Thomas agit 1. 2. q. 41. art. 3. non hìc, ubi ſolùm agit de timore bono aut malo.

2. D. Quomodo vocatur ſecundus Timor?

M. Secundus Timor dicitur Mundanus. Dictum eſt ſæpiùs, quòd prima omnium paſſionum eſt amor, & ex iſto profluunt cæteræ. Igitur judicium de timore ſumendum eſt ex amore, à quo procedit, eritque timor mundanus, ſi procedat ex inordinato amore mundi, & temporalium. Timebat, ac fugiebat mortem S. Athanaſius; at non timore mundano, quia non ex amore inordinato vitæ, ſed ex amore obediendi Chriſto dicenti, Matth. 10. *Cum vos perſequentur in iſta civitate, fugite*

in

in aliam. Chriſtiani è contra timore perſecutionis negantes Chriſtum, mundanè timent, quia inordinatè, & plus quam amanda ſit, amant vitam. Mundanus eſt timor Confeſſoris, qui nè perdat pœnitentem, connivet illius peccatis, & quærit omnes opiniones laxiores, ut illum poſſit abſolvere, quando eſt in occaſione proxima &c. Hinc apparet, quòd timor prohibetur per accidens ratione inordinati amoris, à quo procedit: quare erit peccatum mortale, ſi talis ſit amor; veniale, ſi venialis amor; & ut amor temporalium admittit parvitatem materiæ, ita Timor; nec obligatur pęnitens ad dicendum in confeſſione, quòd ex timore mortis negaverit, v. g. fidem, ſed ſufficit accuſare, quòd negavit fidem. S. Thomas q. 19 artic. 3.

3. D. Quomodò vocatur tertius Timor?

M. Tertius timor dicitur ſervilis; & eſt, quando quis timet pęnam cognitam per fidem ex revelatione divina imminere peccato. S. Thomas a. 2. ad 4. Timor iſte, ſi excludat voluntatem peccandi, eſt ſupernaturalis, & conſequenter bonus, quia regulatur à fide, quæ eſt principium ſupernaturalitatis p. 1. c. 13. n. 3. Non excluderet voluntatem peccandi, ſi dicerem: *Doleo de peccatis ob metum gehennæ, ſed ſi non eſſet gehenna, non dolerem*. Eſt etiam donum Spiritum Sancti, ſed nondùm inhabitantis, ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 4. propterea eſt actus imperfectus doni Timoris, ex iis actibus, qui ſunt habitus, ſed nondum habentis habitum; & procedit ex bono amore, quo quis amans ſe ipſum, refugit ſibi tam grande malum; ad quem amorem tenemur. Quia verò timor iſte ſervilis dicitur principaliter reſpicere bonum proprium, eſt explicandum, quomodò cum hoc poſſit eſſe bonus. Homo timens gehennam, vult ſuum bonum, ſed non ut ultimum finem: actus enim ſupernaturalis, & bonus reſpicit Deum, ut ultimum finem; & eſſet peccatum mortale, ſi reſpiceret ſe, ut ultimum finem: quare dicitur reſpicere principaliter ſe, quia non habet Deum, ut finem ſuæ totius vitæ, ſed ſolùm in illo actu timoris; quo modo juſtus, dum venialiter peccat, reſpicit principaliter Deum: eſtò enim in illo actu reſpiciat ſe, quia tamen juſti vita eſt adhùc habitualiter ordinata in Deum per gratiam ſanctificantem, per hoc in peccato veniali reſpicit ſe minùs principaliter, & magis principaliter Deum: & quando juſtus timet gehennam, iſte timor ex illâ ratione reſpicit principaliter Deum. S. Thomas a. 4.

4. D. Extat nè præceptum affirmativum eliciendi aliquem actum timoris ſervilis?

M. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. oſtendit nos obligari ad actum timoris ſervilis, quando volumus juſtificari. Vides hoc præceptum non obligare per ſe, ſed per accidens, ratione juſtificationis, ad quam eſt medium; quare omiſſio iſtius timoris non eſt explicanda ſpecialiter in confeſſione, ſed ſufficienter accuſabit ſe pęnitens, dicendo, quòd tempore debito, non ſe juſtificavit, ſcilicet, in articulo mortis, & in Paſchate, quando peccator tenetur ſe juſtificare, vel quando voluit recipere ſacramenta, & alias.

5. D. Quomodo vocatur quartus Timor?

M. Quartus timor dicitur filialis, & habet duos actus: primum, qui eſt revereri Deum; & ex hoc procedit ad ſecundum, qui eſt fugere culpam ex amore Dei. Hoc eſt propriè donum Spiritus Sancti; quando ejus actus ſunt perfecti, & ſunt perfecti, quando ſunt conjuncti cum actu perfecto charitatis. S. Thomas a. 5.

6. D. Quomodò vocatur quintus Timor?

M. Quintus Timor dicitur Initialis. Iſte timor eſt mixtum aliquod ex duplici timore, ſcilicet, ſervili, & filiali: Timor filialis habet pro fine charitatem, ita ut homo perfectè per totam vitam ſe ſubjiciat Deo; Porrò ſæpè contingit, quòd ſolus timor filialis non eſt ita perfectus, ut per ſe adducere poſſit hominem ad hunc finem. Ut ergo ad illum homo perveniat, aſſumit timorem ſervilem, etiam à Deo ordinatum ad charitatem, ſed magis remotè; atque ità hi duo timores ſimul juncti, ex conjunctione habent efficaciam producendi, vel conſervandi perfectam charitatem, quam efficaciam neuter habet ex ſe ſolo. Idem videre eſt in naturalibus; Ignis parvus non habet ex ſe ſolo efficaciam producendi, aut conſervandi calorem in aquâ, ſed ſi conjungatur ferro calenti, uterque ſimul junctus poſſunt, quod neuter ex ſe poſſet. Invenitur iſte timor initialis in habentibus charitatem incipientem; quare

Tridentinum inſinuat illum ſeſſ.6.c.6.dum memorato priùs timore ſervili, addit: Deum, *tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*: & ex hac dilectione incipiente vult peccatorem moveri adversùs peccata per odium aliquod &c. S. Thomas a.2.& 8.

7. D. Tridentinum ad juſtificationem requirit timorem filialem perfectum: hic autem dicitur timor filialis eſſe imperfectus: quare non ſufficiet ad juſtificationem.

M. Ex S. Thoma a. 8. de timore diſſerendum eſt, ſicuti de charitate. Charitas autem viæ ab eodem q. 24.a.8. dicitur perfecta dupliciter: primò: ſi homo ſit totus Deo deditus, ita ut ex vi ſola charitatis, homo adhæreret Deo, etiamſi nullus eſſet timor gehennæ, ſicut in naturalibus ignis magnus ex ſe ſolo habet efficaciam calefaciendi aquam, eſtò non adeſſet ſimùl ferrum calens. Timor ita perfectus non requiritur ad juſtificationem: ſecundò: charitas dicitur perfecta, quæ, licet ex ſe ſola non habeat vim, ut homo adhæreat Deo, tamen hanc efficaciam recipit ex conſortio timoris gehennæ à Deo ordinati, ut medium pertrahendi nos ad ſuum amorem; ſicut ignis parvus dicitur perfectus ad calefaciendum, quando poteſt calefacere ſufficienter ex conſortio ferri calentis. Hanc perfectionem habet timor initialis.

8. Qui fructus, & quæ Beatitudo correſpondent huic dono Timoris?

M. Huic dono correſpondet prima beatitudo, ſcilicet, *Beati pauperes Spiritu* &c. nam hoc donum ſubjicit perfectè hominem Deo; & paupertas in actu nihil eſt aliud, quam humilitas ſubjiciens hominem Deo; quare iſta humilitas expreſsa in prima beatitudine eſt actus perfectiſſimus iſtius doni. Ex fructibus autem correſpondent modeſtia, continentia, & Caſtitas; nam qui ſe ſubjicit perfectè Deo, moderatè utitur rebus externis. S. Thomas a. 12.

CAPUT X.

De peccatis Commiſſionis oppoſitis Spei, & Dono Timoris.

1. EX capite præcedenti ſufficienter habetur, quando peccemus peccata negativè oppoſita Spei, & Dono Timoris: tùnc enim peccamus omittendo, quando violamus præceptum affirmativum. Poſset ſolùm dubitari, an quoties elicimus actum charitatis, teneamur etiam elicere actum Spei; & Timoris erga pœnam. Circa hoc ſcire debet Confeſsor ordinarius, quòd Innocentius XII. de anno 1699. prohibuit librum inſcriptum *Explication des Maximes des Saincts* &c. in quo dicitur contineri hæc propoſitio. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam*. Hæc damnatio reſpicit aſserentes dari hunc ſtatum, in quo ex vi ſtatus, animæ poſſent elicere actus charitatis abſque ullo actu Spei, vel Timoris imperfecti, qui eſt Timor pœnarum: An verò Anima dari poſſit adeò perfecta, quæ in aliquo caſu eliciat aliquem perfectum actum charitatis, ſine præcedentia Spei, vel dicti Timoris, tùnc nec fuit quæſitum; ſed neque debet inquirere Confeſsor ordinarius expoſitus multudini fidelium, in qua non ſunt animæ adeò perfectæ; quòd ſi caſu aliqua accedat, erit Confeſsoris ordinarii tunc nihil ex ſuo arbitrio gerere, ſed conſulere primò Judicem, & Doctorem à Deo ſibi conſtitutum nempè, Epiſcopum, deinde alios viros doctos tùm in Scholaſticâ, tùm in Myſtica, quibus repræſentabit ſtatum, & perfectionem Animæ Pænitentis, quòad omnes circumſtantias, illorumque judicio, ſed præſertìm orationibus ad Deum petet illuminari, ut diſcernat, nùm illuſa ſit Anima, vel tribuendum ſit extraordinariæ Dei gratiæ, quòd eliciat unum, vel alterum actum perfectæ charitatis, abſque ullo timore pœnarum, vel ſpe præmii, ſaltem virtualiter concurrentibus ad charitatem.

2. D. Quot ſunt peccata commiſſionis contrariè oppoſita ſpei, & dono Timoris?

M. Præcepto negativo Spei obligantis nos ſemper, & ad ſemper, opponuntur contrariè duo peccata, nempè, deſperatio, & Præſumptio: Dono autem Timoris opponitur Timor mundanus, de quo ſufficienter dictum eſt c.9. n. 2. quare nihil reſtat dicendum.

3. Quid eſt Deſperatio , ut contrariè opponitur Spei Theologicæ, & c. 4. n. 12. dicta eſt peccatum in Spiritum Sanctum ?

M. Hujuſmodi Deſperatio per quam , ob difficultates,quas habebit in conſequẽdo Deum, voluntas ut Iraſcibilis , hìc, & nùnc aſſentit ſe nullatenus conſecuturam ; Chriſtianus deſperans credit Deum eſſe Omnipotentem , & Miſericordem , eſſe cauſam noſtræ ſalutis, ab eo dari media impetrandæ noſtræ ſaluti , ſed ſolùm concludit , quòd hìc , & nùnc non præſtabit hæc omnia ſibi , per ſyllogiſmum quatuor terminorum in hunc modum: *Deus non dat vitam æternam immerentibus , ſed ego ſum immerens , ergo mihi non dabit vitam æternam* . Ex hac concluſione voluntas movetur ad actum deſperationis ; & tamen ſyllogiſmus habet quatuor terminos : nam major intelligitur de immerentibus in morte , non de immerentibus hìc,& nùnc; in minori verò ſupponit pro immerentibus hìc , & nùnc. Hoc peccatum oritur ex Acidia ; eſt graviſſimum, nec admittit parvitatem materiæ ex dictis p. 1. c. 36. n. 6. non tamen eſt reſervatum Romanis Pontificibus. An Epiſcopi reſervent illud, videat unuſquiſque caſus reſervatos propriæ Diœceſis . S. Th. q. 20.

4. D. Quid eſt Præſumptio ?

M. Peccatum præſumptionis ex S. Thoma q. 21. a. 1. eſt duplex: aliud procedens à voluntate , ut Iraſcibili , per judicium , quo hìc, & nùnc judico aliquid eſſe poſſibile meis viribus, quod verè illis non eſt tale ; Hoc peccatum opponitur Magnanimitati, & de illo diſſeretur ſuo loco. Aliud procedit à voluntate, ut Iraſcibili , per judicium , quo hìc,& nunc judico dandam eſſe mihi gloriam æternam per Dei potentiam , & miſericordiam , ſine ullo reſpectu ad divinam juſtitiam,quæ in adultis ordinavit dare gloriam per merita , & gratiam ſanctificantem per diſpoſitiones prævias ; & ego præſumo, quòd dabit ſine his meritis,& diſpoſitionibus. Hoc peccatum oritur ex Superbià;eſt graviſſimum, & in Spiritum Sanctum , non admittens parvitatem materiæ , quia qui in minimo innititur contra juſtitiam Dei, tollit omnem juſtitiam Dei ; non tamen eſt peccatum Papæ reſervatum. Confeſſor videns hoc peccatum eſſe duplex ſpecie , in confeſſione, curet explicari à pœnitente motivum præſumptionis , ut cognoſcat ſpeciem, & ex S. Thoma q. 130. a. 1. ad 1. advertat in ſecundo contineri primum peccatum.

5. D. Quas pœnitentias debebit Confeſſarius imponere peccantibus contra Virtutem Spei ?

M. Nullas Eccleſia pœnitentias in particulari determinavit contra hujuſmodi peccatores ; quare dirigendi erunt juxta regulas generales Ritualis adducti p. 1. c. 7. n. 23. quòd imponantur contrariæ peccatis pœnitentiæ. Omiſſio actuum Spei præceptorum provenit ex deſidia , torpore , aut otio : quare iſti maximè ſunt objurgandi , utpotè qui deſerverint per longum tempus omnem orationem ; & ad devotionis ſtudia ſunt obligandi præcipuè ad orationem Dominicam , & Salutationem Angelicam. Deſperantes, leniter tractabuntur , retrahendi à nimia conſideratione propriorum criminum , & attrahendi ad conſiderationem infinitæ Dei miſericordiæ , unde eliciant frequentiores actus Spei fundatos ſuper Omnipotentia , & Miſericordia. E contra Præſumptuoſi accerimè objurgandi propoſita ſeveritate divinæ juſtitiæ , & impoſitis pœnitentiis aliquantò gravioribus , ut ex juſtitia hominum judicare poſſint aliqualiter de divina. Ubi Confeſſor agnoverit pœnitentem peccaſse ex timore mundano ; more periti Medici , animadvertens radicem timoris eſse amorem proprium, reducet primò hunc amorem ad debitam menſuram , ita , quòd amet ſe , ſed ſubordinatè ad Deum, & principaliter pro vita æterna;Liberati à febri vires conſiderat Medicus corporalis , & convaleſcenti præcipit parvum iter, nulla tractare negotia &c. quòd ſi dùm convalvit , eſt complexionis adeò debilis, ut nequeat ſine periculo magna tractare , interdicuntur omnia , ex quibus timetur relapſus : & ita Confeſsor , ſpiritualis Medicus , huic pœnitenti explicet vim litteralem illius dictis Luc. 10. *Si quis venit ad me , & non odit patrem ſuum , & matrem , & uxorem , & filios, & fratres , & ſorores ; adhùc autem & animam ſuam , non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ubi verò in vim illius præpoſuit Deum ſupra ſe , ſed adhuc eſt debilis, utatur prudentia , quam inſinuat S. Thomas ſuppl. q. 3. a. 1. ad 4.; ut non tentet illum ad actus voluntatis expreſsos , quibus declaret in particulari ſe ſubiturum hanc , vel illam pœnam potiùs , quam reincidere in tale

peccatum, ratione timoris, niſi eſſet in occaſione proxima, quàm nequit aliter declinare, ſed prohibeat tractare negotia, in quibus illum facilè vincet timor mundanus, ut exercere officium Judicis, in quo deflectit à juſtitia ob timorem Principis. Inducet etiam, ut deſerat patriam ſub Heretico conſtitutam Principe, cujus timore peccat contrà fidem &c. ſi opus fuerit.

6. D. Adſunt ne aliquæ propoſitiones prohibitæ circà Virtutem Spei, Donum timoris, & peccata illis oppoſita?

M. Circà præceptum affirmativum eliciendi actum Spei, extat prima Alexandri VII. Circà ejuſdem actus bonitatem moralem extat 10. Alexandri VIII. & 13. Porrò circà Timorem ſervilem extat 14. & 15. ejuſdem Alexandri VIII.

CAPUT XI.

De Charitate, & ejus Objecto.

1. CHaritas eſt tertia, & ſuprema virtus Theologica, imò finis omnium virtutum, ſive Cardinalium, ſive Theologicarum. Sed & cujuſcumque Confeſſarii finis primarius debet eſſe, ut illam introducat in animam ſuorum Pœnitentium, ſive Judicis, ſive Medici, ſive Doctoris munus exerceat, qua propter de illa debet ſibi comparare judicium rectiſſimum, primò per connaturalitatem, exercendo actus excellentiſſimos ejuſdem, inter quos non infimum locum habet patienter adſiſtere Confeſſionali ad tollendas animas de poteſtate tenebrarum, & transferendas illas in regnum Dei: ſecundò per rationis inquiſitionem, cognoſcendo maximè naturam charitatis, objecta, actus, præcepta, & peccata illis oppoſita. Sanctus Thomas agnovit hanc neceſſitatem in quocumque Theologo; proptereà agit de illa fuſiſſimè à q. 23. ad 47. à quo nos seligemus magis neceſſaria præparanti ſe ad confeſſiones, ut circà illam formet ſecundam præmiſſam ſyllogiſmi operativi, ſeù conſcientiam, & rectum dictamen rationis ad concludendum, quandò aliqua actio ſit verus actus charitatis, quando ſit eliciendа, erga quos &c. Porrò majoris claritatis gratia ſunt hæc agenda capitibus diſtinctis.

2. D. Quia nomen importat definitionem, ſeù eſſentiam rei, via facilior ad inveſtigandum aliquid mihi videtur, explicando ipſum nomen, ex cujus prima explicatione videbo inſubſiſtentiam nonnullarum propoſitionum communiter à Caſuiſtis traditarum, & olim etiam à me defenſarum. Igitur quid venit nomine Charitatis?

M. Primò venit habitus à Deo infuſus in voluntate, ut eſt concupiſcibilis, vi cujus habitus, poſtquam intellectus cognovit Deum eſſe ſummum bonum, voluntas inclinatur ad illum ſub hac ratione amandum per actus ſuo loco enumerandos. Quòd debeat eſſe habitus, adducit rationem S. Thomas hic q. 23. art. 2. quòd debeat eſſe in voluntate q. 24. a. 1. & non in eſſentia animæ 1. 2. q. 110. a. 3. quòd debeat eſſe in voluntate, ut concupiſcibili, quia diſtinguitur à Spe recepta in Iraſcibili. Hæc omitto, quia non omninò neceſſaria Confeſſori. Secundò, nomine Charitatis, venit actus, qui eſt proprius prædicti habitus, ſive ſit perfectus, hoc eſt, elicitus dependenter ab habitu, ſive imperfectus, qualis eſt, qui ut diſpoſitio præcedit habitum juxtà dicta p. 1. c. 4. n. 12.

A S. Thoma quæſt. 83. art. 3. ad 2. deſiderare, quod præcedit orationem, & ſpem, expreſsè nominatur actus charitatis; nihilominùs magis communiter nomine charitatis intelligitur actus perfectus procedens ab habitu præexiſtente, & ita ſæpiùs accipit Sanctus Thomas, præſertim ſuppl. q. 9. art. 1. ubi admittit confeſſionem pœnitentis informem. Non eſt contrarius Tridentino docenti ſeſs. 6. c. 6. amorem initialem Dei præcedere odium peccati (hinc multò magis confeſſionem) ſed vult ſecundam partem Pœnitentiæ non præexigere, ut illam pœnitens ponat dependenter ab actu charitatis perfecto ſupponente habitum. Præparans ſe ad confeſſiones intelligat quæſtionem, nec litiget de vocibus. Porrò amare eſt velle bonum, & amare amore amicitiæ eſt velle alicui bonum propter ſe.

3. D. Quod eſt objectum charitatis?

M. S. Thomas q. 25. a. 12. ex S. Auguſtino ponit quatuor diligenda amore charitatis. *Quæ ſunt ſuprà nos: quæ ſumus nos: quæ ſunt juxtà nos, & quæ ſunt infrà nos.* Suprà nos eſt Deus: Nos eſt anima noſtra: Juxtà nos eſt proximus noſter: Infrà nos eſt corpus noſtrum: Deus eſt amandus, ut principium noſtræ beatitudinis æternæ,

non

Digitized by Google

non ita, quòd hæc ratio ſit motiva charitatis; amicitia enim perfecta non reſpicit Deum, quia eſt mihi bonus, ſed quia eſt in ſe bonus; eſtò tamen ratio motiva ad amicitiam perfectam non debeat eſſe Deus ut principium mihi beatitudinis æternæ, amor charitatis in Deum, debet in me ſequi ad actum fidei, per quem cognoſco Deum mihi fore principium beatitudinis æternæ. Ita Tridentinum ſeſs. 6. c. 6. nam cognitio fidei, ad quam ſequatur juſtificatio, deſcribit eſſe fidem, quà credamus *vera eſſe, quæ divinitus promiſſa ſunt*. Igitur charitas omninò perfecta procedit per cognitionem, quæ cognoſcit duas ſaltem rationes in Deo, alteram, quòd eſt bonus in ſe; alteram, quòd eſt bonus nobis per beatitudinem æternam; Utraque relucere debet in intellectu, ſed prima tantùm habet movere voluntatem ad charitatem perfectam. Præparans ſe ad confeſſiones notabit hoc in confuſo, & ſi accedant animæ quædam Myſticæ prætendentes amandum eſſe Deum, etiamſi non reluceat in illo ſecunda conditio, ſtatim damnabit; ut verò ſecuriùs illas ducat in poſterum, profundiùs examinabit Doctores ſcribentes ſuper vera Myſtica; quo clariùs detegere poſſit errorem, ſemper, & ante omnia ſequens ipſe ducatum Epiſcopi à Deo conſtituti, ut ſit ſuarum ovium Magiſter, & Doctor: prout pluries fuit dictum.

4. D. Quomodo eſt amandus Deus?

M. Deus eſt amandus ſuper omnia, & in omnibus. *Super omnia* tamen appretiativè, non intenſivè juxtà dicta p. 1. c. 13. n. 3. In omnibus autem, ita ut, *ſive manducemus, ſive bibamus, ſive aliquid aliud agamus, omnia in gloriam Dei faciamus*, juxtà Apoſtolum 1. Cor. 10. & S. Thomam 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2 & q. 100. a. 10. ad 2. Porrò caveat Confeſſor litigare, ſive cum Pœnitentibus, ſive cum aliis Theologis, & Confeſſoribus, an Apoſtoli verba ſint tantùm de conſilio, vel obligent ſub veniali. Multi divertunt ad haſce quæſtiones, non animo addiſcendi, ſed diſputandi; unde nullus inde reſultat profectus; & imò plerumque violatio charitatis Chriſtianæ. Confeſſor igitur primò curet, ſive in ſe, ſive in pœnitentibus tollere omnia peccata mortalia; & erit ſanè multum: ſecundò curet, quantùm poteſt, tollere peccata commiſſionis venialia ex ſuo genere: præſertim deliberata: tertiò: ſi adſit anima purior, apta, ut incitetur ad perfectionem dicti Apoſtolici, conſulat Interpretes, & Claſſicos Theologos ſuper illo, præcipuè Angelicum; Ulteriùs tamen ſciat Confeſſor omnes actiones ex natura ſua bonas, & recta ratione regulatas eſſe per ſe ordinatas in Deum ratione operis; quare non indigent referri per actualem relationem operantis; unde vides ſolùm actiones de ſe indifferentes per operantem eſſe ordinandas in Deum, & ſic eſſet ſumma fælicitas, ſi nullum aliud eſſet in mundo peccatum, niſi hoc venialiſſimum, quòd non referrentur in Deum, actiones hujuſmodi per ſe indifferentes, quæ aliàs ſunt pauciſſimæ: nam, ſi benè conſideres, comedere, bibere, dormire, ambulare &c. propter neceſſitatem, ſive utilitatem corporis, ſunt actiones bonæ ex natura ſua, & ſi ob dictum finem fiant, ſunt meritoriæ in Juſto. Confeſſor ergo non illas culpet, ſed exceſſum, ſi adſit; & ſi invenit animas puriores timentes in his Deum offendere, curet, ut toties dictum eſt, quòd ſe accuſent, ſi quid exceſſerint, ob rationem dictam p. 1. c. 32. n. 8. S. Thomas.

5. D. Dixiſti, quòd in Deo, ut objecto charitatis, relucere debeat illum eſſe fontem beatitudinis; & non eſſe amandum ſub hac ratione, quia eſt fons beatitudinis; quid ergo faciam de infinitis, imò ferè omnibus pœnitentibus, qui accedunt ad ſacramenta, moti ex amore Dei, ut fons eſt beatitudinis. Iſti non videntur juſtificari?

M. Dixi, quòd charitas perfecta non movetur ex illa ratione, licèt conſideret illam rationem. Charitas eſt amicitia, & amicitia triplex eſt: Utilis, Delectabilis, & Honeſta: Omnes amant amicum propter ſe, ut finem proximum, non ut purum medium, ſed tamen primæ duæ ordinant amorem, quo amant amicum, ad propriam utilitatem, ſeù delectationem: tertia verò neque amicum, neque amorem ipſum ordinat ad præmium (licèt aliàs ſperet præmium) ſed & amici, & amoris unicus finis eſt honeſtas, hæc tertia eſt amicitia perfecta: primæ duæ ſunt imperfectæ, ſed tamen veræ amicitiæ. Igitur pœnitentes, qui amant Deum propter ſe, ſed ordinant hunc amorem, ut ex eo habeant præmium beatitudinis, ſi habeant alia requiſita, juſtificantur,

ſed

ſed amicitia imperfecta, à qua ſemper incipiendum eſt. S. Thomas q.23. a.5.

6. D. Explica mihi ſecundùm objectum charitatis quòd ſumus nos ipſi?

M. Facilè dico, quòd poſt Deum debemus amare animam noſtram; ut velimus illi beatitudinem æternam: ita ut velimus in altera vita Deo convivere, illo frui, & facere operationes conſimiles divinis, quales ſunt videre Deum, & amare Deum: Dei enim proprium eſt intelligere, & amare ſe, & debemus etiam velle operari hæc, dum ſumus Viatores, pro quanto poſſumus, cognoſcendo Deum per fidem, & amando. S. Thomas q. 25. art. 4. & 7.

7. D. Explica mihi tertium objectum Charitatis, nempè, quòd eſt juxtà nos?

M. Intelligimus, quòd ſit amandus proximus noſter, ſeù quicumque poteſt nobiſcum eſſe particeps æternæ beatitudinis in videndo, & amando Deum, ſub ratione, ſub qua poteſt eſſe particeps: quare amandi ſunt Angeli, ſed non dæmones, aut damnati, quia hi non poſſunt eſſe participes. Amandi ſunt inimici, & peccatores, non tamen ſub hac ratione, ut ſunt inimici, & peccatores: nam ſub hac ratione non poſſunt eſſe participes gloriæ, ſed amandi ſunt, quatenus homines, & ut convertantur ab odio, & peccato S. Thomas q.25. art.8. 10. & 11.

8. D. Explica mihi quartum objectum charitate diligendum, nempè, quòd eſt infrà nos?

M. Eſt corpus noſtrum, cui etiam debemus velle beatitudinem æternam in patria, ſecundum quòd eſt communicabilis corpori, non quidem ita, ut videat, & fruatur Deo, ſed, quod ex redundantia gloriæ in anima, corpus habeat beatitudinem ſibi convenientem. Sanctus Thomas q.25. ar.5.

9. D. S. Thomas ibidem art. 2. docet charitatem diligi etiam charitate, & ar.3. ponit etiam irrationalia poſſe diligi charitate; quare alia præter illa quatuor charitate diliguntur?

M. Nec charitati, nec irrationali creaturæ volumus bonum beatitudinis æternæ, cujus non poſſunt eſſe participes; & ideò illa tantùm quatuor dicuntur charitate diligi, quatenus illis volumus beatitudinem: S. Thomas dicit irrationalia charitate diligi, quia amans amicum, eodem amore diligit media, quibus conſervatur amicus. Charitatem verò charitate diligi, eſt certum, quia diligere charitatem, eſt actus virtuoſus, nec alteri virtuti poteſt aſſignari, quàm charitati. Sciendum univerſaliter ex S. Thoma 1. p. quæſt. 87. quòd homo cognoſcens aliquod objectum, v. gr. parietem, eadem cognitione cognoſcit, antecedentia, & conſequentia ipſum objectum (non tamen ſemper diſtinctè) qui videt fumum, cognoſcit antecedentia fumum, ſcilicet, eſſe ignem, eſtò non videat ignem, & conſequentia fumum, ſcilicet, denſitatem in aere à fumo cauſatam; & ita homo cognoſcens parietem, cognoſcit ſuam cognitionem (directè, non reflexè) cauſaſque cognitionis, nempè, habitum, ſi extat, potentiam intellectivam, & eſſentiam animæ: quæ omnia antecedunt, ſeù cauſant cognitionem: cognoſcit etiam conſequentia ad cognitionem, nempè, actum voluntatis, quo vult parietem, habitum virtuoſum, vel vitioſum, quo inclinatur ad volendum parietem, ipſam potentiam, qua vult &c. quod dicitur de cognitione, dicitur etiam de volitione. Igitur amans Deum, eodem actu amat hunc ſuum amorem, & cauſam iſtius amoris, nempè, habitum charitatis, & gratiæ, tum ſanctificantis, tum actualis, & præ iſtis, quæ ſunt principium, quo amat, etiam amat ſe ipſum, ut principium, quòd amat; amatque ſe ipſum totum, ſeù, ſecundum omne, quod requiritur, ut ſit completus, & perfectus ad operandum, ſcilicet, ſecundum omnes habitus virtuoſos, qui reddunt perfectum, aut facilè operativum. Ex qua ratione habes charitate diligi non ſolùm, charitatem, & gratiam, verùm reliquas omnes virtutes, quibus homo perficitur ad operandum. Porrò præparans ſe ad confeſſiones notet hanc doctrinam; Ruſtici enim accedentes ad ſacramentum Pœnitentiæ, rariſſimè cogitant reflexè de Deo, ſed ſolùm explicant ſe velle hoc ſacramentum, ut redeant in gratiam Dei; quare volunt, & amant gratiam Dei, per conſequens ipſum Deum, & habent verum actum charitatis. Confeſſor igitur non illos turbet, requirendo, ut expreſsè Deum ament: ad hoc enim eriguntur difficilè; Imò tutiſſimum eſt ab illis exigere alios actus faciliores, qui præſupponunt actum charitatis, ut, quòd percutientes pectus,

ore

ore, & corde proferant: *Miſericordia Domine* &c. Ad hos enim facillimè excitantur, non ita ad merum amorem Dei.

CAPUT XII.

De Actibus, & Præceptis Charitatis.

1. D. QUot ſunt actus Charitatis?

M. Actus Charitatis alii ſunt interni tantùm: alii ſunt externi, & ſunt, qui actui interno conjungunt externum opus proprium Charitatis; primò loquemur de internis, & poſteà de externis?

2. D. Qui, & quot ſunt actus interni charitatis?

M. S. Thomas de illis agit à qu. 27. ad 31. & quì ſcientificè illa cognoſcere deſiderat, debet attentè ſæpiùs legere S. Doctorem. Hìc ſolùm explicabuntur, pro quanto opus eſt præparanti ſe ad confeſſiones. Igitur primus actus eſt ſibi complacere de Deo, ut ſummè bono: ſecundus eſt deſiderare Deum ſummè bonum: tertius eſt amor benevolentiæ, quo volumus Deo bonum propter ſe ipſum: Primi duo ſunt omninò imperfecti; nec juſtificant: qui enim deſiderat aliquid, nondum habet illud: de tertio plures ſentiunt, quòd juſtificat, ſed apertè contrarius eſt S. Thomas q. 27. a. 2. docens eſſe principium amicitiæ, & inſuper exigi, quòd illi actui conjungatur animus perpetuò, (quantùm eſt de ſe) convivendi Deo, & faciendi eadem opera divina, quæ ſunt cognoſcere, & amare Deum: quartus actus eſt gaudium, ſeù complacentia de Deo jam poſſeſſo. Huc pertinet voluntaria ſuſceptio gratiæ, & donorum, per quam ſeſſ. 6. c. 7. Tridentinum docet nos juſtificari. Quatuor hos charitatis actus exercere poteſt homo, & erga Deū, & erga proximum: poteſtque erga proximum exercere illos, tam circa bonum principale, quod eſt beatitudo æterna, quàm circa bona minùs principalia, quæ ſunt, vita, fama, res exteriores &c.

3. D. Eſt nè neceſſarium ad juſtificationem peccatoris, quòd hi actus charitatis tendant ſemper in Deum, & in proximum, an ſufficit, ſolus actus aliquando in Deum?

M. Ad juſtificationem requiritur, quòd prædicti actus tendant in quatuor objecta diligibilia, uti prærequiritur Fides in omnia revelata; tamen dictum eſt de fide, quòd objectum formale eſt unum, nempè, revelatio divina facta Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſita, ſed objecta materialia ſunt plurima, & horum aliqua tenemur credere explicitè, nempè, quatuor myſteria; ſed reliqua ſemper creduntur implicitè, hoc ipſo, quod non excludantur poſitivè à ratione formali; imò ſi quis poſitivè aliquod excluderet, jam neque crederet illa quatuor fide divina, ſed humana ex dictis c. 1. n. 15. Hæc ſunt applicanda charitati, & dicendum, quòd ratio formalis amandi, eſt unica, nempè, bonitas divina, ut fide cognoſcitur fons beatitudinis æternæ. Materialia objecta ſunt quatuor enumerata, & majoris charitatis gratia, diſtinguamus quintò gloriam æternam: ſextò gratiam ſanctificantem: ſeptimò gratias actuales; octavò habitus virtutum conſequentes ad gratiam ſanctificantem &c. Hæc omnia igitur objecta materialia non eſt neceſſe, quòd ſingula diligantur explicitè, ita ut appareant ſingulariter in cognitione fidei præcedente amorem. Explicitè debemus ferri primò in Deum: ſecundò in nos ipſos: tertiò in gloriam: quartò in gratiam ſanctificantem: Cetera diligimus implicitè, diligendo illa explicitè; & ſi poſitivè excluderemus inimicum, v. g. jam non eſſet illa dilectio charitatis. Reliqua tenemur explicitè diligere in caſibus particularibus, in quibus non poſſet eſſe vera dilectio Dei, niſi etiam explicitè tenderemus in illa, v. gr. teneor explicitè velle ſalutem æternam proximi, in caſu, quo illa eſt in periculo, unde imminet neceſſitas; idem dic de bonis temporalibus &c. nec non univerſaliter de omni propoſito non peccandi.

4. D. Sunt nè præter prædictos quatuor, alii actus interni charitatis?

M. Sunt etiam alii duo: quintus eſt pax: Gaudentes de Deo ſtatim volumus, & ſubordinari eidem, ſimulque ordinare nos ipſos in nobis, & erga proximum, ut tamen ille præcipit ſub mortali (hoc enim ſufficit ad charitatem) Hic etiam actus explicitè ordinat juſtum in Deum, & in ſe ipſum, quoad gloriam, & gratiam: Ordinat autem implicitè in proximum, niſi in caſu, quo ſit læſus particulariter; tunc enim explicitè debeo velle cum illo concordiam, ſeù me ordinare in illum; Hic actus ordinans, ſeù hæc unio dicitur pax

& hi,

& hi quinque actus equidem ſunt ſpecie diverſi, ſed ab una virtute procedunt quia omnes reſpiciunt bonum, ut bonum: ſextus eſt Miſericordia, quæ in Viatore importat ſaltem duos actus: alterum, quo triſtor de malo, ſeù miſeria proximi: alterum, quo in illum nolo operari bonum, ut bonum, & ſimul ut ſublevativum talis miſeriæ. Miſericordia eſt habitus, & virtus diſtincta à charitate, quia tendit in illam rationem, *ut bonum eſt ſublevativum miſeriæ*, ſed eſt ſubordinata charitati, adeò ut idem actus ſit, & Charitatis, & Miſericordiæ: Charitatis, quia reſpicit bonum: Miſericordiæ verò, quia etiam reſpicit ut ſublevativum miſeriæ. Hic actus tendit ſolum in proximum in caſu, & ideò tendere debet explicitè in particulares hìc, & nunc indigentes.

5. D. Enumeraſti actus interiores charitatis, enumera nunc actus exteriores?

M. Actus exteriores charitatis uno generico nomine vocantur beneficentia; & dividitur in quatuordecim ſpecies, quarum ſeptem vocantur eleemoſinæ corporales; aliæ verò ſeptem eleemoſinæ ſpirituales. Hìc non enumero ſingulas, quia habentur in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 11. num. 37. Videatur S. Thomas qu. 31. 32. & 33.

6. D. Extat nè præceptum affirmativum charitatis obligans nos ad actus internos?

M. Utique extat, vi cujus tenemur ad quinque primos erga Deum per ſe loquendo; primò: dum pervenimus ad uſum rationis; ſecundò: cum ſumus in articulo mortis; tertiò: quinquies, vel ſexies in anno. Et quidem complacentia, ac deſiderium de Deo ex dictis cap. 8. num. 2. precedunt ſpem: De gaudio autem, per quòd delectamur in Deo inhabitante animam noſtram per gratiam; ad evitandas omnes lites, dico me, nomine gaudii, intellexiſſe voluntariam ſuſceptionem, aut conſervationem gratiæ, ac donorum. Ad voluntariam ſuſceptionem obligatur peccator, & ad voluntariam conſervationem obligatur juſtus quinquies, vel ſexies in anno.

7 D. Plures juſti non videntur facere hos actus quolibet bimeſtri, & peccatores habituati non ſe accuſant, quòd reliquerint prædictos actus?

M. Ob innumeras vitæ humanæ tentationes, impoſſibile eſt juſtum perſeverare in gratia, niſi renovet hunc actum internum, quo velit perſeverare in gratia, vel ſimilem. Peccatores autem habituati certè violant hoc præceptum, ſed ſufficienter ſe accuſant, ſi tempus explicant, quo perſeverarunt in peccato. Hæc meo videri, una fuit ratio, ob quam Rituale adductum p. 1. c. 7. num. 15. vult pœnitentem interrogari *quam pridem ſit confeſſus*; & Confeſſores, qui de hoc habituatos non interrogant, non poſſunt ſcire numerum circumcircà peccatorum, quæ contra præceptum affirmativum charitatis fuere commiſſa. Hanc porrò doctrinam quis fortè nuſquam legerit, ſed quia jam ſupponitur hæc obligatio trium virtutum Theologalium, pro quinquies, vel ſexies in anno, danda particulariter fuit regula, ut Confeſſor juxtà illam poſſit efformare conſcientiam, & ſuam, & pœnitentis, nec non officium Judicis exercere in inquirendo numerum peccatorum.

8. D. Extat nè præceptum affirmativum pro eliciendo quinto actu charitatis, qui eſt Pax?

M. Extat eodem modo, ſed actus ille ſubſequitur ordinariè ad gaudium: hoc enim ipſo, quòd volo ſuſcipere, vel conſervare in me gratiam Dei &c. volo pariter unionem, ac ſubordinationem meæ voluntatis ad divinam, mearum virium inferiorum ad ſuperiores, & concordiam cum proximo, ſaltem in iis, quæ ſunt abſolutè neceſſaria, ut conſervetur in me gratia Dei.

9. D. Extat nè præceptum affirmativum eliciendi ſextum actum internum charitatis, qui eſt Miſericordia?

M. De actu externo Miſericordiæ loquemur poſteà: nunc autem loquimur de actu tantùm interno; qui duos comprehendit, alterum triſtitiæ de miſeria, alterum ſublevationis miſeriæ. Hos erga Deum habere non poſſumus. Explicitè non tenemur erga omnem proximum ex dictis num. 4. quando ad particulares teneamur explicitè, dicetur infrà. Neque erga corpus noſtrum tenemur explicitè; Reſtat ergo, ut teneamur ad hos duos actus erga nos ipſos, quando ſumus in miſeria, & tenemur eodem tempore, quo dictum eſt num. 6. Miſeria eſt peccatum mortale; & ita tenemur triſtari, ſed odire illum. Actus ſublevativus hujus miſeriæ

eſt

eſt amor Dei, ſeu voluntaria ſuſceptio gratiæ: quare, cum ſumus peccatores, tenemur hoc modo miſereri noſtri prædictis temporibus juxtà illud Eccli. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo*.

10. D. Extat nè præceptum affirmativum, per quod obligemur ad actus externos charitatis, ſeu miſericordiæ in proximum?

M. Ex quattuordecim operibus Miſericordiæ, in omnem proximum poteſt exerceri ſola decima quarta, quæ eſt *Orare pro vivis, & pro mortuis*. Quia verò non tenemur per actum internum tendere explicitè in omnem proximum, ita neque tenemur tendere explicitè per actum externum: quia in actu interno tenemur explicitè non excludere proximum, ita in actu orationum communium tenemur explicitè non excludere ullum proximum.

11. Extat nè præceptum affirmativum charitatis, ſeu Miſericordiæ, per quòd obligemur aliquando ad aliquem proximum?

M. Dictum eſt ex S. Thoma c.11. nu.3. charitate diligi non ſolùm quatuor objecta materialia, ſed etiam media, quibus aliqua ex illis poſſunt pertingere ad finem beatitudinis æternæ; & ex regula ſtabilita p.1. c.34. n.6. ſub mortali obligamur non modò ad charitatem, ſed ad ea etiam, ſine quibus non poteſt ſtare charitas. Adde ex S. Gregorio, quòd *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis*: unde colligis non ſolum nos obligari ad amandam, & volendam proximi beatitudinem, ſed ad volendum ea, ſine quibus non poſſet proximus habere beatitudinem, nec ſolùm ad volendum iſta, ſed etiam ad ea exteriùs exhibenda, per actus externos charitatis. Ad beatitudinem requiruntur & media corporalia, & media ſpiritualia. (Nunc loquemur de ſpiritualibus;) & ideò ſunt ſeptem eleemoſinæ ſpirituales: Ubi eſt in neceſſitate proximus, eas tenemur exhibere. Neceſſitas autem in hiſce ſpiritualibus eſt, quòd probabiliter ſperetur emendandus. Ita Chriſtianus videns alium ignorantem neceſſaria ad ſalutem, ſub mortali tenetur illum inſtruere, ſi probabiliter ſperat fructum. Ita ſub iiſdem conditionibus dare bonum conſilium. Ita tenetur corrigere delinquentem &c. Circà quam nihilominus correctionem fraternam ex S. Thoma qu. 33. primò notetur eſſe ponendam: *Si peccaverit in te frater tuus*: non igitur ſi peccaverit in publicum; præſertim contra fidem: ſecundò: ex mea correctione debet ſperari probabiliter emendatio; & propterea eſt facienda non tempore, quo delinquentis ira fervet, ſed ubi animus eſt omninò ſedatus: tertiò: ſi fui fruſtratus ſpe emendationis, & adhuc ſperem, quòd emendabitur correptus in præſentia duorum, vel trium teſtium, debeo ita corripere; quòd ſi ulteriùs fruſter hac ſpe, ſed ſperem emendandum correptione ſuperioris, omnium ultimò debeo recurrere ad Eccleſiam, ſeù Superiorem. In quocunque caſu deſit ſpes emendationis, non teneor uti medio, ex cujus poſitione non poſſum ſperare emendationem: quartò: ubi adſit hæc ſpes, inferior tenetur corripere ſuperiorem; & è contra ſuperior inferiorem, non ut ſuperior, ſed ut frater: nam ut ſuperior debet procedere per ſcientiam publicam, hoc eſt, per depoſitiones apud Notarium &c. cum conceſſione defenſionum &c. peccantque Superiores, maximè Regulares, qui aliter procedunt, & delictum ſubditi amici, etiamſi depoſitum juridicè, graviſſimumque, curant tegere, abſque ulla emendatione, imò fortè foventes aliquando ſua tolerantia. Delictum verò à ſubdito minùs benè viſo ex fragilitate commiſſum, faciunt publicum, etiamſi non adſint publicæ depoſitiones, & ſtatim procedunt ad caſtigationem per pœnas canonicas, non ad emendationem delinquentis. Hæc omnia conſideranda ſunt in actibus externis eleemoſinarum ſpiritualium.

12. Extat nè præceptum affirmativum exercendi actus externos eleemoſinarum corporalium?

M. Extat etiam hoc præceptum; quia enim vita proximi eſt medium, ut ille conſequatur beatitudinem, ubi nequit illa conſervari, obligamur ſub mortali ad eam conſervandam eleemoſinis corporalibus; & quidem ſi ſit in extrema neceſſitate, tenemur ſubvenire etiam de iis, quæ ſuperfluunt ad neceſſitatem noſtri, aut noſtrorum; ſi verò non ſit in extrema neceſſitate, tenemur illi ſubvenire de ſuperfluis noſtro ſtatui. Quomodo autem ſit judicandum hic, & nunc eſſe ſuperfluum ſtatui, videatur S. Thomas q. 32. artic. 5. & 6.

12. D. Ex vi hujus præcepti obligamur nè ad faciendum eleemoſinas de illicitè acquiſitis?

M. Re-

Digitized by Google

M. Regula ſtabilita numero præcedenti eſt univerſalis; & nihilominùs pro inſtructione præparantis ſe ad confeſſiones adhùc diſtinguendum eſt: aliqua enim dicuntur illicitè acquiſita, eo quia cum peccato acquiruntur, ſed tamen juſtè acquiruntur, ut eſt meretrix, quæ peccat quidem, ſed non contra juſtitiam. Iſta lucrum facit ſuum: qui promiſit, & alias potuit promittere, pretium non excedens, ante peccatum tenetur reſcindere contractum, ſed poſt peccatum tenetur ſolvere. Idem dic de quibuſdam ludorum contractibus, quos quidem Princeps prohibuit, ſed non irritavit. De his acquirens tenetur in prædictis caſibus, & univerſaliter poteſt facere eleemoſinam, excepto, quòd ob reverentiam ſacrorum, Eccleſia prohibuit, ut hujuſmodi lucra offerrentur ad altare; quando publicè ſcitur ex tali lucro procedere oblationes pro miſſa &c. meretrixque perſeverat in tali lucro. Alia dicuntur illicitè acquiſita, eo quia acquiruntur contra juſtitiam, & contra leges irritantes omninò talem contractum: v. g. promiſi centum Petro, ſi hoſtem occideret, & occidit: Id eſt contra juſtitiam, & contra leges Principium irritantes hujuſmodi contractum. Promiſi centum Petro, ſi mihi obtineat beneficium (in quo committitur Simonia) Promiſi centum Petro, ſi mihi obtineat gratiam etiam temporalem, à Sede Apoſtolica. Leges irritant hoſce contractus, & ſuper ultimo extat conſtitutio Alexandri VII. renovata per Innocentium XII. videnda omninò à Confeſsoribus Urbis, quia ſpecificat multos caſus particulares, quare in illis, & ſimilibus, qui promiſit, invalidè omninò recipit beneficium, & gratiam etiam temporalem, & qui accepit, non poteſt retinere ſibi, ſed tenetur erogare pauperibus. Adſunt Theologi univerſaliter aſserentes idem de omni contractu contra juſtitiam ex eo principio, quia injuſtitia non poteſt fundare juſtitiam: volunt obligari Judicem ad erogandum pauperibus, quidquid accepit ob ferendam ſententiam injuſtam. Similiter qui committunt adulterium, vel ſtuprum, imò, & Religioſi ſacrilegè peccantes contra Caſtitatem, ita ut accipientes pretium nequeant ſibi retinere. Certè fundamentum ita ſentientium eſt ſolidum: & unica forte via eliminandi tot adulteria, ſtupra &c. quæ nimis hodie regnant, eſset, ſi Superiores præſertim Eccleſiaſtici, & Regulares, irritarent hujuſmodi contractus, cogerentque ad reſtituendum pauperibus adulteras &c. quidquid receperunt in pretium adulterii &c.

13. D. Vellem ſcire, an Eccleſiaſtici ſpecialiter teneantur ad eleemoſinas: etenim multi, etiam ſpiritualiores, paucas faciunt?

M. Hoc eſt judicium temerarium. Eccleſiaſtici obedientes illi præcepto Luc. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſinam*, obediunt, & alteri, Matth. 6. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*. In genere autem circa illos ex S. Thomas q. 185. art. 7. Confeſsor hæc habebit in promptu: primò: diſtinguet bona patrimonialia à bonis Eccleſiaſticis; de illis tenetur juxta dicta n. 11. de his ſecundò Clericus eſt diſpenſator, non dominus; quare tenetur ad rectam adminiſtrationem ex juſtitia: tertiò: etiam ſi habeat pingue patrimonium, vivere poteſt de redditibus Eccleſiæ, relicto conſanguineis patrimonio: quartò: in Eccleſiis, ubi portiones non ſunt diſtinctæ redditutum quatuor faciendæ ſunt partes: prima pro Epiſcopo: ſecunda pro Clericis: tertia pro reparatione, aut ornamentis Eccleſię: quarta pro pauperibus: quintò: ut in praxi cognoſcat, an portiones hæ ſint diviſæ, conſideret, ſi proventus ſui beneficii ſint multò ampliores reliquis, ſi in urbe ſint ſeminaria, hoſpitalia, & domus hujuſmodi: ubi enim deſint pro amplitudine civitatis, erunt indiſtinctæ portiones: ſextò: ſi ſint indiſtinctè, ex S. Thoma *ad reſtitutionem tenetur* Beneficiatus dans conſanguineis, non pauperibus: ſeptimò: non ſatisfacit proprio muneri Eccleſiaſticus hauriens pingues redditus à beneficio, quod tamen ſinit ruinas minari, & miſerrimè incolas vivere, ut alibi extruat inſignes Eccleſias: octavò: congruum eſt, ut, cæteris paribus, reſpiciat ad pauperes. Horum alii ſunt voluntarii, & Deo inſervientes: alii Religionem Catholicam diſſeminant inter hæreticos, & infideles: alii ſunt in diſcrimine abnegandi fidem, jut captivi Turcharum, vel ruendi ſaltem in mille ſcelera &c. Confeſſor autem ſuo Pœnitenti Beneficiato non oſtendat tantùm obligationem erogandi eleemoſinas, verum & doceat, in quos horum pauperum utilius erogentur eleemoſinæ.

CA-

CAPUT XIII.

De Sapientiæ Dono correſpondente Charitati.

DE hac S. Thomas q 45. Diſtinguitur à ſcientia, quia hæc judicat de rebus per cauſas proximas, ut dictum eſt cap. 3. num. 6. Sapientia verò eſt judicium, ſive ſpeculativum, ſive practicum, quo homo judicat de rebus per cauſam altiſſimam, nempè, Deum. Juſtus judicans hic, & nunc ſibi eſſe comedendum ut conſervet vitam, & proficiat in gratia, habet judicium doni Scientiæ. Juſtus judicans hic, & nunc ſibi eſſe comedendum, quia Deus id præcipit, judicat per donum Sapientiæ. Doni Sapientiæ actus perfectus eſt illud judicium, quo judicamus Deum eſſe amandum, ut ſummum bonum, & ad quod immediatè ſequitur actus perfectus charitatis. Hìnc præcedens ſyllogiſmus eſt hujuſmodi *Quando inſtat obligatio amandi Deum, eſt amandus, quia ſummum bonum; ſed hic, & nunc inſtat hæc obligatio, ergo hic, & nunc eſt amandus, quia ſummum bonum.* Prima univerſalis præmiſſa eſt actus ſpeculativus doni Sapientiæ: ſecunda eſt conſcientia, ſeù dictamen rationis formatum ex regulis charitatis: concluſio eſt judicium ſpectans ad ipſam virtutem charitatis. Ad hunc ſyllogiſmum ſequitur judicium practicum, ſeù præceptum intellectus, quo dicit, *fac hunc actum charitatis ex eo motivo, quia Deus ſummè bonus eſt*. Hoc judicium in virtutibus Cardinalibus eſt actus Prudentiæ, ſed in Theologalibus, quæ fundantur in Deo, eſt actus doni Sapientiæ, & actus quidem perfectus, quia ſequitur infallibiliter ad ipſum perfecta charitas. Simile judicium præcedit fidem, quia priuſquam actu credam, judico mihi eſſe credendum, quia Deus revelavit Trinitatem Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc mihi proponitur, quod eſt judicium ſpeculativum; deinde poſt ſyllogiſmum ſequitur judicium practicum. Etiam præcedit utrumque Spem; nam ſpeculativè, & practicè judico ſperandam eſſe beatitudinem, quia Deus eſt Omnipotens, & Miſericors. Judicia tamen præcedentia Fidem, & Spem, non ſunt actus perfectus doni Sapientiæ, ſed judicia ſolùm immediatè præcedentia charitatem: ſola enim hæc judicia ordinem habent ad voluntatem, ut perfectè quieſcat in Deo.

2. D. Qui fructus, & quæ beatitudo correſpondent dono Sapientiæ.

M. S. Thomas quæſt. 45. art. 6. ponit Sapientiæ dono correſpondere ſeptimam Beatitudinem: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Dixerat autem quæſt. 9. art. 4. ad 1. quòd fructus correſpondentes dono Sapientiæ ſunt gaudium, & pax.

CAPUT XIV.

De peccatis contrariè oppoſitis Charitati, & Dono Sapientiæ.

1. DE his agit S. Thomas à qu. 34. ad 47. Peccata oppoſita charitati Dei reducuntur ad duo genera, nempè, Odium Dei, & Acidiam. Odium, quod eſt velle malum, includit tres actus ſpecie diverſos: primum oppoſitum complacentiæ, & eſt triſtari de bono divino, quatenùs eſt bonum ipſius Dei; ſecundus opponitur deſiderio, quòd Deus habeat bonum, & eſt deſiderare malum Deo: tertius opponitur gaudio de Deo, & eſt delectari, cum apprehenditur Deus habere aliquod malum. Vix committi poſſunt hujuſmodi peccata, & nihilominùs, quando committerentur, ad integram confeſſionem eſſet explicandum, de quo Dei attributo triſtaremur, vel quod Deo malum deſideraremus; explicandum, ſi triſtarer, quòd eſſet juſtus, vel miſericors &c.

2. D. Quid eſt Acidia, quam dixiſti ſecundum genus peccatorum charitati Dei oppoſitorum?

M. Quando triſtamur de bono, quod in ſe Deus habet, eſt odium, ut diximus. Acidia verò eſt triſtitia, per quam triſtamur de bono divino, quod relucet in ſerviendo illi, & faciendo opera bona, homini laborioſa. Præparans ſe ad confeſſiones, præſertìm pro examine Romano benè diſtinguat. Poſſum triſtari de opere bono, qu ia laborioſum eſt mihi, v. g. de recitatione Roſarii. In hoc caſu Acidia non eſt prohibita per ſe, ſed per accidens, juxtà dicta p. 1. c. 38. num. 16 quare Confeſſor non ſtatim damnabit pœnitentem

peccati, ſed videbit primò: an omiſerit illud opus: ſecundò: an illud opus fuerit præceptum: tertiò: ſub quo præcepto ſit injunctum, an veniali, an mortali: quòd ſi non omiſerit, ſaltèm an habuerit voluntatem deliberatam omittendi: quintò: ſi res fuerit præcepta ſub mortali, v. gr. Divinum Officium; videbit nùm res præcepta admittat parvitatem materiæ, ut eſt divinum officium; tunc enim in parva quantitate non erit mortale peccatum: ſextò: in tali caſu non eſt neceſſe, quod pœnitens accuſet ſe omiſiſſe opus illud ex tædio laboris, ſed ſufficit, quòd accuſet ſe omiſiſſe dictum opus: ſeptimò: Confeſſor interrogabit ultimam ſpeciem peccati, ut ſi ad jejunium omiſſum obligabatur ex voto, an ex præcepto Eccleſiæ &c. ſecundò: poſſum triſtari non de opere bono, quia laborioſum eſt, ſed de opere laborioſo; quia bonum, ſeù divinum eſt, ita ut mihi diſpliceat, quia tendit in gloriam Dei: Hoc eſt propriè peccatum Acidiæ per ſe prohibitum, & mortale ex genere ſuo, juxtà dicta p. 1. c. 34. num. 6. non admittens parvitatem materiæ, adeò ut ſi ex eo motivo ſolùm omittam invocare nomen *Jeſu*, ſit mortale peccatum, eſto nullam aliàs haberem obligationem invocandi, dummodò talis triſtitia ſit voluntaria, & deliberata. Si obligatus v.g. ad officium, illud omitto ex illo motivo, tunc committo duplex peccatum; aliud Acidiæ contra Charitatem, aliud omiſſionis contra Religionem; & utrumque tenetur diſtinctè pœnitens explicare; imò etiam tenetur explicare bonum opus, quod omiſit: aliud enim eſt ſpecie peccatum, ſi ex tædio omittam communicare, vel orare &c. Aliud etiam eſt, ſi ex tædio ſubordinationis ad Deum, nollem habere actum pacis. Hic enim actus eſſet directè, & per ſe oppoſitus paci. Hæc ſunt peccata per ſe oppoſita contrariè charitati Dei.

3. D. Examinatores Romani volentes haſce ſpecies accuratè diſtingui ab approbandis, non ſunt ſanè ita barbari ut ſupponebam; video nunc, quod gravarent ſuam conſcientiam, ſi aliter procederent: nam Confeſſores non ita edocti negligerent in Confeſſionali interrogare hujuſmodi ſpecies, cum ingenti damno pœnitentium. Procede jam ulteriùs explicando, cur Acidia dicatur vitium capitale, & quæ ſunt illius filiæ?

M. Ex S. Thoma qu. 35. a. 4. dico Acidiam eſſe vitium capitale, quia ad evitandam triſtitiam in operando, multa peccata committuntur; quæ propterea dicuntur oriri ex Acidia, tanquam ex capite, ſeù principio: Sex ſunt illius filiæ (in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 19. per inadvertentiam relictæ ſunt primæ duæ) *Malitia*, *Rancor*, *Puſillanimitas*, *Deſperatio*, *Torpor circà obſervantiã præceptorum*, & *Evagatio mentis circa illicita*. Malitia eſt deteſtatio bonorum operum: quare eſt genus complectens in ſe omnia opera bona, pertinebitque ad illam virtutum, cujus opera deteſtamur, v.g. injuſtitiæ, odii &c. Rancor eſt deteſtatio perſonarum, quæ nos incitant ad bonum, ut Confeſſarii, Concionatores, Parochi &c. eſt etiam genus, & explicandum erit in confeſſione, ſi ſit deteſtatio ejus, quem obligamur audire ex juſtitiâ, ut Parochus &c. Inſuper opera, propter quæ illum deteſtantur audire circà myſteria fidei neceſſaria &c. nec dabitur parvitas materiæ, ſi odio habentur, ut Miniſtri Dei, in nos excitando. Puſillanimitas eſt ſpecies peccati oppoſita Magnanimitati, & de illa ſuo loco. Deſperatio eſt contra ſpem. Torpor eſt genus peccati; & eſt in illa ſpecie, cujus præceptum omittimus. Eodem modo eſt genus peccati Evagatio mentis &c.

4. D. Quot ſunt peccata, quæ S. Thom. enumerat, ut contrariè oppoſita charitati proximi?

M. Sunt novem: primò: Odium dilectioni oppoſitum: ſecundò: Invidia oppoſita gaudio: tertiò: Diſcordia oppoſita paci, ſeù Concordiæ internæ: quartò: Contentio oppoſita Paci quòad verba: quintò: Schiſma: ſextò: Rixa: ſeptimò: Seditio: octavò: Bellum: omnia quatuor oppoſita Paci; quòad opus; & ſchiſma renuit pacem cum membris Eccleſiæ. Rixa renuit pacem cum alio privato: ſeditio renuit pacem una multitudo regni cum alia ejuſdem regni: Bellum renuit pacem unus Princeps cum alio. Nonò: ſcandalum opponitur actui externo charitatis, hoc eſt, Beneficentiæ, ut dicetur infrà. Hæc novem peccata ex genere ſuo ſunt mortalia, utpotè oppoſita charitati.

5. D. Fortè nonnulli ex hac brevi notitia hujuſmodi peccatorum, ſe credent ſufficientes ad audiendas confeſſiones; imò aliqui datâ operâ emunt ſibi libellos,

los, unde illa in compendio aſſumant, aſſumptaque cum parvo ſtudio, ſtatim ſe ſubjiciunt examini; ſed mihi ſuper hoc magnum ſcrupulum injicit Rituale adductum p.1.c.7.nu.7. quòd Confeſſor, quantam maximam poteſt, debeat habere ſcientiam: quare peto de ſingulis vitiis ſingulariter inſtrui, ita tamen ut omittantur caſus diſputati inter Doctores, ſuper quibus dixiſti ſæpiùs, non interrogari approbandos. Igitur proponet tantùm neceſſaria Confeſſori ordinario: & primò circà odium proximi.

M. Odium eſt velle malum proximo; quod ex dictis num.1. eſt in triplici ſpecie: primò; ſi triſter de bono proximi, ut eſt illius bonum: ſecundò; ſi delecter de malo, ſive quod actu habet, ſive quod imaginor illum habere, v.g. quòad primum, audio meum hoſtem fuiſſe occiſum: quòad ſecundum: imaginor, quòd meus famulus invadit, occiditque hoſtem, & gaudeo in hoc: tertiò: ſi deſiderem proximo malum. Ulteriùs etiam ex regula generali ſtabilita p.1.c.31. erit intentio, ſi intendam proximo malum, & electio, ſi eligam media, ut illi noceam &c. S. Thomas qu.34.ar.3. In omnibus autem his peccatis Confeſſor interrogabit à penitente ſpeciem ultimam, ut ſi malum volitum ſit contrà famam, contrà bona corporis &c. Inſuper, quia dictum eſt cap.12.n.5. quattordecim eleemoſinas differre ſingulas inter ſe ſpecie, Confeſſor interrogabit pœnitentem non ſolùm, quando omittit eleemoſinam, ſed etiam quando peccat contrà illas peccato commiſſionis, ut ſi imaginans Petrum indigere cibo, poſitivè dicerem *Nolo illi ſubvenire*. Idem dic de reliquis, & præcipuè de ſingulis eleemoſinis ſpiritualibus.

6. D. Hæc omnia verè Confeſſor debet inquirere, ut ſatisfaciat Rituali adducto p.1.c.7.n.19. ſed explica jam mihi ſecundum peccatum gaudio oppoſitum, & vocatur Invidia?

M. De Invidia S. Thomas qu. 36. eſt triſtitia; quæ triſtitia cum ſit paſſio, ex dictis p.1.c.32.nu.3. non eſt peccatum, niſi Confeſſor interroget pœnitentem, de quo triſtatus fuerit, & quo fine poſſum triſtari de bono, ſed de victoriis Turcharum, quia ſunt in damnum Religionis; hæc triſtitia eſt virtuoſa; ſecundò: poſſum triſtari de bono Petri, quia nollem, haberet tale bonum; hoc ex dictis n.5. eſt odium, quia eſt contra perſonam; tertiò: poſſum triſtari de bono Petri, quia illo eſt indignus: ſi triſter aliquem fuiſſe juſtificatum, quia erat indignus, eſt maximum peccatum in Spiritum Sanctum, nempè, Invidentia fraternæ gratiæ ex dictis cap.4. num.12. Idem dic de triſtitia reliquarum virtutum: Deus enim, & juſtificando, & infundendo illas, de indigno reddit dignum. Idem dic de gratiis gratis datis, ut, ſi quis faciat miracula: nam hæc non dantur ob meritum recipientis, cum peccatores poſſint facere miracula, ſed ob utilitatem Eccleſiæ. Porrò hæc, eſto non appareat hic, & nunc, nota tamen eſt Deo. Non eſſet mortale peccatum, ſi triſtarer; quia Petrus abutitur beneficio Eccleſiaſtico, redditibus, juriſdictione, amicitia, boniſque aliis temporalibus: etenim triſtitia tunc eſt de malo uſu; ſed tamen perfectæ charitatis eſt, orare Deum, ut ex malè utĕte faciat benè utentem: & ad hanc Confeſſor excitabit efficaciter Pœnitentem; tertiò: videns Petrum habere bona, poſſum triſtari, non quod ipſe habeat, ſed quod non habeam ego: & ſi ſint virtutes, hæc triſtitia dicitur Zelus, quo triſtor me non eſſe virtuoſum, ut eſt Petrus: ſi ſint bona temporalia, & inordinatè appetantur, erit avaritia; quartò: poſſum triſtari de bono Petri, quia illud in Petro apprehendo, ut diminutivum meæ excellentiæ. Diſplicet mihi, quòd Petrus obtinuerit pingue beneficium, eo præcisè, quia ego non habeo majus, vel æquale: hęc eſt propriè peccatum Invidiæ.

7. Erubui numero tertio, quia ignorabam filias Acidiæ, videns me Sacerdotem ignorare, quæ pueri debent addiſcere in doctrina Chriſtiana: & adivi ſtatim *Inſtructionem pro ordinandis* cap.12. nu.16. ut addiſcerem filias Invidiæ, ſed quia ibi non aſſignas virtutes, quibus opponuntur, aſpirans totò niſu audiendis confeſſionibus, deſidero id ſcire, quia utiliſſimum eſt Confeſſori?

M. Fateris legiſſe Inſtructionem, ſed integram ſanè non legiſti: nam Appendicis cap. 7. num. 5. extat contra aſpirantes toto niſu audiendis confeſſionibus, illa increpatio Auguſtini: *Otium ſanctum quærit charitas: quam ſarcinam ſi nullus imponat, percipiendæ, atque intuendæ*

Digitized by Google

vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſtinenda eſt propter charitatis neceſſitatem: ego tamen indulgeo tibi ex illo principio Sancti Thomæ 2. 2. quæſt. 10 art. 11. quod aliquando poteſt permitti minus malum pro conſequendo majori bono: quare permitto vehemens hoc deſiderium, ut inflammeris ad continuum ſtudium Theologiæ Moralis. Quod ais in prædicta Inſtructione non fuiſſe inſinuatas virtutes, quibus opponuntur filiæ Invidiæ, factum eſt jure; nam ibi inſtruuntur Tonſurandi, quos Tridentinum obligat ſolùm ſcire doctrinam Chriſtianam: Lacte illi ſunt nutriendi, non eſca, quæ tamen debetur Confeſſori obligato plura ſcire. Hinc jam dico, quòd filiæ Invidiæ ſunt quinque: *Odium, Suſurratio, Detractio, Gaudiū in adverſis proximi, & Afflictio in proſperis*. Odium ex nu. 5. genus peccati contrà charitatem. Suſurratio, & Detractio ſunt ſpecies contrà Juſtitiam, de quibus ſuo loco. Gaudium in adverſis eſt propriè odium ex n. 5. Afflictio in proſperis, ſi eſt, ut hæc ſunt diminutiva meæ excellentię, non eſt filia, ſed ipſa Invidia mater: eſt filia, ut affligor, & conor impedire, nè conſequatur illa proſpera; eruntque explicanda in confeſſione media, quæ eligo ad impediendum. S. Thomas q. 36. a. 4. præſertim ad 3.

8. D. Explica tertium peccatum oppoſitum Charitati proximi, quod vocatur Diſcordia?

M. Ex c. 12. n. 4. pax dicit duas uniones noſtri affectus, alteram ad Deum, & alteram ad proximum: hæc ſecunda ſine prima, vocatur Concordia, peccatumque internum illi oppoſitum vocatur Diſcordia, peccatum charitati oppoſitum, & conſequenter ex genere ſuo mortale: quando tenemur concordare ſub mortali. Erit diverſum ſpecie peccatum Diſcordię juxtà diverſitatem eorum, in quibus diſcordamus, ut ſi filius diſcordet à patre, ſubditus à Principe, miles à duce, pęnitens à Confeſſario &c. Eſt ſpeciale peccatum, ſi diſcordem animo, non tantùm facto. Diſcordat facto à patre filius, qui ſub mortali aliquid obligatus agere, non agit; & tunc in confeſſione ſufficienter ſe accuſat, dicens non obtemperaſſ[illegible] ſi formaliter intendat deobed[illegible] ab ejus voluntate, tunc [illegible] peccatum, aliud in[illegible] [illegible]rdiæ. S. Th. q. 37.

9. D. Explicà quartum peccatum charitati proximi oppoſitum in verbis, & vocatur Contentio?

M. De Contentione S. Thomas q. 38. ex quo habes tunc eſſe peccatum contentionis oppoſitum charitati, & ideò ex genere ſuo mortale; quando quis vel impugnat veritatem cognitam, vel defendit veritatem modis indebitis; & quidem impugnatio veritatis agnitæ eſt peccatum in Spiritum Sanctum, de quo c. 4. num. 12. In utroque poſſunt intervenire alia peccata: etenim ſi impugnat Hæreticus veritates Catholicas, jam peccat etiam contra fidem: ſi calumniis impugnetur, aut deſtruatur bona fama alicujus, erit contrà juſtitiam &c. ſi vera ſint, quæ ſparguntur, ſed occulta, adhuc erit contrà juſtitiam, quia peccator occultus, habet jus ad propriam famam: ſi verò crimen ſit publicum, tunc firmatur veritas modo ſolùm à charitate prohibito, quæ non vult malum proximi; & ideò peccatum erit in ſola ſpecie Contentionis; ſed hæc omnia, nè Confeſſor erret, prudenter inquirat à Pœnitente.

10. D. Explica quintum peccatum charitati proximi oppoſitum quòad opus, & vocatur Schiſma?

M. Schiſma, de quo S. Thomas qu. 39. eſt, quando quis ſe dividit, ſeu ſeparat ab unione Eccleſiæ tàm gravitèr commendata per Chriſtum; eſt graviſſimum peccatum, quia tollit maximum bonum; & fit duobus modis: primò ſi ſe ſeparet à Capite Eccleſiæ, nolens obedire Romano Pontifici, ex eo præcisè (formaliter, vel virtualiter) quia non vult ei ſubeſſe. Violans jejunium Vigiliæ renuit obedire Romano Pontifici, ſed ut ſatisfaciat gulæ, non quia renuit idem ſubeſſe, ideò non eſt ſchiſmaticus; ſecundò: ſchiſma committitur, ſi quis ſeparet ſe à communione reliquorum fidelium. Utrunque ſchiſma frequenter eſt cum hæreſi: nam ut palliet ſuam rebellionem, inducit ſe ad eredendum, quòd Romanus Pontifex non ſit caput Eccleſiæ, vel quòd fideles non ſint vera Eccleſia; ſed tamen poteſt quis eſſe ſchiſmaticus, & non hæreticus: nam ſubditus tenens in intellectu aliquem eſſe ſuum verum Principem, poteſt adhùc ab eo rebellare per voluntatem excitatam à judicio, quo hic, & nùnc judicat illi non eſſe obediendum.

11. D. Explicà ſextum peccatum cha-

ri-

ritati proximi oppoſitum quòad opus, & dicitur Bellum?

M. Bellum eſt, quando Princeps ſupremus renuit habere pacem ſive, unionem civilem cum alio ſupremo, &, ideò illum aggreditur militibus. Non ſemper eſt peccatum, quia Princeps conſtitutus, ut ſuorum offenſas vindicet, poteſt etiam vindicare offenſas in ſuum publicum illatas ab alio Principe, ſicuti pœna mortis vindicat ſuos, ita poteſt vindicare morte inimicorum. Quando eſt peccatum, directè violat charitatem, quia opponitur paci, ſed involvit alias mille injuſtitias. Ut liceat, primò requiritur cauſa efficiens, quòd bellantes ſint ſupremi Principes, non habentes tertium ſuperiorem, ad quem recurri poſſit utrinque pro juſtitia obtinenda: ſine hac conditione bellum eſt contrà juſtitiam legalem: ſecundò: debet indici ex cauſâ materiali licita. Duæ tantùm virtutes poſſunt honeſtare bellum: Juſtitia Vindicativa mali publici, & Religio; ut reparentur injuriæ illatæ illi, vel iſti: nec ardor extendendi dominium dat juſtam belli cauſam; & circà Religionis injurias, priùs judicare debet Romanus Pontifex, quòd tales ſint, ut licitè poſſit inferri bellum: tertiò: cauſa finalis debet eſſe ad obtinendam pacem ex convenienti reparatione injuriarum: quartò: cauſa inſtrumentalis debent eſſe media aliàs licita: ſolùm enim uti poſſunt inſidiis: non fraudibus. Fraudes, & inſidiæ diſtinguuntur, quòd illæ ſint ſignum per ſe deceptivum, non iſtæ. Fraude, & dolo fuit uſus ille Dux, qui jurans inducias per triduum, primâ nocte hoſtiliter egit, cauſans deinde, quòd nomine dierum intellexiſſet lucem, non ſpatium viginti quatuor horarum, uſus æquivocatione illius nominis cum dolo ex parte ſuâ, & ſimplicitate pro parte adverſarii. Sunt inſidiæ, ſi Dux, exponit à parte exercitus, reliquos milites occultet in ſylva: nèc enim tenetur exponere: Ordinarius Confeſſor ſciat hæc in confuſo: nàm caſus particulares non ita facilè poterit diſcernere noſtris temporibus, quando innumeri ſcripſerunt in favorem æquivocationum: ubi caſu contingat, priùs attentè legat S. Thom. q. 40. a. 4. q. 110. & 111. ex quo callebit doctrinam de fraudibus, aut dolis mendacibus; curabitque ſemper audire ſententias Ducum expertorum, qui tamen habeant magnum Dei timorem: quintò: ſe teneant ex parte cauſæ inſtrumentalis, perſonæ, ſeù milites, qui bellantur; & hæ, ut bellum ſit licitum, eſſe debent idoneæ. Ut dictum eſt, bellare convenit Reipublicæ: porrò non ſinguli de Republicâ ſunt apti ad officium, quod convenit multitudini. Reſpublica benè ordinata debet habere ſutores, fabros &c. quorum officium dedecet Nobiles, & eos, qui deſtinati ſunt gravioribus miniſteriis. Reſpublica includit Clericos, quos, utpotè Mediatores Dei, & hominum, dedecet bellare contrà homines: quare hos Eccleſia declaravit ineptos bello. Poterit quidem indicere bellum Princeps Eccleſiaſticus habens gladium temporalem; ſed ſicuti poteſt præcipere, non exercere ſutoriam per ſe, neque per primiores in populo, ita poteſt præcipere bellum, ſed non exercere per ſe, neque per Clericos, qui ſunt primiores in populo. Hæc circà Bellum, Porrò ſicuti Princeps non agit de illo, niſi poſt maturum conſilium, & Ducum, & Theologorum, ita non audeat Confeſſor ordinarius quicquam determinare circà illud particulariter, niſi poſt diligens ſtudium Doctorum; ſed, & priuſquam conſulat bellum, conſiderans innumera peccata, quæ oriuntur ex bello etiam licito, totus inclinet ad pacem.

12. D. Explicà ſeptimum peccatum oppoſitum charitati proximi, & dicitur Rixa?

M. Rixa, de quâ S. Thom. q. 41. eſt, quando unus abſque auctoritate debitâ, inſurgit in alium, vel pauci in paucos, violando pacem, ſeù concordiam. Si ſit ſine condicto, dicitur propriè Rixa: ſi verò ex condicto, cum deſignatione loci, & temporis, dicitur Duellum. Utrunque ſemper eſt conjunctum injuſtitiæ: nàm vel offenditur proximus, vel exponitur periculo. Rixa (non ita Duellum) poteſt eſſe ſine peccato ex parte illius, qui injuſtè invaditur, nèc potens fugere ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut dicetur de Homicidio. Confeſſor notet oriri ſemper ex contentione verborum; quarè in confeſſione primò exquiret verba, & injurias illatas in famâ deinde damnum illatum in corpore, vel quod erat periculum inferendi, cum numero perſonarum, cum quibus, vel contrà quos rixando, cooperati fuimus peccato;

quod ſi unus fuit reliquus Author rixandi, tùnc iſte non ſolùm cooperatur, ſed eſt cauſa omnium peccatorum; & ita peccat in diverſà ſpecie; propterea debet id explicare.

13. D. Explica octavum peccatum Charitati proximi oppoſitum; & dicitur Seditio?

M. Seditio dicitur, cùm ad violandam pacem, pars unius Reipublicæ inſurgit in aliam, ſive actu pugnet, ſive præparet ſe ad pugnam [quæ duo diſtinguenda erunt in confeſſione] Importat non modo peccatum contrà juſtitiam commutativam, in damnificando compartem, ſed etiam contra juſtitiam legalem, quia tendit ad tollendas leges juſtas; ſed eſt peccatum reſpectu ſolùm illius partis, quæ inſurgit, non quæ defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sant. Thomas quæſt. 42.

14. D. Explica nonum peccatum Charitati proximi oppoſitum; & vocatur Scandalum?

M. Peccata commiſſionis enumerata huc uſque opponuntur contrariè actibus internis charitatis, & in Deum, & in proximum, reſtat conſiderare peccata contrariè oppoſita beneficentiæ, ſeù actibus externis Charitatis. Beneficentia in Deum non poteſt exerceri, quia bonorum noſtrorum non eget. Reperitur tamen reſpectu Dei aliquid ſimile beneficentiæ in eo, qui quærit gloriam extrinſecam Dei; ſed hæc extrinſeca glorificatio conſiſtit in exercitio virtutum omnium, & ita peccata contrariè oppoſita huic glorificationi ſunt ſingula peccata contrariè oppoſita ſingulis virtutibus: quoàd charitatem in proximum. Beneficentia habet ex dictis c. 12. n. 10. quatuordecim actus ſpecie diverſos, quorum ſeptem ſunt eleemoſinæ corporales, & ſeptem ſpirituales. Utriuſque dantur peccata contrariè oppoſita: Non paſcere eſurientem eſt peccatum omiſſionis; at verò peccatum commiſſionis eſt tollere alteri cibum, quo reddatur eſuriens; et ipſo tamen quiſque videt, quòd hujuſmodi peccata commiſſionis ſunt formaliter contra juſtitiam; quare tractanda ſunt, ubi agetur de Juſtitia: quoad eleemoſinas ſpirituales, debent etiam dari plura ſpecie peccata contrariè oppoſita charitati proximi; ſed, ubi ſola violatur Charitas, omnia illa vocantur ſub uno generico nomine *Scandalum*, de quo videatur S. Thomas q. 43. optime diſtinguens ſcandalum activum, ſeù Phariſæorum, à paſſivo, ſeù Puſillorum.

15. Scandalum in genere eſt dictum, vel factum, proximo præbens occaſionem ruinæ, ſeù mali ſpiritualis: dicitur occaſio, non cauſa, quod notare debet Confeſſor, ut ritè ſuum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris exerceat: etenim imperio, ſuaſione, conſilio &c. cauſans in alio peccatum, non peccat ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra virtutem, ad quam violandam inducit, v. g. contra Caſtitatem, contra Juſtitiam &c. Hinc ſequitur, quòd ut cauſa inducens ad violandam juſtitiam, & ipſe tenetur reſtituere. At vero, qui ſolùm ſuo malo exemplo inducit hominem ad peccatum, iſte dicitur occaſio peccati, & peccat ſolùm contra charitatem: quare, ſi malo exemplo inducerem alium ad furandum, quia non lędo juſtitiam, non teneor reſtituere, quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ. Confeſſor hæc omnia diligenter inquirat, an ſolo malo exemplo pęnitens induxerit proximum ad furtum &c. vel etiam verbis &c. nam hoc eſt neceſſarium, ut cognoſcat ſpeciem peccati, & ulteriùs, ut obliget ad reſtitutionem, quando pœnitens fuit cauſa injuſtitiæ, ſed non ſi malo exemplo fuit tantùm occaſio.

16. Scandalum debet eſſe occaſio ruinæ data, non accepta. Dat occaſionem murmurationum ſæcularibus ille Confeſſor, qui quotidie viſitat fœminas pœnitentes, abſque adſiſtentia Socii, tempore minùs congruo, vel plus debito, in die magni concurſus detinet eaſdem ad confeſſionale, quamvis agat ſemper de rebus ſpiritualibus; Poſſunt etiam nonnulli aliquando ſcandalizari, quod longior ſit in audiendo confeſſiones, eſto plus debito non inſumat, & vere pęnitens indigeat toto illo tempore; hoc eſt ſcandalum puſillorum; ſed ſi aliqui ſcandalizentur de veris actibus virtutum, poſtea quam ſufficienter innotuit virtuosè tales actus exerceri, tùnc erit ſcandalum Phariſæorum. Circa duplex hocce ſcandalum videatur S. Thom. a. 6. 7 & 8. ubi docet, quæ bona temporalia, vel etiam ſpiritualia ſint dimittenda ut evitetur ſcandalum puſillorum. Hic ea non refero, quia Confeſſori ordinario, in partibus Catholicorum, fortè numquam

con-

contingет ; ut teneatur explicare pœnitenti, quæ debeat dimittere, ut evitet tale ſcandalum ; & ſi caſus contingat, poterit petere tempus, ut maturiùs ſtudeat, conſiliumque Doctorum exquirat. Ubi autem opus hoc incideret in manus Miſſionarii, prævideat ex ſe caſus, qui contingere poſſent in ſua miſſione, Superioriſque judicium authoritativum petat, ipſius etiam Congregationis de Propaganda Fide, cujus Eminentiſſimi Cardinales, Apoſtolica verè patientia, & benignitate, ſolent audire hujuſmodi dubia, & decidere cum conſilio principaliorum Theologorum de Urbe.

17. Scandalum, ut audiſti n. 15. eſt genus peccati; quare Confeſſor, quò ritè ſuum munus exerceat Iudicis, Medici, & Doctoris, in Confeſſionali debet inquirere ſpeciem ultimam peccati: quæ deſumitur ex ultima ſpecie peccati, ad quam homo inducit malo exemplo; quare pænitens interrogabitur, ſi induxit ad violandam caſtitatem, & in quâ ſpecie; ſi ad violandam juſtitiam, & in quâ ſpecie &c. Porrò quia ex dictis part. 1. c. 34. n. 9. differentia objecti materialis facit differentiam numericam, pœnitens interrogandus erit non ſolùm quoties, verùm etiam quot ſcandalizaverit. Ulteriùs notetur ad praxim, quòd ego pluries obligatus interrogavi adoleſcentiores incipientes peccare contrà caſtitatem, quomodo commiſerint primùm illud peccatum, & nonnulli reſponderunt ſe inductos vel exemplo (quod eſt peccatum ſcandali) vel verbis perditorum (quod eſt eſſe cauſam) nuſquam tamen audivi ſe accuſantem de hoc peccato inductionis; ad quod non advertunt, nec unquam ſanè, ob malignitatem temporum, advertent, niſi ſeriò Confeſſarii, Concionatores, & Parochi docentes doctrinam Chriſtianam, inculcent malitiam hujus peccati diſtincti, & ad illud eradicandum, viriliter incumbant prudenti, ſed efficaci monitione.

18. D. Explicatis peccatis contrà Charitatem, explicà peccatum Stultitiæ, quod eſt peccatum oppoſitum dono Sapientiæ?

M. De hoc peccato agit Sant. Thomas quæſt. 46. & eſt, quando quis obligatus ad judicandum per altiſſimam cauſam, nempè, Deum, redderetur ſtupidus, ita ut non judicaret: v. g. dictum eſt, antequam eliciantur actus fidei, ſpei, & charitatis, hominem teneri ad judicandum, quòd ſit credendum articulis, quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ, & per illam nobis: ad judicandum, quòd debeamus ſperare, quia Deus eſt omnipotens, & miſericors, ad judicandum, quòd debeamus amare, quia Deus eſt ſummè bonus. Igitur ſi homo, ubi obligatur, talium virtutum actus omittat quia ſtupidus neſcit judicare, committit peccatum ſtultitiæ, ſed quia obligamur ad hoc judicium per accidens, ratione virtutum præceptarum, in confeſſione ſufficienter ſe accuſabit, ſi dicat ſe omiſiſſe actus talium virtutum; ſed ſi prævidens, quòd ex luxuria, quæ ut plurimùm eſt mater ſtultitiæ, incidet in talem ſtupiditatem, quòd tempore debito, non poterit formare hujuſmodi judicium, vel ſi velit poſitivè ita eſſe ſtupidus, in hoc duplici caſu ſtultitia eſt peccatum per ſe, diſtinctè explicandum: quare pœnitens tenebitur primò explicare peccata luxuriæ: ſecundò: quoties omiſerit actus virtutum Theologalium: tertiò: peccatum ſtultitiæ, quam directè, vel indirectè voluit, cum tempore, quo in eà duravit, ut hujus peccati numerum ſciat circumcirca Confeſſor. Omnia etiam peccata Charitati oppoſita, ſi beſtialia ſint, opponuntur dono Sapientiæ, ut eſt contrà Miſericordiam Obſtinatio Acidiæ filia, de quâ n. 5. & ſexta blaſphemia in Spiritum Sanctum, de quâ c. 4. n. 12.

19. D. Quæ propoſitiones prohibitæ tangunt virtutem Charitatis?

M. Circà charitatem Dei, vide primam Alexandri Septimi, quintam, ſextam, & ſeptimam Innocentii XI. primam inter duas Alexandri VIII. Inter ejuſdem 31. ſunt etiam nonnullæ, ſed magis videntur afficere Scholaſticos, quàm Morales. Porrò pro animabus, quæ profitentur Myſticam, releges 68. damnatas ab Innocentio XI. & 23. Innocentii XII. Præceptum affirmativum charitatis proximi tangitur in 10. & 11. Innocentii XI. Odium, ſeu Invidia tangitur in 13. 14. & 15. ejuſdem. Secunda verò Alexandri VII. tangit Rixam ex conflicto, ſeu Duello. Circà actus externos beneficentiæ extat 12. Innocentii XI.

20. D. Ex peccatis contra Charitatem extat ne aliquod reſervatum?

M. In §. primo Bullæ Cœnæ infligitur

excommunicatio reſervata Papæ contrà ſchiſmaticos. In Tridentino, aliiſqu Conſtitutionibus Pontificiis infligitur excommunicatio contrà Rixantes ex condicto, ſeù Duelliſtas, à qua intra Italiam, & extra Urbem, juxta dicta part. 1. c. 10. n. 6. non poſſunt abſolvere Privilegiati.

21. D. Peccata charitati oppoſita admittunt ne parvitatem materiæ?

M. Ex regula ſtabilita p. 1. c. 36. n. 5. nullum peccatum oppoſitum charitati Dei admittit parvitatem materiæ, neque Acidia, dummodo de illa diſſeras, uti dictum eſt n. 2. Neque parvitatem materiæ admittunt peccata contra charitatem proximi, quæ violant unitatem multitudinis, quia ſemper eſt graviſſimum malum violare hanc unitatem. Igitur Schiſma, Seditio, & Bellum erunt ſemper peccata mortalia, ſi habeant perfectam rationem ſchiſmatis &c. In odio, contentione, ac rixa, quæ ſunt contra particulares, quia poteſt inferri parvum nocumentum, erit veniale ex parvitate materiæ, quamvis omninò deliberate intendam illud leve nocumentum. Circa ſcandalum audiſti n. 5. eſſe genus peccati; quare ſi ſim occaſio ſufficiens peccati non admittentis parvitatem materiæ, neque illam admittet ſcandalum; v. g. ſi ſum occaſio peccati contra caſtitatem, dummodò meum factum, vel dictum non inducat nimis remote; in hoc enim caſu eſt veniale non ex parvitate materiæ, circa quam verſatur, ſed ex parvo influxu, quem habet in peccatum.

22. D. Quas pœnitentias debet Confeſſarius imponere violantibus charitatem?

M. Sicut eadem veſtis non poteſt eſſe omnino proportionata duobus hominibus, præſertim, quando alter eſt parvus, & alter magnus; ita nec eadem pœnitentia. Habenda igitur ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 22. ratio *ſtatus*, *conditionis*, *ætatis*, & *diſpoſitionis*, imponendo juxta eadem, contrarias peccatis pœnitentias. At potiſſimùm Confeſſor in illos officium Doctoris exerceat, quò circa charitatis excellentem in intellectu illuminati, ex ſe ipſis voluntatem inclinent charitati ferventiùs in poſterum exercendæ. Igitur oſtendat quàm ſit excellens charitas in proximum, adeo ut è cœlo deſcenderit Dei filius illam exerciturus perfectiſſimè. Nullum eſt efficacius ſignum charitatis Dei in nos, quàm charitas proximi. Tantùm illa creſcit, quantùm iſta: quod proximis impendimus, Chriſtus acceptat, ut ſibi impenſum. Ex Appendice ad *Inſtructionem pro ordinandis* c. 17. explicet vim veræ Miſericordiæ; quia verò exempla plurimùm accedunt, nonnulla colligat ex capitibus, quæ ibi ſequuntur. At Confeſſarius pauper carens libris, ex Breviarii lectionibus in ſecundo Nocturno, quæ talibus abundant hauriat. Dicta vero Patrum pro excellentia charitatis aſſumat ex Evangeliis, & Epiſtolis Apoſtolorum, præſertìm S. Joannis ad primum Nocturnum, & ex Homiliis ad tertium. Diſtinguat rudibus hæc duo: velle malum furi, & velle bona ſibi rapta à fure; ſecundum ordinarie licere: primum omnino prehiberi à Chriſto. Qui vero ſpirituales, præferunt ſe velle punitionem furis, ut actum juſtitiæ Vindicativæ, moneantur primò, ne odium verè foveant ſub ſpecie virtutis: ſecundò: juſtitiæ charitatem preæminere: tertiò: omnes obligari, vel ſaltem incitari ad charitatem, ad juſtitiam verò vindicativam obligari ſolos ſuperiores: quartò: tùnc eſſe zelum juſtitiæ, quando magis ardeſcimus in peccata contra Deum: eſſe amorem proprium, ſi omnia ſuſdeque vertimus, ubi quis minimum peccat in nos; connivemus autem, ſi noſter amicus majora delinquat in Deum.

CAPUT XV.

De Prudentia Virtute Cardinali, & Dono Conſilii correſpondente.

1. AD operandum non requiritur tantùm ſyllogiſmus concludens finem; ſed alius requiritur, ſive formaliter, ſive ſaltem virtualiter diſtinctus, concludens media pro executione finis: v. g. ad eliciendum actum charitatis in proximum, non ſufficit iſte ſyllogiſmus: *Indigenti eſt ſubveniendum, ſed Petrus hic, & nunc indiget, ergo hic, & nunc ſubveniendum eſt Petro*. Poſt hæc debeo conſulere media, quibus illi ſubveniam; ſi pecunia, cibo, vel veſte; ſi mutuò, vel donatione &c. Poſt conſilium, debeo judicare, quod nam ex repræſentatis ſit medium opportunius, & quantum ſit dandum, illudque

que præcipere. Hæc igitur omnia, quæ, præſuppoſito per priorem ſyllogiſmum fine virtutis, aguntur in intellectu noſtro circà media, ut actus in ſingulari prodeat omni ex parte virtuoſus, pertinent ad Prudentiam, ſi ſint circà Virtutes Cardinales humano modo operabiles: At verò pertinent ad Conſilii donum, ſi ſint circà Theologales; vel circà Cardinales, ut operabiles ex motione Sancti Spiritus. Poſſum conficere datum ſyllogiſmum de ſubventione pauperis, & ex miſericordia naturali, & ex mero Dei amore, ſi eliciam hoc ſecundo motivo, tùnc per donum Conſilii, conſulo, ſeu inquiro media ſubveniendi; ex dono Conſilii judico in ſubventionem eligendam eſſe aſſignationem menſtruam toto vitæ ſuæ tempore, quò non ampliùs indigeat: per donum Conſilii præcipio hanc aſſignationem menſtruam. Circà fidem elicui hunc ſyllogiſmum: *Quæ Deus revelavit. & præcipit explicitè credi, ſunt explicitè credenda pro aliquo tempore, ſed hujuſmodi ſunt tria myſteria Trinitatis, Incarnationis, & Remunerationis, ergo ſunt credenda pro aliquo tempore*. Primæ præmiſſæ terminos percipimus per donum Intellectus, & cognoſcimus per donum Scientiæ, juxtà dicta cap. 3. num. 26. ſecunda particularis eſt conſcientia, ſeu dictamen procedens, & ex donis, & ex virtute fidei; concluſio eſt judicium ſpectans ad ipſam virtutem fidei. His poſitis inquiro media, ſcilicèt, quod ſit tempus opportunius ad eliciendum actum fidei circà prædicta myſteria, omnibuſque penſatis, judico tempus opportunum præcipuè eſſe bis in die, cum ſurgo manè, & veſperi, cum vado cubitum; præcipioque mihi elicere hos actus prædictis temporibus. Hæc omnia aguntur in nobis per donum Conſilii. Libuit hæc explicare clariùs, & longiùs, quia nemo Moralium Modernorum ea tractat, & aliàs crediderim ſic explicata plurimùm poſſe prodeſſe præparanti ſe ad confeſſiones, tùm ut ſe, tùm ut ſuos pœnitentes dirigat in actionibus virtutum. S. Thom. à q. 57. ad 57.

2. D. Dixiſti tria ſpectare ad Prudentiam, conſulere, ſeù inquirere media, judicare de mediis, & præcipere media, ſunt nè hæc tria unus, & idem actus Prudentiæ?

M. Hi tres non modò ſunt actus diverſi, ſed & procedunt à diverſis virtutibus. Conſiliari media ſpectat ad virtutem Eubuliæ. Judicare de mediis poteſt ſpectare ad duas virtutes: In Philoſophiâ, & Theologiâ Morali notum eſt, quòd ubi, ratione materiæ, invenitur ſpecialis difficultas ad ſe exercendum in parvo, & in magno, neceſſaria eſt diverſa virtus pro actu circà parvum, & pro actu circa magnum. Quia erogans virtuosè parvam pecuniam, poteſt habere difficultatem in eroganda magna, ideò liberalitas eſt diſtincta virtus à magnificentia, quæ inclinat ad magnos ſumptus, & conſequenter ad erogationem ingentis pecuniæ. Pari paſſu Philotimia inclinans ad mediocres honores diſtinguitur a magnanimitate inclinante ad ſummos honores. Id etiam locum habet in Juriſprudentia; quare Princeps concedens aliquid in univerſali, non concedit illo reſcripto, quæ habent ſpecialem difficultatem; propterea ex dictis p. 1. c. 21. n. 5. Alexander VII. declaravit non concedi abſolutionem hæreſis in Jubilæis, eſtò univerſalitèr conceduntur omnes caſus Bullæ Cœnæ, quia, ut ait, in ſuà Conſtitutione, ob ſpecialem difficultatem concedendi hanc abſolutionem, hæreſis eſt ſpeciali notà digna. Cùm hac reſervatione procedunt quotidie Principes. Hanc regulam generalem applicando caſui noſtro, dicimus, quòd aliquando judicium circà media procedit ex principiis communibus, aliquando autem ex principiis altioribus: v. g. Petrus apud me repoſuit enſem, & repetit: ex principiis communibus judico eſſe reddendum, quia depoſitum debet ſtare ad inſtantiam deponentis; veruntamen ſi video Petrum iratum, qui repetit gladium ad occidendum hoſtem, tùnc non debeo judicare ex principiis communibus, ſi quæ dictat ratio depoſiti, ſed ex principiis altioribus teneor judicare, quòd in tali circumſtantia non ſit reddendus gladius. Igitur primum judicium procedens ex principiis communibus habetur per virtutem Syneſis: alterum procedens ex principiis altioribus habetur per virtutem Gnome: Tandèm poſt conſilium, & judicium habetur per virtutem Prudentiæ præceptum *Fac hoc*, vel ſimile, ab intellectu practico factum voluntati, quæ taliter mota elicit actum virtutis, v. g. Juſtitiæ: qui actus eſt elicitive a virtute Juſtitiæ, ſed directive a virtute Prudentiæ. Porrò Eubulia, Syne-

Syneſis, & Gnome ſunt virtutes minùs principales, quia inſerviunt ad actum præcepti, qui eſt principalis; & ſic Prudentia dicitur virtus Cardinalis: aliæ dicuntur partes potentiales ejuſdem Prudentiæ. S. Thomas q. 51.

3. D. Quid requiritur, ut actus Prudentiæ ſit integrè, & omni ex parte perfectus?

M. Iſte articulus non eſt adeò neceſſarius pro multitudine confluentium ad ſacramentum Pœnitentiæ. His enim ſufficit elicere actum præceptum quòad ſubſtantiam, nec curant elicere actus omni ex parte perfectos; nihilominus adſunt pœnitentes, qui ſtudent perfectioni; & hos Confeſſor debet inſtruere; magis tamen eſt neceſſarius ipſi Confeſſori: nam Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 7. vult, quòd habeat *quantam maximam poteſt, prudentiam*. Debet enim Miniſter operari ſimillimè ad cauſam principalem, quæ eſt Chriſtus. Porrò S. Thomas q. 49. enumerat octo. Igitur primò Confeſſor habeat memoriam, quæ applicat principia univerſalia caſibus particularibus; unde oportet ſcire caſus particulares, qui diſcuntur experimento, & tempore. Quomodo juvari poſſit memoria explicat art. 1. ad 2. S. Thomas, docetque juvari præcipuè ex ſtudio cum affectu diſcendi. Hanc primam partem Confeſſori pluries Rituale commendat, dùm inculcat ſtudium Theologiæ Moralis, conjunctum ſcientiæ de caſibus reſervatis &c. De ſcientia principiorum univerſalium eſt dictum p. 1. c. 38. Experimentum verò præcipit idem Rituale, dùm vult Confeſſorem facilem, & promptum audiendis confeſſionibus. Vide part. 1. cap. 7. numer. 10. ſecundò habeat Intellectum, & ut virtutem, & ut Donum, ſeù cognitionem univerſalium principiorum; ex quibus facilè deducat deciſionem caſus particularis. Ex hujus defectu Moraliſtæ nonnulli docuere Theſes, quas Apoſtolica Sedes damnavit, & hærent Confeſſarii complures, quia non habent in ſuo libello caſum ſingularem, quando nec omnes poſſunt exſcribi. Huic defectui ſupplendo præſens inſtructio dat regulas generales; at meliùs videri poterunt in legibus ab Apoſtolica Sede firmatis per damnationes Theſeon, per declarationes &c. nec non ex continua lectione S. Thomæ. Ut habeat Confeſſor hanc ſecundam partem, compoſita eſt ordinatio tota Ritualis pro ſacramento Pœnitentiæ. Tertiò ſit docilis, facilis, & promptus, quæ ex ſe non habet, edoceri ab aliis doctis, & piis at præſertim à proprio Epiſcopo, quem ſibi Deus conſtituit Doctorem. Rituale commendat hanc tertiam partem, ubi p. 7. c. 7. n. 7. commendat *prudens conſilium peritorum*. Cum hoc procedunt omnes Urbis Congregationes, præcipuè Sacra Pœnitentiaria, & Sancta Inquiſitio, ſed, & Romanus Pontifex, nec non Concilia Oecumenica, quamvis habeat adſiſtentiam Spiritus Sancti, nec invenias Judicem, qui habens judicem, qui habens judicare de uno obolo, priùs accuratè non examinet leges, & non audiat Advocatos utrinque: quanquam Judex ipſe ſit doctiſſimus. At Confeſſor judicaturus de ſalute animæ; ſtatim ex Tripode judicat, unicè innixus libello, quem vix legit primis oculis, dùm ſe præſentabat examini pro audiendis confeſſionibus: quartò ſit Solers, ex ſe inveniens facilè, ubi ſtat ratio peccati, & media medendis animæ morbis. Hanc quartam partem Rituale meminit n. 19. dùm vult interrogandas ſpeciem, numerum, & circumſtantias peccatorum: quintò ſit benè ratiocinativus, inquirens omnia, quæ, pro, & contra ſe dicit Pœnitens, ut inde concludat, an ſit damnandus, vel excuſandus à peccato. Hanc quintam partem Rituale meminit n. 18. dùm vult interpellari pęnitentem, quando eſt opus aliquid meliùs intelligere: ſextò ſit providens, ne in futurum pęnitens relabatur. Hanc ſextam partem Rituale meminit, dum n. 7. Confeſſorem ait Arbitrum inter Deum, & homines, *ut honori divino, & animaruum ſaluti conſulat*: ſeptimò ſit circumſpectus attendens ad mala præſentia. Rituale n. 20. *ne ſcandalum patiantur* Pęnitentes, Octavò ſit cautus ad mala futura. Rituale ibidem, *indeque peccare diſcant*.

4. D. Prudentia eſt ne una Virtus?

M. Confeſſori eſt maximè neceſſarium ſcire, in quot ſpecies Prudentia diſtinguatur: quia debet interrogare ſpeciem, numerum, &c. Rituale, n. 19. Sunt igitur quinque ſpecies: Prima dicitur Monaſtica; per hanc homo dirigit ſe in ſuum finem: Secunda dicitur Oeconomica; per hanc pater familias dirigit domum in finem debitum familiæ. Tertia eſt Politica: per hanc ſubditus dirigit ſe in finem debitũ Reipub.

juxtà ordinationem Principis: quarta eſt Militaris: per hanc Dux dirigit exercitum in finem victoriæ. Quinta eſt Regnativa; per hanc Princeps dirigit Rempublicam in finem communis tranquillitatis. Hæc ſubdividitur in alias ſpecies infimas, juxtà varios modos regendi; & quælibet ex illis præter primam, reperitur in uno perfectiſſimè, in alio magis, in alio minùs: v.g. perfectè reperitur Oeconomica in Patre familias; minùs perfectè in Matre: minuſque perfectè in Magiſtro domus &c. Idem dic de Militari, quæ reperitur perfectiſſimè in ſupremo Duce; minùs perfectè gradatim in reliquis Officialibus. Idem dic de Regnativa, ſuiſque ſpeciebus. Reperitur hæc perfectè in ſupremo Principe: minùs perfectè in Baronibus, qui habent rationem dominii, ſed, & in Judicibus, Conſiliariis, aliiſque Miniſtris Reipublicæ. Et hujuſmodi miniſteriorum diverſitas conſtituit diverſitatem ſpecificam Prudentiæ, adeò ut peccans contrà illam debeat id explicare in confeſſione.

5. D. Extat nè præceptum aliquod affirmativum eliciendi unquam actus Prudentiæ.

M. Cui præcipitur finis, præcipitur etiam ponere media neceſſaria ad conſequendum finem. Porrò eſt notandum, quòd alia media ſunt de ſe utilia, & alia omninò neceſſaria. Extat præceptum ponendi ſecunda, non prima. Sic obligatus elicere actum jejunii, tenetur conſulere, ſeù inquirere media omninò neceſſaria, judicare de illis, & præcipere pro jejunando. Idem dic de reliquis virtutibus, quando obligamur exercere actus illarum, quia tunc per prudentiam Monaſticam tenemur illis trium virtutum actibus providere media, ſine quibus impoſſibile eſſet conſequi vitam æternam. Quoad alias ſpecies, obligatur ſub mortali ſubditus, ut ſe diſponat ad recipiendas inſtructiones Superiorum, quæ ſunt omninò neceſſariæ pro fine illius Superioris: v.g. filius, quæ pater familias media profert, ſine quibus non poſſet, ſervari pax familiæ, quoad ſubſtantiam; & ita de reliquis. E contra Superiores tenentur providere media pro tranquillitate ſibi commiſſa. Confeſſor media omninò neceſſaria, ut pœnitens juſtificetur &c. Notandum tamen, quòd ſpecies Prudentiæ, præter Monaſticam habent dirigere ad bonum commune, velut ad finem; non ad bonum ſingulorum de communitate.

6. D. Obligat nè Prudentia ex genere ſuo ad mortale?

M. Ex regula ſtabilita p.1. c.34. num.6. prudentia non obligat ex genere ſuo ad mortale, ſed ſi obligemur ad aliquem finem ſub mortali, & media ſint omninò neceſſaria, tunc prudentia obligabit ſub mortali.

7. D. Confeſſori eſt neceſſarium ſcire, an virtus obliget, vel per ſe, vel per accidens ob dicta p.1. cap.38. num. 16. quia ſi per accidens tantùm obligat, non tenetur pœnitens explicare ſpecialiter illud peccatum. Igitur peto, an Prudentia obliget per ſe, vel per accidens?

M. Prudentia obligat per accidens, niſi in caſu, quo præviderem, vel tenerer prævidere media nonnulla eſſe neceſſaria pro tali fine, ad quod obligor ſub mortali, & nollem ponere v.gr. Princeps prævidens, quòd permittendo impunè fures, turbabitur regnum, & nullum ponens medium ut impediat, quia non vult, peccat duplici peccato, altero contrà juſtitiam Vindicativam, non caſtigando fures, altero contrà Prudentiam regnativam, non ponendo tale medium pro tranquillitate regni. Utrumque debet explicare in confeſſione. Hoc ſecundum, utpotè contra bonum commune, de natura ſua eſt graviſſimum. Sed hæc ſunt peccata Superiorum, ut Superiorum, de quibus vix eſt Superior, qui ſe accuſet, quia Confeſſores, & Concionatores ſuper illis non inſtruunt. Unus narratur Caroli quinti Confeſſor, qui audita confeſſione, regeſſerit: *Dixiſti peccata Caroli: dic peccata Principis*. Accuſant ſe de impatientiis &c. ſed vix de omiſſione Prudentiæ alioquinam graviter obligantis pro bono communi.

8. D. Quod eſt donum Conſilii correſpondens Virtuti Prudentiæ?

M. Tres actus Prudentiæ, ſcilicèt, Conſilium, Judicium, & Præceptum ex num. 2. eliciuntur per virtutes diſtinctas; Ubi verò movemur ad operationem per donum Spiritus Sancti, idem habitus, utpotè perfectior, habet elicere tres illos actus, licèt ſpecie diverſos; quare donum Conſilii inquirit, judicat, & præcipit media. Hoc donum ſupplet prudentiam Monaſticam in ponendis mediis pro conſecutione

tione

peccati, ſed videbit primò: an omiſerit illud opus: ſecundò: an illud opus fuerit præceptum: tertiò: ſub quo præcepto ſit injunctum, an veniali, an mortali: quòd ſi non omiſerit, ſaltèm an habuerit voluntatem deliberatam omittendi: quintò: ſi res fuerit præcepta ſub mortali, v. gr. Divinum Officium; videbit nùm res præcepta admittat parvitatem materiæ, ut eſt divinum officium; tunc enim in parva quantitate non erit mortale peccatum: ſextò: in tali caſu non eſt neceſſe, quod pœnitens accuſet ſe omiſiſſe opus illud ex tædio laboris, ſed ſufficit, quòd accuſet ſe omiſiſſe dictum opus: ſeptimò: Confeſſor interrogabit ultimam ſpeciem peccati, ut ſi ad jejunium omiſſum obligabatur ex voto, an ex præcepto Eccleſiæ &c. ſecundò: poſſum triſtari non de opere bono, quia laborioſum eſt, ſed de opere laborioſo; quia bonum, ſeù divinum eſt, ita ut mihi diſpliceat, quia tendit in gloriam Dei: Hoc eſt propriè peccatum Acidiæ per ſe prohibitum, & mortale ex genere ſuo, juxtà dicta p. 1. c. 34. num. 6. non admittens parvitatem materiæ, adeò ut ſi ex eo motivo ſolùm omittam invocare nomen *Jeſu*, ſit mortale peccatum, eſto nullam aliàs haberem obligationem invocandi, dummodò talis triſtitia ſit voluntaria, & deliberata. Si obligatus v.g. ad officium, illud omitto ex illo motivo, tunc committo duplex peccatum; aliud Acidiæ contra Charitatem, aliud omiſſionis contra Religionem; & utrumque tenetur diſtinctè pœnitens explicare; imò etiam tenetur explicare bonum opus, quod omiſit: aliud enim eſt ſpecie peccatum, ſi ex tędio omittam communicare, vel orare &c. Aliud etiam eſt, ſi ex tædio ſubordinationis ad Deum, nollem habere actum pacis. Hic enim actus eſſet directè, & per ſe oppoſitus paci. Hæc ſunt peccata per ſe oppoſita contrariè charitati Dei.

3. D. Examinatores Romani volentes haſce ſpecies accuratè diſtingui ab approbandis, non ſunt ſanè ita barbari ut ſupponebam; video nunc, quod gravarent ſuam conſcientiam, ſi aliter procederent: nam Confeſſores non ita edocti negligerent in Confeſſionali interrogare hujuſmodi ſpecies, cum ingenti damno pœnitentium. Procede jam ulteriùs explicando, cur Acidia dicatur vitium capitale, & quæ ſunt illius filiæ?

M. Ex S. Thoma qu. 35. a. 4. dico Acidiam eſſe vitium capitale, quia ad evitandam triſtitiam in operando, multa peccata committuntur; quæ propterea dicuntur oriri ex Acidia, tanquam ex capite, ſeù principio: Sex ſunt illius filiæ (in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 19. per inadvertentiam relictæ ſunt primæ duæ) *Malitia*, *Rancor*, *Puſillanimitas*, *Deſperatio*, *Torpor circà obſervantiā præceptorum*, & *Evagatio mentis circa illicita*. Malitia eſt deteſtatio bonorum operum: quare eſt genus complectens in ſe omnia opera bona, pertinebitque ad illam virtutum, cujus opera deteſtamur, v.g. injuſtitiæ, odii &c. Rancor eſt deteſtatio perſonarum, quæ nos incitant ad bonum, ut Confeſſarii, Concionatores, Parochi &c. eſt etiam genus, & explicandum erit in confeſſione, ſi ſit deteſtatio ejus, quem obligamur audire ex juſtitià, ut Parochus &c. Inſuper opera, propter quæ illum deteſtantur audire circà myſteria fidei neceſſarla &c. nec dabitur parvitas materiæ, ſi odio habentur, ut Miniſtri Dei, in nos excitando. Puſillanimitas eſt ſpecies peccati oppoſita Magnanimitati, & de illa ſuo loco. Deſperatio eſt contra ſpem. Torpor eſt genus peccati; & eſt in illa ſpecie, cujus præceptum omittimus. Eodem modo eſt genus peccati Evagatio mentis &c.

4. D. Quot ſunt peccata, quæ S. Thom. enumerat, ut contrariè oppoſita charitati proximi?

M. Sunt novem: primò: Odium dilectioni oppoſitum: ſecundò: Invidia oppoſita gaudio: tertiò: Diſcordia oppoſita paci, ſeù Concordiæ internæ: quartò: Contentio oppoſita Paci quòad verba: quintò: Schiſma: ſextò: Rixa: ſeptimò: Seditio: octavò: Bellum: omnia quatuor oppoſita Paci; quòad opus; & ſchiſma renuit pacem cum membris Eccleſiæ. Rixa renuit pacem cum alio privato: ſeditio renuit pacem una multitudo regni cum alia ejuſdem regni: Bellum renuit pacem unus Princeps cum alio. Nonò: ſcandalum opponitur actui externo charitatis, hoc eſt, Beneficentiæ, ut dicetur infrà. Hæc novem peccata ex genere ſuo ſunt mortalia, utpotè oppoſita charitati.

5. D. Fortè nonnulli ex hac brevi notitia hujuſmodi peccatorum, ſe credent ſufficientes ad audiendas confeſſiones; imò aliqui datà operà emunt ſibi libel-

los,

los, unde illa in compendio aſſumant, aſſumptaque cum parvo ſtudio, ſtatim ſe ſubjiciunt examini; ſed mihi ſuper hoc magnum ſcrupulum injicit Rituale adductum p.1.c.7.nu.7. quòd Confeſſor, quantam maximam poteſt, debeat habere ſcientiam: quare peto de ſingulis vitiis ſingulariter inſtrui, ita tamen ut omittantur caſus diſputati inter Doctores, ſuper quibus dixiſti ſæpiùs, non interrogari approbandos. Igitur proponet tantùm neceſſaria Confeſſori ordinario: & primò circà odium proximi.

M. Odium eſt velle malum proximo; quod ex dictis num.1. eſt in triplici ſpecie: primò; ſi triſter de bono proximi, ut eſt illius bonum: ſecundò; ſi delecter de malo, ſive quod actu habet, ſive quod imaginor illum habere, v g. quoad primum, audio meum hoſtem fuiſſe occiſum: quoad ſecundum: imaginor, quòd meus famulus invadit, occiditque hoſtem, & gaudeo in hoc: tertiò: ſi deſiderem proximo malum. Ulteriùs etiam ex regula generali ſtabilita p.1.c.31. erit intentio, ſi intendam proximo malum, & electio, ſi eligam media, ut illi noceam &c. S. Thomas qu.34.ar.3. In omnibus autem his peccatis Confeſſor interrogabit à pœnitente ſpeciem ultimam, ut ſi malum volitum ſit contrà famam, contrà bona corporis &c. Inſuper, quia dictum eſt cap.12.n.5. quattuordecim eleemoſinas differre ſingulas inter ſe ſpecie, Confeſſor interrogabit pœnitentem non ſolùm, quando omittit eleemoſinam, ſed etiam quando peccat contrà illas peccato commiſſionis, ut ſi imaginans Petrum indigere cibo, poſitivè dicerem *Nolo illi ſubvenire*. Idem dic de reliquis, & præcipuè de ſingulis eleemoſinis ſpiritualibus.

6. D. Hæc omnia verè Confeſſor debet inquirere, ut ſatisfaciat Rituali adducto p.1.c.7.n.19. ſed explica jam mihi ſecundum peccatum gaudio oppoſitum, & vocatur Invidia?

M. De Invidia S. Thomas qu.36. eſt triſtitia; quæ triſtitia cum ſit paſſio, ex dictis p.1.c.32.nu.3. non eſt peccatum, niſi Confeſſor interroget pœnitentem, de quo triſtatus fuerit, & quo fine poſſum triſtari de bono; ſed de victoriis Turcharum, quia ſunt in damnum Religionis; hæc triſtitia eſt virtuoſa; ſecundò: poſſum triſtari de bono Petri, quia nollem, haberet tale bonum; hoc ex dictis n.5. eſt odium, quia eſt contra perſonam; tertiò: poſſum triſtari de bono Petri, quia illo eſt indignus: ſi triſter aliquem fuiſſe juſtificatum, quia erat indignus, eſt maximum peccatum in Spiritum Sanctum, nempè, Invidentia fraternæ gratiæ ex dictis cap.4. num.12. Idem dic de triſtitia reliquarum virtutum: Deus enim, & juſtificando, & infundendo illas, de indigno reddit dignum. Idem dic de gratiis gratis datis, ut, ſi quis faciat miracula: nam hæc non dantur ob meritum recipientis, cum peccatores poſſint facere miracula, ſed ob utilitatem Eccleſiæ. Porrò hæc, eſto non appareat hic, & nunc, nota tamen eſt Deo. Non eſſet mortale peccatum, ſi triſtarer; quia Petrus abutitur beneficio Eccleſiaſtico, redditibus, juriſdictione, amicitia, boniſque aliis temporalibus: etenim triſtitia tunc eſt de malo uſu; ſed tamen perfectæ charitatis eſt, orare Deum, ut ex malè utẽte faciat benè utentem: & ad hanc Confeſſor excitabit efficaciter Pœnitentem; tertiò: videns Petrum habere bona, poſſum triſtari, non quod ipſe habeat, ſed quod non habeam ego: & ſi ſint virtutes, hæc triſtitia dicitur Zelus, quo triſtor me non eſſe virtuoſum, ut eſt Petrus: ſi ſint bona temporalia, & inordinatè appetantur, erit avaritia; quartò: poſſum triſtari de bono Petri, quia illud in Petro apprehendo, ut diminutivum meæ excellentiæ. Diſplicet mihi, quòd Petrus obtinuerit pingue beneficium, eo præcisè, quia ego non habeo majus, vel æquale: hæc eſt propriè peccatum Invidiæ.

7. Erubui numero tertio, quia ignorabam filias Acidiæ, videns me Sacerdotem ignorare, quæ pueri debent addiſcere in doctrina Chriſtiana: & adivi ſtatim *Inſtructionem pro ordinandis* cap.12. nu.16. ut addiſcerem filias Invidiæ, ſed quia ibi non aſſignas virtutes, quibus opponuntur, aſpirans toto niſu audiendis confeſſionibus, deſidero id ſcire, quia utiliſſimum eſt Confeſſori?

M. Fateris legiſſe Inſtructionem, ſed integram ſanè non legiſti: nam Appendicis cap.7. num.5. extat contra aſpirantes toto niſu audiendis confeſſionibus, illa increpatio Auguſtini: *Otium ſanctum quærit charitas: quam ſarcinam ſi nullus imponat, percipiendæ atque intuendæ*

vacandum eſt veritati: ſi autem imponitur, ſuſtinenda eſt propter charitatis neceſſitatem: ego tamen indulgeo tibi ex illo principio Sancti Thomæ 2. 2. quæſt. 10 art. 11. quod aliquando poteſt permitti minus malum pro conſequendo majori bono: quare permitto vehemens hoc deſiderium, ut inflammeris ad continuum ſtudium Theologiæ Moralis. Quod ais in prædicta Inſtructione non fuiſse inſinuatas virtutes, quibus opponuntur filiæ Invidiæ, factum eſt jure; nam ibi inſtruuntur Tonſurandi, quos Tridentinum obligat ſolùm ſcire doctrinam Chriſtianam: Lacte illi ſunt nutriendi, non eſca, quæ tamen debetur Confeſſori obligato plura ſcire. Hinc jam dico, quòd filiæ Invidiæ ſunt quinque: *Odium, Suſurratio, Detractio, Gaudiũ in adverſis proximi, & Afflictio in proſperis*. Odium ex nu. 5. genus peccati contrà charitatem. Suſurratio, & Detractio ſunt ſpecies contrà Juſtitiam, de quibus ſuo loco. Gaudium in adverſis eſt propriè odium ex n. 5. Afflictio in proſperis, ſi eſt, ut hæc ſunt diminutiva meæ excellentię, non eſt filia, ſed ipſa Invidia mater: eſt filia, ut affligor, & conor impedire, nè conſequatur illa proſpera; eruntque explicanda in confeſſione media, quæ eligo ad impediendum. S. Thomas q. 36. a. 4 præſertim ad 3.

8. D. Explica tertium peccatum oppoſitum Charitati proximi, quod vocatur Diſcordia?

M. Ex c. 12. n. 4. pax dicit duas uniones noſtri affectus, alteram ad Deum, & alteram ad proximum: hæc ſecunda ſine prima, vocatur Concordia, peccatumque internum illi oppoſitum vocatur Diſcordia, peccatum charitati oppoſitum, & conſequentèr ex genere ſuo mortale: quando tenemur concordare ſub mortali. Erit diverſum ſpecie peccatum Diſcordię juxtà diverſitatem eorum, in quibus diſcordamus, ut ſi filius diſcordet à patre, ſubditus à Principe, miles à duce, pęnitens à Confeſſario &c. Eſt ſpeciale peccatum, ſi diſcordem animo, non tantùm facto. Diſcordat facto à patre filius, qui ſub mortali aliquid obligatus agere, non agit; & tunc in confeſſione ſufficienter ſe accuſat, dicens non obtemperaſse patri. At ſi formaliter intendat deobedire, ut diſcordet ab ejus voluntate, tunc committit duplex peccatum, aliud inobedientiæ, aliud diſcordiæ S. Th. q. 37.

9. D. Explicà quartum peccatum charitati proximi oppoſitum in verbis, & vocatur Contentio?

M. De Contentione S. Thomas q. 38. ex quo habes tunc eſse peccatum contentionis oppoſitum charitati, & ideò ex genere ſuo mortale; quando quis vel impugnat veritatem cognitam, vel defendit veritatem modis indebitis; & quidem impugnatio veritatis agnitæ eſt peccatum in Spiritum Sanctum, de quo c. 4. num. 12. In utroque poſsunt intervenire alia peccata: etenim ſi impugnat Hæreticus veritates Catholicas, jam peccat etiam contra fidem: ſi calumniis impugnetur, aut deſtruatur bona fama alicujus, erit contrà juſtitiam &c. ſi vera ſint, quæ ſparguntur, ſed occulta, adhuc erit contrà juſtitiam, quia peccator occultus, habet jus ad propriam famam: ſi verò crimen ſit publicum, tunc firmatur veritas modo ſolùm à charitate prohibito, quæ non vult malum proximi; & ideò peccatum erit in ſola ſpecie Contentionis; ſed hæc omnia, nè Confeſsor erret, prudenter inquirat à Pœnitente.

10. D. Explica quintum peccatum charitati proximi oppoſitum quòad opus, & vocatur Schiſma?

M. Schiſma, de quo S. Thomas qu. 39. eſt, quando quis ſe dividit, ſeù ſeparat ab unione Eccleſiæ tàm graviter commendata per Chriſtum; eſt graviſſimum peccatum, quia tollit maximum bonum; & fit duobus modis: primò ſi ſe ſeparet à Capite Eccleſiæ, nolens obedire Romano Pontifici, ex eo præciſè (formaliter, vel virtualiter) quia non vult ei ſubeſse. Violans jejunium Vigiliæ renuit obedire Romano Pontifici, ſed ut ſatisfaciat gulæ, non quia renuit idem ſubeſse, ideò non eſt ſchiſmaticus; ſecundò: ſchiſma committitur, ſi quis ſeparet ſe à communione reliquorum fidelium. Utrunque ſchiſma frequenter eſt cum hæreſi: nam ut palliet ſuam rebellionem, inducit ſe ad credendum, quòd Romanus Pontifex non ſit caput Eccleſiæ, vel quòd fideles non ſint vera Eccleſia; ſed tamen poteſt quis eſse ſchiſmaticus, & non hæreticus: nam ſubditus tenens in intellectu aliquem eſse ſuum verum Principem, poteſt adhùc ab eo rebellare per voluntatem excitatam à judicio, quo hìc, & nùnc judicat illi non eſse obediendum.

11. D. Explicà ſextum peccatum cha-

ri-

Digitized by Google

ritati proximi oppoſitum quòad opus, & dicitur Bellum?

M. Bellum eſt, quando Princeps ſupremus renuit habere pacem ſive, unionem civilem cum alio ſupremo, &, ideò illum aggreditur militibus. Non ſemper eſt peccatum, quia Princeps conſtitutus, ut ſuorum offenſas vindicet, poteſt etiam vindicare offenſas in ſuum publicum illatas ab alio Principe, ſicuti pœna mortis vindicat ſuos, ita poteſt vindicare morte inimicorum. Quando eſt peccatum, directè violat charitatem, quia opponitur paci, ſed involvit alias mille injuſtitias. Ut liceat, primò requiritur cauſa efficiens, quòd bellantes ſint ſupremi Principes, non habentes tertium ſuperiorem, ad quem recurri poſſit utrinque pro juſtitia obtinenda: ſine hac conditione bellum eſt contrà juſtitiam legalem: ſecundò: debet indici ex causâ materiali licita. Duæ tantùm virtutes poſſunt honeſtare bellum: Juſtitia Vindicativa mali publici, & Religio; ut reparentur injuriæ illatæ illi, vel iſti: nec ardor extendendi dominium dat juſtam belli cauſam; & circà Religionis injurias, priùs judicare debet Romanus Pontifex, quòd tales ſint, ut licitè poſſit inferri bellum: tertiò: cauſa finalis debet eſſe ad obtinendam pacem ex convenienti reparatione injuriarum: quartò: cauſa inſtrumentalis debent eſſe media aliàs licita: ſolùm enim uti poſſunt inſidiis: non fraudibus. Fraudes, & inſidiæ diſtinguuntur, quòd illæ ſint ſignum per ſe deceptivum, non iſtæ. Fraude, & dolo fuit uſus ille Dux, qui jurans inducias per triduum, primâ nocte hoſtiliter egit, cauſans deinde, quòd nomine dierum intellexiſſet lucem, non ſpatium viginti quatuor horarum, uſus æquivocatione illius nominis cum dolo ex parte ſuâ, & ſimplicitate pro parte adverſarii. Sunt inſidiæ, ſi Dux, exponit à parte exercitus, reliquos milites occultet in ſylva: nèc enim tenetur exponere: Ordinarius Confeſſor ſciat hæc in confuſo: nàm caſus particulares non ita facilè poterit diſcernere noſtris temporibus, quando innumeri ſcripſerunt in favorem æquivocationum: ubi caſu contingat, priùs attentè legat S. Thom. q. 40. a. 4. q. 110. & 111. ex quo callebit doctrinam de fraudibus, aut dolis mendacibus; curabitque ſemper audire ſententias Ducum expertorum, qui tamen habeant magnum Dei timorem: quintò: ſe teneant ex parte cauſæ inſtrumentalis, perſonæ, ſeù milites, qui bellantur; & hæ, ut bellum ſit licitum, eſſe debent idoneæ. Ut dictum eſt, bellare convenit Reipublicæ: porrò non ſinguli de Republicà ſunt apti ad officium, quod convenit multitudini. Reſpublica benè ordinata debet habere ſutores, fabros &c. quorum officium dedecet Nobiles, & eos, qui deſtinati ſunt gravioribus miniſteriis. Reſpublica includit Clericos, quos, utpotè Mediatores Dei, & hominum, dedecet bellare contrà homines: quare hos Eccleſia declaravit ineptos bello. Poterit quidem indicere bellum Princeps Eccleſiaſticus habens gladium temporalem; ſed ſicuti poteſt præcipere, non exercere ſutoriam per ſe, neque per primiores in populo, ita poteſt præcipere bellum, ſed non exercere per ſe, neque per Clericos, qui ſunt primiores in populo. Hæc circà Bellum, Porrò ſicuti Princeps non agit de illo, niſi poſt maturum conſilium, & Ducum, & Theologorum, ita non audeat Confeſſor ordinarius quicquam determinare circà illud particulariter, niſi poſt diligens ſtudium Doctorum; ſed, & priuſquam conſulat bellum, conſiderans innumera peccata, quæ oriuntur ex bello etiam licito, totus inclinet ad pacem.

12. D. Explicà ſeptimum peccatum oppoſitum charitati proximi, & dicitur Rixa?

M. Rixa, de quà S. Thom. q. 41. eſt, quando unus abſque auctoritate debitâ, inſurgit in alium, vel pauci in paucos, violando pacem, ſeù concordiam. Si ſit ſine condicto, dicitur propriè Rixa: ſi verò ex condicto, cum deſignatione loci, & temporis, dicitur Duellum. Utrunque ſemper eſt conjunctum injuſtitiæ: nàm vel offenditur proximus, vel exponitur periculo. Rixa (non ita Duellum) poteſt eſſe ſine peccato ex parte illius, qui injuſtè invaditur, nèc potens fugere ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut dicetur de Homicidio. Confeſſor notet oriri ſemper ex contentione verborum; quarè in confeſſione primò exquiret verba, & injurias illatas in famâ deinde damnum illatum in corpore, vel quod erat periculum inferendi, cum numero perſonarum, cum quibus, vel contrà quos rixando, cooperati fuimus peccato;

quod ſi unus fuit reliquus Author rixandi, tùnc iſte non ſolùm cooperatur, ſed eſt cauſa omnium peccatorum; & ita peccat in diversà ſpecie; propterea debet id explicare.

13. D. Explica octavum peccatum Charitati proximi oppoſitum; & dicitur Seditio?

M. Seditio dicitur, cùm ad violandam pacem, pars unius Reipublicæ inſurgit in aliam, ſive actu pugnet, ſive præparet ſe ad pugnam [quæ duo diſtinguenda erunt in confeſſione] Importat non modo peccatum contrà juſtitiam commutativam, in damnificando compartem, ſed etiam contra juſtitiam legalem, quia tendit ad tollendas leges juſtas; ſed eſt peccatum reſpectu ſolùm illius partis, quæ inſurgit, non quæ defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sant. Thomas quæſt. 42.

14. D. Explica nonum peccatum Charitati proximi oppoſitum; & vocatur Scandalum?

M. Peccata commiſſionis enumerata huc uſque opponuntur contrariè actibus internis charitatis, & in Deum, & in proximum, reſtat conſiderare peccata contrariè oppoſita beneficentiæ, ſeù actibus externis Charitatis. Beneficentia in Deum non poteſt exerceri, quia bonorum noſtrorum non eget. Reperitur tamen reſpectu Dei aliquid ſimile beneficentiæ in eo, qui quærit gloriam extrinſecam Dei; ſed hæc extrinſeca glorificatio conſiſtit in exercitio virtutum omnium, & ita peccata contrariè oppoſita huic glorificationi ſunt ſingula peccata contrariè oppoſita ſingulis virtutibus: quòad charitatem in proximum. Beneficentia habet ex dictis c. 12. n. 10. quatuordecim actus ſpecie diverſos, quorum ſeptem ſunt eleemoſinæ corporales, & ſeptem ſpirituales. Utriuſque dantur peccata contrariè oppoſita: Non paſcere eſurientem eſt peccatum omiſſionis; at verò peccatum commiſſionis eſt tollere alteri cibum, quo reddatur eſuriens; et ipſo tamen quiſque videt, quòd hujuſmodi peccata commiſſionis ſunt formaliter contra juſtitiam; quare tractanda ſunt, ubi agetur de Juſtitia: quoad eleemoſinas ſpirituales, debent etiam dari plura ſpecie peccata contrariè oppoſita charitati proximi; ſed, ubi ſola violatur Charitas, omnia illa vocantur ſub uno generico nomine *Scandalum*, de quo videatur S. Thomas q. 43. optime diſtinguens ſcandalum activum, ſeù Phariſæorum, à paſſivo, ſeù Puſillorum.

15. Scandalum in genere eſt dictum, vel factum, proximo præbens occaſionem ruinæ, ſeù mali ſpiritualis: dicitur occaſio, non cauſa, quod notare debet Confeſſor, ut ritè ſuum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris exerceat: etenim imperio, ſuaſione, conſilio &c. cauſans in alio peccatum, non peccat ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra virtutem, ad quam violandam inducit, v. g. contra Caſtitatem, contra Juſtitiam &c. Hinc ſequitur, quòd ut cauſa inducens ad violandam juſtitiam, & ipſe tenetur reſtituere. At vero, qui ſolùm ſuo malo exemplo inducit hominem ad peccatum, iſte dicitur occaſio peccati, & peccat ſolùm contra charitatem: quare, ſi malo exemplo inducerem alium ad furandum, quia non lędo juſtitiam, non teneor reſtituere, quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ. Confeſſor hæc omnia diligenter inquirat, an ſolo malo exemplo pęnitens induxerit proximum ad furtum &c. vel etiam verbis &c. nam hoc eſt neceſſarium, ut cognoſcat ſpeciem peccati, & ulteriùs, ut obliget ad reſtitutionem, quando pœnitens fuit cauſa injuſtitiæ, ſed non ſi malo exemplo fuit tantùm occaſio.

16. Scandalum debet eſſe occaſio ruinæ data, non accepta. Dat occaſionem murmurationum ſæcularibus ille Confeſſor, qui quotidie viſitat fœminas pœnitentes, abſque adſiſtentia Socii, tempore minùs congruo, vel plus debito, in die magni concurſus detinet eaſdem ad confeſſionale, quamvis agat ſemper de rebus ſpiritualibus; Poſſunt etiam nonnulli aliquando ſcandalizari, quod longior ſit in audiendo confeſſiones, eſto plus debito non inſumat, & vere pęnitens indigeat toto illo tempore; hoc eſt ſcandalum puſillorum; ſed ſi aliqui ſcandalizentur de veris actibus virtutum, poſtea quam ſufficienter innotuit virtuosè tales actus exerceri, tùnc erit ſcandalum Phariſæorum. Circa duplex hocce ſcandalum videatur S. Thom. a. 6. 7 & 8. ubi docet, quæ bona temporalia, vel etiam ſpiritualia ſint dimittenda ut evitetur ſcandalum puſillorum. Hic ea non refero, quia Confeſſori ordinario, in partibus Catholicorum, fortè numquam con-

continget, ut teneatur explicare pœnitenti, quæ debeat dimittere, ut evitet tale ſcandalum; & ſi caſus contingat, poterit petere tempus, ut maturiùs ſtudeat, conſiliumque Doctiorum exquirat. Ubi autem opus hoc incideret in manus Miſſionarii, prævideat ex ſe caſus, qui contingere poſſent in ſua miſſione, Superiorisque judicium authoritativum petat, ipſius etiam Congregationis de Propaganda Fide, cujus Eminentiſſimi Cardinales, Apoſtolica verè patientia, & benignitate, ſolent audire hujuſmodi dubia, & decidere cum conſilio principaliorum Theologorum de Urbe.

17. Scandalum, ut audiſti n. 15. eſt genus peccati; quare Confeſſor, quò ritè ſuum munus exerceat Iudicis, Medici, & Doctoris, in Confeſſionali debet inquirere ſpeciem ultimam peccati: quæ deſumitur ex ultima ſpecie peccati, ad quam homo inducit malo exemplo; quare pænitens interrogabitur, ſi induxit ad violandam caſtitatem, & in quà ſpecie; ſi ad violandam juſtitiam, & in quà ſpecie &c. Porrò quia ex dictis part. 1. c. 34. n. 9. differentia objecti materialis facit differentiam numericam, pœnitens interrogandus erit non ſolùm quoties, verùm etiam quot ſcandalizaverit. Ulteriùs notetur ad praxim, quòd ego pluries obligatus interrogavi adoleſcentiores incipientes peccare contrà caſtitatem, quomodo commiſerint primùm illud peccatum, & nonnulli reſponderunt ſe inductos vel exemplo (quod eſt peccatum ſcandali) vel verbis perditorum (quod eſt eſſe cauſam) nuſquam tamen audivi ſe accuſantem de hoc peccato inductionis; ad quod non advertunt, nec unquam ſanè, ob malignitatem temporum, advertent, niſi ſeriò Confeſſarii, Concionatores, & Parochi docentes doctrinam Chriſtianam, inculcent malitiam hujus peccati diſtincti, & ad illud eradicandum, viriliter incumbant prudenti, ſed efficaci monitione.

18. D. Explicatis peccatis contrà Charitatem, explicà peccatum Stultitiæ, quod eſt peccatum oppoſitum dono Sapientiæ?

M. De hoc peccato agit Sant. Thomas quæſt. 46. & eſt, quando quis obligatus ad judicandum per altiſſimam cauſam, nempè, Deum, redderetur ſtupidus, ita ut non judicaret; v. g. dictum eſt, antequam eliciantur actus fidei, ſpei, & charitatis, hominem teneri ad judicandum, quòd ſit credendum articulis, quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ, & per illam nobis: ad judicandum, quòd debeamus ſperare, quia Deus eſt omnipotens, & miſericors, ad judicandum, quòd debeamus amare, quia Deus eſt ſummè bonus. Igitur ſi homo, ubi obligatur, talium virtutum actus omittat quia ſtupidus neſcit judicare, committit peccatum ſtultitiæ, ſed quia obligamur ad hoc judicium per accidens, ratione virtutum præceptarum, in confeſſione ſufficienter ſe accuſabit, ſi dicat ſe omiſiſſe actus talium virtutum; ſed ſi prævidens, quòd ex luxuria, quæ ut plurimùm eſt mater ſtultitiæ, incidet in talem ſtupiditatem, quòd tempore debito, non poterit formare hujuſmodi judicium, vel ſi velit poſitivè ita eſſe ſtupidus, in hoc duplici caſu ſtultitia eſt peccatum per ſe, diſtinctè explicandum: quare pœnitens tenebitur primò explicare peccata luxuriæ: ſecundò: quoties omiſerit actus virtutum Theologalium: tertiò: peccatum ſtultitiæ, quam directè, vel indirectè voluit, cum tempore, quo in eà duravit, ut hujus peccati numerum ſciat circumcircà Confeſſor. Omnia etiam peccata Charitati oppoſita, ſi beſtialia ſint, opponuntur dono Sapientiæ, ut eſt contrà Miſericordiam Obſtinatio Acidiæ filia, de quà n. 3. & ſexta blaſphemia in Spiritum Sanctum, de quà c. 4. n. 12.

19. D. Quæ propoſitiones prohibitæ tangunt virtutem Charitatis?

M. Circà charitatem Dei, vide primam Alexandri Septimi, quintam, ſextam, & ſeptimam Innocentii XI. primam inter duas Alexandri VIII. Inter ejuſdem 31. ſunt etiam nonnullæ, ſed magis videntur afficere Scholaſticos, quàm Morales. Porrò pro animabus, quæ profitentur Myſticam, releges 68. damnatas ab Innocentio XI. & 23. Innocentii XII. Præceptum affirmativum charitatis proximi tangitur in 10. & 11. Innocentii XI. Odium, ſeu Invidia tangitur in 13. 14. & 15. ejuſdem. Secunda verò Alexandri VII. tangit Rixam ex conflicto, ſeu Duello. Circà actus externos beneficentiæ extat 12. Innocentii XI.

20. D. Ex peccatis contrà Charitatem extat ne aliquod reſervatum?

M. In §. primo Bullæ Cœnæ infligitur

Digitized by Google

excommunicatio reſervata Papæ contrà ſchiſmaticos. In Tridentino, aliiſqu Conſtitutionibus Pontificiis infligitur excommunicatio contrà Rixantes ex condicto, ſeù Duelliſtas, à qua intra Italiam, & extra Urbem, juxta dicta part. 1. c. 10. n. 6. non poſſunt abſolvere Privilegiati.

21. D. Peccata charitati oppoſita admittunt ne parvitatem materiæ?

M. Ex regula ſtabilita p. 1. c. 36. n. 5. nullum peccatum oppoſitum charitati Dei admittit parvitatem materiæ, neque Acidia, dummodo de illa differas, uti dictum eſt n. 2. Neque parvitatem materiæ admittunt peccata contra charitatem proximi, quæ violant unitatem multitudinis, quia ſemper eſt graviſſimum malum violare hanc unitatem. Igitur Schiſma, Seditio, & Bellum erunt ſemper peccata mortalia, ſi habeant perfectam rationem ſchiſmatis &c. In odio, contentione, ac rixa, quæ ſunt contra particulares, quia poteſt inferri parvum nocumentum, erit veniale ex parvitate materiæ, quamvis omninò deliberate intendam illud leve nocumentum. Circa ſcandalum audiſti n. 5. eſſe genus peccati; quare ſi ſim occaſio ſufficiens peccati non admittentis parvitatem materiæ, neque illam admittet ſcandalum; v. g. ſi ſum occaſio peccati contra caſtitatem, dummodò meum factum, vel dictum non inducat nimis remote; in hoc enim caſu eſt veniale non ex parvitate materiæ, circa quam verſatur, ſed ex parvo influxu, quem habet in peccatum.

22. D. Quas pęnitentias debet Confeſſarius imponere violantibus charitatem?

M. Sicut eadem veſtis non poteſt eſſe omnino proportionata duobus hominibus, præſertim, quando alter eſt parvus, & alter magnus; ita nec eadem pęnitentia. Habenda igitur ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 22. ratio *ſtatus*, *conditionis*, *ætatis*, & *diſpoſitionis*, imponendo juxta ïdem, contrarias peccatis pęnitentias. At potiſſimùm Confeſſor in illos officium Doctoris exerceat, quò circa charitatis excellentem in intellectu illuminati, ex ſe ipſis voluntatem inclinent charitati ferventiùs in poſterum exercendæ. Igitur oſtendat quàm ſit excellens charitas in proximum, adeo ut è cœlo deſcenderit Dei filius illam exerciturus perfectiſſimè. Nullum eſt efficacius ſignum charitatis Dei in nos, quàm charitas proximi. Tantùm illa creſcit, quantùm iſta: quod proximis impendimus, Chriſtus acceptat, ut ſibi impenſum. Ex Appendice ad *Inſtructionem pro ordinandis* c. 17. explicet vim veræ Miſericordiæ; quia verò exempla plurimùm accedunt, nonnulla colligat ex capitibus, quæ ibi ſequuntur. At Confeſſarius pauper carens libris, ex Breviarii lectionibus in ſecundo Nocturno, quæ talibus abundant hauriat. Dicta vero Patrum pro excellentia charitatis aſſumat ex Evangeliis, & Epiſtolis Apoſtolorum, præſertìm S. Joannis ad primum Nocturnum, & ex Homiliis ad tertium. Diſtinguat rudibus hæc duo: velle malum furi, & velle bona ſibi rapta à fure; ſecundum ordinarie licere: primum omnino prehiberi à Chriſto. Qui vero ſpiritualiores, præferunt ſe velle punitionem furis, ut actum juſtitiæ Vindicativæ, moneantur primò, ne odium verè foveant ſub ſpecie virtutis: ſecundò: juſtitiæ charitatem preæminere: tertiò: omnes obligari, vel ſaltem incitari ad charitatem, ad juſtitiam verò vindicativam obligari ſolos ſuperiores: quartò: tùnc eſſe zelum juſtitiæ, quando magis ardeſcimus in peccata contra Deum: eſſe amorem proprium, ſi omnia ſuſdeque vertimus, ubi quis minimum peccat in nos; connivemus autem, ſi noſter amicus majora delinquat in Deum.

CAPUT XV.

De Prudentia Virtute Cardinali, & Dono Conſilii correſpondente.

1. AD operandum non requiritur tantùm ſyllogiſmus concludens finem; ſed alius requiritur, ſive formaliter, ſive ſaltem virtualiter diſtinctus, concludens media pro executione finis: v. g. ad eliciendum actum charitatis in proximum, non ſufficit iſte ſyllogiſmus: *Indigenti eſt ſubveniendum, ſed Petrus hìc, & nùnc indiget, ergo hìc, & nùnc ſubveniendum eſt Petro*. Poſt hæc debeo conſulere media, quibus illi ſubveniam; ſi pecunia, cibo, vel veſte; ſi mutuò, vel donatione &c. Poſt conſilium, debeo judicare, quod nam ex repræſentatis ſit medium opportunius, & quantum ſit dandum, illud-

que

que præcipere. Hæc igitur omnia, quæ, præſuppoſito per priorem ſyllogiſmum fine virtutis, aguntur in intellectu noſtro circà media, ut actus in ſingulari prodeat omni ex parte virtuoſus, pertinent ad Prudentiam, ſi ſint circà Virtutes Cardinales humano modo operabiles: At verò pertinent ad Conſilii donum, ſi ſint circà Theologales; vel circà Cardinales, ut operabiles ex motione Sancti Spiritus. Poſſum conficere datum ſyllogiſmum de ſubventione pauperis, & ex miſericordia naturali, & ex mero Dei amore, ſi eliciam hoc ſecundo motivo, tùnc per donum Conſilii, conſulo, ſeu inquiro media ſubveniendi; ex dono Conſilii judico in ſubventionem eligendam eſſe aſſignationem menſtruam toto vitæ ſuæ tempore, quò non ampliùs indigeat: per donum Conſilii præcipio hanc aſſignationem menſtruam. Circà fidem elicui hunc ſyllogiſmum: *Quæ Deus revelavit, & præcipit explicitè credi, ſunt explicitè credenda pro aliquo tempore, ſed hujuſmodi ſunt tria myſteria Trinitatis, Incarnationis, & Remunerationis, ergo ſunt credenda pro aliquo tempore*. Primæ præmiſſæ terminos percipimus per donum Intellectus, & cognoſcimus per donum Scientiæ, juxtà dicta cap. 3. num. 26. ſecunda particularis eſt conſcientia, ſeù dictamen procedens, & ex donis, & ex virtute fidei; concluſio eſt judicium ſpectans ad ipſam virtutem fidei. His poſitis inquiro media, ſcilicèt, quod ſit tempus opportunius ad eliciendum actum fidei circà prædicta myſteria, omnibuſque penſatis, judico tempus opportunum præcipuè eſſe bis in die, cum ſurgo manè, & veſperi, cum vado cubitum; præcipioque mihi elicere hos actus prædictis temporibus. Hæc omnia aguntur in nobis per donum Conſilii. Libuit hæc explicare clariùs, & longiùs, quia nemo Moralium Modernorum ea tractat, & aliàs crediderim ſic explicata plurimùm poſſe prodeſſe præparanti ſe ad confeſſiones, tùm ut ſe, tùm ut ſuos pœnitentes dirigat in actionibus virtutum. S. Thom. à q. 57. ad 57.

2. D. Dixiſti tria ſpectare ad Prudentiam, conſulere, ſeù inquirere media, judicare de mediis, & præcipere media, ſunt nè hæc tria unus, & idem actus Prudentiæ?

M. Hi tres non modò ſunt actus diverſi, ſed & procedunt à diverſis virtutibus. Conſiliari media ſpectat ad virtutem Eubuliæ. Judicare de mediis poteſt ſpectare ad duas virtutes: In Philoſophià, & Theologià Morali notum eſt, quòd ubi, ratione materiæ, invenitur ſpecialis difficultas ad ſe exercendum in parvo, & in magno, neceſſaria eſt diverſa virtus pro actu circà parvum, & pro actu circa magnum. Quia erogans virtuosè parvam pecuniam, poteſt habere difficultatem in eroganda magna, ideò liberalitas eſt diſtincta virtus à magnificentia, quæ inclinat ad magnos ſumptus, & conſequenter ad erogationem ingentis pecuniæ. Pari paſſu Philotimia inclinans ad mediocres honores diſtinguitur a magnanimitate inclinante ad ſummos honores. Id etiam locum habet in Juriſprudentia; quare Princeps concedens aliquid in univerſali, non concedit illo reſcripto, quæ habent ſpecialem difficultatem; proptereà ex dictis p. 1. c. 21. n. 5. Alexander VII. declaravit non concedi abſolutionem hæreſis in Jubilæis, eſtò univerſalitèr concedantur omnes caſus Bullæ Cœnæ, quia, ut ait, in ſuà Conſtitutione, ob ſpecialem difficultatem concedendi hanc abſolutionem, hæreſis eſt ſpeciali notà digna. Cùm hac reſervatione procedunt quotidie Principes. Hanc regulam generalem applicando caſui noſtro, dicimus, quòd aliquando judicium circà media procedit ex principiis communibus, aliquando autem ex principiis altioribus: v. g. Petrus apud me repoſuit enſem, & repetit: ex principiis communibus judico eſſe reddendum, quia depoſitum debet ſtare ad inſtantiam deponentis; veruntamen ſi video Petrum iratum, qui repetit gladium ad occidendum hoſtem, tùnc non debeo judicare ex principiis communibus, ſi quæ dictat ratio depoſiti, ſed ex principiis altioribus teneor judicare, quòd in tali circumſtantia non ſit reddendus gladius. Igitur primum judicium procedens ex principiis communibus habetur per virtutem Syneſis: alterum procedens ex principiis altioribus habetur per virtutem Gnome: Tandèm poſt conſilium, & judicium habetur per virtutem Prudentiæ præceptum *Fac hoc*, vel ſimile, ab intellectu practico factum voluntati, quæ taliter mota elicit actum virtutis, v. g. Juſtitiæ: qui actus eſt elicitive a virtute Juſtitiæ, ſed directive a virtute Prudentiæ. Porrò Eubulia, Syne-

Syneſis, & Gnome ſunt virtutes minùs principales, quia inferviunt ad actum præcepti, qui eſt principalis; & ſic Prudentia dicitur virtus Cardinalis: aliæ dicuntur partes potentiales ejuſdem Prudentiæ. S. Thomas q. 51.

3. D. Quid requiritur, ut actus Prudentiæ ſit integrè, & omni ex parte perfectus?

M. Iſte articulus non eſt adeò neceſſarius promultitudine confluentium ad ſacramentum Pœnitentiæ. His enim ſufficit elicere actum præceptum quoad ſubſtantiam, nec curant elicere actus omni ex parte perfectos; nihilominus adſunt pœnitentes, qui ſtudent perfectioni; & hos Confeſſor debet inſtruere; magis tamen eſt neceſſarius ipſi Confeſſori: nam Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 7. vult, quòd habeat *quantam maximam poteſt, prudentiam*. Debet enim Miniſter operari ſimillimè ad cauſam principalem, quæ eſt Chriſtus. Porrò S. Thomas q. 49. enumerat octo. Igitur primò Confeſſor habeat memoriam, quæ applicat principia univerſalia caſibus particularibus; unde oportet ſcire caſus particulares, qui diſcuntur experimento, & tempore. Quomodo juvari poſſit memoria explicat art. 1. ad 2. S. Thomas, docetque juvari præcipuè ex ſtudio cum affectu diſcendi. Hanc primam partem Confeſſori pluries Rituale commendat, dùm inculcat ſtudium Theologiæ Moralis, conjunctum ſcientiæ de caſibus reſervatis &c. De ſcientia principiorum univerſalium eſt dictum p. 1. c. 38. Experimentum verò præcipit idem Rituale, dùm vult Confeſſorem facilem, & promptum audiendis confeſſionibus. Vide part. 1. cap. 7. numer. 10. ſecundò habeat Intellectum, & ut virtutem, & ut Donum, ſeu cognitionem univerſalium principiorum; ex quibus facilè deducat deciſionem caſus particularis. Ex hujus defectu Moraliſtæ nonnulli docuere Theſes, quas Apoſtolica Sedes damnavit, & hærent Confeſſarii complures, quia non habent in ſuo libello caſum ſingularem, quando nec omnes poſſunt exſcribi. Huic defectui ſupplendo præſens inſtructio dat regulas generales; at meliùs videri poterunt in legibus ab Apoſtolica Sede firmatis per damnationes Theſeon, per declarationes &c. nec non ex continua lectione S. Thomæ. Ut habeat Confeſſor hanc ſecundam partem, compoſita eſt ordinatio tota Ritualis pro ſacramento Pœnitentiæ. Tertiò ſit docilis, facilis, & promptus, quæ ex ſe non habet, edoceri ab aliis doctis, & piis at præſertìm à proprio Epiſcopo, quem ſibi Deus conſtituit Doctorem. Rituale commendat hanc tertiam partem, ubi p. 7. c. 7. n. 7. commendat *prudens conſilium peritorum*. Cum hoc procedunt omnes Urbis Congregationes, præcipuè Sacra Pœnitentiaria, & Sancta Inquiſitio, ſed, & Romanus Pontifex, nec non Concilia Oecumenica, quamvis habeat adſiſtentiam Spiritus Sancti, nec invenias Judicem, qui habens judicem, qui habens judicare de uno obolo, priùs accuratè non examinet leges, & non audiat Advocatos utrinque: quanquam Judex ipſe ſit doctiſſimus. At Confeſſor judicaturus de ſalute animæ, ſtatim ex Tripode judicat, unicè innixus libello, quem vix legit primis oculis, dùm ſe præſentabat examini pro audiendis confeſſionibus: quartò ſit Solers, ex ſe inveniens facilè, ubi ſtat ratio peccati, & media medendis animæ morbis. Hanc quartam partem Rituale meminit n. 19. dùm vult interrogandas ſpeciem, numerum, & circumſtantias peccatorum: quintò ſit benè ratiocinativus, inquirens omnia, quæ pro, & contra ſe dicit Pœnitens, ut inde concludat, an ſit damnandus, vel excuſandus à peccato. Hanc quintam partem Rituale meminit n. 18. dùm vult interpellari penitentem, quando eſt opus aliquid meliùs intelligere: ſextò ſit providens, ne in futurum penitens relabatur. Hanc ſextam partem Rituale meminit, dum n. 7. Confeſſorem ait Arbitrum inter Deum, & homines, *ut honori divino, & animaruum ſaluti conſulat*: ſeptimò ſit circumſpectus attendens ad mala præſentia. Rituale n. 20. *ne ſcandalum patiantur* Penitentes. Octavò ſit cautus ad mala futura. Rituale ibidem, *indéque peccare diſcant*.

4. D. Prudentia eſt nè una Virtus?

M. Confeſſori eſt maximè neceſſarium ſcire, in quot ſpecies Prudentia diſtinguatur: quia debet interrogare ſpeciem, numerum, &c. Rituale n. 19. Sunt igitur quinque ſpecies: Prima dicitur Monaſtica; per hanc homo dirigit ſe in ſuum finem: Secunda dicitur Oeconomica; per hanc pater familias dirigit domum in finem debitum familiæ. Tertia eſt Politica: per hanc ſubditus dirigit ſe in finem debitū Reipub.

juxta

Digitized by Google

juxtà ordinationem Principis: quarta eſt Militaris: per hanc Dux dirigit exercitum in finem victoriæ. Quinta eſt Regnativa; per hanc Princeps dirigit Rempublicam in finem communis tranquillitatis. Hæc ſubdividitur in alias ſpecies infimas, juxtà varios modos regendi; & quælibet ex illis præter primam, reperitur in uno perfectiſſimè, in alio magis, in alio minùs: v.g. perfectè reperitur Oeconomica in Patre familias; minùs perfectè in Matre: minuſque perfectè in Magiſtro domus &c. Idem dic de Militari, quæ reperitur perfectiſſimè in ſupremo Duce; minùs perfectè gradatim in reliquis Officialibus. Idem dic de Regnativa, ſuiſque ſpeciebus. Reperitur hæc perfectè in ſupremo Principe: minùs perfectè in Baronibus, qui habent rationem dominii, ſed, & in Judicibus, Conſiliariis, aliiſque Miniſtris Reipublicæ. Et hujuſmodi miniſteriorum diverſitas conſtituit diverſitatem ſpecificam Prudentiæ, adeò ut peccans contrà illam debeat id explicare in confeſſione.

5. D. Extat nè præceptum aliquod affirmativum eliciendi unquam actus Prudentiæ.

M Cui præcipitur finis, præcipitur etiam ponere media neceſſaria ad conſequendum finem. Porrò eſt notandum, quòd alia media ſunt de ſe utilia, & alia omninò neceſſaria. Extat præceptum ponendi ſecunda, non prima. Sic obligatus elicere actum jejunii, tenetur conſulere, ſeù inquirere media omninò neceſſaria, judicare de illis, & præcipere pro jejunando. Idem dic de reliquis virtutibus, quando obligamur exercere actus illarum, quia tunc per prudentiam Monaſticam tenemur illis trium virtutum actibus providere media, ſine quibus impoſſibile eſſet conſequi vitam æternam. Quoad alias ſpecies, obligatur ſub mortali ſubditus, ut ſe diſponat ad recipiendas inſtructiones Superiorum, quæ ſunt omninò neceſſariæ pro fine illius Superioris: v.g. filius, quæ pater familias media profert, ſine quibus non poſſet, ſervari pax familiæ, quoad ſubſtantiam; & ita de reliquis. E contra Superiores tenentur providere media pro tranquillitate ſibi commiſſa. Confeſſor media omninò neceſſaria, ut pœnitens juſtificetur &c. Notandum tamen, quòd ſpecies Prudentiæ, prӕter Monaſticam habent dirigere ad bonum commune, velut ad finem; non ad bonum ſingulorum de communitate.

6. D. Obligat nè Prudentia ex genere ſuo ad mortale?

M. Ex regula ſtabilita p.1. c.34. num.6. prudentia non obligat ex genere ſuo ad mortale, ſed ſi obligemur ad aliquem finem ſub mortali, & media ſint omninò neceſſaria, tunc prudentia obligabit ſub mortali.

7. D. Confeſſori eſt neceſſarium ſcire, an virtus obliget, vel per ſe, vel per accidens ob dicta p.1. cap.38. num. 16. quia ſi per accidens tantùm obligat, non tenetur pœnitens explicare ſpecialiter illud peccatum. Igitur peto, an Prudentia obliget per ſe, vel per accidens?

M. Prudentia obligat per accidens, niſi in caſu, quo prævideram, vel tenerer prævidere media nonnulla eſſe neceſſaria pro tali fine, ad quod obligor ſub mortali, & nollem ponere v.gr. Princeps prævidens, quòd permittendo impune fures, turbabitur regnum, & nullum ponens medium ut impediat, quia non vult, peccat duplici peccato, altero contrà juſtitiam Vindicativam, non caſtigando fures, altero contrà Prudentiam regnativam, non ponendo tale medium pro tranquillitate regni. Utrumque debet explicare in confeſſione. Hoc ſecundum, utpotè contra bonum commune, de natura ſua eſt graviſſimum. Sed hæc ſunt peccata Superiorum, ut Superiorum, de quibus vix eſt Superior, qui ſe accuſet, quia Confeſſores, & Concionatores ſuper illis non inſtruunt. Unus narratur Caroli quinti Confeſſor, qui audita confeſſione, regeſſerit: *Dixiſti peccata Caroli: dic peccata Principis*. Accuſant ſe de impatientiis &c. ſed vix de omiſſione Prudentiæ alioquinam graviter obligantis pro bono communi.

8. D. Quod eſt donum Conſilii correſpondens Virtuti Prudentiæ?

M. Tres actus Prudentiæ, ſcilicèt, Conſilium, Judicium, & Præceptum ex num. 2. eliciuntur per virtutes diſtinctas; Ubi verò movemur ad operationem per donum Spiritus Sancti, idem habitus, utpotè perfectior, habet elicere tres illos actus, licèt ſpecie diverſos; quare donum Conſilii inquirit, judicat, & præcipit media. Hoc donum ſupplet prudentiam Monaſticam in ponendis mediis pro conſecu-

tione

tione ultimi finis; & ejus actus requiritur, ubi exercemur in virtutibus Theologalibus eſtò ad fidem, & ſpem informes, actus præcedens Conſilii ſit quoddam præambulum non attingens ad perfectam rationem doni, juxtà dicta ex Angelico 1. p. c. 33. num. 3. Præcedit etiam ad actus virtutum Cardinalium infuſarum, ad quos movemur à Spiritu Sancto. De præcepto autem eliciendi actum hujus Doni, differendum eſt, ſicut de Prudentia. S. Thomas q. 52.

8. D. Qui fructus, & quæ Beatitudo correſpondent Dono Conſilii?

M. S. Thomas videndus art. 4. ad 3. ponit benignitatem, & bonitatem, ut fructus correſpondentes Conſilio, & quintam beatitudinem. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*.

CAPUT XVI.

De peccatis per defectum oppoſitis Virtuti Prudentiæ.

1. Quæ peccata opponuntur dono Conſilii non habent nomen ſpeciale diſtinctum à peccatis oppoſitis virtuti Prudentiæ, ſed ſub iiſdem nominibus peccata, ut ſunt humana, opponuntur Virtuti: ut ſunt inhumana, & beſtialia opponuntur Dono. Porrò quælibet virtus Moralis, & donum correſpondens habet duo genera peccatorum ſibi oppoſitorum: alia opponuntur per defectum, & alia per exceſſum: illa ſunt, quæ deficiunt à virtute Prudentiæ: iſta, quæ excedunt, ut explicabitur. Agemus in hoc capite de oppoſitis per defectum, & in ſequenti de oppoſitis per exceſſum.

2. Prudentia cum ſuis virtutibus annexis primò per Eubuliam inquirit media: ſecundò per Syneſim, aut Gnome judicat de mediis: tertiò per ſe ipſam præcipit media voluntati, & potentiis executivis. Igitur.

3. Primum peccatum per defectum Prudentiæ oppoſitum, dicitur Præcipitatio; & eſt, quando quis ex paſſione agit ſine conſilio, ſeu actu Eubuliæ, præcipitans ſe, hoc eſt, non tranſiens per medium conſilii.

4. Secundum dicitur Inconſideratio; & eſt, cum homo, poſtquam per Eubuliam inquiſivit media, procedit ad opus, abſque judicio debito de mediis per Syneſim, aut Gnome, non conſiderando, quantum debet, quæ media ſint magis opportuna pro conſequendo fine. Vocatur Inconſideratio, ſive deficiat in judicando per Syneſim, ſive per Gnome.

5. Tertium peccatum dicitur Inconſtantia, & eſt, quando poſt bonum conſilium, & judicium, deficitur in præcipiendo voluntati, ut debet, quòd eligat tale medium.

6. Quartum dicitur Negligentia, & eſt, quando poſt bonum conſilium, judicium, & præceptum voluntati factum, deficit in exequendis mediis per alias potentias: Debemus enim tardè conſiliari, ſed citò exequi. Experientia docet in omni eventu, quòd, differendo executionem, reſrigeſcimus; at maximè id apparet in converſione peccatoris: etenim multi proponunt confiteri, ſed quo differunt magis, eò majorem ſentiunt difficultatem.

7. Quando, & quomodo unumquodque ex his quatuor ſit peccatum, veniale, vel mortale, deducitur ex dictis part. 1. cap. 34. num. 6. ubi habemus, quando, & quomodo prudentia nos obliget. Sanctus Thomas q. 53. 54.

CAPUT XVII.

De peccatis per exceſſum oppoſitis Virtuti Prudentiæ.

1. Peccata per defectum oppoſita Prudentiæ generico nomine vocantur Imprudentia; & peccata per exceſſum oppoſita, generico nomine dicuntur Prudentia Carnis. Alii diſtinguunt Prudentiam Diabolicam, Mundanam, & Carnis. Hæc diſtinctio non eſt omninò neceſſaria Confeſſori. De illa videatur S. Thomas quæſt. 55. art. 1. ad 3. Per prudentiam carnis intelligo, cum homo ex amore alicujus finis dirigit media de ſe mala, in quo excedit. Si quis conſtituat ſibi finem malum, & dirigat media mala in hunc finem, committet duplex peccatum; aliud de intentione finis; aliud de directione mediorum malorum: quòd ſi finis ſit bonus, at media ſint mala; tunc unicum eſt peccatum in applicatione medii; ſed in confeſſione debebit explicari quale medium ſit applicatum; v. g. qui ad faciendam eleemoſinam furatur, explicabit,

bit, ſi res ſit ſacra &c. Prudentia Diabolica dici poſſunt vitia per exceſſum oppoſita dono Conſilii.

2. D. Genus prudentiæ Carnis in quot ſpecies diſtinguitur?

M. Diſtinguitur in ſex ſpecies: prima vocatur *Aſtutia*. Secunda *Dolus*. Tertia *Fraus*: Quarta propriè dicta *Carnis prudentia*. Quinta *Sollicitudo temporalium*. Sexta *Sollicitudo futurorum*.

3. D. Quid eſt Aſtutia primum peccatum?

M. Aſtutia per exceſſum opponitur Eubuliæ; & eſt quando quis ad conſequendum finem ſive, bonum, ſive malum, inquirit media mala voluntariè. Peccabitque ſpecialiter hoc peccato, ſi advertens eſſe media mala, velit adhùc de illis inquirere; in quo caſu explicabit ſe accuſans hoc peccatum, & ſpeciem mediorum malorum.

4. D. Quid eſt Dolus, ſecunda ſpecies peccati per exceſſum oppoſiti Virtuti Prudentiæ?

M. Dolus eſt, cum quis poſt conſilium, ſive judicat, ſive præcipit, ſive exequitur ad finem, ſive bonum, ſive malum, media mala conſiſtentia in verbis: v. g. cum quis ad defenſionem ſui honoris, uti docebat 44. propoſitio damnata per Innocentium XI.] judicat imponendum eſſe falſum crimen, ſive præcipit voluntati, ut imponat, ſive actu imponit. Si tantùm voluntariè, judicet, ſed non præcipiat, peccabit contrà Syneſim, aut Gnome: ſi ulteriùs præcipiat, peccabit contrà Prudentiam: quòd ſi etiam exequatur, peccabit contrà Juſtitiam? & ita in confeſſione debet explicari diſtinctè; ſed ſi explicet ſecundum, intelligitur explicare primum, & ſi tertium, explicat primum, & ſecundū.

5. D. Quid eſt Fraus; tertia ſpecies peccati per exceſſum oppoſiti virtuti Prudentiæ?

M. Inter fraudem, & dolum intercedit hæc ſolùm differentia, quòd Dolus conſiſtit in verbis: & Fraus ordinariè conſiſtit in factis. In reliquis eodem modo de utriſque differendum eſt. Fraudulenter egit villicus Luc. 16. qui falſavit cautiones ſui domni.

6. D. Quid eſt Prudentia carnis, quarta ſpecies peccati per exceſſum oppoſiti virtuti Prudentiæ?

M. Prudentia carnis propriè dicta eſt, cum homo, poſt conſilium, & judicium, præcipit media mala, ut conſequatur finem ſive bonum, ſive malum. Villicus Luc. 16. addidit hoc etiam: ubi enim judicavit de fraudulentia, præcepit eandem fraudulentiam voluntati.

7. D. Quid eſt ſollicitudo temporalium, quinta ſpecies peccati per exceſſum oppoſiti Virtuti Prudentiæ?

M. Quia ad prudentiam pertinet ſollicitudo in exequendo media, quæ pro conſequendo fine bono, inquiſivimus per Eubuliam, judicavimus per Syneſin, aut Gnome, & præcepimus per Prudentiam, aſſignavimuſque Negligentiam, ut vitium oppoſitum per defectum huic ſollicitudini, debemus eidem aſſignare vitium oppoſitum per exceſſum, quod eſt duplex; & primum ſollicitudo temporalium. In hoc poteſt peccari tripliciter: primò: ſi reſpiciamus media velut finem: ſecundò: ſi nimis ſollicitemur in iis acquirendis: tertiò: ſi acquiſita nimis ſollicitemur, ne deficiant.

8. Quid eſt ſollicitudo futurorum, ſexta ſpecies peccati per exceſſum oppoſiti virtuti Prudentiæ?

M. Hæc pariter opponitur ſollicitudini debitæ. Illam explicat ſatis aptè S. Thom. a. 7. Si quis in vere ſollicitus eſſet de vindemia, præparans dolia, conveniens cum vindemiatoribus &c. hæc eſſet nimia ſollicitudo futurorum, ſed non eſt nimia, ſi de his cogitet in media æſtate: aut præveniret, ut ad finem honeſtum, minoris conduceret operas artificum.

9. D. Adſunt nè propoſitiones prohibitæ per Romanos Pontifices circa Prudentiam?

M. Indirectè omnes attingunt Prudentiam, quatenùs prohibemur dare conſilium, judicare, aut præcipere juxtà illas, quando præſertim expreſsè prohibemur eas deducere in praxim. Directè ſolum invenio tertiam ex damnatis ab Innocentio XI. vi cujus damnationis negatur eſſe actus prudentiæ operari ſecundum illam.

10. D. Adſunt nè cenſuræ aliquæ contra violantes Prudentiam, ſive per exceſſum, ſive per defectum?

M. Ordinariè loquendo, neque Romani Pontifices imponunt cenſuras, aut ſibi reſervant actus merè internos, ſed ſemper, ubi conjungitur actus externus, ſeu finis: & ita

ita nullæ ſunt cenſuræ, neque ulla reſervatio peccatorum, quæ opponuntur Prudentiæ, Virtutibuſque illi annexis.

11. D. Quas pœnitentias imponere debet, ſeù commendare Confeſſor delinquentibus contra Virtutem Prudentiæ?

M. Peccanti contra prudentiam maximè commendabit Confeſſor, ut, quantum poteſt, in operando fugiat ductum paſſionis: Veriſſimè dicitur. Jer. 12. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*, conſiderando finem, ob quem operatur, quandoalioqui hæc eſt differentia inter bruta, & hominem, quòd illa ſequuntur ductum paſſionis; iſte debet ſemper, ante operationem, præſtituere ſibi finem; & hoc præſtituto conſiderare media magis proportionata, ut conſequatur finem: Porrò finis omnium hominum eſt gloria Dei, & ſalus animæ propriæ: Ad hunc finem, velut ad centrum, dirigenda eſt omnis operatio, etiam ad bonum publicum, adeò ut Principes, Reges, ipſe Romanus Pontifex debeant primariò reſpicere gloriam, quæ Deo reſultat ex ſalvatione animę propriæ, & ad hanc dirigere cætera, velut media, & conſequenter amando cætera, minùs quàm illam. Ipſum etiam deſiderium ſalvandi totum orbem procedere debet ex deſiderio propriæ ſalutis, quod probè notabit ipſe Confeſſor, nè, cùm prædicat aliis, ipſe reprobus efficiatur. Certè ob rebellionem carnis, dum ſumus Viatores, non poſſumus ita nos dirigere ductu rationis, ut nunquam in operando præveniamur paſſione. Fuit hoc ſingulare privilegium B. Virginis. Donum hoc habebamus in primo parente; illud amiſimus, cum in eo peccavimus grande peccatum, & ſolùm perfectè reſtituetur in patria: cæterùm pro quanto poſſumus, enitendum eſt, ut hoc modo procedamus. Id ſuaviter, & efficaciter commendabit Confeſſor: nec enim alia eſt via acquirendi Prudentiam, & cum Prudentia cæteras virtutes, quæ omnes regulantur Prudentia.

CAPUT XVIII.

De Juſtitia in genere, ſecunda Virtute Cardinali.

1. Fides, & Prudentia, ut potè receptæ in intellectu, reſpiciunt verum. Illa verum, ut à Deo revelatum Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſitum: iſta verum, ut operabile in ſingulari ad finem conſequendum. Virtutes in appetitu receptæ reſpiciunt bonum: Spes bonum ſub conditione Ardui: Charitas bonum, ut bonum: Juſtitia bonum, ut alteri debitum; hinc apparet cum omnibus virtutibus ſibi annexis recipi in voluntate (ad differentiam Fortitudinis, & Temperantiæ, quæ reſpicientes bonum proprium, recipiuntur in appetitu ſenſitivo) nam comparare unum cum alio pertinet ad intellectum, & per conſequens appetere bonum, ut comparatum alteri, pertinet ad appetitum, qui ſequitur intellectum.

2. Quod dicitur paſſivè debitum, activè dicitur jus: etenim ſi aliquid mihi à Petro debetur, ego habeo jus ad illud. Et aliud eſt jus naturale, quod exigit natura, ut quæ continentur in Decalogo; aliud jus gentium, quod exigunt communiter populi, ut ab uno Principe non offendi Oratorem alterius: aliud jus divinum, quod exigit Deus, ut quòd omnes baptizentur: aliud jus humanum civile, aut Eccleſiaſticum, quod exigunt Princeps, & Eccleſia.

3. Et hinc vocatum eſt jus, non ſolùm id, quod mihi debetur, ſed etiam lex ipſa, per quam aliquid mihi debetur: quarè dicimur obligati facere aliquid jure (hoc eſt, lege) naturali, divino, gentium, humano, &c.

4. Prædictæ Juris ſpecies ſunt ſubalternæ, continetque ſub ſe alias ſpecies; quod maximè debet notare Confeſſor obligatus exigere à pœnitentibus infimam peccati ſpeciem; nec enim ſufficit, ſi me accuſem violaſſe jus naturæ, niſi explicem, in quo violavi. Idem dicendum de jure humano &c.

5. Alia etiam differentia eſt notanda: nam aliquid debetur, & de ſe reddi poteſt ad æqualitatem, ut qui debet centum Petro: nam hæc de ſe reddi poſſunt (quidquid ſit, an impoſſibilitetur per accidens

ob-

ob inopiam) ſecundò: aliquid debetur, at reddi non poteſt ad æqualitatem: ita debemus Deo, patribus, patriæ, Principi, Magiſtris, Confeſſori &c. nam illis debemus eſſe, educationem &c. quæ illis reddere non poſſumus; cætera bona exteriora, quæ damus, & poſſumus dare, de ſe non compenſant ad æqualitatem. Hæc duo ſunt debita rigoroſa, ideò ad illa obligamur ſub mortali: tertiò: debemus aliquid ex honeſtate, ſeù convenientia, ſicuti benefactori debemus retribuere: quartò: debemus aliquid alteri, non ratione ſui, ſed ratione noſtrorum, ut dives, qui debet erogare pecunias, non quia debeat, ſed quia convenit ſibi, ut eas eroget in bonum aliorum. Hæc ratio diverſa debiti conſtituit diverſa genera virtutum, de quibus in ſingulari diſſeretur; Et quia omnes hæ virtutes reſpiciunt illam, quæ reddit debitum rigoroſum ad æqualitatem, ideò omnes quidem vocantur nomine Juſtitiæ: ſed ratio Virtutis invenitur principaliter in iſta; & propterea hæc etiam propriiſſimè dicitur Juſtitia, eſtque Virtus Cardinalis.

6. De hac Virtute Cardinali diſſerendum eſt ante reliquas minùs principales illi annexas; & eſt quadruplex: prima dicitur Legalis, per quam Princeps dat ſubditis, quod leges præcipiunt dirigendo illos ad bonum commune (ſubditi verò reddunt, quod præcipitur à Principe per leges.) Secunda dicitur Juſtitia Diſtributiva, per quam Princeps diſpenſat honores, & bona Reipublicæ, juxtà merita Subditorum: Tertia dicitur Juſtitia Vindicativa, per quam Princeps diſtribuit pœnas à lege ſtatutas, juxtà demerita Subditorum. Quarta tandem dicitur Juſtitia Commutativa, per quam unus reddit ad æqualitatem, quod debet alteri: Primæ tres requirunt juriſdictionem in Superiore. De ſingulis diſſeretur. Interim de jure videatur Sanct. Thomas à q. 57. ad 60.

CAPUT XIX.

De Juſtitia Legali, & Vitiis oppoſitis.

1. Quælibet Reſpublica conſtituit unum corpus, in quo ſubditi, velut membra, per juſtitiam legalem ordinantur ad ſalutem totius; non tamen per eoſdem actus; Alia, ut, Caput, imperant: alia, ut oculi, dirigunt: Hi ſunt Conſiliarii: Alia, ut manus moventur, & movent. Hi ſunt Judices ſubalterni, qui moventur per authoritatem ſibi à Principe communicatam, & movent regulando alios. Inter hos locum habent Confeſſarii in Hierarchia Eccleſiaſtica, qui ſunt Judices, & debent, ſecundum leges ab Eccleſia præſcriptas, regulare pœnitentes: Alia, ut pedes, habent exequi, quæ præcipiuntur: Hujuſmodi ſunt Satellites &c. Alii verò neque jus habent dirigendi, neq; exequendi, ut ſunt cæteri ſubditi, ad quos ſpectat non facere, ut alii exequantur, ſed ipſi debent exequi.

2. Secundum quod unus participat de juriſdictione, ita participat de Juſtitia legali activè ſumpta; & poſſunt authoritativè alios inducere ad bonum commune Reipublicæ magis, vel minùs perfectè. Reliqui non poſſunt judicare, ſed tenentur obedire, adeò ut actus, quo ſe movent ad obediendum, ſpectet ad juſtitiam legalem paſſivè ſumptam, & dirigatur à Prudentia, quæ ex c. 14. num. 4. dicitur Politica. Obedit autem ad hoc inclinata per Virtutem Obedientiæ.

3. D. Quotuplex eſt Juſtitia legalis?

M. Duo ſunt genera Juſtitiæ legalis: altera retinet nomen commune: Altera dicitur Epicheja. Ex c. 14. num. 2. audiſti duas in intellectu practico dari virtutes, quarum altera judicat ſecundum cauſas ordinarias: altera per altiores cauſas, & pariter in voluntate datur duplex virtus: altera, quæ ordinat Reipublicæ membrum in bonum commune per leges ordinarias, ſcilicet, ſecundum verba legis, & ſecundum intellectum obvium earundem, quæ communi nomine dicitur Juſtitia legalis: altera verò, quæ ordinat, non ſecundùm verba, ſed ſecundùm finem altiorem legis. Extat in Civitate lex obligans reddi ſtatim depoſita petenti: per Juſtitiam communem inclinatur Judex ad judicandum, ut ſonant verba legis prædictæ: ſed per Epichejam Judex conſiderans nunc peti à me gladium depoſitum apud Petrum, ut hoſtem occidam, prohibet reddi, reſpiciens non ad verba, ſed ad finem legis, qui eſt tollere injuſtitias, & quæ augerentur, ſi ſtatim redderetur. S. Thomas q. 120. ex quo habebis alia complura, ſed omitto.

quia

Digitized by Google

quia non ſunt ſimpliciter neceſſaria Confeſſori ordinario.

4. D. Quia dixiſti duo eſſe genera Juſtitiæ legalis, vellem ſcire, an unaqueque contineat ſub ſe plures ſpecies?

M. Utique illarum quęlibet ſub ſe continet plures ſpecies, omninò explicandas, ſi violentur; alterius enim ſpeciei peccato peccat Princeps violans utramque, habens in ſe plenitudinem juriſdictionis, Baro non habens ita plenam authoritatem, Conſiliarius, Judex, ipſi Executores; nam aliter peccat Satelles, aliter Lictor. Et quia diverſa eſt juriſdictio Eccleſiaſtica, & Sæcularis; ideò violans juſtitiam legalem Eccleſiaſticam, explicabit in confeſſione hoc, & præterea utrum ſit ſupremus Hierarcha, utrum Epiſcopus, utrum ſimplex Confeſſor. Nihil tamen refert, quòd juriſdictio ſit ordinaria, vel delegata; In Oeconomicâ etiam, quæ participat aliquid Juſtitiæ legalis, explicabit, an ſit pater, vel mater &c. Quòd ſi Confeſſor in praxi dubitet, num diverſa participatio juriſdictionis, conſtituat diverſitatem ſpecificam, inducat pœnitentem ſuavibus, at efficacibus verbis, ut ſperabundet in explicando potiùs; quam deficiat, ut abundare ſolent, & debent in explicandis Medico morbis corporum.

5. D. Quos actus hæ duæ virtutes Juſtitiæ legalis, & Epichejæ, habent exercere circa ſuum objectum?

M. Tam iſtæ duæ ſpecies, quam aliæ, ſcilicet, Vindicativa, Diſtributiva, & Commutativa habent actum in voluntate, quo illam inclinant ad reddendum cuilibet jus ſuum; ſed terminant in intellectu per judicium, qui propterea dicitur proprius actus Juſtitiæ in genere acceptæ, per quod judicamus de aliis, ut competit cuilibet juſtitiæ in particulari: nam Legalis, Diſtributiva, & Vindicativa dant judiciũ authoritativum, ſeù ſententiam circa gubernium Reipublicæ, circa pœnas, & præmia. Porrò Commutativa dat judicium privatum de hominibus, vel de aliis rebus, ſecundum quod exigit jus. Quia igitur judicium ſpectat ad quamlibet juſtitiam, priùs eſt agendum de illo in communi, deinde agemus de illo, ut proprium eſt Juſtitiæ legalis.

6. D. Quid requiritur, ut Judicium ſit licitum?

M. Judicium ex primâ inſtitutione impoſitum fuit, ut ſignificaret rectam determinationem eorum, quæ in praxi erant agenda; ad quod requiruntur duo; primò virtus proferens judicium; & hæc eſt potentia intellectiva cum ſuo habitu: ſecundò requiritur diſpoſitio judicantis, per quam reddatur idoneus ad judicandum; & hæc, ſi judicet in materia Temperantiæ, erit ipſa Temperantia; ſi in materia juſtitiæ; ipſa Juſtitia; & ſic de reliquis virtutibus: poſtea nomen judicii ampliatum eſt ad ſignificandum, quidquid determinamus etiam in ſpeculativis, ut cum dico: *Petrus eſt homo*. S. Thomas q. 60. a. 1. ad 1. Nunc verò differimus de judicio practico, & ut procedit à diſpoſito per juſtitiam ad judicandum rectè de iis, quæ pertinent ad jus alterius; & ſemper ſupponendum eſt, quod alibi pluries diximus, in unaquaque virtute dari actus perfectos, & imperfectos: perfecti ſunt, qui procedunt ab habitu preæxiſtente virtutis: imperfecti verò, qui ſunt ipſius virtutis; at non procedunt ab ipſa preæxiſtente in operante. Hoc ergo judicium commune cuilibet Juſtitiæ, ut ſit licitum, debet eſſe prudens. S. Thomas q. 60. art. 2. nam ſi *deeſt certitudo rationis, puta, cum aliquis judicat de his, quæ ſunt dubia, vel occulta, propter leves conjecturas*: eſt *judicium temerarium*. Quod dictum eſt ad licitum judicium requiri certitudinem rationis, explicat idem a. 3. ad 1. quòd requiritur certitudo, *non quidem ſicut in demonſtrativis, ſed ſicut convenit tali materiæ, puta, cum aliquid per idoneos teſtes probatur*; vel per indicia ſufficientia: hæc enim eſt certitudo moralis in operabilibus, quam reſpicit Prudentia, utpotè virtus intellectualis tendens in verum, non quod ſit verum neceſſariò, ſed ut in pluribus. Ut autem circa hanc moralem certitudinem Confeſſor tollat ſcruplos complures, teneat hanc regulam. Multi Pœnitentes anguntur ſcrupulis, an omnia juventutis peccata confeſſi fuerint, vel voluntariè aliqua omiſerint. Multi Sacerdotes, an Epiſcopus illos ordinans habuerit intentionem, an tetigerint phyſicè inſtrumenta, dum ordinabantur. Multæ Moniales, alias timoratę conſcientiæ, an conſenſerint inhoneſtæ cogitationi, vel dubiis fidei &c. In his, & ſimilibus caſibus ad tollendos ſcrupulos, Confeſſor utatur hac regula. Eſſet graviſſimum

mum peccatum judicii temerarii, ſi judicarem in ordinando Epiſcopum non habuiſſe intentionem: quare certum eſt moraliter, quod habuit.

7. D. Quæ differentia intercedit inter judicium, & ſuſpicionem?

M. Iudicium eſt firma adhæſio, ſeù determinatio intellectus, quòd res in ſe ſit talis, qualem ego determino in meo intellectu; ex ſuſpicione autem inclinor in unam partem, ſed cum formidine oppoſiti: Judicium, ſi ſit ex levibus indiciis, dicitur temerarium, & mortale peccatum ex ſuo genere, contra juſtitiam commutativam: quia ſit injuria proximo; & per hoc admittit parvitatem materiæ: nam levis injuria eſt peccatum veniale. Judicium poteſt eſſe falſum, & non temerarium: Video Petrum fugientem evaginato gladio, totum in ſe, & in gladio reſperſum ſanguine, judico illum occidiſſe: poteſt eſſe falſum, ſed non erit judicium temerarium, quia procedit ex graviſſimis indiciis. Ut ſit peccatum, debet eſſe temerarium. Suſpicio, utpotè actus imperfectus, de ſe non eſt mortale peccatum, niſi veſtiatur talibus circumſtantiis, ut gravis injuria ſit vel ſuſpicari malum de tali proximo, ut ſi ſuſpicarer Regem ditiſſimum, & piiſſimum pro uno obolo vendere juſtitiam &c.

8. D. Quia dixiſti n. 6. ad judicandum requiri certitudinem moralem, quid faciendum eſt, ubi deeſt hæc certitudo?

M. Sæpiſſimè Confeſſarius incidet in hos caſus, in quibus caveat nimium laxare, vel ſtringere conſcientias Majoris claritatis gratià, divido quæſtionem in tria genera perſonarum: vel enim quæritur, quid in tali caſu debeat homo judicare de proximò nõ ſubdito: ſecundò: quid Superior de ſubdito: tertiò: quid homo de ſeipſo. Quoad primum Apoſtolus ait Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum*: & Chriſtus Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini*. Confeſſor ſemper inculcet pœnitentibus, ut abſtineant à judicando, quæ ad ſe non ſpectant, etiam ſi certa ſibi videantur habere indicia, multò magis, ut abſtineant ab his, quæ dubia ſunt. Quoad Superiores, & Judices, cæteris paribus, in dubio ſemper inclinabunt ad favorem rei ex illa regula, quòd *Nemo præſumitur reus, niſi conſtet*. Illos tamen moneat Confeſſor, quòd hæc regula non concedit duo judicia, ſed unicum. 3. Reg. 3. Salomon judicavt unicè in favorem mulieris, quæ nolebat infantem dividi, ſed non judicavit aliam ad pœnam, quia indicia erant ſufficientia pro primo in favorem reæ, ſed non pro ſecundo ad damnationem Actricis; In tertio caſu homo dubius de ſuis actionibus, non debet judicare ſe reum: Ita enim judicaret falſum; ſed debet apponere remedium, ac ſi eſset reus juxtà dicta de conſcientià dubia p. 1. c. 39. n. 9. Igitur Superior dubitat, nùm Petrus ſit irregularis, nunquam damnabit irregularitatis; & Petrus paritèr dubius non judicabit ſe irregularem, ſed geret ſe tanquam irregularem, petendo diſpenſationem. Maritus dubius de validitate matrimonii, non feret præjudicium comparti, negando debitum, ſed quoad ſe ipſum, aget quaſi matrimonium eſset invalidum; non petet debitum; antequam obtineat diſpenſationem. Idem dic in ſimilibus caſibus. Confeſsor videbit complures aliter ſentire, cum quibus nolim contendere. Hoc unum mihi certum eſt, quòd tutiſſimum eſt ita in praxi regulare conſcientias. Videatur Sanctus Thoms q. 60. a. 4. præſertim ad 3.

9. D. Huc uſque dictum eſt de judicio, prout ſpectat ad omnem juſtitiam; etiam commutativam, quæro, an, ut ſpectat ad juſtitiam legalem, debeat habere alias conditiones?

M. Judicium, quod eſt actus Juſtitiæ legalis, præter conditionem jam explicatam, debet habere alias duas: prima, ut ſit conforme omni juſtitiæ, tùm legali, tum commutativæ &c. Conſideranda ſunt attentè pauca hæc verba; nàm in illis multa comprehenduntur. Peccat Judex, ſententians ex teſtimonio unius; nam per leges: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*. Peccat accipiens teſtimonium hominis rejecti per leges: Peccat damnans inauditum &c. quia judicium hujuſmodi eſt diforme legibus. Peccat Princeps in communi neceſſitate taxans æquè pauperem, ac divitem, contrà Juſtitiam diſtributivam &c. Peccat contra juſtitiam commutativam ad jud cans bona ſubditi ſuo fiſco abſque cauſa &c. Secunda conditio eſt, ut ſententia procedat cum authoritate, ſeù juriſdictione ordinaria, vel delegata; Judicium, ſeù ſententia

O ſine

ſire hac juriſdictione procedens dicitur nulla, & facit injuriam duobus, Principi, cujus juriſdictionem aſſumit, & illi, quem judicat.

10. D. Extat ne præceptum affirmativum obligans aliquando ad judicium, quod eſt actus Juſtitiæ legalis?

M. Qui habent juriſdictionem, tenentur ad hunc actum, quando pars inſtat, & adſunt conditiones ſupra memoratę ad judicium, adeò ut peccatum omiſſionis illi oppoſitum ex genere ſuo ſit mortale, contrà juſtitiam commutativam, quia pars habet jus. Nomine autem partis intelligitur fiſcus: At ſi, omnibus conſideratis, injuria eſſet levis, tùnc ex parvitate materiæ, redderetur veniale. Sed fuſiùs de hoc peccato, ubi agemus de juſtitià commutativà ex parte Judicis.

11. D. Quæ ſunt peccata contrariè oppoſita Juſtitiæ legali?

M. Peccata contrariè oppoſita huic Juſtitiæ non habent nomen ſpeciale. Habet iſta virtus, utpotè moralis vitia ſibi oppoſita per defectum, & per exceſſum. Judicium omne, cui deſunt tres aſſignatæ conditiones, opponitur juſtitiæ per defectum. Si verò ſemper velit procedere juxtà apices juris, & ſequendo in omnibus rigorem legis abſque prudentià, tùnc, quia *ſummum jus ſumma injuria*, erit peccatum oppoſitum juſtitiæ legali, tam communiter dictę, quam Epichejæ per exceſſum.

12. D. Adſunt ne circa Juſtitiam legalem aliquæ propoſitiones prohibitæ à Romanis Pontificibus?

M. Judicium, quod eſt actus juſtitiæ legalis, exigit, ut dictum eſt, tres conditiones; veruntamen; quatenùs eſt actus juſtitiæ legalis, primariò reſpicit juriſdictionem: Igitur Alexander VII. damnavit tertiam, & quartam, quæ concedebant perſonis ibi enumeratis juriſdictionem ſuper hæreſi: 12. quæ concedebat juriſdictionem Mendicantibus ſuper caſibus Epiſcopo reſervatis, & 16. quæ juriſdictionem ad abſolvendum, ut ibi, concedebat ſimplici Sàcerdoti.

13. D. Ex peccatis Juſtitiæ legali oppoſitis adſunt nè aliqui reſervati cum cenſuris?

M. Tertius Canon Bullæ Cęnæ eſt contra Piratas, qui turbant juriſdictionem Pontificiam: quintus in eos, qui ſibi arrogant juriſdictionem ad imponenda nova pædagia. Nonus in arrogantes ſibi juriſdictionem ad faciendum, quæ ibi exprimuntur contra morantes in Curia. 13. in arrogantes juriſdictionem ad impediendam executionem litterarum Apoſtolicarum. 14. contra ſibi arrogantes juriſdictionem in Cauſis Eccleſiaſticis. 15. contra illam ſibi arrogantes ſuper libertate Eccleſiaſtica: 16. contra impedientes juriſdictionem Prælatorum Eccleſiaſticorum. 17. contra illam ſibi arrogantes ſuper bonis Eccleſiaſticis. 18. contra illam ſibi arrogantes ad imponendum onera Eccleſiaſticis. 19. contra illam ſibi arrogantes ad judicandum de perſonis Eccleſiaſticis. 20. contrà illam ſibi arrogantes in temporali dominio Eccleſiæ. Tandem excommunicantur, qui ſibi uſurpant juriſdictionem ad abſolvendum in prædictis caſibus.

14. D. Quas pœnitentis imponet Confeſſor violanti Juſtitiam legalem?

M. Hoc peccatum eſt graviſſimum, & in uſurpante ſibi juriſdictionem maximè Eccleſiaſticam, & in habente juriſdictionem, ſed deficiente in aliis conditionibus. Quoad hoc ſecundum, Superior habens juriſdictionem, & judicans, contra juſtitiam magis peccat, quam privatus furans, detrahens, vel occidens: Minus eſt pati hęc ab homine privato, quam à conſtituto per Deum, ut avertat hujuſmodi cauſa privatorum; & maximè ſi ob pecuniam inducerentur iſti Superiores ad injuſtè judicandum; eſſent enim pejores, quàm Sicarii, & Aſſaſſini, qui locant ſuam operam, ut alios occidant. Quoad primum curabit Confeſſor continere Principes intra ſuos fines: oſtendet quam grave ſit peccatum occupare juriſdictionem alterius, quando illi defendendæ pro uno terræ palmo, licent Principibus bella, ex quibus tamen tot mala occaſionantur; unde aparet juriſdictionem eſſe majus bonum, omnibus bonis exterioribus; & etiam bono privatorum hominum. At ſummè majus peccatum eſt uſurpare juriſdictionem Eccleſiaſticam. Qui hanc uſurpat Eccleſiæ, & perſonis Eccleſiaſticis, eſt veluti filius, qui, ut regnet, dejicit è throno patrem, ac matrem. Porrò in caſibus, in quibus Confeſſor abſolvet excommunicatos ob uſurpatam juriſdictionem Eccleſiaſticam, habebit ante oculos, pœnitentias, quæ præſcribuntur in Bullà Cœnæ, vel in aliis Conſtitutionibus Pontificiis.

CA-

CAPUT XX.

De Juſtitiâ Diſtributiva, & *Peccatis eidem oppoſitis*.

I Uſtitia diſtributiva habet exercere ſui judicium circà Reipublicæ bona, dividendo illa inter cives, (tamen ad utilitatem Reipublicæ) ſervando æqualitatem, non Arithmeticam, ſed Geometricam. Juſtitia commutativa ſervat æqualitatem Arithmeticam, reddendo quod omninò debetur in re ipsâ; ſi debeo centum perſonis decem aureos, reddo ſingulis decem, ſive ſit Princeps Creditor, ſive plebejus. At diſtributiva ſervat æqualitatem Geometricam, quia habet proportionem ad dignitatem perſonæ, adeò ut in eodem bello pugnantes milites, ex illis mereantur præmium in ſe majus, Duces, quàm gregarii milites, & merces menſtrua trium ſcutorum proportionata militi, eſt omninò impar Duci. In hoc dicitur Juſtitia diſtributiva ſervare æqualitatem Geometricam, quia dividit conſiderans dignitatem præmiandi, & proportionat præmium ad perſonam. S. Thomas q. 61.

2. D. Quæ ſunt iſta Reipublicæ bona proportionaliter, & Geometricè dividenda per juſtitiam diſtributivam?

M. Nomine bonorum proportionaliter dividendorum veniunt gradus, honores, Magiſtratus, divitiæ (non tamen privatorum, ſed quæ ſpectant ad Cameram) onera, vectigalia, talleæ &c. eo quibus ditelcit Camera, ſeù publicum Principis ærarium.

3. D. Quid intelligis, dum dicis hujuſmodi bona eſſe dividenda in utilitatem Reipublicæ?

M. Hujuſmodi bona ſunt dividenda proportionaliter ad dignitatem perſonæ, ut cedit in utilitatem Reipublicæ. Ut enim Princeps juſtè diſtribuat gradus militares, non debet conſiderare tantùm ſubditi virtutem, ſi ſit in ſe bonus civis, ſed ſi ſit bonus miles; & ſi exercendo gradus militares, erit utilis Reipublicæ. Ideò communiter dicitur eſſe diſtribuenda non melioribus ſimpliciter, ſed melioribus hìc, & nùnc; etenim conſiderandi ſunt in ſingulari gradus, honores &c. pro loco, & tempore, ac eſtò in reliquis non ſit civis ita virtuoſus, ſi, omnibus conſideratis, eſt utilior, debet præponi. In ſpiritualibus tamen habet locum *vitæ integritas, ac morum honeſtas*, ut §. 6. ait Clemens X. in Bullà *Superna magni*, quia debent paſcere populum exemplo, verbo, & opere, ut eſſe meliorem ſit idem ac eſſe aptiorem in his circumſtantiis ad conſulendum Eccleſiæ.

4. D. Quas circumſtantias debet in providendis conſiderare Superior, ut juſtè diſtribuat bona Reipublicæ, præſertim Eccleſiaſticæ?

M. Circumſtantiæ in omni caſu eſſe poſſunt infinitæ; propterea non poſſunt paucis compræhendi. Tamen innuendo aliquas in particulari: poſt talem vitæ integritatem, ut non ſit ſcandalo populis providendus de Eccleſiâ, ſeù beneficio, debet primò omnium Superior habere ante oculos leges, & Canones: qui per hos redditur indignus, non poteſt provideri: ſecundò conſiderandum eſt ſervitium, cui providendum eſt, non perſona: Multi cognoſcunt ſe obligatos alicui, & ſtatim illi conferunt beneficium abſque aliâ conſideratione; hi provident perſonam, non beneficium. Juſtus diſpenſator (qualis eſt Superior, non Dominus, præſertim beneficiorum Eccleſiaſticorum) conſiderat beneficium ſi enim ſit Canonicatus, vel alia Præbenda, quæ ſolùm indiget aſſiſtentiâ Chori, & recitatione Officii, ad iſta quis eſſe poterit aptior, etiamſi habeat doctrinam minorem aliis: tertiò debet etiam conſiderari ſtatus providendi: nobilis enim debet provideri juxtà ſuum ſtatum; quare illi non ſufficit beneficium tenue, quòd plebejo ſufficeret: quartò videndum eſt, ubi ſitum ſit beneficium: Eccleſia enim ruralis debet provideri de Theologo, non purè Scholaſtico, ſed Morali, legente ſæpiùs Rituale Romanum, ut practicè ſciat conferre ſacramenta: quintò debet etiam maximè conſiderari, ut Superior confidere poſſit de illo, cui confert beneficium. Propterea S. Th. q. 63. a. 2. ad 1. ait licere Prælato præferre cæteris ſuos conſanguineos, quando alias æquè digni ſunt, & fieri poteſt ſine ſcandalo. Confeſſor igitur diligens conſcientiam diſpenſatoris bonorum, præſertim Eccleſiaſticorum, proponat illi hæc om-

nia, faciatque diſtinguere hæc duo: nam peccat, ſi diſtribuat, quia amicus eſt quia conſanguineus eſt, ſed ſi cum hoc, quòd bonus eſt, & utilis Eccleſiæ, conjungitur eſſe amicum, vel conſanguineum, in tali caſu poteſt præferri, quia per illam circumſtantiam redditur utilior.

5. D. Poſſunt ne diſtribui bona, præſertim Eccleſiaſtica, ob commendationem alicujus potentioris, & præcipuè Principis?

M. Unicum diſtribuendi motivum debet eſſe utilitas hic, & nunc Eccleſiæ. Si commendatio hominum eſſet, ut commendatio Dei, qui dùm commendat, facit bonum, utique poſſet id fieri: commendatio tamen hominis non facit bonum & utilem, ſed ſupponit; quare Superior in tantum poteſt admittere commendationem, in quantum iſta præſupponit meritum commendati; & ſupponendo meritum, debet aliqualiter reſpici, ut teſtimonium; quod Apoſtolus 1. Tim. 3. vult accipi *ab iis, qui foris ſunt*: ſed merè, quia commendatur, non poteſt provideri: quare Superiores ubi habent commendationem, curabunt, ut comendantes, etiam merita commendati, & requiſita proponant.

6. D. Orationes Sanctorum proſunt peccatoribus; & Dogmatiſtæ probant licitam invocationem Sanctorum, ex ordine reperto in naturalibus, quòd pauper indignus aliqua gratia, tamen illam impetrat per interceſſionem nobilioris; quare alias indignus ob commendationem poterit provideri?

M. Deus in aliquibus ſe habet, ut Dominus; & in aliis, ut juſtus Judex: ut Dominus dat gratiam: ut Judex, ac diſpenſator dat gloriam; Ut Dominus ad interceſſionem Sanctorum dat gratiam; ſed ut diſpenſator dat gloriam juxta merita. Superior ergo imitetur Deum in omnibus: In quibus eſt Dominus, faciat gratiam relaxando pœnam (niſi præjudicet bono communi) dando etiam occaſiones ſubdito ſibi intimo, ut poſſit mereri plura, ſed nunquam det bona Reipublicæ præſertim Eccleſiaſticæ (quorum eſt diſpenſator) niſi merentibus, juxta excellentiam meriti, & in utilitatem Eccleſiæ. S. Thomas q. 63. a. 1. ad 3.

7. D. Sufficit ne providere bonum, aut requiritur, eligere meliorem, ut nonnulli videntur docere?

M. Cum bona Reipublicæ, præſertim Eccleſiaſticæ, ſint diſtribuenda merentibus, & utilibus Reipublicæ, & jus ad hæc bona fundetur in tali merito, hinc apparet, quòd jus majus habebit, qui magis meretur, & eſt utilior. Superiores autem conſtituuntur diſpenſatores; ut juri uniuſcujuſque provideant; propterea debent expectare ſufficiens tempus, ut informentur de utilioribus, & ad hoc, ſive per ſe, ſivè per Miniſtros agere debitas diligentias: cum hac tamen ulteriori regula, quòd Superior providens abſolutè indignum, peccat ipſe, & peccat proviſus; Imò iſte ſi acceptat, ſicuti nullum habebat jus ad beneficium, ita nullum acquirit jus beneficio, & providens tenetur illum ſpoliare. Si autem, omiſſo meliori, provideatur bonus, tunc peccat ſolùm providens eligendo, quem hic, & nunc cognoſcit non eſſe utiliorem Eccleſiæ, ſed non peccat proviſus acceptans, & ſe remittens judicio Superioris; imò acquirit jus in beneficio, nec illo poteſt expoliari, Vide prop. 47. ab Innoc. XI. damnatam, quæ oſtendit, etiam extra concurſum eligendos eſſe digniores.

8. D. Hæc doctrina replet ſcrupulis; nec videtur attendi in electionibus etiam Regularium: nec enim examinatur quis ex duobus ſit dignior, ſed quis conſanguineus, amicus, nationalis &c.

M. Hæc doctrina non replet ſcrupulis, ſed fundatur in vera, & naturali ratione: ſi enim eſt eligendus dignus, ergo magis dignus erit magis eligendus: præſertim quia dicimus eligendum digniorem hic, & nunc, omnibus penſatis; Cæterùm ſicuti Sancta Mater Eccleſia nullatenùs damnat electiones, quæ ordinariè fiunt, ita neque debet illas damnare filius volens in omnibus obedire, & imitari ſuam matrem; ſed ſupponere legitimas, niſi contrarium manifeſtè conſtet; quando præcipuè malum non eſt eligere amicum; nationalem &c. ſed eligere indignum, quia amicus, vel nationali eſt. Cæterùm eſſet omninò lacrymabile, quòd Rerum publicarum, præſertim ſacrarum proviſores introducerent hoc grande ſcelus contra juſtitiam diſtributivam. Propter hoc peccatum expectari poſſet exterminium totale Reipublicæ: nam

Regnum à gente in gentem transfertur Eccl. 10. *propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos*: quæ omnia interveniunt, ubi juſtitia peſſumdatur; nec ullo poſſunt averti ſtudio ſupremi Principis, niſi firmentur duæ virtutes in immediato proviſore, Chriſtiana charitas, & juſtitia diſtributiva. S. Thom. q. 61. a. 1. 2. & 3.

9. D. Extat ne præceptum affirmativum obligans ad actus Juſtitiæ diſtributivæ?

M. Extat hoc præceptum reſpectu Superiorum, qui habent diſpenſare bona Reipublicæ: Circà autem beneficia Eccleſiaſtica Sacri Canones determinarunt tempus; quo tranſacto proviſio pertinet ad alium Superiorem. Non eſt meum determinare, an peccet mortaliter Superior toto illo tempore negligens providere. Certum eſt, quòd peccabit mortaliter peccato omiſſionis, ubi ex dilatione, beneficium, Eccleſia, Reſpublica, vel etiam privati patiantur grave damnum.

10. D. Quod eſt peccatum contrariè oppoſitum per exceſſum Juſtitiæ diſtributivæ?

M. Hoc peccatum non habet ſpeciale nomen ſed illo peccant, qui maximæ perfectionis idæam ſibi fingunt, & juxtà illam volunt providere bona Eccleſiæ, conferre ſacramenta &c. Bona hominum dividenda ſunt hominibus, non Angelis. Ubi Superiores, parvi habito juſtitiæ, aut honoris affectu in providendis, unicè incumbunt ideæ perfectioni efformatæ, decipiuntur ſæpè: nàm plures, ut obtineant beneficium, quod appetunt, aſſumunt larvam ſanctitatis. At obtento, ruunt in peſſima quæque. Innumera id evincunt exempla. Hoc peccato peccaret Confeſſor, qui vellet abſolutionem impertiri ſolùm, juxtà theſes 16. 17. & 18. damnatas ab Alexandro VIII., vel communionem Euchariſticam, juxtà 23.

11. D. Quod eſt peccatum per defectum oppoſitum contrariè Juſtitiæ Diſtributivæ?

M. Iſtud peccatum vocatur acceptio perſonarum, & eſt, quando Superior in diſtribuendis Reipublicæ bonis non conſiderat merita, nec ad utilitatem reſpicit Reipublicæ, ſed alias qualitates perſonarum non conſiderabiles in illà ſingulari diſtributione, honorum, graduum &c. Porrò ſufficienter eſt explicata hujus peccati ratio, in præcedentibus.

12. D. Peccata oppoſita Juſtitiæ diſtributivæ ſunt nè mortalia ex naturà, & ex genere ſuo?

M. Peccata, ſive omiſſionis, ſive commiſſionis, & per defectum, & per exceſſum oppoſita juſtitiæ diſtributivæ, ſunt ex ſuo genere mortalia, ob rationem adductam p. 1. c. 34. n. 6. relegendam, eſt enim hæc juſtitia medium neceſſarium ad conſervandam charitatem: qui non vult dare bonum alteri debitum, certè non vult chacharitatem proximi.

13. D. Admittunt nè parvitatem materiæ hujuſmodi peccata oppoſita Juſtitiæ diſtributivæ?

M. Admittunt utique parvitatem materiæ: diſpenſantur enim in utilitatem, ſeù bonum Reipublicæ: propterea, quia poteſt Reſpublica ſentire parvum detrimentem, erunt venialia ex parvitate materiæ.

14. D. Neceſſarium mihi eſt ſcire; an tria illa peccata, nempè, omiſſionis, commiſſionis per exceſſum, & commiſſionis per defectum, ſint ſpecies infima: ſi enim ſint ſpecies ſubalterna, cogam pœnitentem, ut ulteriùs explicet ſpeciem infimam, juxtà Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 19.

M. Coges pœnitentem, ut ulteriùs explicet, an violarit, hanc juſtitiam in diſtribuendo bona Eccleſiæ, vel Reipublicæ ſæcularis, vel familiæ &c. Item qualia ſint bona, ſi honores, gradus, &c. Confeſſorque ſemper habebit præ oculis doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 185. a. 7. *Si in modico deficiat, vel ſuperabudet* diſtributor, *poteſt hoc fieri abſque bonæ fidei detrimento, quia non poteſt homo in talibus punctualiter accipere, quod fieri oportet: ſi verò ſit multus exceſſus, non poteſt hoc latere: unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non eſt abſque peccato mortali*.

15. D. Adſunt nè ullæ propoſitiones prohibitæ circà Juſtitiam Diſtributivam?

M. Adeſt 47. Innocentii XI. quam relegat, & curet Confeſſor, ut in terminis, in quibus jacet, ſervetur illa damnatio.

16. D. Adeſt nè ulla cenſura, vel reſervatio peccatorum contrà juſtitiam diſtributivam?

M. Nulla eſt cenſura, vel reſervatio in univerſali contrà hujuſmodi peccata præciſè, & per ſe ſpectata; nàm qui ſimoniacè diſtribuunt bona Eccleſiæ ſuprà violationem hujus Juſtitiæ, violant etiam Religionem. Canones in variis occaſionibus imponunt pœnas malè diſtribuentibus; At hìc non refero ex duplici capite: primò: quia ſequor Angelicum agentem Theologum, non Canoniſtam: ſecundò: quia hoc opus eſt pro Confeſſore ordinario, qui poteſt ſufficienter exercere ſuum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris, abſolvendo, aut retinendo hæc peccata, medendo aut inſtruendo de illis, ac remittendo pęnitentes, ut ſuper pęnis Canonicis incurſis interrogent doctiores: quòd ſi Confeſſor cupiat ſcire illas, ut meliùs exerceat ſuum munus, habebit Doctores inſignes, qui hæc ſcribunt.

17. D. Quas Pęnitentias imponet Confeſſor peccantibus contrà Juſtitiam diſtributivam?

M. Eccleſia conſuevit determinare quaſdam pęnitentias in particulari pęnitentibus, qui incidunt in aliquos caſus reſervatos; & cum peccata contrà Juſtitiam diſtributivam non ſint reſervata, Confeſſor non habet pænitentiam determinatam, quam omninò teneatur imponere, ſed diriget ſe juxtà Rituale, ut imponat contrarias peccatis pęnitentias. Peccans per exceſſum ſuadebitur, ut conſideret ſibi præ omnibus, ante oculos habendas eſſe leges Reipublicæ, præſertìm Eccleſiæ, quam Spiritus Sanctus dirigit: quare in promovendis exigere aliquid ſuprà leges Eccleſiæ eſt exigere aliquid ſuprà Spiritum Sanctum. Sed faciliùs, & frequentiùs peccatur per defectum, acceptione perſonarum, reſpiciendo non ad merita, ſed ad carnem, & ſanguinem. Ut Confeſſor tollat ſuavitèr hujuſmodi peccata pęnitentiis medicinalibus, oſtendet, ſacrilegia omnia, quæ provenient ex indigna proviſione, tribuenda eſſe malo proviſori, v. g. ſi Confeſſor diſtribuat pęnitentibus malam doctrinam, vi cujus exiſtiment licere, quod nullatenùs licet, & in quo non poſſunt excuſari, Confeſſor non ſolùm peccat, dùm ita docet, ſed eſt cauſa omnium peccatorum, quæ populus committit ſequens talem doctrinam. Idem dic de ordinante indignum ad Sacerdotium &c. Monendus erit Pęnitens, ut in omni proviſione quærat utilitatem Reipublicæ, non propriam. Et quia facillimè poſſumus deflectere; Confeſſor hujuſmodi Proviſoribus conſulet, ut in confeſſione ſe accuſent, ſi quid ex inadvertentiâ, vel oſcitantiâ deliquerint in diſtributione; quò gratia ſacramentalis hujus ſacramenti poſſit illis fortior in poſterum adeſſe ad rectè diſtribuendum.

CAPUT XXI.

De Juſtitiâ Vindicativâ, & Peccatis eidem oppoſitis.

1. JUſtitia Vindicativa differt à Diſtributivâ ſolùm in eo, quòd iſta diſtribuit bona Reipublicæ merentibus: illa verò diſtribuit mala, ſeù pęnas à Republicâ ſtatutas merentibus. In omnibus igitur eſt regulanda ſecundum dicta de Juſtitiâ Diſtributivâ:

2. Confeſſor particularitèr inſinuabit primò pęnam, ut pęnam, nullatenùs expeti poſſe: ſic enim eſſet odium formale: ſed expetendam ut bonam, ſive utilem, vel ipſi delinquenti, vel ſaltèm communi bono Reipublicæ, quæ pacatur ſi exterminentur mali ſubditi.

3. Secundò: ſolus habens juriſdictionem poteſt dirigere pęnam ad bonum delinquentis, vel Reipublicæ: & ſecundum quod habet de juriſdictione, poterit pęnam ordinare: Vita, & mors tantùm ſunt in manu Principis, ut ipſe poſſit addicere morti, & addicto ex gratia condonare vitam; Cæteri poſſunt pęnas majores, vel minores juxtà juriſdictionem ſibi conceſſam. Jus Oeconomicum concedit patri pęnam leviorem: ita etiam jus Domini in ſervum; ſed circà hunc erunt videndæ leges particulares cujuſcunque Reipublicæ.

4. Tertiò: Juſtitiâ Vindicativa eſſe poteſt in privato, ſed non ita, quòd ipſe privatus poſſit exercere per ſe illius actum externum: quem ſolus poteſt exercere Superior. Igitur privatus poterit tantùm appetere, quòd reus puniatur, ob bonum publicum, ſeù proprium; Sed nemo obligatur appetere, ut reus puniatur ad ſatisfaciendum ſibi. Aliàs eſt res plena periculi, quia, dùm agitur de noſtris offenſis, coloramus noſtros affectus ſub larva boni privati, aut communis; cęterum ſæpè

ex odio appetimus pœnam, quia mala eſt noſtro inimico: quare tutiſſimum eſt ex charitate, remittere omnem injuriam. Videmus, quòd ipſi ſupremi Principes nunquam per ſe ipſos judicant de propriis injuriis, ſed aliis delegant hoc judicium, quia periculum eſt, ne ex odio ferantur in pœnam. Sanctus Thomas quæſt. 108.

CAPUT XXII.

De Juſtitiâ Commutativâ, & ejus Actu, qui eſt Reſtitutio.

1. IN duobus hæc juſtitia differt ab aliis enumeratis: primò: iſtarum actus externus exerceri poteſt tantùm ab habente authoritatem; At Commutativæ actum externum quilibet poteſt exercere: ſecundò: illæ ponunt æqualitatem Geometricam, iſta Arithmeticam; quare Confeſſor obligatus duobus pœnitentibus quinque ſcuta; dabit ſingulis quinque quamvis alter ſit fortis, alter in extremo vitæ conſtitutus: quia tenetur ex juſtitiâ commutativâ; ſed quia pœnitentiam in confeſſione tenetur dare ex juſtitiâ legali, dabit per proportionem Geometricam, attentâ conditione ſtatus &c. ſuum cuique.

2. Tertiò: Juſtitia commutativa reſpicit jus, ſeù bonum, ut debitum. Jus autem, quod eſt illius proprium, poteſt eſſe duplex, aliud in re, aliud ad rem. Confeſſor debet attendere multùm ad hanc diſtinctionem. Qui habet jus ad rem, non dum eſt poſſeſſor, ſed tamen ſuo tempore fiet poſſeſſor per legitimum Superiorem; & nùnc pecco, ſi mediis illicitis tollo jus iſtud, & teneor ad reſtitutionem, ſi media opponantur juſtitiæ: At ſi mediis licitis tollo iſtud jus ad rem, non pecco: ſed contrà jus in re non poſſum tollere, niſi mediante juſtitià legali, & recurſu ad Superiorem.

3. D. Audivi, quòd ſine recurſu ad Superiorem, poteſt quis ab habente jus in re, ſeù ab eo, qui eſt poſſeſſor repetere ſuum jus ad rem per occultam compenſationem?

M. Cautus debet eſſe Confeſſor, nè aperiat viam mille injuſtitiis, approbando univerſaliter occultam hujuſmodi compenſationem. Permitti poteſt, in caſu, quo creditum ſit omninò liquidum, multoties conteſtatum Debitori, & fundatè timeatur grave dannum in recurrendo ad Superiores: v. g. famulus, cui vir nobilis debet mercedem pactam, ſæpiùs illam petiit, & loco mercedis recepit verbera, vel minas mortis; Multò majora timet, ſi recurrat ad Superiorem, apud quem non habet, quomodo probet creditum, de quo teſtes nòlunt deponere, ipſi etiam metu mortis comminatæ à communi hero; Inſuper dummodò moraliter ſit certus, quòd crediti occultè ſurrepti culpa non refundatur in alios innocentes, & quòd non recipiat bis idem debitum. Cum omnibus his conditionibus Confeſſor poterit permittere compenſationem occultam. Dixi *permittere*, ſi enim conſulat &c. multi abutentur hac doctrinà. Sit ergo cautus Confeſſor: ubi prædictas omnes conditiones invenerit, non obliget ad reſtitutionem, & interim ne porrigat auſam peccandi, conſulet in genere, ut de alio hero ſibi provideat, ut curet habere juſtitiam per manum Superioris &c.

4. D. Quid eſt Reſtitutio, quæ dicitur actus principaliſſimus Juſtitiæ Commutativæ;

M. Naturam reſtitutionis maximè debet intelligere quilibet Confeſsor, etiam ordinariiſſimus, quia principale peccatum regnans in mundo eſt violatio juſtitiæ, quod deleri non poteſt, niſi per reſtitutionem: *non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. S. Thomas q. 62. art. 2. Tota Romani Pontificis authoritas non valet abſolvere, niſi fiat reſtitutio, vel offenſus libere dimittat. Reſtitutio autem eſt iterata compenſatio ejus, quod quis habet alterius. S. Thomas a. 1.

5. D. Reſtitutio cadit ſub præcepto affirmativo Juſtitiæ. Porrò præceptum affirmativum non obligat ad ſemper?

M. Cadit ſub præcepto affirmativo, & importat etiam negativum non retinendi rem alienam; & quia non poſſumus perſeverare in peccato voluntariè, ideò per præceptum negativum obligat ſtatim, & ad ſemper S. Thom. a. 8.

6. D. Reſtitutio eſt iterata compenſatio rei acceptæ: quare homicida v. g. impotens reſuſcitare, non tenebitur ad reſtitutionem?

M. *Quando oblatum non eſt reſtituibile*

per æquale, debet fieri recompenſatio, qualis eſt poſſibilis: cùm quis abſtulit membrum, debet recompenſare, vel in pecunia, vel in honore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri. Santus Thomas art.2. ad 1. niſi gratuitò remittatur, ut fit inter inimicos divites, dùm pacificantur. Pauper verò, cui maritus occiditur, diſtinguit injuriam ſibi illatam, & damnum ex ipſâ ſibi, & familiæ reſultans. Quoad injuriam poteſt per Judicem exigere ſatisfactionem, ſed remittit, dando pacem: quoad damnum, petit reintegrari.

7. D. Quomodo reſtituet æquale, qui viis injuſtis impedivit habentem jus ad hæreditatem, ne conſequatur illam?

M. Confeſsarius primò intelligat peccati numerum, & ſpeciem, interrogando, quæ fuerint hujuſmodi viæ &c. an impediverit ex odio, an ex invidiâ &c. deinde applicet remedium. Petrus impedivit Paulo beneficium ſibi deſtinatum ab Epiſcopo, antequam conferatur, conſideret Confeſsor qualitatem beneficii, majorem, vel minorem Epiſcopi diſpoſitionem ad illud conferendum Paulo &c. penſatiſque omnibus obliget Petrum ad reſtituendum quanti valet hìc, & nùnc ſpes beneficii. Comburens menſe Martii ſegetes, tenetur minùs reſtituere, quàm ſi combureret menſe Julii; nàm expenſæ faciendæ, & alia pericula, quæ poſsunt imminere, faciunt multò minoris valere ſpem futuræ ſegetis &c. S. Thomas a.2. ad 3.

8. D. Quot ſunt capita, ſeù radices, ex quibus oritur obligatio reſtituendi rem aliquam?

M. S. Thomas art. 6. reducit ad duo: *Res accepta, & Injuſta Acceptio*: ſubſecundà venit damnificatio, etiamſi nihil mihi accipiam, ut cum incendo campum.

9. D. Quis tenetur ex primo capite, ſcilicet, ratione rei acceptæ ad reſtitutionem rei?

M. Quicumque habet rem alienam, ſive bonâ, ſive mala fide poſſideat: Poſseſsor bonæ fidei dicitur, qui non peccavit, dùm accepit rem alienam, ut qui credidit eſse ſuam; vel emit ab eo; quem credebat eſse verum dominum &c. Quòd ſi cognoſcebat non eſse verum dominum; ſed ſaltèm dubitabat, erit poſſeſſor malæ fidei. At ſi dùm accepit, ex conſcientia erroneà, credebat non eſſe ſuam, peccavit quidem tunc, & quouſque retinet cùm iſtâ conſcientiâ, ſed ubi verè cognoſcit eſſe ſuam, non tenetur reſtituere; quia eſt reſtituenda res verè aliena, non quæ credebatur aliena.

10. D. Tenetur nè æqualiter reddere tàm poſſeſſor bonæ, quàm poſſeſſor malæ fidei?

M. Eſt differentia inter utrumque. Poſſeſſor bonæ fidei, quando venit in malam fidem, ſeù cognoſcit rem eſſe alienam, tenetur reſtituere rem ſi extat, in quo extat, & id tantùm, in quo factus eſt ditior; ſi verò non extat, non tenetur ad pretium rei, ſed tantùm ad id, in quo factus eſt ditior: At poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere rem (hàc non extante pretium rei) cum damnis cauſatis domino; & propterea cum fructibus.

11. D. Tenetur nè ad omnes fructus?

M. Fructus ſunt in triplici genere. Alii merè naturales, ut fœnum, quod ſpontè naſcitur: Alii mixti, ut uva, quæ naſcitur ex culturâ vineæ. Alii induſtriales, ut lucrum, quod reportatur ex ludo: Primos fructus tenetur integros reſtituere: ſecundos deductis expenſis: tertios nullatenùs reſtituere: Hoc procedit in poſſeſſore bonæ fidei, quando poſſeſſor ſit factus ditior: At ſi conſumpſit bonà fide, ſi non factus ditior, non tenetur.

12. D. Qui tenentur ex re acceptâ reſtituere?

M. Quotquot habent rem alienam, ſive per contractum (finito tempore contractus) ſive alio quocunque modo, ſi dominus rei ultrà præfixum tempus, ſit rationabiliter invitus, ut ego retineam. Porrò ſunt plures contractuum ſpecies, quarum notitia non datur hìc, quia non eſt omninò neceſſaria (licèt utiliſſima) Confeſſori ordinario, qui tamen notabit differentiam mutui, à commodato, & omnium aliorum contractuum, in quibus, ut in mutuo, transfertur dominium, ab iis, in qui-

quibus, ut in commodato, non transfertur dominium: ubi dominium transfertur, ſi res pereat, etiam abſque mea culpa, teneor reſtituere, quia res perit domino ſuo: ubi non transfertur dominium, ob dictam rationem, non teneor reſtituere. Santus Thomas quæſt. 62. art. 6.

13. D. Explica nunc ſecundam radicem reſtitutionis provenientem ex acceptione injuſta?

M. Ratione hujus tenetur reſtituere quiſquis cooperatur peccato in accipiendo alienum, ſive bona, ſive famam, ſive vitam. *Qui cooperatur:* quare non qui malo exemplo dat occaſionem furti: nam hic peccans peccato ſcandali contra charitatem, non cooperatur contra juſtitiam. *In accipiendo;* quare conſulens, mandans &c. furtum poſteà impeditum, non tenetur. Sanctus Thomas art. 7 ad 2. *In accipiendo:* quare à fure donatus parte furti, poſt furtum, tenetur ſolùm ad id, quòd accepit.

14. D. Quot modis homo poteſt cooperari injuſtæ acceptioni?

M. Modi comprehenduntur illis verſibus,

Juſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus
Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Iſtos novem modos peccandi conſiderare debet Confeſſor in omni peccato; nam quocumque ex illis influam, verè pecco tali peccato, & quicumque ex illis conſtituit diverſam ſpeciem omninò explicandam; imò ubi eſt annexa excommunicatio, præſertim in Bulla Cœnæ, ſunt notanda Canonis verba, utrum ligent ſolùm exequentem, vel etiam mandantem, aut conſulentem &c. nec enim leges pœnales extendendæ ſunt. Non exemplifico, quia cum hac reflexione, legendo ſingulos Canones Bullæ, videbis in uno comprehendi plures, in alio pauciores ex dictis novem modis, qui tamen ſpeciali. ter inducuntur in materia juſtitiæ, quia in iſta ſpecialiter obligantur ad reſtitutionem, qui peccant aliquo ex illis modis, & quidem de ſe patet, quid importent *Juſſio*, ac *Conſilium*: nomine *Conſenſus* venit, qui conſentit actioni injuſtæ. *Palpo* ſignificat illum, qui ita adulatur furem, ut ex adulatione moveatur ad furandum: vel ad non reſtituendum: *Recurſus* ſignificat illum, qui receptat apud ſe fures, ut tales, & eorum furta, vel ſi ambo influant ad non reſtituendum ſic, quòd eorum receptatio influat in furtum. *Mutus*, qui non clamat videndo fures: *Non obſtans*, qui non impedit fures. *Non manifeſtans*, qui non detegit fures. Tamen hi tres ultimi tenentur ad reſtitutionem, quando ſolùm tenentur ex juſtitia, clamare, impedire, vel detegere, ut ſunt deputati ad hoc à Principe, ſeù Princeps, ſeù etiam Adminiſtrator habens officium. At ſi ego ſine officio, potens impedire non impedio, quia pecco ſolùm contra charitatem, non teneor ad reſtitutionem. S. Thomas artic. 7. Exemplum de fure poſitum eſt, ut magis commune; ceterùm illi novem modi conſiderandi ſunt in alia omni actione, per quam læditur juſtitia commutativa, in fama, vita &c.

15. D. Alii dicuntur obligati reſtituere inſolidum, & alii pro parte. Non intelligo iſtam diſtinctionem?

M. Dicuntur obligati reſtituere pro parte, qui habuerunt partem rei furto ablatæ, ſed nullatenus concurrerunt in ipſam actionem furti: At qui influunt in actionem, obligantur inſolidum, ita ut ſinguli teneantur ad reſtituendum totum, quod fuit furto ablatum, etiamſi nihil rei venerit in ſuas manus. Tamen hoc ordine; primò tenetur reſtituere, qui poſſidet rem, eſtò ab initio bona fide poſſederit. Hoc non reſtituente, qui fuit cauſa principalior in furto, reddet totam injuriam paſſo, nempè jubens; & deinde gradatim, qui magis influit. Ubi verò totum iſte reddidit, acquirit actionem contra ſocios, verbi gratia, decem abſtulimus centum oves, quas æqualiter diviſimus, ego qui in furto minimam partem habui, teneor reſtituere omnes centum, ſed acquiro jus in nonaginta, quas cæteri appropriarunt ſibi ordine prædicto; ſi autem damnificavimus incendendo, verbi gratia, ſegetes, tunc tenemur quidem omnes; At ſi reſtituat, qui nobis fuit Author totalis damni, & talis, v. gr. qui ita juſſit, ut non poſſit eidem reſiſti, iſto reſtituente, nos ad nihil tenemur ipſi prin-

principali. Sanctus Thomas quæſt. 62. a. 7. ad 2.

16. D. Aliquando lex obligat, ut qui furatur unam ovem, v. g. reddat quadruplum: quare extat caſus, in quo tenemur ad plus, quàm accepimus?

M. Ex juſtitià commutativa fur determinatè tenetur reddere, quod abſtulit, v. g. unam ovem; & ulteriùs ſatisfacere ob injuriam illatam; iſta tamen ſatisfacto non determinatur à natura, ſed relicta eſt arbitrio Principum, qui per leges modò hanc modò illam ſatisfactionem ſanxerunt; & poteſt Princeps determinaſſe, ut reddatur quadruplum. In hoc caſu una debebitur ex juſtitia commutativa: tres autem ex Vindicativa, & per conſequens, ut repetantur iſtæ tres, requiritur ſententia Judicis, qui ſolus habet exercere vindicativam. Igitur ubi furto abſtuli unam ovem, teneor ſtatim poſt furtum reddere unam, & durat peccatum toto tempore, quo non reddo. Etiam tali lege de tribus exiſtente, non pecco has retinens, niſi poſtquam Judex me damnavit: etenim tùnc ex juſtitia commutativa incipio obligari. Pariter qui perdidit ovem, ſi illam inveniat inter meas, poteſt ſibi accipere, ſed non tres alias, niſi poſt ſententiam, & mandatum Judicis. Sanctus Thomas a. 3.

17. D. Dixiſti n. 5. quòd reſtitutio eſt in præcepto, jam peto an ſit ſub præcepto obligante ad mortale?

M. Obligat ad mortale, quia eſt medium, ſine quo non poteſt conſervari charitas. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

18. D. Obligatnè ita, ut reddi poſſit veniale peccatum ex parvitate materiæ illius omiſſio?

M. Quia reſtitutio reparat bonum proximi; ſi parvum ſit bonum, quod non reparo, ex parvitate materiæ, peccabo venialiter. Vide dicta p. 1. c. 36. n. 6.

19. D. Adſunt ne circa reſtitutionem ullæ propoſitiones prohibitæ à Romanis Pontificibus?

M. Vide 20. Alexandri VII. pro Beneficiatis; & 33. nec non 38. & 39. Innocentii XI. pro reſtitutione in genere.

20. D. Extant nè cenſuræ contra omittentes reſtituere, vel ulla reſervatio iſtius peccati?

M. Non invenio, quòd omiſſionem reſtitutionis generaliter ſibi reſervarint Romani Pontifices. Plures Epiſcopi ſolent ſibi reſervare hoc peccatum in aliquibus: Confeſſor conſulat Tabellam Reſervatorum in ſua Diœceſi, nec illam excedat. Quia verò in Bulla Cœnæ multoties fit mentio de ſatisfactione, ſciendum, quòd communiter nomine reſtitutionis intelligimus reddere quod ablatum eſt, ad quod ex n. 16. tenemur ante ſententiam Judicis: nomine verò ſatisfactionis intelligimus reparationem injuriæ. Igitur hanc exigit Bulla Cœnæ, & aliæ excommunicationes; ubi loquuntur de ſatisfaciendo. Porrò hæc ſatisfactio ut plurimùm non eſt lege ſtabilita; quare remittitur exigenda arbitrio prudentis injuriati, vel ſaltem Judicis; Tamen ſciat Confeſſor; quòd Princeps violans libertatem Eccleſiaſticam, per aliquod ſtatutum ex Bulla Cœnæ, tenetur ſatisfacere illud priùs revocando &c. nec non certiorando Summum Pontificem de revocatione.

CAPUT XXIII.

De Peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ in generali.

1. JUſtitia eſt virtus moralis, & propterea, ſicut aliæ, conſiſtit in medio, habetque peccata contrariè oppoſita per defectum, & per exceſſum. Deficit, qui minus dat, quam debet: Excedit verò, qui plus exigit, quam ſibi debetur. Cæterum idem omninò eſt peccatum, v. g. emens dat vendenti minus quàm debeat: è contrà vendens exigit plus quàm ſibi debeatur; In confeſſione non eſt neceſſarium explicare, quòd ille fuerit emens, iſte vendens &c. ſed ſufficit dicere, quòd in tali contractu interceſſerit fraus compartis in quinque, vel in decem &c.

2. Plurima huic Juſtitiæ peccata opponuntur, de quibus S. Thomas à q. 63. ad 79. Utque clariùs ac faciliùs percipi poſſent, diſtinxit, quæ fiunt per voluntariam commutationem ab his, quæ fiunt per commutationem involuntariam. Primæ ſunt, in quibus intercedit aliquis contractus ex utraque parte initus voluntariè; nec injuſtitia eſt in contractu, quia volenti, & conſentienti non fit injuria, ſed per talem contractum ego decipio proximum, v. g.

volun-

voluntariè convenio cum emente, ſed decipio illum, dando clam vinum acceſcens loco boni: quare emens eſt invitus circà defectum. Injuſtitiæ verò, quæ nec fundantur, nec fundari poſſunt in legitimo contractu, dicuntur peccata circa commutationes involuntarias, v.g. furtum, homicidium &c. quòd ſi quis in aliquo caſu conſentiat, videndum eſt, an de jure poſſit conſentire: ſi conſendo: ut quis accipiat rem meam, non eſt furtum, quia de jure poſſum conſentire: ſi maritus conſentiat adulterio uxoris, quia de jure non poteſt conſentire, adulterium ſpectat ad commutationes involuntarias. Idem dic, ſi quis conſentiat ſe occidi à privato; ſi Clericus conſentiat, ut judicetur à Principe Laico &c.

3. Sæpè in voluntariis commutationibus Confeſſor ſolùm reflectit ad damnum perſonæ, non ad injuriam; nec ullum videns damnum, judicat pœnitentem immunem à peccato, cum alias graviſſimè peccaverit: v.g. peto vinum merum, quod valet juliis ſexdecim; & Caupo mihi offert juliis duodecim vinum aquà dilutum, (quòd verè tanti vænit) dicens eſſe vinum merum. Non exiſtimet hìc intercedere ſolum leve mendacium; ſed ulteriùs interroget, an vinum emi poterat ad ſacrificium, an ad conſervandum &c. in quibus caſibus damnificatur emens; & adhùc an omninò voluerit vinum merum. In quò caſu licèt non damnificaretur emens, tamen utpotè omninò invitus in vino diluto, patitur injuriam à pœnitente recompenſandam arbitrio prudentis viri.

4. Peccata contingentia in involuntariis commutationibus poſſunt dividi tripliciter: nam primò læditur jus in corpus: hæc peccata conſiſtunt in facto: ſecundò læditur jus in famà: hæc conſiſtunt in verbo, & in factis dehonorativis: tertiò læditur jus in bona: hæc conſiſtunt in facto: ſub primis comprehenditur adulterium violans jus in corpus conjugis. De illo tamen agitur cum de caſtitate, quia ſine hujus notitià non poteſt perfectè cognoſci. *S.* Thomas q. 65. a. 4. ad 3.

5. In commutationibus voluntariis, quæ verſantur circa fortunæ bona, committuntur eadem peccata, quæ in voluntariis, & alia duo, nempè, fraus in emendo, & vendendo, nec non uſura in mutuando; & horum notitia eſt ſummè neceſſaria preparanti ſe ad confeſſiones, etiam vulgi, quia in hoc vigent æquè, ac blaſphemia, & juramentum. Porrò ſciat Confeſſor, ſe ut Judicem, Medicum, & Doctorem ex officio, & juſtitia legali obligatum ad inuendam reſtitutionem pœnitenti; quòd ſi deficiat ex negligentià graviter culpabili, ex tunc per caput *Mutus* incipit ipſe obligari ad reſtitutionem in ſolidum cum pœnitente: quare ſibi conſulat de doctrina ſufficienti, etiam ex parte hac, ne ſibi præjudicet.

6. D. Hæc doctrina me terret: ſi enim graviter negligo Theologiam Moralem, pecco primò tot peccatis, quot pœnitentibus audiendis me expono: ſecundò, quoties per illam negligentiam non obligabo pœnitentem ad reſtituendum, ſtatim inſurget etiam in me gravis hæc obligatio; ſed ubi deobligavi à reſtitutione pœnitentem ex negligentià vel inadvertentia, quomodo medebor huic malo?

M. Si ex gravi negligentià deobligaſti, confitebere quam primùm hoc peccatum; & quoad reſtitutionem, quomodocunque deobligaveris, voca Pœnitentem, dicens tibi aliquid occurrere circa præcedentem confeſſionem: ſi acquieſcit, imple munus tuum: ſi non acquieſcit, ille peccat, & tu etiam conſules conſcientiæ tuæ, ex quà culpa fueris cauſa talis damni.

CAPUT XXIV.

De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ circa vitam proximi.

1. D. Quot ſunt peccata, quæ committi poſſunt in vitam proximi, & ſpecialiter aperienda in confeſſione?

M. Ex S. Thomas q. 64. 65. ſunt quatuor: Homicidium, quo tollitur vita: Mutilatio, quà tolluntur membra: Verberatio, qua dolore afficitur corpus: & Incarceratio, quà tollitur libertas. Ut ſint peccata, debet violari jus ad illa.

2. D. Quando intelligitur homo habere, vel non habere jus in corpus?

M. Homo intelligitur ex vi juſtitiæ commutativæ habere jus ad conſervandum corpus proprium, quando non utitur illo in commune damnum Reipublicæ, ita ut offendat juſtitiam legalem; & hæc ad conſervan-

ſervandum commune bonum debeat procedere adversùs illam per Juſtitiam vindicativam.

3. D. Eſt nè differentia inter homicidium & occiſionem hominis?

M. Occiſio dicitur, ſive ſit juſta, ſive injuſta: è contra homicidium ſumitur pro injuſta occiſione.

4. D. Licetnè occidere hominem?

M. Præparans ſe ad confeſſiones figat memoriæ regulas generales, ex quibus parvo ſtudio poſſit deducere concluſiones particulares. Animalia in mundo, ut reliqua omnia, ſunt ordinata à Deo media in conſervationem hominis, quare Gen. 1. Deus eorum dominium dedit homini; & niſi ceſſerint in jus alterius, poteſt homo ſine injuſtitia occidere animalia; imò cum merito, ſi neceſſaria ſint ad ſui conſervationem; eſtò enim occiſio ſit malum particulare animalis, quia tamen eſt medium ad vitam hominis, quæ eſt majus bonum, poteſt eligi. Thomas q. 64. a. 1. At homo unicè ordinatur in Deum, & in commune bonum Reipublicæ, in qua convivit, ut pars in ſuum totum: ordinare autem media in bonum commune ſolùm illius eſt, qui præeſt communitati. Nullus igitur privatus poteſt aſſumere vitam hominis, ut medium ad ſui conſervationem, quia ad hanc Deus illam non inſtituit: Quia verò Deus inſtituit vitam hominis ad bonum commune, Præſes Reipublicæ, & qui ab eo habet authoritatem, poterit illa eligere occidendo, tamen in caſu ſolum, quòd illius vita ſit damnoſa Reipublicæ: tùnc verò dicetur damnoſa, quando ille violaverit leges juſtas, quæ mortem imponunt violatori.

5. D. Communiter dicitur, cum moderamine inculpatę tutelæ occidi poſſe hoſtem, qui me invadit ad occidendum?

M. Ex dictatatione privatus nunquam poteſt velle occiſionem alterius: quilibet nihilominùs poteſt velle ſui conſervationem. Addenda nunc eſt, majoris claritatis gratià, ſequens regula generalis: Licèt aliquod malum intendi non poſſit, poterit tamen permitti ab eo, qui non habet obligationem prohibendi tale malum; propterea ex SS. Auguſtino, & Thomà 2. 2. q. 10. a. 11. Principes poſſunt permittere (non intendere) meretrices, quia, utpotè obligati ad juſtitiam, non ſunt obligati ſpecialiter impedire hoc peccatum; quod non eſt contra juſtitiam, & poſſunt permittere ob aliquod bonum Reipublicę, ſcilicet, ne turbentur omnia libidinibus. Igitur privatus invaſus ab hoſte, nunquam intendet illius occiſionem; tamen ad illius conſervationem non obligatur, niſi generaliter ex vi charitatis, quæ non obligat impedire illius occiſionem cum propriæ vitæ periculo; quare poterit ſe defendere, & intendere ſuam defenſionem quòd ſi ex hac defenſione ſequatur mors nunquam intenta, erit omninò per accidens, nec imputabilis ſe defendenti. Hoc, & nihil aliud ex S. Thoma intelligitur, dicendo licere occiſionem hoſtis cum moderamine inculpatæ tutelæ, ita, quòd adhibeat omnem moralem diligentiam, ut illum conſervet: ſi poteſt ferire in brachio, & ita ſe defendere, non feriat in pectore &c. Alias nec eſt moderamen inculpatæ tutelæ, nec excuſatur à peccato; Unde in praxi difficillimùm eſt, ita ictus moderari, ut ſe defendens ſit immunis ab omni peccato, & ab irregularitate annexa homicidio. Tutius igitur eſt hortari, ut actionem ſubjiciat clavibus, & ſi velit fieri Eccleſiaſticus, petere diſpenſationem ab irregularitate.

6. D. Cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut dictum eſt, licet ſe defendere, permittendo occiſionem hoſtis (licet in praxi velim ſempèr ſequi tuum conſilium) licebit nè ergo mihi eodem modo defendere gemmam à fure, ita quòd prævidens illius mortem, non intendam, ſed permittam. Idem dic de virginitate, & honore?

M. Non eſt cum moderamine inculpatæ tutelæ defenſio gemmæ, ad quam ſequitur occiſio; nam adeſt alia via repetendi ſine occiſione furis, nempè, Juſtitia legalis. Virginitas ſi violatur invita, duplicatur ad coronam. Honoris etiam reparandi via eſt Juſtitia legalis. E contra vitæ reparandæ non eſt alia via, ut ſupponitur: nam mortuus non poſſum implorare Principem. Ita deducitur ex S Th. q. 64. a. 5.

7. D. Hæc dicta verificantur, ſi prævideo mortem aggredientis, quid judicandum, ſi me defendens occido non prævidens occiſionem?

M. Ex S. Thoma a. 8. tenenda eſt hæc regula generalis. Ubi facio aliquid, unde ſequatur mors non prævisa, vel aliud ma-

lum:

lum, ſi do operam rei licitè, & adhibeo debitas diligentias, occiſio non imputatur mihi; At ſi omitto debitas diligentias, vel do operam rei illicitæ, ſum reus occiſionis.

8. D. Poſſum nè occidere me ipſum?

M. In nullo caſu licet occidere ſe ipſum, nec Judex poteſt aliquem damnare, ut occidat ſe ipſum; eſtò cognoſcerem me damnoſiſſimum bono communi; Non poſſum mihi ordinare mortem, quia id eſt ſolius Principis, qui præeſt bono communi; nec poſſum in me exequi mortem à Principe ordinatam, quia executio eſt actus Juſtitiæ vindicativæ: omnis autem Juſtitia eſt ad alterum, non ad ſe ipſum. S. Thomas a. 5.

9. D. Explica ſecundum peccatum in vitam contrariæ oppoſitum Juſtitiæ Commutativæ.

M. Secundum peccatum eſt Mutilatio membrorum. Membra ſunt pars corporis, & pars Reipublicæ, ut totus homo; Corporis partes poſſunt eſſe damnoſæ phyſicę, ſi putreſcant; Reipublicæ damnoſæ moraliter, ſi homo iis peccet contra leges. Ut ſunt medium conſervando corpori, ſubſunt diſpoſitioni hominis, qui adminiſtrat totum corpus; & ita ne hoc inficiat membrum putre, poterit incidi; Ut damnoſum Reipublicæ, ſubeſt adminiſtrationi ſolius ſupremi Principis, vel habentis ab eo authoritatem; eſtò enim præciſio membri tam mala non ſit, ut mors, quia tamen affert homini damnum perpetuum, & irreparabile, illam ordinare ſpectat ſolum ad eum qui habet jus in vitam. S. Thomas q.65. a.1.

10. D. Explica tertium peccatum circà vitam proximi oppoſitum Juſtitiæ Commutativæ?

M. Tertium peccatum eſt verberatio, quæ eſt mala, ut afficiens dolore ſenſum: eſt aliquando vulnerans corpus [quod erit explicandum in confeſſione] per conſequens peccaminoſa. S. Thomas a. 2.

11. D. Explica quartum peccatum circa vitam proximi oppoſitum Juſtitiæ commutativæ?

M. Quartum peccatum eſt Incarceratio, per quam tollitur libertas homini, ut benè agat. Hæc privatio eſt grande malum; propterea eſt ſuprà jus paternum, & dominativum. Tamen Pater, & Dominus, ſi ea abutantur in malum Filius, & Servus, poſſunt illos ad breve tempus detinere. Si ad longum tempus detinendi ſint, debent & ipſi recurrere ad altiorem poteſtatem. S. Thomas a. 3.

12. D. Audivi, quòd aliquando hujuſmodi peccata tranſeunt in aliam ſpeciem?

M. Tranſeunt utique juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 10. quando, præter juſtitiam commutativam, prohibentur inſuper ab alia virtute. Porrò ſingula quatuor primò prohibet Dulia contrà Superiores; ſecundò Pietas contra Conſanguineos & Affines; tertiò Religio contra perſonas Deo ſacratas juxtà ordinationem Eccleſię. Et ſi alias virtutes contigerit violare, peccata hæc erunt in totidem ſpeciebus. S. Thomas a. 4.

13. D. Peccata hæc contra vitam proximi ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Sunt utique ob rationem adductam p. 1. c. 34. num. 6. nec enim poteſt ſervari charitas volens bonum proximo, ſi hæc eidem mala inferantur.

14. D. Poſſunt nè hujuſmodi peccata reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Primum, & ſecundum non poteſt, quia formaliter important grande malum proximi; tertium poteſt, ſi verberatio inferat leve damnum; quartum non poteſt, ſi ſit formalis incarceratio, quia importat grave damnum; & detinere ad breviſſimum tempus, eſſe poterit veniale, ſi damnum leve inferat.

15. Adſunt nè ullæ propoſitiones prohibitæ circa hæc peccata in vitam proximi?

M. Adſunt Alexandri Septimi 17. 18. & 19. nec non 30. 31. 32. 33. 34. & 35. Innocentii XI.

16. Adſunt nè aliquæ cenſuræ contra committentes hujuſmodi peccata, vel reſervatio illorum?

M. Epiſcopi ſolent ſibi reſervare homicidium, ſed videantur conſtitutiones ſuprà hoc cujuſcumque Diœceſis. In Bulla Cœnæ reſervantur hujuſmodi peccata contra perſonas enumeratas §. 15. §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 16. & 19. In cap. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. reſervantur commiſſa contra Clericos & juxtà ampliationem Sacrorum Canonum, quæ videatur p. 1. cap. 20. B. Pius Quintus eadem pœna innodavit committentes illa in Miniſtros Sancti Officii: Tandem Gregor. XIV. excommunicavit procurantes abortum animatum, & reſervavit Epiſcopis: ſi fętus non ſit animatus, eſt homicidium reductivè, quia tollitur

vita

vita ei, qui illam habet in potentia; ſi ſit animatus, eſt formale homicidium, & utrúmque eſt grave peccatum impedire vitam (etiam per pocula ſterilitatis) & tollere vitam; ſed hoc multò graviùs reſpectu abortus, cui tollit vitam temporalem, & infert mortem æternam. Fœtus maſculus animatur poſt 40. dies; fœmineus poſt 80. In dubio an ſit animatus, vide dicta c. 18. num. 8. In Urbe poteſt quilibet abſolvere ab excommunicatione incurſa propter abortum fœtus animati, quia ex p. 1. c. 10. n. 7. ſolùm prohibentur Confeſſores abſolvere caſus reſervatos Pontifici.

17. D. Quas pœnitentias Confeſſor imponet peccantibus aliquo ex dictis peccatis contra vitam proximi?

M. Si deberet ſequi leges civiles, graviſſimè hi eſſent puniendi, ſed, & ſequendo Canones antiquos. Verumtamen ſi ob ſtatum, conditiones, & qualitates pœnitentium, prudenter illos debeat moderari Confeſſor, ſciat homicidis, & mutilatoribus imponendum eſſe, ut nunquam accedant ad ordines ſuſcipiendos, vel ad exercendos ſuſceptos, quia ſunt irregulares; ſecundò, qui ob talia delicta ſunt excommunicati, Confeſſor videbit pœnitentias omninò præſcriptas in Bulla Cœnæ &c. illaſque imponet; tertiò, ut horrorem incutiat pœnitenti circa hoc peccatum, leget priùs attentè, ſæpiuſque Catechiſmum Romanum p. 3. c. 6. num. 15. & 16. nam inde hauriet motiva, ut oſtendat gravitatem ſimilium peccatorum.

CAPUT XXV.

De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, per quæ facto infertur damnum rebus proximi.

1. D. Quot ſunt hujuſmodi peccata?

M. Ex S. Thoma q. 66. ſunt duo: Furtum, & Rapina. Furtum eſt *occulta acceptio rei alienæ invito domino*: dicitur *occulta*, quia fur, quantùm eſt de ſe, curat, ut dominus neſciat, à quo læditur; dicitur *acceptio*: quo nomine intelligitur etiam detentio: dicitur *rei alienæ*: propterea non eſt fur, qui accipit gemmas caſu inventas in littore maris; theſauros ſubtus terram (circà quos erunt ſervandæ leges ſpeciales locorum) & quæcunque nullius dominio ſubſunt, vel non ſubeſſe veroſimiliter creditur, quoad uſque non conſtet contrarium. Porrò quantum temporis requiratur ad præſcribendum, cùm S. Thoma relinquemus determinandum Juriſtis: dicitur *invito domino*: volenti enim, & conſentienti non fit injuria; nec ſufficit, quòd quis fingat ſibi dominum conſentientem, ſed quòd in conſpectu Dei veroſimiliter non præſumatur invitus.

2. D. Qui venit nomine furis?

M. Ex Catechiſmo 3. p. c. 8. nu. 9. fur eſt primò, præter accipientem, qui emit rem furto ſublatam: ſecundò, qui retinet rem alienam inventam, ſi non reddat domino, vel hoc ignorato, non diſtribuat pauperibus: tertiò, qui fraudem adhibet in emendo, & vendendo: quartò, qui vendit merces corruptas: quintò, qui utitur menſuris fallacibus: ſextò, qui exigit mercedem ſuprà debitum: ſeptimò, ſervus, qui non cuſtodit rem domini, ut debet: octavò, qui ſe fingit mendicum, ut captet eleemoſinas, conjungens furtum mendaciis: nono, qui accipiens mercedem, deeſt ſuo muneri.

3. D. Sunt ne aliæ furtorum ſpecies diſtinguendæ?

M. Ex S. Thoma art. 6. ad 2. & Catechiſmo num. 5. diſtinguuntur ſpecie, ſi res furto ablata ſit hominis privati, vel Reipublicæ: ſi auferatur homo; & ſi homo aliàs ſit ſervus, vel liber; ſi res ſit ſacra: Porrò ſingulorum nomina vide apud illos. Confeſſori ordinario ſufficit ſcire, quòd explicanda ſint ſpecialiter in Confeſſione.

4. D. Scio, quòd ſi auferatur res ſacra, eſt ſacrilegium, vellem ſcire, quot modis hoc committatur?

M. Committitur primò, ſi auferatur res ſacra de loco ſacro; & eſt duplex peccatum, quia duplex injuria, loco, & domino: ſecundò, ſi auferatur res ſacra de loco non ſacro: tertiò, ſi auferatur res non ſacra de loco ſacro; debet autem res non ſacra eſſe deputata uſui ſacro: quare non committo ſacrilegium, ſi in Eccleſia aufero vas argenteum, quod ſecum per accidens tulerat argentarius auditurus miſſam, at ſi commodavit illud pro feſto Eccleſiæ, vel depoſuit apud Eccleſiam, committo ſacrilegium.

5. D. Hæc peccata ſunt frequentiſſima, ſed

Digitized by Google

ſed pœnitentes prætexunt multas excuſationes, ne obligentur ad reſtitutionem, quid tunc faciet Confeſſor?

M. Id ordinariè contingit: Confeſſor tamen ſit fortis, & conſtans pro veritate, & juſtitia, non modo erga pauperes, ſed, & erga nobiles: Equidem in confeſſione ſtandum eſt dicto pœnitentis, & pro ſe, & contra ſe, ſed ubi Confeſſor videt pœnitentem ceſpitare, ponat caſum in ejus perſona: etenim ex lege naturæ faciendum eſt proximo, quod nobis fieri volumus. Igitur petat, ſi res illa fuiſſet ſibi furto ſublata, & qui ſurripuiſſet, prætexeret eaſdem ratiunculas, an boni conſuleret, ut eum à reſtitutione deobligaret. Ubi verò intelligat dari rationes pro ſe. ſed ceſpitando, quærat ulteriùs, an conſcientia illum omninò quietet in motivo deobligante; conſulatque, ut ſequatur in hoc dictamen conſcientiæ rectæ ſemper inclinantis ad tutiora.

6. D. Licèt nè furari in extrema neceſſitate?

M. Propriè furtum eſt acceptio rei alienæ: Porrò in extrema neceſſitate omnia ſunt communia; & ſi in tali ſtatu conſumat, non tenetur reſtituere. S. Thomas quæſt. 66. art. 7. ſed Confeſſor non litiget de nomine. Intelligat in extrema neceſſitate poſſe, imò debere quenquam ſibi ſubvenire.

7. D. Erit nè furtum, ſi ego accipio rem meam depoſitam apud Petrum ſine illius licentia?

M. Quidquid ſit, an debeat dici furtum, certè pecco, ſurripiens occultè rem meam, & facio injuriam Petro. S. Thomas a. 3. ad 3.

8. D. Rapina quid addit ſuprà furtum?

M. In rapina fit duplex injuria: altera in bona, & altera in perſonam, cui per violentiam rapiuntur bona. Ex hoc ſecundo capite, non licet rapere in extrema neceſſitate, quia homini violentia ſolùm poteſt inferri per juſtitiam legalem. S. Thomas q. 66. a. 4.

9. D. Quot ſunt Rapinarum genera?

M. Omnis acceptio rei alienæ, ſi fiat cum violentia, eſt rapina; & ſunt explicandæ ſpecies in confeſſione, ut dictum eſt de furto. Catechiſmus part. 3. cap. 8. à num 10. ad 16. enumerat, ut Raptores; primò non ſolventes mercedem operariis (quod ex cap. 4. num. 12. eſt peccatum in Spiritum Sanctum) ſecundò dantes ad uſuram: tertiò Judices muneribus, vel pretio ſententiantes: quartò, qui fraudant ſuos creditores: quintò inficiantes debita: ſextò, qui ſuo tempore non ſolvunt merces credito acceptas: ſeptimò, qui mutuantes pauperibus, cum reddere non poſſunt, acerbius exigunt pignora: octavò, qui victualia occultat in neceſſitate, ut carius vendat. Principes autem eo graviorem rapinam committunt, in his caſibus, quò magis tenentur rapinam avertere.

10. D. Hæc duo peccata ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Sunt utique ob rationem adductam part. 1. cap. 34. num. 6. quia cum illis non poteſt ſtare charitas?

11. D. Admittunt nè parvitatem materiæ?

M. Utique admittunt, etiam ſacrilegium, & rapina, ſi damnum illatum, vel violentia ſint omninò levis.

12. D. Adſunt nè propoſitiones prohibitæ circa hæc duo peccata?

M. Vide 36. & 37. Innocentii XI. Alexander VII. in 8. 9. & 10. declaravit tales actiones eſſe contrà juſtitiam: quare nunc certum eſt eſſe furta. Actiones aliæ ſunt definitæ ut injuſtæ: propterea ſpectant ad genus furti traditum à Catechiſmo, ſed quia involvunt commutationes voluntarias; ideò adducentur c. 28.

13. D. Hæc duo peccata ſubjacent nè ulli excommunicationi, vel reſervationi?

M. Videatur tertius Canon Bullæ Cœnæ contrà Maris Pontificii Piratas &c. quartus contrà ſurripientes naufragantium bona: 10. contrà depredantes Romipetas &c. 12. contrà ſpoliantes eos, qui recurrunt ad Sedem Apoſtolicam &c. Notentur etiam 13. 17. & 18. Extat part. 1. cap. 20. excommunicatio in auferentes &c. de Eccleſiis lapides, & ornamenta. In diripientes bona &c. Chriſtianorum commorantium inter Turcas. In detinentes &c. ſcripturas Cameræ Apoſtolicæ. In diripientes bona Sanctæ Inquiſitionis. Ubi caſus advenerit, legantur anteà per extenſum, attentè, vel ſaltem dicta c. 20.

14. D. Quas pœnitentias imponet Confeſſor pro hiſce peccatis?

M. Zacchæus, ſi quem defraudavit, Luc. 19. reddidit quadruplum: ſed Con-

feſſor

feſſor nunc ſuadebit, ut reddatur ſimplum, quod verè fuit ablatum: facilè inducimur, ut quæramus aliena, ſive mutuò, ſive aliter: ſed reddere vix cogitamus tunc, quando ita abundant bona, ut ferè debeamus illa projicere. Promittimus quidem; at nunquam adimplemus. Ergo tutus in hoc ſit Confeſſor: Magnati oſtendat damna ex dilatione provenientia familiæ opificum. Habentem, unde vivat commodè, obligari ad expenſas Hoſpitalium unicè inſtitutorum pro verè pauperibus, ſi ad illa infirmi accedant, vel mittant filios illegitimos, etiamſi Hoſpitalia non exigant expenſas. Qui aliena invenit, teneri ad debitam diligentiam pro inveniendo etiam domino; & non reperto, eſſe diſtribuenda pauperibus; quòd ſi ſit ipſe pauper, ſolùm ex conſilio Confeſſoris poſſe ſibi applicare. Qui peccant his duobus peccatis, teneri propriis expenſis remittere bona domino longè diſtanti. Oſtendat mercedes eſſe ſtatim ſolvendas, nec fatigandos operarios, qui aliquando plus ipſa mercede conſumunt in calceis, ut accedant domum Debitoris. Decedere plurimum, ſi conſuetam pro loco, tempore &c. mercedem extenuent pauperi; memoriæ pœnitentium infigat: multò melius eſſe, quòd aliquid de ſuo dives infundat in beneficium pauperis, quàm quòd pauper refundat diviti; de mammona iniquitatis præparanda nobis tabernacula, non ſupplicia æterna. Habeat prætereà in promptu Catechiſmum parte 3. capit. 8. præſertim à numero 20.

CAPUT XXVI.

De peccatis verborum in judicio contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ.

1. Explicatis peccatis, quæ facto inferunt damnum proximo, S. Thomas procedit ad explicanda peccata, quæ damnum inferunt verbo. Horum alia committuntur in judicio; alia extrà judicium; & hæc poſſunt committi tam in judicio, quàm extrà; ut calumniæ. Loquemur de his capite ſequenti. Solùm hìc adverte, quòd hujuſmodi peccata in judicio ſunt in duplici ſpecie: opponuntur enim Juſtitiæ Legali, & Commutativæ: propterea id explicandum erit in confeſſione. Hic agimus de peccato commiſſionis in quinque generibus perſonarum habentium locum in judicio, ſcilicet, Judice, Accuſatore, Reo, Teſte, Advocato, ſeù cæteris aſſumentibus partes defendendi Reum; de quibus S. Thomas à qu. 67. ad 72. Porrò ſufficienter intelligemus, quando hi peccent, ubi oſtenderimus, quid requiratur, ut rectè ſuum munus exerceant.

2. D. Judex quid debet facere, ut juſtè judicet?

M. Primò debet habere juriſdictionem (quæ ſaltem detur Arbitris per compromiſſum) Theologi non eſt quærere, quando, & qualiter acquiratur juriſdictio: hæc agitantur in foro externo; ſecundò: ſicut ſententia eſt publica, ita ſcientia debet eſſe publica, ſcilicet, per vias publica authoritate firmatas accuſationis, inquiſitionis &c. Confeſſor hæc non tenetur ſcire, ſed Judex, cui propterea commendet, ut ſemper agat juxtà leges. Tamen ſciat Fiſcalem habere jus inquirendi nomine fiſci, quando ſaltem præceſſit rumor publicus. Tertiò, etiam in ſententiando ſequetur leges, adhibendo Clementiam, ubi habet locum; ita quod non ſententiet ad pœnam, niſi à lege ſtatutam; & dum judicat, ſi poteſt eſſe locus Clementiæ, non infliget omnem pœnam à lege ſtatutam; quartò, data ſententia, nequit ipſe pœnam diminuere, ſed hoc ſpectat ad Principem. S. Thomas q. 67.

3. D. Quid faciet Accuſator, ut juſtè accuſet?

M. Delictum venit in notitiam publicam: primò clamoroſa inſinuatione (tunc fiſcus ex officio indagat veritatem) ſecundò denunciatione, qua habita fiſcus etiam procedit. S. Thomas quæſt. 68. artic. 2. ad 3. tertiò accuſatione: hìc pars inſtat pro punitione, & debet probare delictum; non ita denunciator. S. Thomas ibidem (Hinc meritò Alexander VII. damnavit quintam propoſitionem: vide illam) His præſuppoſitis, Fiſcalis, Denunciator, & Accuſator non intendent pœnam, ut afflictivam Rei, ſed ut per Reum caſtigatum conſervetur bonum publicum, & Accuſator poteſt intendere, ut ſibi privato ſatisfiat de injuria, ſed melius facit, ſi omninò remittat. Aliter deferentes committunt peccatum odii; ſecundò, Accuſator deferat in ſcriptis, ut ſtatuunt leges, aliter violat juſtitiam legalem; tertiò, fugiant

giant omnes tres tergiverſationem, quæ conſiſtit in non proſequendo delationem, ubi eſt proſequenda: quartò: fugiant prævaricationem, quæ conſiſtit in deferendo per fraudes. Aliter lædunt Rempublicam, & Reum: quintò: fugiant calumniam, quæ conſiſtit in deferendo falſum malitioſè, non ex animi levitate, aut juſto errore. Aliter etiam peccant contra Rempublicam, & calumniatum. S. Thomas q. 67. a. 4. ad 3. & 68. a. 3. ad 1.

4. D. Quid ſibi volunt dicentes Accuſatorem obligari ad pœnam Talionis?

M. Significant, quòd deficiens uno ex tribus ultimis requiſitis damnandus eſt pęna, quam ſubiret Reus, ſi probaretur delictum illi objectum. Juſtiſſima lex: etenim qui timore pœnarum aperte nequibant perdere hoſtem, conabantur impunè perdere per juſtitiam legalem, imponendo grande crimen; cujus vel ſolùm nomen horrebant Principes, ipſi juſtiſſimi, & metientes alios ex ſe. Viridem legis hujus obſervantiam in genere Confeſſor urgebit. Sciat tamen noſtris temporibus calumniatores ſibi proſpicere libellis anonymis, & quò calumnia fiat credibilior, oculis Principium pientiorum ſubiiciunt nonnulla vera, ſed leviora, pluribus falſis, iiſque graviſſimis. Confeſſor moneat Superiores, in vim libelli anonymi poſſe ſolùm oculatiùs inquiri veritatem; & nunquam procedi contrà denunciatum. Ubi verò cognitum fuerit libellum ſcatere calumniis, omnimodè curandum, ut denunciator detegatur, & caſtigetur ſut calumniator.

5. D Quid faciet Reus, ut juſtè procedat in judicio?

M. Judex in triplici caſu habet jus inquirendi veritatem à Reo etiam contrà ſe: primò: ubi eſt infamatus de delicto: ſecundò: ubi apparuerint expreſſa indicia delicti: tertiò: ubi præceſſit ſemiplena probatio per depoſitionem unius teſtis omni exceptione majoris. In his caſibus peccato omiſſionis peccabit Reus tacendo veritatem; ſi taceat utendo inſuper dolis, & fraudibus, addet peccatum commiſſionis. Tertiò peccabit appellans contrà ordinem legum, quæ prohibent appellari poſt decem dies, & poſt trinam ſententiam: quartò peccabit poſitivè reſiſtens executioni ſententiæ juſtæ. Poteſt quidem fugere à carcere, ſed non effringere carcerem, quia, præter damnum effractionis tunc operans poſitivè reſiſtit. Si non cognoſcat eſſe juſtam, debet magis credere Superiori procedenti juxta leges, quàm ſibi ducto paſſione. Si manifeſtè cognoſcat eſſe injuſtam, poſitivè poterit reſiſtere, *niſi forte* ex S. Thoma art. 4. *propter ſcandalum vitandum, cum gravis turbatio timeretur*. Pro tranquillitate publica etiam innocens debet exponere vitam, & famam; non omnia vertere ſus deque, cùm detrimento Reipublicę etiam regularis, ut promoveamus noſtrum privatum bonum; & propterea permittendo proprietatem, incontinentiam &c. in iis, quorum ſuffragia ſperamus; è contra graviſſimè animadvertendo regulares inobſervantias (neque obligantes ad veniale) in iis, quorum ſuffragia reſpiciunt bonum publicum. S. T. q. 69.

6. D. Quid faciet Teſtis, ut juſtè teſtificetur?

M. Teſtis primò peccat peccato omiſſionis, tacendo veritatem, quam tenetur dicere: illamque tenetur dicere, quando delictum eſt directè contra bonum publicum, aut leges, ut Edictum Sancti Officii, obligant dicere. In his caſibus tenetur, eſtò ſciat delictum ſub ſigillo naturali (dummodò non ſacramentali) Extrà hos caſus non tenetur revelare, quæ habet ſub ſigillo naturali. Quæ ſcit extrà ſigillum naturale, præter dictos caſus, tenetur revelare, quando ſolùm Judex requirit: ſi non requirit, diſtingue: vel agitur de Reo liberando, & tunc tenetur ſe offerre, vel de Reo damnando, & tunc non tenetur ſe offerre. Tamen quomodocunque compareat, peccat peccato commiſſionis mentiendo, præſertim intercedente juramento (quod non admittit parvitatem materiæ) peccabitque, primò, quia tacet veritatem: ſecundò, quia mentitur contrà Juſtitiam legalem, & commutativam, in Reum, ſi mentiatur in damnum illius; & contrà religionem ob juramentum. Sant. Thomas q. 70.

7. D. Quot teſtes requiruntur ad damnandum Reum?

M. Deut. 19. dicitur: *In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum*. Aliquæ propterea leges humanæ tres exigunt teſtes, aliæ duos, qui debent eſſe omni exceptione majores, ubi tales non ſint, humanæ leges voluerunt ſuppleri per majorem numerum: Doctores diſputant, an

in conſcientiâ obligent leges, quæ plures tribus exigunt teſtes omni exceptione majores. Confeſſor ſciat lege Canonicâ ſuſtineri teſtamentum ad pias cauſas cum duobus teſtibus, & Parocho. Reliqua non tenetur ſcire: In facti contingentia conſulat doctiores, præſertim Epiſcopum, qui ſciet optimè, quando leges obligent in conſcientia. Sanctus Thomas quæſt. 70 articul. 2. qui ad 3. dat regulam omninò videndam pro corrigendis exceſſibus virorum illuſtrium.

8. D. Quid faciet Advocatus, ut juſtè patrocinetur?

M. S. Thomas, q. 71. conjungit Advocatum, & Medicum, quia in hoc ſunt paris conditionis. Primò peccabunt ambo contrà charitatis præceptum affirmativum ſi in extrema neceſſitate deſerant pauperem, vel contra negativum, ſi tunc pretium laboris exigant: ſecundò peccabunt peccato commiſſionis contra Juſtitiam, ſi accepto ſubveniendi officio, decipiant, vel damnificent. Tertiò peccat Advocatus contra juſtitiam patrocinans cauſam Clientis manifeſtè injuſtam. Erit in juſta, ſi aperte ſit contra leges, aut ſciens de facto, v. g. me ſolviſſe, urget, ut iterùm ſolvam. Defendens in his caſibus obligatur ad litis expenſas, quibus ne ſuccumbat, tenetur inducere Clientem ad cedendum; hoc recuſante, dimittet litem, non tamen parti prodet Clientem, nec revelabit ſecreta. Pro labore in utendo ſcientia poteſt Advocatus exigere pretium. At Judex, & teſtis poſſunt exigere ſolam ſuſtentationem à parte illos inducente. Stipendium verò Judici Reſpublica deberet aſſignare. Circà quæ Angelicus a. 4. affert illud Auguſtini. *Ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti ſolent: data per tolerabilem conſuetudinem non ſolent*; conſideratis loco, tempore. negotiis &c.

9. D. Sunt nè mortalia ex genere ſuo peccata huc uſque enumerata, in quæ poſſunt incidere iſta quinque genera perſonarum?

M. Sunt utique; ſive ſint contra charitatem: ſive peccata omiſſionis, ſive commiſſionis contra Juſtitiam ob dicta p. 1. c. 34. n. 6.

10. D. Poſſunt ne peccata hæc reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Ex dictis peccata alia ſunt contrà juſtitiam commutativam, & alia contra legalem: prima reddi poſſunt venialia ex parvitate materiæ ob rationem adductam p. 1. c. 36. n. 5. quia hæc facit leve damnum, quod; infertur: In ſecundis poterit quidem homo peccare venialiter, ſi non plenè advertat eſſe contra juſtitiam legalem, & aliquando poterit eodem actu mortaliter peccare contra juſtitiam commutativam; & venialiter contra legalem, quia plenè advertit ad primam; ſemiplenè ad ſecundam; ſi plenè advertat ad ſecundam, non excuſatur à mortali ob parvitatem materiæ: omnis enim uſurpatio, quantuncumque minima juriſdictionis alienæ habet in ſe totam rationem graviſſimæ injuriæ contra Principem. Juriſdictio enim eſt velut pupilla oculi, quam innuimus volentes ſignificare gravitatem injuriæ juxtà illud Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*.

11. D. Circa hæc peccata ſunt ne propoſitiones prohibitæ?

M. Quinta Alexandri VII. tangit teſtem in materia hæreſis; & 6. in materia Sollicitationis. Judicem tangit 26. ejuſdem, ſecunda Innocentii XI.

12. D. Adſunt nè cenſuræ contrà peccantes hiſce peccatis?

M. In 2. §. Bullæ Cœnæ excommunicatur Reus appellans, ut ibi exponitur, & in 13. prætendentes appellare ab executione litterarum Apoſtolicarum, ut ibi. Sed & in 12. offendentes hujuſmodi perſonas &c. Lege Bullam.

13. D. Quas Pœnitentias imponet Confeſſor pro hiſce peccatis?

M. Omninò imponenda eſt reſtitutio, revocandum teſtimonium, accuſatio &c. etiam cum periculo proprio; & curandum ut executioni demandetur ante abſolutionem, ubi poteſt fieri; alias multa promittent, nihil implebunt: quoad plura verò, quæ Confeſſarius debebit inculcare pœnitenti, ut deteſtetur hæc peccata, legat ſæpiùs Catechiſmum 3. p. c. 6. & 9.

CAPUT XXVII.

De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, quæ verbo committuntur extra Judicium.

1. HÆc peccata dicuntur commiti extra judicium, quia non inveniuntur

tur ſolum in actu judiciali. De his S. Thomas à q. 72. ad 77. Sunt quinque, *Contumelia*, *Detractio*, *Suſurratio*, *Deriſio* & *Maledictio*.

2. D. Quid eſt Contumelia?

M. Eſt, cum exprimo aliquid in dehonorationem, vel contemptum proximi; principaliter quidem verbis; & etiam factis minus principaliter: eſt triplex: prima, ſi exprimo culpam, ex cujus notitià dehonoratur, ut ſi Petrum dico furem: hæc eſt propriè Contumelia: ſecunda dicitur Convicium, ſi exprobro pœnam dehonorativam, ut quòd fuerit in triremibus. Tertia dicitur Improperium, ſi exprobro, quòd indiguerit mei, dum erat in neceſſitate, ut quòd ego illi ſubveni per eleemoſinam; Quandòque una ponitur pro alia. S. Thomas q. 72.

3. Tenemurnè patienter ſuſtinere contumelias illatas?

M. Eadem Patientia ſuſtinet, quæ contra nos fiunt, ſuſtinet, quæ contra nos dicuntur. Ex p. 1. c. 34. n. 6. virtus illa ſub mortali obligat, ſine qua non poteſt haberi charitas. Porrò hæc haberi poteſt ſine actuali ſuſtinentia injuriarum; imò charitas obligat aliquando illas repellere: quando ſuſtinentia impediret Dei ſervitium, vel inde injurians arriperet anſam magis lædendi charitatem. Igitur non ſemper obligamur ad actum ſuſtinentiæ, ſed ſolùm, ut ſimus diſpoſiti ſuſtinere, quando niſi ſuſtineremus, læderetur graviter charitas Dei, vel proximi. S. Thom a. 3.

4. D. Quomodo differunt Contumelia, & Detractio?

M. Per modum, quo differunt Rapina, & Furtum: Contumelia eſt in aperto, & Detractio in occulto reſpectu ejus, cui detrahitur. Hinc ſequitur, quòd illa tollit honorem, iſta denigrat famam. S Thomas qu. 73. a. 1. Fama diſtinguitur ab honore, ut effectus à cauſa. Fama bona, ſeù gloria eſt clara cum laude notitia. S. Thomas q. 103. a. 1 ad. 3. nàm honor eſt ſignum, quo verbis, vel factis aliquem æſtimamus; & ex hoc acquirit famam, ſeù deducitur in claram notitiam videntium hujuſmodi ſigna; & per Contumeliam parvi pendemus: per Detractionem tollimus hanc claram notitiam in mentibus aliorum.

5. D. Quotupliciter quis peccat peccato detractionis?

M. Peccat primò: qui falſum crimen imponit: ſecundò: qui verum crimen aggravat circumſtantiis falſis: tertiò: qui verum crimen occultum publicat (ſi ſit publicum, peccat contra charitatem) quartò: qui opus bonum dicit mala intentione factum. Hi omnes directè detrahunt: quintò: indirectè qui dicit non fuiſſe factum opus bonum, quod fuit factum: ſextò: qui malitioſè reticet opus bonum, quando tenetur ex officio revelare: ſeptimo: qui diminuit opus, quando ex officio tenetur dicere, quale fuit. S. Thomas q. 73. a. 1. ad 3. Octavò: qui audiens detrahentem, ſibi complacet in detractione. Nonò: qui audiens, potenſque reprimere, ac debens ex officio, non reprimit: quòd ſi non teneatur ex officio, peccabit contra charitatem. S. Thomas a. 4.

6. D. Quomodo differunt Detractio, & Suſurratio?

M. Quia plurimùm conveniunt, unum quandoque ponitur pro alio: ſed verè differunt, quia Detractor dicit malum proximi, ut tollat ejus famam. Suſurro dicit malum, ut tollat amicos. Ideò ille dicit lædentia famam: iſte lædentia amicitiam. Suſurro gravius peccat Contumelioſo, & Detractore, quia iſti tollunt honorem, & famam, quæ ſunt media ad amicitiam: iſte verò tollit finem. S. Thomas q. 74.

7. D. Per quid à Deriſione differunt tria peccata enumerata?

M. Contumelia tollit honorem: Detractio famam: Suſurratio amicitiam: Inſuper hæc tria fiunt ſeriò. Deriſio fit ludo, & inducit timorem dehonorationis. Si verbis inferatur hìc timor, ſeù Erubeſcentia, dicitur Deriſio; ſi factis, ut naſo rugato &c. dicitur Subſannatio. Ut proximus habet jus, ne dehonoretur, ita habet jus, ne inferatur illi timor dehonorationis. S. Th. q. 75.

8. D. Quid eſt Maledictio, quintum peccatum ex iis, quæ verbo committuntur in proximum extra Judicium?

M. Vide varias Maledictionis acceptiones apud S. Thomam q. 76. a. 1. Hic Maledictio eſt idem ac verbis precari, ſeù optare malum alteri. Actus internus eſt odium; Confeſſor circa illum regulabit pœnitentem juxta regulas charitatis ſupra poſitas. Maledicere irrationalia non eſt peccatum mortale, niſi conſiderentur ut aliquid proximi: nam peccaret mortaliter,

ter, qui ex animo vellet perire beſtias inimici. Quando verbis etiam exprimitur imprecatio fit injuria proximo. Cæterùm hoc peccatum eſt frequentiſſimum, de quo propterea maximè Confeſſor eſſe debet inſtructus. Si verbis maledicis conjungatur animus optans malum, eſt mortale peccatum, eſtò ex ira optetur, & in illo ſolùm inſtanti: nam omne peccatum committitur uno inſtanti: dummodò fœminæ advertant ad id, quod proferunt juxta dicta cap. 4. num. 10. S. Thomas q. 76. Pœnitens in Confeſſione debebit explicare malum, quod optat, ſi eſt malum famæ, vitæ &c. quibus optat: ſi ſunt filii: nàm hoc eſt etiam contra pietatem; & quot perſonis optat: nam juxta numerum perſonarum multiplicantur numero peccata, ex dictis p. 1. c. 34. n. 9.

9. D. Hæc quinque peccata ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Sunt utique: nam lædunt juſtitiam, ſine quâ nequit ſervari charitas. Vide dicta p. 1. c. 34. n. 6.

10. D. Poſſunt nè reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Quia per iſta peccata poſſumus inferre malum leve: ideò admittunt parvitatem materiæ juxta dicta part. 1. cap. 36. num. 5.

11. D. Adſunt nè propoſitiones prohibitæ circa hæc peccata?

M. Circà Detractionem extat 43. Innoc. XI. & 44. univerſalior contra imponentes falſum crimen, quomodocunque imponatur.

D. Adſunt nè Cenſuræ, vel reſervationes de his peccatis?

M. In Bullâ Cœnæ §. 13. excommunicantur comminantes, & perterrefacientes perſonas ibi nominatas; quod videtur ſpectare ad maledictionem, tamen cum aliquo addito, ut importat proprietas verborum *Comminari*, & *Perterrefacere*. Infacti contingentiâ prius lege ſcribentes in Bullam. P. 1. c. 20. excommunicantur, qui conficiunt libellos famoſos in Prædicatores, & Minores.

12. D. Quas pœnitentias imponet Confeſſor pro hiſce peccatis?

M. Prima, & neceſſaria eſt reſtitutio famæ &c. difficilior, quàm in furto, ubi occultè poſſum reſtituere. At in hiſce peccatis debeo recompenſare idem, qui læſi, & coram quibus læſi. Maximè id fugiunt nobiles, ut ſi alter ex ſuo dicto amiſit dignitatem &c. ſed omninò imponenda eſt hæc pœnitentia; & curandum, ut præcedat abſolutionem. Si falſum crimen impoſui, etiam mediante juramento, me debeo retractare: Si dixi verum, ſed occultum, non mentiar, ſed omnimodè reſtituam, vel dicendo me locutum expaſſione, vel ita laudando, quòd meæ laudes abſtergant priſtinam infamiam. Sanctus Thomas quæſt. 62. art. 2. ad 1. in reliquis vide Catechiſmum part. 3. cap. 8.

CAPUT XXVIII.

De peccatis contrariè oppoſitis Juſtitiæ Commutativæ, quæ committuntur in commutationibus voluntariis.

1. PEccata in commutationibus voluntariis contingentia S. Thomas reducit ad duo, nempè, ad fraudem, & uſuram; de quibus agit quæſt. 77. & 78. agens quæſt. 79. de partibus integralibus juſtitiæ, quæ ſunt duæ, ſcilicet, declinare à malo proximi, & facere bonum debitum proximo. De his nihil reſtat dicendum: ſufficienter enim ex huc uſque dictis, & ex dicendis de fraude, & uſurâ in hoc capite, conſtabunt omnia peccata commiſſionis, quæ violant primam partem integralem, *ſcilicet declinare à malo*, & peccata omiſſionis, quæ violant ſecundam partem, ſcilicet, *facere bonum debitum proximo*. Si præparans ſe ad confeſſiones habeat ulteriorem difficultatem, legat attentè S. Doctorem quæſt. 79. nec habebit, quid ampliùs deſideret, etiam circa omiſſionem, & tranſgreſſionem, quæ ſunt genera peccatorum illis oppoſita.

2. Primum peccatum contingens in commutationibus voluntariis, dicitur fraudulentia, ſeù fraus. Cap. 16. n. 5. enumeravimus fraudem inter peccata per exceſſum oppoſita Prudentiæ. Porrò illa fraus conſiſtit in actu vitioſo intellectus practici ordinante media fraudulenta in aliquem finem: Fraus autem, de quâ hic, ſunt media injuſta in vim illius actus poſita pro commutandis rebus exterioribus: Et ita, qui ut cras mihi redderet aurum, hodie præpararet aurichalcum: hodie committeret contra Prudentiam in eo, quòd præ-

præpararet hoc medium, ut me deciperet: in eo autem, quòd me deciperet in commutatione, peccaret actu interno contra juſtitiam, ut intendens facere actionem injuſtam: cras verò peccaret actu externo contrà juſtitiam, faciens actionem injuſtam.

3. D. Quotupliciter poteſt committi fraus in commutatione?

M. Multipliciter: primò: ſi vendo rem cariùs, quàm valet hic, & nunc, habito reſpectu ad locum, tempus, multiplicitatem, aut conditionem mercis &c. ſecundò: ſi ſupponamus unam mercem pro aliâ, quàm nullatenus vellet emptor, ſi ſciret: tertiò: ſi detur merces corrupta pro integra.

4. D. Emptio, & venditio ſunt contractus communes in populo: quare me præparans ad confeſſiones debeo maximè inſtrui de peccatis, quæ contingunt in illis. Igitur circà primam ſpeciem fraudis, peto, an creſcat pretium rei ex eo, quòd emens illâ indigeat?

M. Pretium panni v. g. poteſt creſcere, ſi mihi damnoſum ſit illum vendere in æſtate, quando pluris vendidiſſem ſervans in hyeme; ſed non poſſum vendere carius eò præcisè, quia emptori eſt utile illum habere in æſtate: in primo caſu vendo meum damnum; ſed quia in ſecundo utilitas eſt alterius, non poſſum vendere, quod non eſt meum. S. Thomas quæſt. 77. art. 1.

5. D. Leges approbant omnem contractum, in quo emptor non ſit læſus ſuprà dimidium?

M. Leges civiles non approbant, ſed permittunt hujuſmodi contractum, nec reſcindunt ad vitanda incommoda majora; ſed lex divina prohibet omnem injuſtitiam. S. Thomas ad 1.

6. D. Hæc doctrina inijcit plures ſcrupulos: Mercator enim ſemper poterit dubitare, num exceſſerit pretium conſiſtens in indiviſibili?

M. Non iniicit ſcrupulos: nàm pretium aliud eſt legale, ſtatutum à lege, ut eſt pretium panis&c. Hoc equidem conſiſtit in indiviſibili, & pecco, ſi minimum quid accipio ſuprà quod lex decrevit de merce cum talibus conditionibus: Aliud eſt pretium morale; quod habet latitudinem: Aliud enim eſt infimum, aliud medium, aliud ſupremum: Igitur dummodò non excedam ſupremum, quolibet ex dictis tribus poſſum vendere mercem. S. Thomas ibidem.

7. D. Poſſum nè carius vendere mercem, quia emptor vult differre mihi ſolutionem per annum?

M. Confeſſor habebit ſemper præ oculis regulam generalem ex S. Thoma ſtabilitam, quòd rei pretium non poteſt augeri, eò quia ementi provenit utilitas aliqua, ſed ſolùm, ſi proveniat damnum vendenti: tunc enim juxtà damnum, quod hic, & nunc ſentit poterit augere pretium. Ad hanc regulam Confeſſor examinet omnem venditionem: ſi ex dilatione ſolutionis venditor non ſentit damnum, certè nequit excedere pretium ſupremum; ſi ſentit damnum, poterit augere pretium juxtà proportionem damni, quod hic, & nunc ſentit. Vide S. Thom. q. 78. a. 2. ad 7.

8. D. Quale debet eſſe damnum?

M. Sunt duo capita: & unum dicitur *damnum emergens*: aliud *lucrum ceſſans*. Damnum emergens eſſet, quando ego ex dilatione pretii, ad ſolvendum mea debita, obligarer accipere ad cambium pecuniam ſimilem cum onere ſolvendi v. g. quatuor pro centenario. Per talem dilationem mihi damnum emergit horum quatuor, quod damnum, quia non teneor pati, poſſum illud compenſare ab Emptore. Lucrum ceſſans dicitur, quando, ſi mihi ſolveretur pecunia ſtatim, implicarem illam ad cambium, cum lucro quatuor pro centenario, & quia differtur ſolutio, ceſſat mihi tale lucrum. Porrò ut exigam tale lucrum, non ſufficit poſſe probabiliter lucrari. S. Thomas q. 78. a. 2. ad 1., ſed requiritur, ut ſit paratum cambium, ex quo naſcitur jus lucrandi, ut non habeam aliam pecuniam, quàm hic, & nunc dare poſſim ad cambium: & ut à differente ſolutionem, diminuam aliquid pro periculo, quod ſubeo in cambiando: quare lucrum ceſſans debet involvere aliquod damnum; & ſemper erit conteſtandum lucrum ceſſans, & damnum emergens. Vides hujuſmodi negotia, ut ſine peccato exerceantur, exigere hominem prudentem, & non nimis avidum pecuniæ. Alias in facto eſſe prætexet motiva Confeſſori, quibus omninò implicabitur: primo quidem circa pretium ſupremum: dicet enim illud eſſe, quod extorquent pauci contrà omnem juſtitiam; ſecundo: quoad

lucrum ceſſans, vel damnum emergens: exponet enim Confeſſori ſe perdere quatuor, & poſſe conſequentèr exigere illa quatuor, addetque nullum inde periculum in exigendis hiſce quatuor, cùm verè ſit ingens, adeò ut ratione periculi, juſtè poſſit exigere ſolùm duo. Adde, quòd Confeſſor inexpertus negotiorum, & periculorum, neceſſariò debet ſtare relationi pœnitentis; quare niſi pœnitens ſit prudens, & timoratæ conſcientiæ, decipiet Confeſſorem, ſed magis animam ſuam. Confeſſor igitur, & Parochus, inculcent populis, maximè in prædicationibus, ut negotium omne dirigant juxtà regulas Chriſtianas, non juxtà effrænatum deſiderium poſſidendi.

9. D. Quid intelligis, dum dicis ſecundam ſpeciem fraudis conſiſtere, in ſupponendo unam mercem pro aliâ?

M. Suppono unam mercem pro aliâ, non ſolùm dando v. g. aurichalcum loco auri, ſed etiam dando rem in minori quantitate, vel pondere. S. Thomas a. 2. qui ad 2. addit menſuras, & pondera eſſe ſtabilienda per Principem: quare utens menſurâ, vel ſtaterâ doloſâ, committet duo peccata: alterum contrà juſtitiam commutativam dando minùs, quàm debet emptori: alterum contrà legalem, utendo menſura, vel ſtaterâ, quam Princeps non approbat. Et Confeſſor inſiſtet ſemper, ut pœnitens explicet numerum utriuſque peccati.

10. D. Circà tertiam ſpeciem fraudis, ſi non poſſet ſupponi res non integra pro integrâ, nunquam poſſet mercator vendere ſuam mercem, quæ patitur?

M. Confeſſor in his caſibus, qui frequentiſſimè accidunt, indiget doctrinâ, & prudentiâ, nè decipiatur ex unâ parte emptor; ex aliâ venditor non cogatur ſuſtinere plurima damna. Porrò utramque hauriet, legendo ſæpè S. Thomam q. 77. art. 3., ubi docet vitium rei manifeſtum ex ſe patere. Circà vitium occultum, eſſe conſiderandas omnes circumſtantias; & Ut enim dictum eſt c. 23. n. 3. conſiderandum, an emptor velit vinum ad conſervandum. In iſto caſu decipio ſupponens vinum dilutum, eſtò vendam pretio vini diluti, non meri; nèc enim do juxtà ejus utilitatem, & voluntatem; debeoque hoc vitium occultum manifeſtare; quòd ſi vult hodie bibere vinum, nèc illi officit, quòd ſit dilutum; & aliàs vendo pretio vini diluti, tùnc non eſt neceſſe dicere vitium vini, quia emptor fortè vellet plus minuere de pretio, quàm ſit minuendum. Hæc omnia indigent, ut pœnitens habeat fixum memoriæ illud Chriſti Luc. 6. *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.*

10. D. Qui hodie ſcit, monetam cras ex lege Principis futuram minoris valoris, tenetur nè id revelare accipienti: & qui ſcit cras fore, ut adventet copia mercis, quam habet, illam hodie minoris vendere?

M. Poteſt expendere, & vendere pretio hodie currenti, quia hodie nèc moneta, nèc merces eſt vilior, ſed erit cras. S. Thomas a. 3. ad 4.

11. D. Licet nè negotiando catiùs vendere, quàm emere?

M. S. Thomas quærit id a. 4. ad plenam doctrinam de venditione. Confeſſor ordinarius fortè habebit pœnitentes cupidos Chriſtianæ perfectionis, qui inquirent, nùm ſit veniale peccatum negotiari, cum non ſit mortale ex naturâ ſuâ, niſi ſub gravi prohibeatur ab aliquâ lege particularibus perſonis, quam oportebit conſulere in facti contingentiâ. Igitur vendere, quod alias naſcitur in proprio, nullum eſt peccatum. At emere, quæ minoris hodie valent eo fine, ut vendantur cras, quando pluris valebunt, eſt veniale peccatum, ſi id intendatur ut finis proximus: nullum erit peccatum, ſi eligatur ut medium, v. g. ad ſuſtentandam familiam, vel conſervandam in civitate abundantiam &c.

12. D. Dixiſti num. 1. ſecundum peccatum contrariè oppoſitum juſtitiæ commutativæ in commutationibus voluntariis vocari uſuram; quæro, quid ſit uſura?

M. Uſura, de qua S. Thomas q. 78. eſt lucrum quodcunque proveniens immediatè ex mutuo, ſeù ratione mutui. Porrò ſub contractu mutui cadunt, quæ conſumuntur ipſo uſu. Domus, equus, & ſimilia non cadunt ſub ratione mutui, quia non dantur, ut conſumentur, ſed ut iis homo utatur, deinde reddat domino; & propterea in his non transfertur dominium, ſed uſus equi transfertur in me, dominium, remanet apud Petrum. E contrà vinum, triticum, pecunia &c. dicitur mutuari, quia dantur, ut ipſo

uſu

Digitized by Google

uſu conſumantur, nec qui accipit, tenetur reddere idem numero, ſed ſpecie (niſi commodarentur ad oſtentationem; in quo caſu utpotè reddenda eadem numero pecunia eſſet commodata. & liceret aliquid accipere pro uſu. S. Thomas a. 2. ad 6.) propterea transfertur dominium. Igitur; ſi præter capitale reddendum ſuo tempore, exigo aliud lucrum, committo uſuram: quodcunque ſit illud lucrum, ſeù commodum, v. g. non obligo illum quotidiè venire ad meam officinam, ſed quoties indigebit, & promitto me tunc daturum merces pretio infimo; ſi conſtituo hanc obligationem, committo uſuram, quia præter capitale, obligo illum ad hoc; ſi obligo mutuatarium ad me laudandum &c. S. Thomas art. 2. Si obligo illum ad mihi remutuandum, quando indigebo. Ibidem ad 4. Si obligo illum ex juſtitia ad recompenſandum, quod mihi ratione mutui debetur tantùm ex benevolentia. Ibidem ad 2. & huc reſpicit 42. propoſitio damnata ab Innocentio XI. Si accipiens pignus obligo, ut mihi concedat uſum pignoris. Ibidem ad 6.

13. D. Hinc videtur ex mutuo non poſse mihi repetere lucrum ceſsans, & damnum emergens, quod eſt valdè durum?

M. Definitio uſuræ non fruſtra continet illam particulam *ratione mutui*, nam ſi exigo ad reparandum mihi damnum, non exigo ratione mutui, ſed ratione lucri ceſsantis, aut damni emergentis. S. Thomas ibidem ad 1.

14. D. Poſsum nè mutuare cum ſpe, ut mutuatarius mihi recompenſet aliquid ex benevolentia, nihil illi dicens?

M. Sit regula generalis, quòd, ubi concurrunt duo fines, alias de ſe honeſti, conſiderandum eſt, ſi primariò intendatur principalior: etenim, ſi primariò intendam minùs principalem, peccabo. Secùs ſi intendam primariò principalem, etiamſi ſecundariò intendam minùs principalem: v. g. pecco, ſi petens beneficium Eccleſiaſticum, intendo principaliter mei ſuſtentationem: at ſi principaliter intendo ſervitium Dei, non pecco, ſi ſecundariò intendo meam ſuſtentationem. In propoſito principaliter intendere benevolam recompenſationem eſt uſura mentalis contra illud Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde ſperate*; At minus principaliter intendere, nullum eſt peccatum.

15. D. Sicut eſt peccatum exigere uſuras, ita eſt nè peccatum ſolvere?

M. Solvere uſuras de ſe non eſt peccatum, quia injuſtitiam committit exigens, non ſolvens. Dixi de ſe: nam peccare poſsum, ſi cooperor peccato exigentis; ut autem cognoſcatur, quando cooperor peccato, S. Thomas a. 4. dat hanc regulam generalem. Petrus, & Paulus debent ſimul facere actionem, quæ prohibita eſt Petro, ſed non Paulo, Paulus peccabit, ſi abſque urgenti neceſſitate, concurrat ſimul cum Petro ad talem actionem, & cooperabitur peccato illius. At ſi habeat neceſſitatem urgentem, Paulus tunc utitur malo Petri in bonum ſuum. Rex Idololatra, & Chriſtianus debent jurare pacem, quia eſt neceſſitas, Chriſtianus non peccat, ſed utitur in bonum juramento malo Idololatræ per deos inanes. Ex eodem principio ſolutus eſt caſus de Confeſſore excommunicato abſolvente p. 1. c. 12. n. 9. Applicando hæc ad noſtrum caſum, ſi abſque neceſſitate, ut habeam pecuniam ad ludendum, promitto uſuras, pecco cooperans peccato uſurarii. Non pecco, ſi promitto ex neceſſitate ad mihi ſubveniendum. Quia tamen ille nullum habet jus, non teneor ſtare promiſso, niſi juraverim. Quia juramentum eſt ſervandum, niſi ſit de re illicita, nec eſt peccatum ſolvere uſuras, teneor ſolvere, ex vi Religionis, etiam in caſu, quo ſine neceſſitate acceperim; quia tunc peccavi cooperando alterius peccato, ſed non pecco exequens, quod juravi. Canones tamen volunt, quòd iſte jurans, primò depoſitet uſuram juratam, ob reverentiam juramenti; deinde quò poſſit petere diſpenſationem juramenti, & tunc repetere ſibi pecuniam depoſitam. S. Thomas a. 3. quærit, an uſurarius teneatur reſtituere fructus acquiſitos. Vide dicta c. 21. n. 11.

16. D. Eſt nè uſura, ſi conveniam dare pretio ſupremo mercem emptori, qui deinde mecum convenit mihi revendere ſtatim pretio infimo pecunia numerata, vel obligare mutuatarium ad aliquid ultra ſortem, quia me obligo non repetere mutuum per annum; vel quia ego do nunc pecuniam numeratam, quæ hodie pluris æſtimatur pecunia cras enumeranda?

M. Primus eſt contractus Mohatra prohibitus ab Innocentio XI. prop. 40. ſecundus ab Alexandro VII. prop. 42. tertius ab Innocentio XI. propoſ. 41.

17. D. Peccata recenſita in hoc capite ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Ex genere ſuo ſunt mortalia ob rationem adductam part. 1. c. 34. n. 6. quia opponuntur juſtitiæ, ſine quà nequit ſervari charitas.

18. D. Poſſunt nè reddi venialia ex parvitate materiæ?

M. Poſſunt reddi ex ratione data p. 1. c. 36. n. 5. Malitia eorum conſiſtit in damno proximi: quare venialia erunt, ſi leve ſit damnum.

19. D. Adſunt nè propoſitiones prohibitæ circa hæc duo genera peccatorum?

M. Octava, nona, & decima Alexandri VII. tangunt commutationes voluntarias in petente, & applicante valorem ſacrificii. 43. commutationem voluntariam inter legantem, & legatarium. 40. 41. & 42. Innocenti XI. tangunt materiam uſuræ. Ubi autem agitur de uſura in contractibus cenſuum, Cambiorum, & Societatum, antequam eos ab uſura immunes judicet, per leget attentè Bullas Pii V., ſuper primis duobus, & Siſti V. ſuper tertiò. Uſurarii enim ſunt omnes contractus initi contrà tenorem illarum; quòd ſi caſus paulò ſit intricatior, non decidat ex ſe Confeſſor; ſed poſt accuratum ſtudium Theologorum, & Juriſtarum, qui ſcripſerunt ſuper dictis Bullis ex profeſſo, conſulat Doctores viventes, & Negociatores pios, qui poſſint teſtari de conſuetudine, optimà Legum Interprete.

20. D. Adſunt nè cenſuræ, vel pœnæ Eccleſiaſticæ contrà exercentes hujuſmodi peccata?

M. Uſurarius manifeſtus primò eſt excommunicandus: ſecundò: Sacerdos non poteſt recipere illius oblationes pro miſsa, quando ejus bona ſint omnia ex uſuris: tertiò: eſt inhabilis ad condendum teſtamentum, niſi reſtituat; quartò: privandus eſt Eccleſiaſticà ſepulturà: quintò: ſunt ipſo facto excommunicati Clerici locantes illis domos ad uſuram. Vide Sextum Decretalium lib. 5. cap. 5. & Clement. I. pariter 5. tit. 5. Porrò quia hæ pœnæ ſunt in manifeſtos Uſurarios, non habet omnimodò neceſſitatem Confeſſor ſciendi, quomodò ab iis Uſurarius evadere poſſit. Si accedat ad Confeſſionale, non debet ſtatim abſolvere, quia eſt conſuetudinarius, & quia eſt publicus peccator: quare illum variis monitis incitabit, quò tollat ſcandalum per pœnitentias, quas præſcripſere Canones. Et quia ſupponimus Confeſſarium hìc, & nunc ignorare pœnas particulares, requiret conſilium, Epiſcopi præſertìm, ad quem omninò recurrendum eſt, quia ejus eſt declarare pœnitentiam publicam; & ex Tridentino ſeſs. 24. cap. 8. de ref. poteſt illam commutare in ſecretam. Igitur de illius conſilio procedens, quod primò ignoravit, facillimè diſcet à ſuo Superiore, quem ſibi Deus Doctorem conſtituit.

21. D. Quas pœnitentias confeſſor debet imponere pro his peccatis?

M. Ad imponendam pœnitentiam manifeſto uſurario procedat, ut dictum eſt num. 20., principalis pœnitentia erit reſtitutio, & ut omninò abjiciat menſuras, & pondera falſa, ſi quando illis utatur: (ſunt enim occaſiones proximæ) Monita verò danda pœnitenti, ut fugiat hujuſmodi peccata, Confeſſor accipiat à Catechiſmo Romano part. 3. c. 8. præſertìm à num. 11.

CAPUT XXIX.

Aſſeruntur Decretales B. Pii. V., & Siſti V. circa Cenſus, Cambia, & Contractus Societatis.

1. Totum hoc opus eò reſpexit, ut Confeſſoribus afferret notitiam omnium peccatorum, præcipuè mortalium, & notitiam ſanè, ſi non omni ex parte completam, nihilominùs talem, vi cujus poteſt ſaltem dubitare de illis, & dubitando inquirere conſilia doctiorum, quod ex S. Carolo adducto cap. 21. num. 5. ſufficit, ut quis approbari poſſit prò audiendis confeſſionibus; nihilominùs adhuc diſtinctum eſt inter peccata, quæ conſueverunt eſſe frenquentiora in populo, & peccata, quæ non adeò frequen-

tan-

tantur. Primorum in votis fuit dare notitiam omninò exactam, quia ſine hac cum maximo propriæ, ac Pœnitentium Animæ periculo, ſe Sacerdos exponit audiendis confeſſionibus: Circa alia verò peccata minùs frequentia poterit aliqualiter excuſari Confeſſor, ſi non abſque aliquali ſtudio poſſit extricare conſcientiam Pœnitentium. Ut igitur quoad prima plenè inſtrueretur examinandus, non modò traditæ ſunt regulæ generales, verùm & addita, quæ particulariter conveniebat ſciri, nempè, propoſitiones prohibitæ, Bulla Cœnæ, Sanctæ, Inquiſitionis edictum &c. Hæc omnia utpotè declarata ſpecialiter jure poſitivo, & alias valdè neceſſaria debuerunt ſpecialiter explicari, quandoquidem ratio nequit ad illa pertingere. Porrò conſideravi multitudinem ulterius poſſe peccare frequenter circa alia duo pariter declarata jure poſitivo, quæ tangunt juſtitiam, & Eccleſiaſticos quidem in celebratione Miſſarum; Laicos verò in materia contractuum; Ambos ex cupiditate lucri.

2. Circa eleemoſinam pro Miſſis authoritate Romanorum Pontificum, Sacra Congregatio multa decrevit, quæ ſæpiùs legere utiliſſimum erit Confeſſori Ordinario; hìc autem non refero; nàm omnia per illam ſtabilita, quæ poſſunt conferre ſimplici Sacerdoti, fuere jam clarè, ac diſtinctè relata in *Instructione pro ordinandis* c.39. à num. 58. Solùm hìc ex decreto ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii edito de anno 1681. 10. Maii, addam obligationem, quam Parochi habent applicandi ſacrificium; quod decretum eſt hujuſmodi.

3. *Cum præcepto divino, iis, quibus Animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro ovibus ſuis ſacrificium offerre, ſæpè aliàs S. Congregatio Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis ſacrificium applicare, atque eà cum diſtinctione, ut ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus, ſi verò tenues, ſaltem diebus feſtivis. Idem nunc cenſet &c.*

4. Sacra Congregatio ponit, ut fundamentum prædictæ obligationis, præceptum offerendi ſacrificium pro ſuis ovibus factum à Deo, & ſufficienter declaratum à Tridentino ſeſſ. 23. c. 1. de ref. Et cum Epiſcopi, Abbates, Generales, Provinciales, & Prælati locales Domorum Regularium verè habeant curam animarum, videre debemus, an & ipſis præcepto divino incumbat onus applicandi ſacrificium pro ſuis ſubditis. Nihil enimverò Eccleſia huc uſque decrevit circà hos, neq; de tempore, quo obligentur, neque ſi obligentur; quare videat unuſquiſque horum, an convincat ratio Concilii; nam nihil auſim ex me dicere. Illud addo, quòd eodem capite Concilium inſuper declarat, habentes curam animarum teneri eodem præcepto divino paſcere ſubditos adminiſtratione ſacramentorum; & quidem plures Parochi ſæculares, ut ſuæ huic obligationi pleniùs ſatisfaciant, volunt per ſe ipſos adminiſtrare Parochianis in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ, uti & in articulo mortis, etiam ſacramentum Extremæ Unctionis. Superiores verò Locales Societatis Jeſu infallibiliter, in locis, quos vidi, (& credo in omnibus) immediatè per ſe ipſos communicant ſuos ſubditos, pro diebus omnibus, quibus, juxtà Conſtitutiones, hi tenentur communicare; ut perfectè Amarum Rectoris obligationes adimpleant. Circa hæc omnia fortè ſatis frequenter (tamen ſuaviter) poterit ſuum zelum oſtendere Confeſſor etiam ordinarius.

5. Lucri cupiditas urget Laicos ad plures contractus, quos Apoſtolica Sedes omninò prohibuit ob grande periculũ uſuræ. Sunt autem maximè tres, nempè, Contractus Cambiorum, Contractus Cenſuum, & Contractus Societatis. Appono hic Decretales Apoſtolicas pro his dirigendis: Et primos duos direxit B. Pius V., illum in Conſtitutione, quæ incipit *In eam*, edita de anno 1571. Alium in Conſtitutione, quæ incipit *Cum onus*, edita 1568. Tertium verò direxit Sixtus V. in Conſtitutione, quæ incipit *Deteſtabilis* edita de an. 1586.

Cambiorum illicitorum declaratio, & prohibitio.

6. *PRimum damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeù ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur, vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore, unde proceſſerant, inanes referantur*

aut

Digitized by Google

aut etiam nullis hujuſmodi litteris traditis, pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes, & recipientes, uſque à principio ita convenerat, vel certè talis intentio erat; nec quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, hujuſmodi litteris receptis ſolutionem faciat. Cui malo ſimile eſt etiam illud, cùm pecuniæ, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſteà eodem loco, vel alibi cum lucro reſtituantur. Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum, ut ad nos perfertur, Campſores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita, vel expreſſa conventione recepto, ſeù etiam tantummodò promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus; & ne fiant, diſtrictius prohibemus. Porrò ad tollendas quoque in cambiis, quantum cum Deo poſſumus, occaſiones peccandi, fraudeſque fœneratorum, ſtatuimus, ne deinceps quiſquam audeat, ſive à principio, ſive alias, certum, & determinatum intereſſe, etiam in caſum non ſolutionis paciſci, neque realia cambia aliter, quàm pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur; ubi verò non celebrantur, pro primis terminis, juxtà receptum locorum uſum, exercere, abuſu illo prorſus rejecto, cambia pro ſecundis, & deinceps nundinis, ſive terminis exercendi.

7. Curandum autem erit in terminis, ut habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm deſtinatæ loca ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio.

8. Quicumque contra hanc noſtram Conſtitutionem commiſerit, pœnis à Sacris Canonibus contra Uſurarios inflictis ſe noverit ſubjacere. Eos verò, qui conſpirationes fecerint, vel congeſtam undique pecuniam ita ad ſe redegerint, ut quaſi monopolium pecuniæ facere videantur, pœnis, quæ jure contra exercentes monopolia, conſtitutæ ſunt, retineri ſancimus.

Forma creandi cenſus ex eodem B. Pio.

9. STatuimus cenſum, ſeù annuum redditum creari, conſtituive, nullo modo poſſe, niſi re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit.

10. Rurſum, niſi verè in pecunia numerata præſentibus Teſtibus, ac Notario, & in actu celebrationis inſtrumenti, non autem prius, recepto juſto, integroque pretio.

11. Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

12. Conventiones directè, aut indirectè obligantes ad caſus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus, non tenetur, nullo modo valere volumus.

13. Quemadmodum nec pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam, quia volumus rem ipſam ſemper, & liberè, ac ſine ſolutione laudemii, ſeù quinquageſimæ, aut alterius qualitatis, vel rei, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate alienari.

14. Ubi autem vendenda ſit, volumus dominum cenſus, omnibus aliis præferri, eiſque denunciari conditiones, quibus vendenda ſit, & per menſem expectari.

15. Pacta continentia moroſum Cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeù certas expenſas, aut certa ſalaria, ſeù expenſas medio juramento Creditoris ſui, liquidandas, aut rem cenſui ſubjectam, ſive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, ſive aliunde exquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita ſint, & nulla.

16. Imò & Cenſum augeri, & novum creari ſuper eodem, vel alia re, in favorem ejuſdem, aut perſonæ per eum ſuppoſitæ, pro cenſibus temporis, vel præteriti, vel futuri omninò prohibemus.

17. Sicut etiam annullamus pacta continentia ſolutiones onerum ad eum ſpectare, ad quem aliàs de jure, & ex natura contractus non ſpectarent.

18. Poſtremò cenſus omnes in futurum creandos non ſolùm re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, ſed etiam poſſe pro eodem pretio extingui. Non obſtante longiſſimi etiam temporis, ac immemorabili, imò centum, & plurium annorum præſcriptione, non obſtantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuſcumque verbis, aut clauſulis contenta ſint.

19. Cum verò traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimeſtre

ante

ante denunciari ei, cui pretium dandum erit, & poſt denunciationem, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti poſſe, & ubi pretium nec volens intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum extingui poſſe; prævia tamen ſemper denunciatione, de qua ſuprà, non obſtantibus his, de quibus ſuprà; idque obſervari mandamus etiam, quòd pluries, ac pluries denunciatum fuiſſet, nec unquam effectus ſecutus fuiſſet.

20. *Pacta etiam continentia pretium cenſus extra caſum prædictum ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe, omninò prohibemus.*

21. *Contractuſque ſub alia forma poſt hac celebrandos fœneratitios judicamus.*

22. *Et ita, illis propterea non obſtantibus, quidquid vel tacitè, vel expreſsè contra hæc noſtra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fiſco volumus poſſe vendicari. Hanc autem ſalutiferam ſanctionem, ne dum in cenſu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modò poſt publicationem conſtitutionis creatus ſit, perpetuò, & in omnibus ſervari volumus.*

23. *Declarantes pretium ſemel cenſus conſtitutum nunquam poſſe ob temporum, aut contrahentium qualitatem, ſeù aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes, minui, vel augeri.*

24. *Et licet legem ipſam ad cenſus jam celebratos, non extendamus, illos tamen omnes, in quos ſub alia forma pervenerint cenſus, hortamur in Domino, ut ſingulos contractus cenſuræ bonorum Religioſorum ſubjiciant, & animarum ſaluti conſulant.*

Damnatio contractuum Societatis, ſecuritatem Capitalis, aut certam reſponſionem, aut aliter Uſurariam pravitatem continentium.

Sixtus &c.

25. D*Amnamus, & reprobamus omnes, & quoſcumque contractus, conventiones, & pactiones poſt hac ineundos, ſeù ineundas, per quos cavebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu, quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeù capitale ſemper ſalvum ſit, & integrum à Socio recipiente reſtituatur, ſive ut de certa quantitate, vel ſummam in ſingulos annos aut menſes durante ſocietate reſpondeatur. Statuimuſque hujuſmodi contractus, conventiones, & pactiones uſurarios, & illicitos poſt hac cenſeri debere, atque in poſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter ſe paciſci, & concordare; neque etiam ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem, ſeù capitale ſalvum, & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quovis pacto, aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub hujuſmodi pactis, & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus, & prohibemus.*

26. *Sed potiùs cuncti noverint ſocietates hujuſmodi cum in poſterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona; alter verò operam, & induſtriam confert, pure, ſincerè, & bona fide, ſicut decet, juſtis, & æquis conditionibus, & pactis, ſecundum Juris diſpoſitionem, ac ſine ulla prorsùs fraude, palliatione, aut uſurariæ pravitatis labe, aut ſuſpicione ineundas, ſeù contrahendas eſſe, ita ut non ad certam ſummam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem lucri nomine perſolvendam, neque ad Capitale, ſi caſu fortuito perit, reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si verò finita ſocietate ipſum capitale extat, ei, qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes, ſuper eo legitimè conventum ſit. Ac prætereà iidem contrahentes fructus, expenſas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & juſtum fuerit, ſibi communicent, ac dividant.*

27. *Decernentes, ſi qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra noſtram hujuſmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per eandem conſtitutionem noſtram damnatis, & reprobatis, etiam ſi juramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel aliis quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri nullamque actionem, realem, & perſonalem, aut Judicis officium, neque aliud quodcumque jus cuiquam competere, neque quoad ſortem, ſeù capitale integrum*

tegrum recuperandum, quod caſu fortuito perierit, aut amiſſum erit, neque quoad certas ſummas, & quantitates in ſingulos annos, aut menſes lucri ſocialis nomine promiſſas.

28. *Si quis verò in poſterum ſub præmiſſis conditionibus, & pactis contrahere temerè præſumpſerint, aut prætextu ſimilium contractuum, conventionum, & pactionum, ſocietatis nomine initorum, qui huc uſque durant ad exactionem dictæ ſortis, ſeù capitalis, ſive illius pretii, & valoris, poſtquam illud in toto, vel in parte, caſu fortuito perierit, aut amiſſum ſit, aut certæ ſummæ, vel quantitatis annuæ, aut menſtruæ ſibi promiſſæ in futurum procedere auſi fuerint, eos univerſos, & ſingulos in pęnas contra manifeſtos uſurarios, & feneratores à Sacris Canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas eo ipſo incurrere, & contra illos, uti manifeſtos uſurarios, & fęneratores, via Juris, aliiſque opportunis remediis, procedi poſſe, & debere.*

CAPUT XXX.

Quædam obſervationes in prædictas Bullas.

1. CONfeſſor utiliſſimum fore crediderim, ſi nonnulla obſervet circà Bullas adductas, quibus maximè, poſſit ſibi aperire mentem ad generalem intelligentiam legum Eccleſiaſticarum, & civilium.

2. Primò igitur, quoad Conſtitutionem Pii de Cambiis obſerva, quòd loquens de cambiis ſiccis num. 6. ab illis verbis: *Primum damnamus* uſque ad illa *uſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictiùs prohibemus*: obſerva, inquam, declarari contractus, de quibus præcedenter locutus fuerat, eſſe uſurarios; quare præcedenter ad dictam Conſtitutionem erat contra ſeptimum Decalogi præceptum, & in ſe mortale peccatum facere hujuſmodi contractus (licèt hic, & nunc ex ignorantia potuerit excuſari à culpa ſic contrahens) Per verba verò ſequentia: *ne fiant, diſtrictiùs prohibemus* prohibitioni naturali, ac divinæ addidit Eccleſiaſticam; vi cujus tolleretur in poſterum quælibet ignorantia juris divini, & naturalis.

3. D. Ita contrahens, & conſequenter violans tres leges committit nè tria peccata?

M. Ita contrahens committit unicum peccatum, quia tres prædictæ leges tendunt ad unicum finem conſervandi juſtitiam commutativam; quælibet enim lex declaravit illa cambia contineri ſub peccatis oppoſitis huic juſtitiæ: in quo vides differentiam Caſtitatis ab Eccleſia præceptæ Subdiaconis: hanc enim præcipit ex vi Religionis; propterea quæ actus oppoſiti ſunt ſacrilegia: Idem dic de vovente jejunium in quadrageſima. Et generaliter id obſervabit Confeſſor in omni Conſtitutione Pontificia [quod tamen fieri non poteſt, niſi legatur attentè] ut videri poſſit, num committatur duplex peccatum.

4. Secundò ex illis verbis; *Porrò ad tollendas quoque* Pius novum jus condidit juxtà poteſtatem ſibi traditam: Poteſt enim Summus Pontifex [imò, & id poſſunt Laici Principes in materia contractuum merè civilium] ad tollendas occaſiones peccatorum prohibere aliquid, & illud reponere ſub materia virtutis, præſcindendo ab obedientia; & ita ſub materia juſtitiæ Pius repoſuit prædictos contractus; & illos exercens peccat contra juſtitiam, non contra obedientiam [niſi quando contemneret præceptum Superioris, in quo caſu peccaret contra duas virtutes, & quoad cambia ſicca, ſi contrahens contemneret jus divinum, naturale, & Eccleſiaſticum, qualibet vice committeret quatuor peccata, primum contra juſtitiam commutativam: tria reliqua contra obedientiam in genere, quę diſtinguuntur ſpecie juxtà diverſas legum ſpecies, adeò, ut ſi lex ſæcularis prohiberet illa cambia, & contrahens contemneret hanc legem, committeret quintum peccatum ſpecie diverſum, quia diverſam legem contemneret.]

5. Eodem tenore videbis procedere duas alias conſtitutiones de Cenſibus, & de ſocietate: nam ſub peccato uſuræ Pontifices de novo conſtituerunt contractus inibi prohibitos ob grande periculum uſuræ detectum in illis. Et ideò Pius expreſsè declaravit num. 18. ſuam legem valere tantùm pro cenſibus creandis poſt publicationem. Circà anteriores, quia cognovit eſſe plenos periculi, ſolùm hortatus eſt, ut ſubjicerentur *cenſuræ bonorum Religioſorum*, qui rem attentiùs examinarent, & deciderent,

rent. an verè in ſe prædicti contractus eſſent uſurarii.

6. Tertiò: nota, quanti Pius faceret bonos Religioſos, & ſæculares, & regulares: etenim in hac materia voluit eorum ſtari judicio. Nihilominùs nomine bonorum Religioſorum, intelligit æquè pios, doctos, & rerum experientia inſignes, & tria hæc ſimul requiruntur, etiam experientia; etenim optima legum Interpres eſt conſuetudo virorum in ea ſe exercentium; & cum circà contractus maximè cambiorum, & ſocietatis, Religioſi non poſſint exerceri, non poſſunt ſcire, qualiter accipienda ſit lex in caſu dubio, niſi à Secularibus exercentibus hujuſmodi contractus inſtruantur de conſuetudine inter viros timoratos ab initio conſtitutionis, uſque ad noſtra tempora.

7. D. Melius erat, quòd Pontifex remitteret ad ſæculares timoratos, quàm ad Religioſos?

M. Optimè Pontifex remiſit ad bonos Religioſos; etenim Sæculares, qui exercent, poſſunt quidem teſtari de conſuetudine; ex qua poſſumus aliqualiter arguere honeſtatem contractus; at non omninò efficaciter, quia ad hoc neceſſarium eſt conferre conſuetudinem, & rationem ad invicem, ac videre num conſuetudo rationi præjudicet (in quo caſu eſſet abuſus, non uſus) & hoc ſolùm videre poſſunt boni Religioſi, ſcilicet, pii, docti, & experientia inſignes; & quidem ſi hæc tertia conditio tibi deficiat, antequam judices, conſule expertos, qui teſtentur de conſuetudine; ſi verò doctrina, vel pietas, tibi deſint, cave omninò à conſulendo, & remitte negotium ad alios: Ubi deficiat pietas, ut morem geras pœnitenti, qui ad omne lucrum inhiat, quæres ratiunculas, & ſophiſmata, quibus, & illum, & te convincas licere contractum. Ubi deficiat doctrina, rem non examinans profundè, uti eſt examinanda, damnabis, vel abſolves, quod verè damnandum, & abſolvendum non eſt. Idem continget, ſi deficiat experientia, vel ſaltem notitia per eos habita, quibus ineſt experientia.

CAPUT XXXI.

De Religione, ejuſque Actibus internis.

1. JUſtitia, de qua huc uſque dedimus, quæ magis neceſſaria videntur Confeſſori ordinario, reddit unicuique jus ſuum ad æqualitatem, ſive Arithmeticam, ut Commutativa, ſive Geometricam, ut aliæ ſpecies Juſtitiæ. Porrò ſunt aliæ virtutes, quæ quidem rigoroſè obligant ad reddendum, ſed quia non poteſt reddi æquale, non ſunt propriè Juſtitia, ſed vocantur à Sancto Thoma partes potentiales Juſtitiæ. Sunt autem quinque: prima Religio, quæ reddit Deo: ſecunda Pœnitentia, quæ reddit Deo, ut fuit illi ablatum: Tertia: Pietas, quæ reddit ſanguine junctis: Quarta: Dulia, quæ reddit honorem Superioribus: Quinta: Obedientia, quæ exequitur eorundem præcepta. Circa iſtas debet ſpecialiter inſtrui Confeſſor, & primò circa Religionem, quæ habet plures actus internos, & externos. Ut autem præparans ſe ad confeſſiones dicenda percipiat, ſingillatim tractabitur de illis, & primò de internis, de quibus principaliter videatur S. Thomas à q. 80. ad 84.

2. D. Quid eſt Religio?

M. Religio eſt virtus tribuens Deo cultum, & honorem, qui non ſit prohibitus ab Eccleſia Catholica: quare actum Religionis præcedit actus Doni Timoris inſinuatus cap. 9. num. 6. per quem reveremur Deum; Ut voluntas inclinata per Donum, elicuit actum prædictum, procedit ad eliciendos actus proprios Religionis, de quibus dicetur in ſequentibus, & quos elicit, ut oſtendat ſuam reverentiam, ac ſubjectionem Deo. Poteſt autem per hos actus Religionis movere ſe ad actus cujuſcumq; alterius Virtutis: ideòque poteſt imperare ſibi actus omnium virtutum: v. gr. in Paſchate, ut me ſubjiciam Deo, voluntas elicit actum, quo ſe exhibet promptam ad confeſſionem, & communionem: deinde homo confitetur, & communicat: iſta confeſſio, & communio, ut imperatæ à tali voluntate, ſpectant imperativè ad Religionem: Et uno verbo, quoties aliquid operor ex tali voluntate obediendi, ſeù ſubjiciendi me Deo; toties operor per virtutem Religionis; quare ſi credo, ſi ſpero, ſi amo

Deum,

Digitized by Google

Deum, ut me ſubjiciam eidem perfectè, actus Fidei, Spei, & Charitatis erunt elicitivè à ſuis virtutibus; imperativè à Religione. Idem dic de reliquis virtutibus. Jejuno, quia Deus præcipit jejunium. Hic actus elicitivè pertinet ad abſtinentiam; imperativè ad Religionem; & ſic vides elici frequentiſſimè actus doni Timoris, & Religionis. S. Thomas quæſt. 81.

3. D. Religio eſt nè virtus Theologica?

M. Objectum formale, ac proximum Theologicæ virtutis eſt aliquid divinum. Ita ratio formalis fidei eſt revelatio divina facta Eccleſiæ Catholicæ, & per hanc nobis propoſita. Ratio formalis Spei eſt Omnipotentia, & Miſericordia Dei. Ratio formalis Charitatis eſt bonitas divina. Equidem Religio dat cultum Deo, ſed Deus eſt is, cui offertur: Ratio autem formalis eſt imbibita in eo, quod offertur, nempè, in cultu, in actu Abſtinentiæ, Charitatis &c. qui actus cum ſint aliquid creatum, propterea Religio præcipiens illos nequit eſſe virtus Theologica.

4. D. Dixiſti nu. 2. quòd eliciens actum fidei, ut credat, ſeù, ut ſubjiciat ſe Deo revelanti, elicit illum ex imperio, & Doni Timoris, & Religionis. Porrè S. Thomas docet dona, & Virtutes connecti cum Charitate. Igitur peccator non poterit elicere illum actum Fidei?

M. Equidem dixi, ſed pluries notavi, quòd actus Donorum, & Virtutum alii ſunt perfecti, & alii imperfecti, quorum primi ſolùm procedunt ab Habitu Virtutis præexiſtentis, & id ſpecialiter de actibus Timoris notatum eſt cap. 9. num. 6. Peccator elicit actum fidei ex actu imperfecto religionis. Actus enim perfectus Religionis habet dare cultum Deo in omni caſu, quo Deus præcipit, ſeù vult: quare cum Deus velit à peccatore actum perfectæ contritionis dicentis; *voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, quoad uſque non habeat hunc, non habet actum perfectum Religionis.

5. D. Qui ſunt actus interni Religionis?

M. Primus actus internus Religionis eſt devotio, ſeù voluntas promptè tradendi ſe ad ea, quæ tangunt Dei cultum. S. Thomas q. 82.

6. D. Extat nè præceptum affirmativum eliciendi hunc actum internum Religionis?

M. Extat hoc præceptum: Et obligamur aliquando ad actum imperfectum, aliquando ad actum perfectum; aliquando per ſe, aliquando per accidens; Obligatur per accidens ad actum imperfectum peccator obligatus hic, & nunc reſtituere; nam reſtitutio debet ſaltem habitualiter procedere (ut omninò hæc actio ſit perfecta juxtà S. Thom. 1. 2. quæſt. 100. ar. 10.) ex voluntate obediendi Deo. Obligatur per ſe ad actum hunc imperfectum peccator Sacerdos, dum recitat divinum officium; ſi enim recitet voluntariè diſtractus, non ſatisfacit, quod idem eſt, ac ſi recitet ſine voluntate laudandi, ſeù honorandi Deum. Obligatur per accidens ad actum perfectum Religionis, dum obligatur elicere actum perfectæ charitatis. Obligatur per ſe ad actum Religionis perfectum, quando tenetur elicere actum contritionis: propoſitum enim, quod in illo involvitur, obſervandi præcepta, eſt voluntas promptè tradendi ſe ad ea, quæ tangunt Dei cultum; Si verò extendam me ad cultum etiam, qui non præcipitur mihi, ſed tantùm conſulitur, erit actus ſupererogatorius Religionis. Vide S. Thomam quæſt. 82. ubi aſſignat inſuper cauſas, & effectus devotionis, de quibus ego nihil dico, quia non ſunt omninò neceſſariæ Confeſſori ordinario.

7. D. Præter devotionem, Religio habet nè alios actus internos?

M. Secundus, & ultimus actus internus Religionis eſt Oratio. Sanct. Thomas quæſt. 83.

8. D. Quid eſt Oratio?

M. Strictè loquendo nomine orationis venit actus intellectus moti per deſiderium voluntatis, quo petimus aliquid à Deo; nihilominus communiter nomine orationis intelligunt, quando elevamus mentem in Deum etiam vocaliter illum laudando; de qua laude S. Thomas quæſt. 91. aptè ad Theologum, qui primò debet cognoſcere actus priores, & ultimò poſteriores, qualis eſt Dei laus vocalis ſubſequens ad actus intellectus, & voluntatis: veruntamen Confeſſori non omninò eſt neceſſaria hæc diſtinctio; quare hic ſimul agemus de oratione, & Dei laude vocali.

9. D. Quomodo poteſt Oratio eſſe actus Religionis?

M. Hoc

Digitized by Google

M. Hoc ipſo, quod aliquid petimus ab alio, recognoſcimus, & honoramus ipſum ut Superiorem; quare oratio, ut eſt petitio decentium à Deo, eſt cultus internus, & laus vocalis eſt actus externus Religionis. S. Thom. quoad 1. quæſt. 83. art. 3. quoad 2. quæſt. 91.

10. D. Tenemurnè orare?

M. Oratio importat duos actus; alium voluntatis, quo deſideramus, & alium intellectus, quo petimus deſiderata: nec enim homo petit, niſi quæ deſiderat habere. Sub præcepto charitatis cadit deſiderare, ſub præcepto Religionis cadit petere, tradito illis verbis Matth. 7. *Petite, & accipietis*. S. Thomas quæſt. 83. art. 3. ad 2. Ergo debemus deſiderare ſalutem, & neceſſaria ad illam, ut ſunt fides, ſpes, charitas &c. ſed præceptum deſiderandi ſpectat ad ipſas virtutes; & de tali præcepto ſufficienter dictum eſt agendo de ipſis virtutibus. Nunc dicimus extare præceptum petendi, quando aliquid nobis deeſt neceſſarium ad ſalutem, quod hic, & nunc tenemur habere, nec aliter poſſumus, niſi orando. Adverte, quod ex dictis part. 1. c. 35. num. 5. tenemur aliquando ad orationem Dominicam, ſed non ſemper tenemur rigoroſo præcepto. Extat aliquoties in vita tempore indeterminato, ex jure divino, rigoroſum hoc præceptum, quia ex Auguſtino: *Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te* volente, conſentiente, aut petente, quando eſt opus: peccaretque mortaliter, qui nunquam peteret vitam æternam, ut petitur ſaltem in oratione Dominica, vel petendo ſacramenta, contritionem, &c. Hæc enim ſunt media ad vitam æternam, & qui petit media, virtualiter petit finem. Quare quoad præceptum divinum orandi, Confeſſor non ſit nimium ſollicitus, quia Chriſtianus, adimplet illud, niſi ſit omninò immemor ſuæ ſalutis. Adimplet illud ſaltem adſiſtendo miſſæ, ubi unit ſe cum Eccleſia orante, & petente noſtram ſalutem. Adimplet illud recitando Orationem Dominicam, invocando Sanctos, præcipuè Beatiſſimam Virginem; petendo etiam temporalia: Vix enim erit Chriſtianus, & ne vix quidem, qui petat hæc abſque ordine ad ſalutem, ut ad finem appretiativè (licet non intenſivè) magis volitum.

11. Extat nè præceptum Eccleſiaſticum orandi?

M. Præcepto rigoroſo Eccleſiæ, univerſit as Chriſtianorum tenetur ſolùm orare in die feſto per aſſiſtentiam ſacrificio miſſæ, per quam aſſiſtentiam conſentit petitionibus, nomine totius Eccleſiæ Deo factis, & laudibus, quæ in eodem ſacrificio redduntur Deo. Conſtituti in ſacris ordinibus, Beneficiati, & Religioſi complures tenentur, vel ex præcepto, vel ex conſuetudine ad Officium divinum; Penſionarii verò ad Officium B. Virginis, adeò ut non recitantes peccato omiſſionis mortaliter peccent contra Religionem; & prætereà Beneficiati, ac Penſionarii, quando non reſtituant, peccent peccato commiſſionis contra juſtitiam. Porrò circa hanc obligationem recitandi Officium, ſufficienter dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 14. & c. 30. à n. 7. ad 13. ubi etiam datæ ſunt propoſitiones prohibitæ à Sede Apoſtolica, & quid teneatur reſtituere, Confeſſor videat ibi: nec enim omnia poſſunt ubique repeti; nec ſine illa notitia ingerat ſe audiendis confeſſionibus, quia multum crevit numerus Eccleſiaſticorum, inter quos proptereà poteſt eſſe frequens hoc peccatum omiſſionis; proinde Confeſſor ſcire debet, quando peccetur; & quando ſit obligatio reſtituendi.

12. D. Oratio debet nè mentalis eſſe, an vocalis?

M. Oratio erit primò qualis eſt præcepta, ſecundò, oratio in perſona Eccleſiæ per Miniſtros facta nomine populi convenienter fuit inſtitutum, quòd eſſet vocalis, ut populus poſſit illius habere notitiam; & ita canitur alta voce Officium divinum, ac Miſſa in iis partibus, in quibus Sacerdos orat nomine totius populi. In aliis orationibus ad libitum, quia orationis eſt elevare mentem ad Deum, videbit orans, an vocibus impediatur hæc elevatio, etenim tunc debebit eſſe mentalis, quòd ſi è contra mens abſque ſignis exterioribus non poſſit elevari, tunc utendum erit voce, & tunc in Dei obſequium exercemus potentias interiores, & exteriores; quia tamen vox perſæpè diſtrahit, ideò Patres ſpirituales conſulunt maximè orationem mentalem, & Confeſſor quiſque debet illam ſibi reddere familiarem. Niſi enim ſedulò quis cogitet gravitatem, & relevantiam ſui muneris, eſt difficile non deficere. Porrò hæc cogitare ſpectat ad orationem mentalem, vocibuſque impeditur ſæpè atten-

tentio accuratior. S. Thomas q. 83. ar. 12. Omnium optima eſt oratio Dominica. S. Thomas a. 9. Ad captum Chriſtianæ plebis, illam, ſimul cùm ſalutatione Angelica explicuimus in *Inſtructione pro ordinandis* c.9. ſed ea notitia pro ſe contentus non debet eſſe præparans ſe ad confeſſiones. Attentè ſæpiùs relegat Catechiſmum part. 4. præſertim à cap.9. Vide S. Carolum, p. 1. c.11. n. 49.

13. D. Oratiò debetnè eſſe attenta?

M. Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c.14. n.10. ubi Attentio diſtincta eſt ab Intentione, quia hæc eſt actus voluntatis, illa intellectus applicantis, ut mens in oratione remaneat elevata in Deum, & hanc ſufficere, quamvis Idiota ignoret ſignificationem, aut ſenſum verborum. S. Thomas a.13. Ad praxim habes magis neceſſaria in *Appendice Inſtructionis pro ordinandis* c.12.

14. D. Pro quibus debemus orare?

M. Dictum eſt nu. 10. quòd oratio dicit duos actus, alterum deſiderii in voluntate, qui eſt actus charitatis, alterum petitionis in intellectu, qui eſt actus Religionis, & hìc ſupponit primum; quare pro iis debemus orare, quos debemus diligere. Obligamur ſpecialiſſimè ad diligendum nos in ordine ad vitam æternam. Igitur ſpecialiſſimè debemus petere nobis vitam æternam, & media omninò neceſſaria perveniendi vitam æternam: quare peccabit graviter, niſi oret, Petrus in tentatione poſitus, qui noſcit, ſine oratione, non poſſe reſiſtere tentationi: tamen quia oratio tunc obligat per accidens, ratione fugiendi conſenſum in tentationem, non erit peccatum ſpecialiter aperiendum in confeſſione orationis omiſſio, ſed ſufficienter ſe accuſabit pœnitens dicendo, quòd commiſerit tale peccatum. Circà proximum, ſpecialiter debemus pro illis orare, quos debemus diligere ſpecialiter ad vitam æternam. Quia verò charitas nos obligat generaliter amare proximum, & ſpecialia dilectionis ſigna tenemur ſolùm exhibere in articulo neceſſitatis; quando ſibi non poteſt providere; ideò generaliter tenemur orare pro aliis, etiam pro inimicis, hoc eſt, nullum excludere à præcibus communibus. Porrò dari non poteſt articulus neceſſitatis, quo ſub mortali obligemur petere à Deo vitam æternam proximo, quia ille dicitur articulus neceſſitatis extremæ, quando ſibi non poteſt ſubvenire proximus; pro quà quilibet poteſt ſibi ſubvenire faciendo actus Fidei, Spei, Charitatis &c. Sed neque pro temporalibus teneor orare pro altero ſub mortali: Equidem poteſt reperiri proximus in extrema neceſſitate, ita ut peccem, non exercens eleemoſinam corporalem in illum; ſed ſi non habeat ille, unde vivat, nec habeam ego, unde corporaliter ſubveniam, non teneor ſub mortali ex vi charitatis, orare Deum, ut illi ſubveniat, quia poteſt ipſe orare pro ſe, & ita non eſt in extrema neceſſitate orationum. S.Thomas a.7. & 8.

15. D. Poſſumuſnè à Deo petere temporalia?

M. Poſſumus petere vitam æternam, & quæ conducunt ad vitam æternam. Temporalia etiam indeterminatè poſſumus petere, quæ Deus videt profutura nobis ad vitam æternam. Sed ſi homo cognoſceret experientia, vel aliter, aliqua ſibi prodeſſe ad vitam Chriſtianam, poſſet illa determinatè petere à Deo: v. g. cognoſco egeſtatem eſſe mihi ex fragilitate naturæ cauſam peccatorum, & è contra ubi habeo ſufficientiam victus, me Deo ſervire, alacriùs, frequentius, & intenſius, poſſum determinatè petere ſufficientiam victus, &c. dummodò tamen ita ſim diſpoſitus, ut illa nollem, ſi fortè non cederent in gloriam Dei, & ſalutem animæ. S. Thomas art. 5. & 6.

16. D. Eſtnè oratio efficax ad impetrandum?

M. Confeſſor doceat pœnitentem, quòd, juxtà illud Jo: 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*; ſive peccator ſit, ſive juſtus, homo ſemper exauditur, quando petit cum his quatuor conditionibus, *pro ſe, piè, perſeveranter, & neceſſaria ad ſalutem* (quod procedit ex promiſſione Chriſti) tamen ſuo tempore, quod novit Deus. Pro aliis autem eſt utiliſſima oratio, ſed non eſt iſta promiſſio exaudiendi; quare curent quidem orationes præcipuè Regularium, & Monialium, ſed principaliter curent proprias cum illis conditionibus. S. Thomas art. 16.

17. D. Adſunt nè propoſitiones prohibitæ circa prædictos duos actus internos Religionis?

M. Circà recitationem officii adſunt 21. 34. & 35. Alexandri VII. & 54. Innocentii XI. Sed & 68. Michaelis de Molinos ab

Inny-

Digitized by Google

Innocentio XI. reſpiciunt omnes, orationem, quam vocabat, *Quietis*.

18. D. Quas pœnitentias Confeſſor debet imponere pœnitenti ſe accuſanti, quòd omiſerit prædictos actus internos Religionis?

M. Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 23. præcipit *deſidioſis* imponi *ſtudia devotionis*. Omittenti divinum officium, ait S. Th. quodl. 3. a. 29. non ſemper congruit imponere, ut iteratò recitet, ſed *aliquid ad laudem Dei pertinens*. Qui verò pluriès omiſit, non abſolvatur, niſi ſaltem præmittat Matutinum illius diei, quod, juxta Rubricas, recitandum eſt ante Miſſam, ad minùs ſub veniali, ſi non ſit cauſa.

CAPUT XXXII.

De Actibus Religionis externis, per quos exhibemus noſtra Deo.

1. RElígio impendit cultum Deo, & ſecundum diverſa, quæ impendimus in cultum Dei, ſunt diverſi ſpecie actus Religionis. Primò: religio impendit in cultum Dei voluntatem, in qua reſidet; & ſic eſt devotio: ſecundò: impendit intellectum; & ſic eſt oratio, qui dicuntur actus interni, quia potentiæ ſunt internæ: Memoria non eſt diſtincta ab intellectu; quare per duos illos actus impendimus in cultum Dei noſtrum omne internum. Remanent exteriora impendenda; & ſi quidem ſubjiciamus corpus, eſt primus actus externus, qui dicitur *Adoratio*. Si verò impendantur bona exteriora, videndum eſt, an bonum, quod impenditur, totum cedat in obſequium Dei, & in recognitionem ejus ſupremi dominii: tùnc enim eſt ſecundus actus externus, qui dicitur ſacrificium: vel ita cedant in obſequium Dei, ut cedant in ſuſtentationem Miniſtrorum; & tùnc adhùc diſtinguendum eſt; vel enim offeruntur primitiæ fructuum, & tùnc eſt tertius actus externus, qui dicitur oblatio primitiarum: vel offertur decima; & tùnc eſt oblatio decimarum. Si quis autem offert aliqua pauperi in honorem Dei, tùnc illa oblatio eſt actus elicitus charitatis imperatus à Religione: nàm Religio ſolùm elicit oblationes, quæ fiunt pro rebus Deo dicatis, ut ſunt Clerici, templa, vaſa ſacra &c. Ultimus actus eſt obſervantia Feſtorum.

2. D. Quid eſt Adoratio primus actus externus Religionis?

M. Adoratio eſt quædam humiliatio totius corporis, ſive membrorum, per quam, ratione excellentiæ à nobis in adorato recognitæ, nos illi ſubjicimur. Adhibemus hujuſmodi humiliationes Deo, Sanctis, & Principibus: non tamen per eundem ſpecie actum, imò neque per eandem ſpecie virtutem. Si adhibemus erga Deum, quia objectum formale eſt excellentia divina, talis actus eſt Religionis, ſeù Latriæ: ſi adhibemus erga Sanctos, quia objectum formale eſt excellentia ſacra; eſt actus Duliæ ſacræ, ut ſunt excellentes in ſanctitate: ſi erga Principes, quia formale objectum eſt excellentia politica, eſt actus Duliæ civilis quæ poteſt ordinari ad Deum ut Deus præcipit colere Principes. Hæc adoratio debetur perſonis; quare non adorantur virtutes, ſed perſonæ virtuoſæ, tamen ratione virtutis, vel excellentiæ, quare una eſt adoratio Trinitatis, quia una eſt excellentia perſonarum. Igitur inclinare, vel diſcooperire caput imagini Crucifixi &c. jungere manus, genuflectere, tundere pectus, proſternere ſe &c. ſunt actus externi Religionis, ſeù Latriæ, ut facti Deo, qui dicuntur *Adoratio*. S. Tho. q. 84.

3. D. Obligatne Religio ad hunc primum actum externum Adorationis?

M. Ex p. 1. c. 34. n. 6. virtutes diſtinctæ à charitate ſub mortali tùnc obligant, quando ſunt medium neceſſarium ad charitatem. Porrò charitas haberi poteſt abſque iſta externa humiliatione. Igitur ex natura ſua non obligat ad mortale; ſed ſolùm ſi oriretur grave ſcandalum. Eccleſia quidem in Officio, Miſſa, &c. obligat ad hujuſmodi adorationem; & ſub gravi, quando Rubricæ graviter obligant. Etiam ipſa conſuetudo, ut genuflectamus ad delationem Euchariſtiæ, dum audimus ſacrum &c. ſed nunquam ſub gravi de ſe, præciſo ſcandalo.

4. D. Quid eſt Sacrificium ſecundus actus externus Religionis?

M. Ad Confeſſorem ſpectat ſcire non vetera ſacrificia, ſed quod, Corporis & Sanguinis Chriſti Domini per agitur in miſſa, jungendo, quæ S. Th. de ſacrificio in genere habet hìc quæſt. 85. cum his, quæ de noſtro ſacrificio habet 3. p. q. 82. 83. 84. ut ſunt magis neceſſaria Confeſſori ordinario.

dinario. Interius homo debet ſe offerre Deo, ut omnium primo principio, & ultimo fini, quod eſt eſſe ſupremum dominum. Antiquitus hæc exterior oblatio ſignificabatur exteriùs per mactationem victimæ alicujus, quæ habita à Deo rerum omnium Datore conſumaretur propter Deum, ut finem ultimum. Quod offertur Superiori, debet offerri per Miniſtros ad id ab ipſo deputatos, & in locis, vel tempore ab ipſo deputatis. Miniſtri ſacrificii ſunt Sacerdotes deputati authoritate divina, ſeu ſacra, per illos, qui ad hoc habent jus à Deo, & in templis conſecratis eadem authoritate, vel etiam diebus pariter præſcriptis; ſed & per victimas eadem authoritate præſcriptas; & in nova lege Chriſtus Deus, & homo unicam præſcripſit ſuum corpus, & ſanguinem; Videantur dicta diffuſè in *Instructione pro ordinandis* ex Tridentino, Catechiſmo &c.

5. D. Tenemurnè omnes ad hunc ſecundum actum externum Religionis?

M. Ex num. 4. ſacrificium eſt actus multitudinis, quia offerendum à deputato ex ſacrâ authoritate in multitudine: quare ſinguli tenentur concurrere per modum, quo concurrunt ſinguli ad actum totius Reipublicæ, ut alii, ſcilicet, imperent, alii exequantur, alii cooperentur, alii ſuſtentent exequentes, alii conſentiant tacendo, ſeu non reprobando; Per hunc modum in Republica omnes concurrunt ad promulgationem legum, ad ſententiam Judicis &c. Hoc modo ſinguli tenentur ad ſacrificium ex jure naturæ, ſeu divino; Verumtamen ex præcepto Eccleſiæ non ſufficit conſentire, non reprobando, ſed requiritur inſuper conſentire aſſiſtendo ſacro in die feſto.

6. D. Obligamurnè ad hanc auditionem ſub mortali?

M. Utique ſub mortali obligamur, quia eſt præceptum Eccleſiæ. Vide dicta p. 1. c. 38. n. 9.

7. D. Poſſumuſnè ſatisfacere audiendo eodem tempore quatuor partes Miſſæ à quatuor Sacerdotibus?

M. Non poſſumus; & contrariam opinionem reprobavit Innocentius XI. propoſ. 53.

8. D. Præceptum audiendi ſacrum admittit nè parvitatem materiæ?

M. Præter dicta p. 1. c. 36. n. 5. vide de Acidiâ cap. 14. num. 3. ſi omitto, quia nolo dare hunc honorem Deo, non excuſat parvitas materiæ: ſi omitto, quia v. g. nolo pati leve incommodum, materiæ parvitas excuſat.

9. D. Quia dixiſti de concurrentibus ad ſacrificium per aſſiſtentiam, quantum ſufficit ſcire Confeſſori ordinario, dic etiam aliquid de Miniſtro principali, ſcilicet, Sacerdote: nam hodie multùm crevit eorum numerus; & qui exponit ſe audiendis confeſſionibus Chriſtianorum, neceſſe habet ſcire plura de ſtatu Sacerdotali, ut in illos etiam adventantes exercere poſſit ſuum triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris. Igitur quæro, an Sacerdos habeat præceptum affirmativum celebrandi?

M. Ex S. Thoma 3. p. quæſt. 82. art. 10. quilibet Sacerdos, non ſuſpenſus per Eccleſiam, nec ægrotus, tenetur uti gratia, & poteſtate ſibi à Deo conceſſâ offerendo ſacrificium *in præcipuis feſtis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt*. Qui verò habent ſpeciales obligationes ex titulo &c conſulant prædicta onera. Parochi autem dicta c. 28. n. 3.

10. D. Quid tenetur obſervare celebrans in offerendo ſacrificium Corporis, & Sanguinis Domini?

M. Obſervabit attentè Rubricas Miſſalis, quæ ſunt, vel debent eſſe notæ cuilibet Sacerdoti. Porrò Confeſſor audiens in confeſſione Sacerdotem, notet ſequentia. Primò: Pius V. præcepit in virtute Sanctæ Obedientiæ illas obſervari, quòd præceptum cadit ſupra omnes, non ſupra ſingulas; quare Sacerdos illas pro majori parte negligens, committet duplex peccatum, omiſſionis alterum contra Religionem, alterum contra obedientiam: ſecundò: in ſingularum omiſſione, ut ſunt contra religionem datur parvitas materiæ, dummodò non omittantur, quia ſunt in honorem Dei, juxta dicta num. 8. tertiò: non poteſt hic determinari, quæ Rubricæ in ſingulari obligent ſub gravi: pendet id ex communi acceptione, ex majori, vel minori ordine ad ſacrificium: Confeſſor tamen ſemper ſuadeat Sacerdotem pœnitentem, ut in re tanti momenti exactiſſimè ſingulas obſervet, maximè, quæ communiter exiſtimantur graviores, quòd ſi delinquat, in praxi ſe accuſet, ſaltem

ſub

Digitized by Google

ſub dubio, cum vero propoſito deſiſtendi; & optimè faciunt Sacerdotes, qui ſe accuſant de inobſervantia etiam leviorum Rubricarum: quartò: notet Confeſſor, quòd Chriſtus quidem præcepit omnibus communicare in articulo mortis, tamen etiam præcepit, quòd in Euchariſtia ſumenda, vel conficienda, penderemus ab Eccleſiæ ordinationibus; quare Sacerdos relinquet moribundum ſine Viatico potiùs, quam illum communicare ſub ſpecie vini, aut potiùs quam conficere Euchariſtiam ſine paramentis ſacris, ſine lumine &c. Legat tamen Rubricas tum Miſſalis, tum Ritualis, ut videat, quid liceat in ſimili caſu; Conſulat Epiſcopum non modò in facti contingentia, quæ multoties non patitur hanc moram, ſed etiam ubi poteſt prævideri caſus difficilior: Ordinarius Confeſſor hæc figat memoriæ circa præceptum affirmativum obligans ad ſacrificium; & circa peccatum omiſſionis in ejus celebratione; circa peccatum commiſſionis dicetur in ſequentibus, cum de peccatis agetur contrariè oppoſitis Religioni. Præter Rubricas, etiam legatur S. Thomas q. 83. & 84., ex quo in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 43. explicata ſunt myſteria ſacrorum Rituum, quos obſervamus ex præcepto Eccleſiæ in celebratione Miſſæ.

11. D: Quid eſt Oblatio, tertius actus externus Religionis?

M. Nomine oblationis venit actus, per quem offerimus Deo bona noſtra, vel in totum, vel pro parte, ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, atque ut per illos, etiam ſuſtententur pauperes, conſerventur, templa, vaſa ſacra &c: quare ſi quid dono pauperi, erit actus externus charitatis; & ſi dono Eccleſiæ, ut ipſa ſuſtentet pauperes, donatio facta Eccleſiæ erit actus externus Religionis cum ordine ad actum Charitatis. Ex jure naturali tenentur omnes Chriſtiani ad aliquas oblationes indeterminatè, ad ſuſtentandos proprios animarum Paſtores; & hi habent jus illas exigendi: nam ex Apoſtolo 1. Cor. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? ... Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt* & 1. Tim. 5. *Dignus eſt operarius mercede ſua:* quod eſt præceptum naturæ: nam à populo ſuſtentantur, qui laborant pro populo, ut Milites, Judices &c. Jus percipiendi has oblationes eſt proprium officii Paſtoralis; at oblationes cedunt in ſuſtentationem perſonæ, quod maximè debet adverti: nàm propterea Parochus peccabit, ſi ſua negligentià perdatur hoc jus Eccleſiæ. At ſi conſervans illæſum jus, ipſe tamen velit remittere populis, quod ſibi debent in ſuſtentationem, non peccabit: ſed imò erit ſcandalo, ſi ſit nimis exactus in exigendis, præſertìm à pauperibus, quos peſſimum eſſet opprimere, connivendo ditioribus. Diximus teneri Chriſtianos ad aliquas oblationes indeterminatè in ſuſtentationem Miniſtrorum; quare ſervanda eſt conſuetudo cujuſque Eccleſiæ habentis curam animarum. Aliis enim populi providerunt ab antiquo per aſſignationem reddituum. Aliis per congruam portionem in exequiis defunctorum. Aliis per primitias, vel decimas, ad quarum ſolutionem, populi tenentur, ubi eſt conſuetudo, ex præcepto Eccleſiæ; adeò ut contra Religionem peccet ſubditus non ſolvens, ut ſunt de jure: ſi verò nihil cogitans circa jus, non ſolvat, ut ſibi retineat, peccat contra juſtitiam, quia Parochus habet jus ad rem. Circa oblationes iſta ſufficient Confeſſori ordinario: Illarum obligatio, præſertìm decimarum, pendet ex conſuetudine locorum, ſtatutiſque particularibus; quæ omnia nequeunt hìc comprehendi. Deſiderans plura pro inſtructione majori videat Sanctum Thomam qu. 86. 87.

12. D. In quo conſiſtit quartus actus externus Religionis?

M. Conſiſtit in obſervantià feſtorum ab Eccleſia ſtatutorum. Circa quàm Confeſſor ordinarius notabit ſequentia ex S. Thoma q. 122. a. 4. ad 3. & 4. Primò: in in feſtis, ad honorem Dei vacare debemus ab opere ſervili, nempè, à peccato, quod eſt opus ſervile, juxta illud Jo. 8. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; & ab omni opere ſervili, quod exercetur laborioſè per corpus, ac dicitur ſervile, quia eſt proprium ſervi. Principaliter abſtinere debemus à peccato, & acriter increpandi ſunt, qui utuntur die feſto, ut graviùs, ac multipliciùs peccent; peccare tamen in die feſto non eſt circumſtantia mutans ſpeciem, ſed aliqualiter aggravans: nam in honorem Dei prohibentur exteriora ſigna, quæ conveniunt ſervis exterioribus inter homines; & actus externus Religionis

Digitized by Google

prohibet ſigna externa: ſecundò: non prohibentur hæc opera corporalia in honorem Dei: quare poſſunt exerceri, ubi directè cedunt in honorem Dei, ſcilicet, pro adornando templo &c. (ſi tamen adſit aliqualis neceſſitas) Quartò: Religio non prohibet opera corporalia, quæ neceſſaria ſunt pro conſervatione individui exercentis ipſos actus Religionis: quare non prohibemur facere illa *quibus ſalus corporis conſervatur*: quintò: nec prohibet opera corporalia, quæ ordinantur ad ſalutem proximi, ut præparare cibos &c. ſextò: nec prohibet opus corporale, quod *ordinatur ad vitandum imminens damnum rei exterioris*: ſeptimò: opera prohibita faciliùs diſpenſari poſſunt in lege Chriſtiana, quam in Hæbraica: In hac enim erant figuræ Chriſti venturi, & fiebant in proteſtationem veritatis, *quam non licet in modico prætereire*. Circa obſervantiam feſtorum, hæc omnia memoriæ infigat Confeſſor ordinarius; & applicet caſibus particularibus. At ubi publica eſſet neceſſitas in aliquo loco, v. g. pro vindemiis, pro diruenda publicè domo, quæ minatur publicè ruinam &c. eſto evidens appareat neceſſitas, curet, ut ab Epiſcopo, vel ejus Officiali legitimo facultas obtineatur, & ad vitandum ſcandalum, & ad majorem obedientiam ergà Eccleſiam?

13. D. Obligamurnè ſub mortali ad quartum hunc actum externum Religionis?

M. Utique obligamur ſub mortali; & contrariam opinionem reprobavit Innoc. XI. prop. 52.

14. D. Hoc præceptum admittit nè parvitatem materiæ?

M. Equidem hoc præceptum eſt negativum, ſed ordinatur ad aliquid poſitivum, nempè, ut Chriſtianus ita deferat cultum Deo, & quia parvus labor non præjudicat, quin deferamus Deo cultum debitum, ideò ex parvitate materiæ homo laborans excuſatur à mortali. Quartum autem temporis poſſit laborare, abſque incurſu peccati mortalis, multi quærunt; ego utar regula ex Sacrâ Congregatione Concilii tradita part. 1. cap. 36. num. 9. quòd non eſt tutum definire in univerſali; ſed in caſibus ſingularibus Confeſſor attendet omnes circumſtantias, nihil ex ſe decidens, ubi res non eſt clara, abſolvens ad omnem cautelam à lapſibus præteritis, & conſulens, ut Deum in poſterum diligentiſſimè honorent.

15. D. Circà hos quatuor actus externos Religionis, adſunt nè propoſitiones prohibitæ?

M. Circa primum Adorationis multa diſces ex damnatione propoſitionum Molinos. Circa ſecundum ſacrificii, quoad audientes extat 53. Innocentii XI. Quoad Sacerdotes, vel offerentes eleemoſinam pro ſacrificio, præter 8. 9. & 10. Alexandri VII., vide decreta *de celebratione Miſſarum* ſub Urbano VIII. ſimùl cum viginti dubiis eadem auctoritate à Sacra Congregatione deciſis, cum additionibus ſub Innocentio XII. Circa quartum extat 52. Innocentii XI.

16. D. Adſuntnè cenſuræ, aut pœnæ contra omittentes hujuſmodi actus?

M. Non invenio univerſaliter pœnas contra peccantes merè peccato omiſſionis; niſi inſuper alicui incumbat ex officio; & contra hos vide pœnas in dicta Bulla *de celebratione Miſſarum*.

17. D. Quas Pænitentias imponet Confeſſor pænitenti pro hujuſmodi peccatis omiſſionis actuum externorum Religionis?

M. Confeſſor, ubi morbum omnem peccatoris agnoverit per explicationem ſpeciei, numeri, & circumſtantiarum, explicatum neceſſariarum, juxta Rituale adductum part. 1. cap. 7. num. 19. imponet ſalutarem, & convenientem ſatisfactionèm, habita ratione gravitatis, ſcandali, & frequentiæ peccati. Si Sacerdos circa ſacrificium Miſſæ aliquam omiſerit, ex quibus incurrerit pænam aliquam in decreto *de celebrationem Miſſarum* charitativè monebit, quas incurrerit eo ipſo, & quas incurrere poſſit poſt ſententiam Judicis, ut illas mitiget per Sacram Pænitentiariam; & iſtas per humiliationes convenientes. Quia ex Rituali num. 22. debet adhibere correptiones, utetur Catechiſmo part. 2. cap. 7. præſertim à n. 22. Circa obſervantiam verò Feſtorum p. 3. c. 4.

CA-

CAPUT XXXIII.

De Voto.

1. HOnoramus, & colimus Deum non modò illi offerendo voluntatem per devotionem, aut intellectum per orationem, aut corpus per adorationem, aut bona noſtra per ſacrificium, & oblationem, ſed etiam promittendo aliquid horum; hinc S. Thomas, poſtquam egit de actibus, quibus offerimus Deo nos, & bona noſtra, quæſt. 88. agit de voto, quo promittimus Deo aliquid horum. Inde præparans ſe ad confeſſiones notabit, quòd ſicut actus prædicti ſunt diverſi ſpecie; ita ſpecie diverſa ſunt vota, ſeù promiſſiones eorundem: Actus enim medii ſpecificantur ab objecto ultimi, & promiſſio ſpecificatur ab objecto actus, quem promittit: quare in confeſſione pęnitens non ſufficienter accuſat dicendo ſe violaſſe votum, ſed debet explicare, ſi violavit votum Caſtitatis, aut Paupertatis &c. nec ſufficit explicare virtutem, cujus actum promiſit; ſed quia una virtus habet plures actus ſpecie diverſos, explicandi ſunt iſti actus, v. g. Religioni præter actus internos, c. præcedenti aſſignavimus quatuor actus externos. Igitur in confeſſione eſt explicandum, quem ex illis actibus promiſerim: ſi recitare genuflexus Roſarium, ſi audire duo ſacra, ſi offerre alicui Eccleſiæ nonnulla bona &c.

2. D. Quid eſt votum?

M. Eſt promiſſio facta Deo de meliorio bono: dicitur *promiſſio*, & ratione hujus importat tres actus, primò conſilium, ſeu deliberationem (quæ eſt actus intellectus ex S. Thoma 1. 2. quæſt. 14.) ſecundò propoſitum voluntatis, ſeu electionem (vide 1. 2. q. 13.) tertiò actum (in quo ſubſtantialiter conſiſtit votum) promiſſionis, quæ eſt actus intellectus practici, neceſſariò dependens à duobus primis: quare ubi non ſunt hi duo, neque erit votum; Et ita in praxi Confeſſor judicaturus, an aliqua promiſſio ſit verè talis, & votum, videat, an præceſſerint illi duo actus; & quidem juxtà leges, quando de illis iſtæ diſponerent, ut accidit in ſolemnibus votis Religionis, in quibus de neceſſitate requiritur deliberatio unius anni per geſtationem habitus in Novitiatu &c. S. Thomas quæſt. 88. art. 1. Dicitur *facta Deo*: nam promiſſio facta homini non eſt votum: ſed poteſt eſſe materia voti, v.g. promitto Eccleſiæ acceptanti calicem aureum, & deinde voveo etiam Deo, quod illum dabo; in quo caſu non obſervans promiſſum, committo duplex peccatum: alterum contra juſtitiam, quia non reddo Eccleſiæ id, ad quod acquiſivit jus: alterum contra Religionem, quia violo votum Deo factum. Promiſſiones factæ Sanctis dicuntur vota, & pertinent ad Religionem, ut oratio, quia tàm per vota, quam per orationem in Sanctis colimus Deum. S. Th. art. 5. præſertim ad 3. cum commentario Cajetani. Dicitur *de meliori bono*: quare nihil malum, nihil indifferens poteſt eſſe materia voti. Nihil etiam virtuoſum, ſi in tali materia datur aliquid melius: v. g. non obligat votum, quo voveo non tranſire per talem viam, ut aliquid indifferens, neque ſi voveo nubere, quia caſtitas eſt melior matrimonio. At ſi voverem non tranſire per talem viam, ad fugiendam occaſionem proximam, vel voverem nubere, quia experior extra matrimonium me incidere in peccata carnis, in his circumſtantiis eſt bonum melius nubere, quam ejus contrarium, non nubere; & obligat votum. S. Thomas a. 2. ad 2. Dicitur etiam *de meliori bono*, quia debet eſſe ſupererogationis, modo tamen, quo jam jam explicatur exemplo Caſtitatis: quarè non propriè vovent, aut promittunt, ſed ſolum proponunt, qui dicunt in baptiſmo, aut pęnitentia ſe promittere vitam Chriſtianam, quià id eſt illis omninò neceſſarium, tamen; qui vovent caſtitatem v.g. non ſolùm obligantur ex vi voti ad abſtinentiam matrimonii, ſed etiam ad fugiendum omne peccatum contra caſtitatem, adeò ut etiam ſacrilegi ſint illam violantes, quia licet neceſſarium ſit omni Chriſtiano fugere hæc peccata, nihilominus voluntarium eſt facere caſtitatem materiam Religionis; & hæc voluntaritas ſufficit ad rationem voti, tum ex communi accept ione, tum ex S. Thoma a. 2.

3. D. Obligamurne ſub mortali adimplere votum?

M. Si obligâmur exequi, quod promiſimus homini, multò magis obligamur exequi promiſſa Deo, juxta illud Eccl. 5. *Quodcunque voveris, redde: multoque melius*

dominium, non poterit perfectè vovere, niſi ſubintellectà conditione, quòd non præjudicetur juri paterno &c. Poſt annos pubertatis eſt perfectè dominus ſuſcipiendi ſtatum, vel Religionis, vel matrimonii; & ideò quoad Religionem poteſt firmiter ſe obligare (matrimonium, quia non eſt *majus bonum*, non eſt materia voti) voto ſimplici (ſolemne requirit alias conditiones ab Eccleſia ſtatutas) In reliquis operationibus quoad diſpenſationem domeſticam, ſi non ſit perfectè dominus, ſed adhuc ſub curà parentum, poterit vovere ſub illa conditione. Idem dic de uxore, quæ ſi voveat caſtitatem, obligatur ad id, in quo eſt perfectè domina, ut ſcilicet, non petat debitum, ſed ita ut non præjudicet juri Conjugis: quare debebit reddere, dùm exigitur: in gubernatione domeſticà, quia omninò pendet à viro, non poterit plenè obligari. S. Thomas a. 8. & 9.

7. D. Poteſtnè tolli obligatio voti?

M. Tripliciter poteſt tolli: primò per irritationem; ſecundò: per commutationem: tertio: per diſpenſationem. In iis, in quibus homo non eſt perfectè liber, ſed ſtat ſub dominio alteriùs, cadit irritatio facienda per dominum. Vota illa ſunt ſubintellectà conditione, *niſi renitatur dominus*: Iſte propterea poteſt irritare votum, ut Dominus reſpectu ſervi, Pater reſpectu filii: Prælatus reſpectu Religioſi, Maritus reſpectu Uxoris. Hi enim habentes dominativè dirigere ſubditos, eorumque operationes perſonales, aut domeſticas, habent etiam irritare omnem obligationem, quæ poſſet ex illis conſurgere; propterea neque obligant ſe homini. Jus irritandi fundatur in dominio pleno & perfecto, ſive dominium ſit temporale, ut patris Mariti, & Domini, ſive ſit ſpiritnale, ut Prælati reſpectu Religioſi, dummodo ſit Prælatus habens verè dominium, & non ſolam diſpenſationem; propterea ſubditorum vota ſunt conditionata reſpectu domini. S. Thom. a. 12. ad 2. & ſi dominus irritaret votum ſine causà, utique peccaret ipſe, ſed vere ſubditus remaneret abſque ulla obligatione. Principes verò temporales, vel etiam alii Superiores Eccleſiaſtici, in Republicà ſive ſacra, ſive civili, non ſunt domini, ſed diſpenſatores, juxtà claram Theologorum doctrinam, ſemper à S. Th. traditam, & ſpecialiter, ubi ſuprà quoad hoc punctum, quidquid Juriſtæ ſentiant; unde ipſi videant, quomodo irritare non poſſint vota, ſi ſint domini, vel quomodo ſint domini, ſi non poſſunt irritare vota. Igitur quia iſti non ſunt domini, ſed tantùm diſpenſatores, non poſſunt irritare vota. Quia tamen votum eſt quædam veluti lex particularis, quam ſibi homo imponit ad colendum Deum; & lex hominis, quæ uno tempore eſt utilis, alio reddi poteſt inutilis, & quia in omni promiſſione alteri factà, utilitas, vel inutilitas præcipue dijudicanda eſt ab eo, cui promittitur, & in voto dijudicanda eſt à Deo; idcirco Deus ſuis Vicariis viſibiliter dirigentibus Eccleſiam reliquit poteſtatem, ut ſuo nomine id dijudicarent: ita tamen quod per hoc, non tolleretur ordò naturæ dictans in manifeſtis non recurrendum eſſe ad ſuperiorem: quare quilibet ex ſe poteſt commutare vota particularia in vota Religionis, quia hæc ex Evangelio ſunt evidenter meliora. Porro duplicem poteſtatem Chriſtus reliquit ſuis Vicariis, alteram commutandi, alteram diſpenſandi, Commutatio ſit ſubſtituendo unum opus alteri, v.g. itineri Lauretano ex cauſa ſubſtituitur iter ad aliam imaginem Virginis, & omittens hoc ſecundum frangit votum, & committit ſacrilegium. Diſpenſatio eximit hominem ab obligatione ſervandi votum, & invalida eſt, ſi fiat ſine causà: ſufficit tamen, ut ſit in utilitatem Eccleſiæ, vel etiam perſonæ privatæ. Pleniſſima poteſtas commutandi, & diſpenſandi vota (circà votum Religionis vide S. Thomam a. 11.) reſidet in Romano Pontifice. In reliquis diſponunt Canones. Confeſſor non habet juriſdictionem in vota, (quæ non ſunt peccata) niſi ſpecialiter ſibi concedatur. Ordinariè autem conceditur ſolùm poteſtas commutandi, non diſpenſandi vota quædam particularia; Unuſquiſque conſideret, nec tranſgrediatur ſuæ juriſdictionis terminos; quòd ſi ſit habendus recurſus ad Sacram Pœnitentiariam, videat Inſtructionem p. 1. c. 18. n. 11. S. Thomas art. 10. 11. & 12.

9. D. Quid faciendum, ubi pœnitens dubitat, num ſit cauſa ſufficiens diſpenſandi, vel commutandi?

M. Nihil faciat ex proprio judicio, ſed recurrat ad Superiorem, narrando ſincerè veritatem, ſtetque illius judicio, Deus

enim reliquit authoritatem Superioribus, ut in dubio, eorum interveniente judicio, ſubditus ſit verè diſpenſatus. Vide dicta c. 31. n. 14. de obſervantia feſtorum, & eſt regula generalis in omni caſu, v. g. in jejunio, &c. S. Thom. a. 12. ad 2.

10. D. Vovi jejunare in vigilia S. Franciſci, & omiſi, teneor nè alia die jejunium ſupplere?

M. Vide dicta p. 1. c. 24. n. 5. nam debet eſſe regula generalis, quòd ſi ſit onus diei, ut recitatio officii, non teneor. Id autem dignoſcitur, quia principaliter fit votum in honorem Sancti, & propterea qui eſset infirmus tali die, non eſset ſollicitus reponere jejunium, ſicuti non eſt ſollicitus reponere divinum officium, quando convaluit; E contrà ſi principaliter Confeſſor imponit jejunium, & ſecundariò ad honorem Sancti, quando convaluit, jejunare tenetur.

11. D. Confeſsor debetnè extimulare ſuos pœnitentes ad elicienda vota?

M. Ita utique faciunt nonnulli Confeſſarii zelantiores, qui etiam uxoratos non adeò perfectos incitant ad vovendam caſtitatem, ubi obtinuerint unum, vel alterum filium. Sed ut zelus dirigatur prudentiâ: hæc ſunt advertenda: primò S. Thomas q. 88. a. 6. firmat melius eſse facere aliquid ex voto, quam ſine voto, & q. 189. a. 9. quòd merentur inducentes alios ad Religionem, & art. 10. quòd laudabile eſt religionem ingredi abſque conſilio multorum. Hoc autem dicitur per ſe loquendo; ſed noſtris temporibus, quando juvenes inducuntur ad religionem ex motivo temporali potiùs quàm ſpirituali, v. g. ut filius major diteſcat ex renunciatione minorum: quando plurimi ob malam educationem incitantur ad venerem &c. valdè cautus debet eſse Confeſsor. Si homo Confeſsori appareat affectus renunciare honori, gloriæ, ac ſanguini, poteſt induci. At ſi ſolum renunciet honori ſæculi, ſed appetat honores &c. in religione tunc religio, & reliqua vota ſunt grave jugum, quod Confeſsor nunquam imponet.

12. D. Adſuntnè propoſitiones prohibitæ circa vota?

M. Conſideranda eſt 54. Innocentii XI. Equidem, ut jacet, agit de recitatione Officii; ſed Theologus ex definitionibus Apoſtolicis, veluti principiis, deducit concluſiones Theologicas; quare videat, num ex illâ deducendum ſit, quòd obligatus ad votum, & impotens illud in toto exequi, obligetur ad partem. Directè circà vota, extant duæ inter propoſitiones Molinos, nempè tertia, & 65.

13 D. Adſuntnè Cenſuræ, vel pœnæ contra violantes vota?

M. Nunc loquimur de violatione Voti, ut eſt peccatum ommiſſionis; nàm ut eſt peccatum commiſſionis, dicetur ſuo loco, & univerſaliter loquendo, non invenio cenſuras contra hujuſmodi violatores; quòd ſi ſtatutæ ſint nonnullæ in aliquâ Religione, videantur ejuſdem Ordinis Conſtitutiones.

14. D. Quas pœnitentias imponet Confeſsor non adimplenti votum?

M. Ubi tali pœnitens accedit, diligenter inquiret Confeſsor: primò: utrum peccaverit in omittendo, quia, ſcilicet, non jejunavit tali die, quâ vovit; & juxta dicta n. 10. ſi principaliter intendit jejunium, oſtendet obligari ad reponendum alia die: ſecundò: videbit, an peccaverit in diſſerendo: tenemur enim & adimplere, & non differre adimplementum, quia dicitur Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Confeſsor autem ſciat, quando pœnitens dicendus ſit mortaliter peccaſse per dilationem, videat Sanctum Thomam art. 5. ad 3. cum Commentario Cajetani: etenim, ſi promiſit indeterminatè abſque ullà præfixione temporis, erunt conſiderandæ circumſtantiæ: ſi commodè potuit implere, ſi res promiſsa ſit ex iis, quarum executionem prudentes, & pii ſoleant differre, vel urgere; ita quòd ex ſua parte urgeat executionem: his omnibus conſideratis, commemoret illud axioma: *Qui citò dat, bis dat*, oſtendens, quantùm in neceſſitatibus urgeamus Deum, ut nobis citò conſulat: tertiò, notabit, quale ſit votum, ſi publicum, ſi privatum &c. nàm *propter plurium ſcandalum, & exemplum tantò durior pœnitentia tranſgreſſoribus debetur* ex c. *Quod votum* de vot. & vot. red. in 6.

CAPUT XXXIV.

De Actibus Religionis, quibus aſſumuntur res divinæ.

1. RElígionis etiam eſt aſſumere divina eo cultu, honore, ac reverentiâ, quæ debetur. Id agnoſcens Sant. Thomas, ut, qualis Theologum decet, integram daret notitiam actuum ſpectantium ad Religionem, poſt examinatos actus internos, & externos, quibus homo defert, vel promittit obſequium Deo, progreditur examinare actus; quibus aſſumuntur divina. Hi porrò ſunt externi; vel enim aſſumuntur ſacramenta quæ ſunt aliquid ſenſibile, vel ore aſſumitur nomen Dei. S. Thomas hìc non agit de actu Religionis aſſumente res ſacras; ſed remmittit ſe ad tertiam partem, in quà diſponebat diffusè tractare materiam ſacramentorum, & qualiter ſint aſſumenda, ut Deo per illa exhibeatur debitus honor; & ita de illis cæpit agere à q. 60. ſed morte præventus reliquit opus imperfectum, tamen ex eodem ſuper libros Sententiarum fuit additum ſupplementum. Nobis non eſt neceſſe hìc exſpatiari per omnia: nec enim agimus perfectum Theologum, ſed tradimus, quæ magis videntur neceſſaria Confeſſori ordinario, ut dignè exerceat reſpectu multitudinis, ſuum triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris.

2. Ulteriùs, præparans ſe ad confeſſiones figat memoriæ, quòd in hoc capite progredimur ordine, quem renuimus in reliquis, ut, nempè, tantùm ageremus de actibus, quibus aſſumuntur res divinæ, ſeu ſacramenta, & de peccato omiſſionis in præmittendo hujuſmodi actus, nàm de peccatis commiſſionis contrariè oppoſitis agetur deinde. Porrò ut Confeſſor ordinarius poſſit inſtruere multitudinem, quà religione ſumenda ſint ſacramenta, ita ut non peccetur mortaliter, & ut poſſit obligare pœnitentem ad accuſandum ſe mortaliter peccaſſe in eorum aſſumptione, ſufficiunt dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 11. In quo opere videbit etiam, ſuis locis, neceſſaria, ut dignè ſuſcipiatur quilibet Ordo, & præſertim à c. 36. neceſſaria pro ritè ſuſcipiendo, & adminiſtrando ſacerdotali Ordine. Circà dignè recipiendum Pœnitentiæ ſacramentum habentur plura parte primà. Adhùc tamen proderit addere aliqua de ſingulis?

3. D. Quid requiritur, ut ſit verus actus Religionis ſuſcipere, vel conferre ſacramentum baptiſmi?

M. Toties dictum eſt hoc opus in id tendere, ut Confeſſor ordinarius pro multitudine poſſit exercere in confeſſionali ſuum triplex munus Judicis, Medici, & Doctoris. Porrò circà hoc ſacramentum poſſunt conſiderari quinque claſſes hominum. Primò: alii volunt ſuſcipere: ſecundò: alii peccant omittendo ſuſcipere: tertiò: alii peccant peccato commiſſionis in ſuſcipiendo: quartò: alii debent adminiſtrare: quintò: alii peccant in adminiſtrando. Circà primos, & ſecundos nullam habet juriſdictionem Confeſſor quà talis; ut ex charitate primos diligenter inſtruat, legat ſæpiùs & in omnibus ſervet Rituale, nec non Catechiſmum part. 2. cap. 2. quòd ſi velit Theologicè omnia ſcire, adjungat Sant. Thomam 3. p. à q. 60. ad 70. Circà tertios, non eſt caſus ita ordinarius, quòd adultus peccet in ſuſcipiendo baptiſmum: ſi tamen peccaret, debet illud peccatum ſubjicere clavibus. In quartà claſſe non eſt Confeſſor quà talis. At ſimul ſit Parochus, ad rectè adminiſtrandum utatur Rituali. Confeſſor igitur debet ſcire circà quintos; qui adminiſtrant ſacramentum baptiſmi, dùm accedunt ad confeſſionale, an peccaverint, omittendo baptizare, quando tenebantur ex officio, vel ex charitate: quod facilè conjiciet Confeſſor ex regulis generalibus jàm ſuperiùs traditis de charitate, & juſtitiâ; charitas enim ſub mortali obligat in extrema neceſſitate; & aliquando in gravi: Juſtitia verò, quando ſubditus petit à Superiore, nec extat juſtum differendi motivum. De peccatis autem commiſſionis dicetur ſuo loco.

4. D. Quid requiritur, ut ſit verus actus Religionis ſuſcipere ſacramentum Confirmationis?

M. Nulla ſub mortali extat obligatio ſuſcipiendi hoc ſacramentum. Quæ autem neceſſaria ſint, ut dignè ſuſcipiatur, in compendium habet *Inſtructio pro ordinandis* c. 11. Diffusè traduntur in Catechiſmo p. 2. c. 3. Theologicè verò tractantur à S. Thoma 3. p. q. 72.

5. D. Quid requiritur, ut verus actus Reli-

Religionis ſit ſuſcipere ſacramentum Euchariſtiæ?

M. Divino jure obligamur ad communicandum, & Eccleſia determinavit tempus Paſchatis ad implendum hoc præceptum. Qui tunc, vel in articulo mortis communicat in peccato mortali, committit duo peccato: alterum omiſſionis, quia non ſatisfecit præcepto communicandi per verum actum Religionis: alterum commiſſionis, quia communicavit ſacrilegè. Officium eſt Confeſſoris pœnitentem ſe accuſantem, quòd in peccato mortali communicaverit, interrogare, an id contigerit in Paſchate, ut ſciat ſpeciem, & numerum peccati. Ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 7. illud præ aliis eſt ſpeciale in ſacramento Euchariſtiæ, quòd conſcius peccati mortalis, nequit communicare, niſi anteà confiteatur; & hoc, etiamſi ſit Sacerdos, etiamſi ſibi perfectiſſimè videatur contritus. Poterit cum hac contritione Sacerdos celebrare, ſi neceſſitas urgeat, & copia deſit Confeſſoris; in quo caſu quam primùm poterit, ſub mortali tenebitur confiteri, ad minùs infrà duos, vel tres dies. Reliqua ſacramenta non præexigunt ſub mortali confeſſionem; quòd ideò noto, Confeſſor damnet peccati pœnitentem, ubi non peccat; cæterum ante omnia ſacramenta commendabitur ſemper confeſſio, cùm difficillima ſit contritio perfecta. Noſtris temporibus, quia communio eſt frequentiſſima, Confeſſor monebit pœnitentem, quòd ad percipiendum proprium Euchariſtiæ fructum, non ſufficit communicare ſine peccato mortali. Duplex eſt Euchariſtiæ effectus, gratia ſanctificans; at hic eſt communis omni ſacramento, & actualis refectio ſpiritus juxtà dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 11. num. 21. Si quis communicaret purus à culpâ mortali, ſed ſine actuali devotione, non perciperet hunc ſecundum fructum: Quo ne careant Pœnitentes, Confeſſor leget decretum Sacræ Congregationis Concilii circà communionem quotidianam editum de anno 1679., curabitque juxtà illud procedere: ſed & plurimùm proderit ſemper habere doctrinam Catechiſmi part. 2. cap. 4. cum articulis 10. & 11. S. Thomæ 3. part. quæſt. 80., apud quem tota Theologia de hoc Venerabili Sacramento continetur 3. part. à quæſt. 73. ad 84.

6. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis ſit ſuſcipere ſacramentum Pœnitentiæ?

M. Non eſt, cur aliquid particulare addatur, quando totum opus eò tendit, ut ſuſcipiatur, & adminiſtretur dignè hoc ſacramentum.

7. D. quid requiritur, ut verus actus Religionis ſit ſuſcipere ſacramentum Extremæ Unctionis?

M. Neque obligamur ſub mortali ſuſcipere hoc ſacramentum. Pro rectâ illius adminiſtratione, & ſuſceptione videatur Rituale. Omnem circà illud doctrinam Catholicam tradit Catechiſmus p. 2. c. 6. Theologicè verò S. Thomas ſuppl. quæſt. 29. ad 34.

8. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis ſit ſuſcipere ſacramentum Ordinis?

M. Ad hoc jam fuit edita *Inſtructio pro ordinandis*, in quâ incipiendo à primâ Tonſurâ, deinde actum diffusè fuit de ſingulis ordinibus, prout ſpectat ad diſciplinam præſentis Eccleſiæ. Confeſſor illam conſulat, & nihil fortè ultrà deſiderabit ad exercendum ſuum triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris, vel cum ordinandis, vel cum ordinatis, juxtà monitiones ibi traditas.

9. D. Quid requiritur, ut verus actus Religionis ſit ſuſcipere ſacramentum Matrimonii?

M. Nullus particularis obligatur contrahere; ſed ſi contrahit, tenetur facere ſacramentum, cujus ratio, quia fundatur in contractu civili, propterea tractabitur, ubi de virtute Caſtitatis. Interim videatur Rituale, Catechiſmus part. 2. cap. 8. & Theologicè S. Thomas ſuppl. quæſt. 41. ad 69.

10. D. Poſſumusne excuſari à mortali ex parvitate materiæ in conficiendis, ſeù recipiendis ſacramentis?

M. Aliquid requiritur ad validè conficiendum, & aliud ad licitè conficiendum, vel recipiendum. In primo parvitas materiæ non excuſat: ſacramentum enim conſiſtit in indiviſibili (formaliter loquendo) quare ſi aliquid minimum prætermittitur de requiſitis ad valorem, totum ſacramentum eſt irritum. Ut licitè recipiatur, vel conferatur, debet eſſe in gratiâ, qui confert, vel recipit ſacramenta vivorum: qui autem recipit ſacramenta mortuorum

tuorum debet ſufficienter eſſe diſpoſitus: & uterque ſi voluntarie deficiat in minimâ diſpoſitione à Chriſto præſcriptâ, jam exponit ſacramenta nullitati, & graviter peccat.

11. D. Quia Religio habet aſſumere ſacramenta, vellem ſcire, utrùm etiam actus Religionis ſit ſumere ſacramentalia?

M. Utique Religionis actus eſt ſumere ſacramentalia, quæ in *Inſtructione pro ordinandis* c. 34. n. 17. dictum eſt eſſe quinque, ſcilicet: primò: *Aqua benedicta*: ſecundò: *Panis benedictus*: tertiò: *benedictio Epiſcopalis*: quartò. *oratio facta in Eccleſia conſecrata*: quintò: *Unctiones adhibitæ ex inſtituto Eccleſiæ in quibuſdam ſacramentis*. Hæ non ſunt ſacramenta, quia nec inſtituta à Chriſto, nec ſanctificantia ex opere operato; ſed inſtituta ab Eccleſia tollunt maculam culpæ venialis, ubi ſumantur ex reverentia in matrem Eccleſiam, cum aliqua diſplicentia hujuſmodi peccatorum. Nemo ſub mortali obligatur illa ſuſcipere; quare ſuper hos actus non eſt neceſſaria Confeſſori ſpecialis inſtructio.

12. D. Adſuntnè propoſitiones prohibitæ circà ſumptionem ſacramentorum?

M. Sacramenta in genere directè tangunt prima, & vigeſima nona Innocentii XI. Sacramentum Pœnitentiæ ſimul & Euchariſtiæ 56. ejuſdem. Præceptum annuæ confeſſionis 13. Alexandri VII.; Præceptum annuæ communionis 55. Innocentii XI. Communionis præparationem, & gratiarum actionem 32. inter propoſitiones Molinos. Circa præceptum verò Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti adſunt 38. & 39. Alexandri VII.

13. D. Adſunt nè cenſuræ vel pœnæ Eccleſiaſticæ contra omittentes ſumere ſacramenta?

M. Dictum eſt ſub mortali Chriſtianum obligari ſolum ad tria. Omittenti baptiſmum Eccleſia nullam poteſt imponere pœnam, quia nondùm eſt ſubditus. Omittentibus confeſſionem, & communionem pœnæ inſinuatæ ſunt part. 1., cap. 8. num. 6.

14. D. Quas pœnitentias Confeſſor imponet omittenti ſuſcipere hæc ſacramenta?

M. Ex Rituali adducto part. 1, cap. 5. num. 23. habes, quòd utiliſſimum ſit conſulere frequentiorem uſum. Porrò in Catechiſmo part. 2. cap. 4. num. 60. & 61. nec non cap. 5. num. 54. habet Confeſſor motiva, qui bus poſſit excitare pœnitentem ad frequentiorem uſum utriuſque ſacramenti.

CAPUT XXX.

De Actibus externis Religionis, quibus aſſumitur nomen divinum.

1. Enunciatis actibus, quibus Religio aſſumit res divinas, regredior ad S. Thomam examinantem actus externos, quibus Religio aſſumit nomen divinum; & ſunt in triplici genere: nam primò aſſumit nomen divinum ad confirmandum propria verba: hic dicitur Juramentum: ſecundò aſſumit nomen divinum, ut inducat alios; hic dicitur Adjuratio: tertiò: aſſumit ad invocandum, ſeù laudandum: hic dicitur Oratio vocalis, ſeù laus Dei. Quia de hoc dictum eſt ſufficienter c. 30. reſtat agere ſolum de primo, & ſecundo.

2. D. Quid eſt Juramentum?

M. Eſt invocatio divini nominis ad confirmandum aliquid: Homo quia rationes non poteſt probare ſua dicta, vel facta, ut ea probet alteri, neceſſe habet inducere teſtimonium ejus, qui neque poteſt decipere, neque decipi, quando non creditur ſimplici ſuæ aſſertioni: Juramentum, utpotè invocatio divini nominis, eſt actus Religionis uſurpatus ab ipſo Deo: dicitur enim Pſ. 109. *Juravit Dominus & non pœnitebit eum*: In ſcholis, & ubicunque probationes adducimus, ideò adducimus, quia diſcipulus, & auditor non percipit ex ipſis terminis propoſitionem; hinc prima principia non probantur, nec quod ex ſe apparet evidenter; quare probatio inducitur, ut audienti conſtet, quod ſine probatione ſufficienter non conſtet. Atque ita juramus: quòd enim audiens non ſufficienter agnoſcit nos dicere verum, inducimus Deum in teſtimonium, volentes exprimere noſtrum dictum eſſe credendum ut verum, quia Deus teſtis eſt veritatis ipſius. Igitur neceſſitas jurandi provenit, ut medeamur defectui audientis, qui alias non crederet: quare juramentum

eſt

eſt medicina inſtituta medendo increduli-tatis morbo; & ita tùnc ſolùm eſt eligendum, quando inſtat neceſſitas medendi huic morbo; etiam ſi ſit actus Religionis; etenim cujus libet virtutis actus exercendus eſt juxtà ſuam inſtitutionem. S. Thomas q. 89. a. 1 2.4. & 5.

3. D. Qui ſunt comites, ſeù conditiones juramenti?

M. Juramentum ut omni ex parte ſit licitum, debet habere tres conditiones, veritatem, juſtitiam, & judicium: Veritas in eo conſiſtit, quòd res, de qua juratur, ſit talis in mente, qualis affirmatur eſſe per verba: v.g. juro Petrum abſolutè eſſe in plateà: Debeo in mente ita abſolutè tenere, ut affirmo: quòd ſi verè non ſit in plateà, ſed ego ita firmiter credo, juramentum erit falſum materialiter, ſed verum formaliter, & per conſequens non peccaminoſum: è contra ſi verè ſit in plateà, tùnc eſt verum materialiter: & falſum formaliter, per conſequans peccaminoſum. Juro me daturum Petro pecuniam, debeo interiùs habere, quòd verba ſignificat, nempè, intentionem dandi, cum juro. Si deſit hæc intentio, quamvis poſteà dem, caret veritate juramentum. Juſtitia juramenti conſiſtit in eo, quòd res, quæ promittitur, non ſit illicita; & ita pertinet ad juramentum promiſſorium. Judicium conſiſtit in eo, quòd juretur cum prudentià; & ſi quidem deficiat hæc ſola conditio, juramentum ex ſuo genere non eſt mortale peccatum; ſed ſi deficiat prima, vel ſecunda, erit ex ſuo genere peccatum mortale. S. Thomas a. 3.

4. D. Excuſaturnè à mortali, ex parvitate materiæ.

M. In juramento aſſertorio, quamvis jurem, quòd formica currit, ſi taliter non eſt in meà mente, committo peccatum mortale, nec excuſat parvitas materiæ, imò videtur major irreverentia, vocare Deum ex joco in teſtem mendacii levis. Vide 24. & 25. propoſitionem Innocentii XI. In aliis juramentis conſideratur duplex veritas, alia de præſenti; alia de futuro; Veritas de præſenti conſiſtit intentione faciendi, quòd juratur; & quia in hoc æquivalet aſſertorio, non excuſat parvitas materiæ: Secunda veritas conſiſtit in executione, ut exequamur ſuo tempore, quod promiſimus: quare ſi jurans promitto nucem, non habens intentionem dandi, pecco mortaliter: ſi verò habens intentionem dandi, non dem, pecco venialter ex parvitate materiæ. In juſtitià parvitas materiæ excuſat v.g. juro me dicturum leve mendacium, ſi non habeo intentionem dicendi, pecco mortaliter, deficiente prima veritate: ſi habeo intentionem dicendi, ex parvitate materiæ, pecco venialiter contra juſtitiam juramenti.

5. D. Poteſtnè adhiberi mentalis reſtrictio in juramento, v.g. interrogor coram pluribus, an Petrus ſit fur, & ego vidi furantem, ſed ne infametur apud illos, juro: *Neſcio Petrum eſſe furem*, & in mente retineo hoc additum *ad dicendum vobis*?

M. Innocentius XI. propoſ. 26. damnavit omnem reſtrictionem mentalem in juramento; & optimè: res enim debet eſſe in mente, qualiter per verba ſignificatur ei, quem loquimur: Verba prædicta ſimpliciter prolata ſignificat me abſolutè neſcire, quòd Petrus ſit fur: quare mentior, ſi reſtringo in mente ſignificatum illorum.

6. D. Quid dicendum ad hunc caſum: *Juro me daturum Petro denarios*; ille tamen intelligit argenteos: ego autem cartaceos?

M. S. Thomas a. 7. ad 4. ex ſacris Canonibus reſpondet cum diſtinctione: ſi ego juravi ſimpliciter, & ſine dolo, tùnc obligor juxta meam intentionem: ſi doloſè juravi, obligor juxta intentionem Petri: v.g. ſimpliciter diſſerendo de aleis, Petrus petiit à me denarios, & ego credens ſermonem eſſe de cartaceis, juravi me daturum denarios; eſtò ille prætendat vocem *denarii* accipiendam eſſe in proprio ſenſu, tamen quia ego ſimpliciter proceſſi; & ille per dolum, teneor tantùm ad denarios per metaphoram taliter dictos. At ſi loquendo de veris denariis, ego juro intendens dare cartaceos, teneor juxta intentionem Petri, quia ille procedit ſimpliciter, & ego per dolum.

7. D. Licetnè jurare per creaturas?

M. Fides innititur Deo revelanti, & juramentum Deo atteſtanti. Porrò fides aſſumit credendum aliquod creatum, dummodò in eis relucеat, ut ratio formalis, divina revelatio: & ita juramentum aſſumit aliquod creatum, ſub ratione formali, quia in illo manifeſtatur veritas divina. Sic juramus per Evangelium, per caput noſtrum, per filios, per animam, per conſcien-

ſcientiam noſtram; per Evangelium, ut continens veritates divinas: per animam, vel per conſcientiam, ut nobis dictat veritates à Deo habitas: per caput, vel per filios (in juramento execratorio) ut in illis volumus exerceri veritatem divini judicii: quando autem prohibentur juramenta per creaturas, prohibentur, niſi referantur in Deum. S. Thomas art. 6. Sed dùm dico per animam, per conſcientiam, per fidem meam &c. non intelliguntur hæc communiter, ut ſunt aliquid Dei, ideò tùnc non eſt juramentum; ſi non intelligatur fides Theologica, ſed fides, vel conſcientia hominis &c.

8. D. Quotuplex eſt Juramentum?

M. Species juramenti ſunt quatuor: Primum eſt aſſertorium, quando juratur aliquid præteritum, vel præſens: v. g. *Per Deum Petrus currit*: Secundum eſt Promiſſorum v. g. *Juro me tibi daturum pecuniam*: Tertium comminatorium v. g. *Per Deum te occidam, niſi feceris hoc*. Quartum eſt Execratorium, v. g. *Deus me occidat, ſi hoc eſt falſum*. S. Thomas art. 1. in c. & ad 3.

9. D. Juramentum promiſſorium obligatne ad ſervandum, quod juratur?

M. Ex n. 4. quodcunque juramentum debet habere primam veritatem; & ita in promiſſorio debet eſſe intentio faciendi, quod promittitur, adeò ut ſi jurem me occiſurum, nec habeam animum occidendi, peccem mortaliter contra primam veritatem juramenti (Notâ tamen, quòd ſi habeo intentionem occidendi, tùnc juramento non deeſt veritas, ſed juſtitia, quia fuit de re illicitâ; & prætereà eſt aliud peccatum odii, quia volo malum proximo, & matres perſępè comminantes juramento comminatorio mortem filiis, ulteriùs peccant contra virtutem pietatis, & in qualibet ſpecie tot numero peccata committunt, quot ſunt filii) Præter hanc primam veritatem, in quolibet promiſſorio requiritur, ut ego exquar, quod promiſi (hæc eſt ſecunda veritas) etenim ex regulâ generali juramentum eſt ſervandum, niſi ſit vinculum iniquitatis, vel niſi vergat in deteriorem exitum: Explicandæ ſunt hæ particulæ: dicitur *vinculum iniquitatis*, quando eſt peccatum, quod juratur fieri: & tùnc peccatur, tàm promittendo, quam exequendo; & debet eſſe peccatum reſpectu ejus, qui jurat, non reſpectu ejus, cui juratur. Ideò dictum eſt c. 29. n. 15. quòd jurans ſolvere uſuras tenetur, quia peccatum eſt accipere, non ſolvere uſuras. Item jurans graſſatori, mittere centum aureos, cum erit in patria, tenetur, quia mittere centum non eſt peccatum, licèt graſſator accipiens peccet. Si tamen eidem graſſatori juraret, quòd rediens ipſum non revelabit, tunc non tenetur, quia eſt contra juſtitiam legalem. S. Thomas a. 7. ad 3. Dicitur etiam vinculum iniquitatis, quando juramentum eſt impeditivum majoris boni, v. g. *juro me non intraturum Religionem*. Sed pecco in hoc caſu tantùm jurando, non pecco obſervando, licèt meliùs faciam non ſervando. Excipe juramenta non intrandi Religionem, quæ fiunt Romæ in quibuſdam Collegiis ab alumnis ordinandis in titulum Miſſionis: De his enim utpotè factis ad conſervandos Miſſionarios in prædictis partibus, differendum eſt, ut cap. 32. num. 2. de voto matrimonii &c.

10. D. Poſſumnè jurare ſine animo jurandi, vel promittendi, vel exequendi promiſſa?

M. Jurare ſine animo jurandi eſt damnatum ab Innocentio XI. prop. 25. Secundam, & tertiam intentionem affert ſecum ratio promiſſi, adeò ut ad verificanda in communi acceptione verba hæc: *Per Deum cras tibi dabo centum*, requirantur indiviſibiliter prædictæ tres intentiones: quare jurans abſque aliqua illarum, mentitur: habet enim in mente aliud, quam hic, & nùnc verba ſignificent.

11. D. Multi Canones videntur aſſerere, quòd aliquando non ſit obligatio ſervandi juramentum: v. g. Petrus juravit ſe nupturum Mariæ: ſi hæc deindè adulteretur, Petrus non obligatur ſervare juramentum?

M. S. Thomas a. 7. ad 2. affert rationem, quia de novo emergit aliquid impræmeditatum: C. 32. n. 2. dictum eſt, qnod promiſſio, & votum ſupponit deliberationem voluntatis, quæ non fertur in incognitum, ſeù in præmeditatum: In tali caſu Petrus non prævidit adulterium, & per conſequens non ſe obligavit ad nubendum cùm adultera. Conſiderà Canones in particulari; & videbis tùnc ſolum deobligare jurantem, quando ſupervenit aliquid impræmeditatum; quòd ſi à principio, potuiſſet ſciri, vel nullatenùs fuiſſet juratum, vel non

non cum illis tantùm conditionibus. Alias juramentum obligat.

12. D. Obligamurnè aliquando jurare, adeòut peccemus omittendo juramentum?

M. Ex natura rei non obligamur jurare, quia ex n. 2. juramentum eſt medicina, ſeù medium; quare per ſe non obligat, juxta dicta p. 1. c. 34. n. 6. obligat ſolùm, quando ſine juramento non poſset ſervari charitas; quare tenemur jurare, ubi obligant leges, vel præceptum Superioris, vel ubi agitur de ſalvando Reo, juxta dicta c. 25. n. 7.

13. D. Poteſtnè quis relaxare juramenta?

M. Juramentum promiſsorium, de quo ſolùm poteſt quæri, ſi alias eſt de re non illicitâ, obligat; ſed tamen ſi eſt in favorem tertii, poteſt relaxari ab eo, in cujus favorem fuit juratum. Si ſolùm juravi opus pium, quod ſit in honorem Dei, tùnc licèt fiat in manus tertii, quia verè non eſt in favorem tertii, non poterit ille diſpenſare, ſed tùnc diſpenſatur, uti dictum eſt de voto c. 32. n. 8. cum hac ſolum differentia, quòd irritatio voti ſpectat ad ſolam poteſtatem Patris, & Domini; Irritatio juramenti ſpectat etiam ad Principes, ut juramentum tangit gubernium Reipublicæ; ſecundò Epiſcopi poſsunt ſecundum jura diſpenſare aliqua vota, ſed non juramenta, niſi in dubio, quòd ſervare juramentum hìc, & nunc ſit proficuum, vel nocivum. Juriſdictio ampliſſima ſuper juramentis eſt ſolius Romani Pontificis. Ut autem in praxi ſuper his te dirigas, lege dicta de voto c. 32. n. 8.

14. D. Explicà ſecundum actum Religionis, quo aſsumitur nomen divinum?

M. Secundus iſte actus dicitur *Adjuratio*: Poteſt homo ſeipſum efficaciter ordinare ad aliquid agendum; & ſi quidem ita ſe ordinet invocando nomen divinum, eſt juramentum promiſsorium: Alios poteſt quidem ordinare, ſed non efficaciter, niſi ſint ſubditi, & ſubditos quidem ordinat efficaciter, compellendo per imperium: At non ſubditos ordinat deprecando, ita tamen, quòd non ſint obligati facere id, ad quod ordinamus illos. Igitur cum aſsumimus nomen divinum, ut efficacius aliquid imperemus ſubditis, vel deprecemur à non ſubditis, eſt *Adjuratio*. Hæc eſt differentia inter Juramentum, & Adjurationem. In reliquis conveniunt, ut neuter actus imprudenter frequentetur, ut non ſint de ſe illicita, ut adſit intentio, ut uterque ſit medicina, ut, quoad intentionem, non excuſet materiæ parvitas &c.

15. D. Ex dictis apparet duplicem eſse modum, ſeu ſpeciem adjurandi, vellem ſcire, an utroque poſſim uti in quemlibet?

M. Unuſquiſque adjurandus eſt juxta modum ſibi convenientem: quare pecco, ſi adjuro non ſubditum, compellendo: E contra pecco, ſi adjuro dæmones deprecando; & etiam pecco compellens eoſdem, ſi compello, ut obtineam, vel addiſcam aliquid: hoc enim eſt habere ſocietatem cum illis: Igitur ſolum adjurari poſsunt per exorciſmos &c. ut à nobis repellantur. Irrationalia non poſsunt à nobis adjurari, ſpectata ſecundum ſe, quia moventur, non ſe movent ad finem. Si conſiderentur ut mota à Deo, ſic adjurantur, deprecando Deum, à Sanctis, qui faciunt miracula: ſi ut mota à dæmone, adjurentur ut dæmones. S. Thomas q. 90.

16. D. Adſuntnè Theſes prohibitæ circa hos actus, quibus aſsumitur nomen divinum?

M. Circa juramentum extant 24. 25. & 26. Innoc. XI.

CAPUT XXXVI.

De peccatis per exceſſum contrariè oppoſitis Religioni.

1. REligio virtus moralis: habet peccata contrariè oppoſita, per exceſſum, & defectum. S. Th. à q. 92. ad 97. examinat oppoſita per exceſſum, cujus veſtigia gradiens noto non excedi in vero cultu Dei, ſed in eo, quòd cultus verus Dei tribuatur creaturæ, aut tribuatur Deo cultus, ab Eccleſia prohibitus: ut ſi Sacerdos vellet genuflectere in miſſa centies contra Rubricam &c.

2. D. Genus hoc quomodo vocatur?

M. Nomine generico vocatur ſuperſtitio. Hæc dividitur in duas ſpecies ſubalternas: prima dat cultum vero Deo, ſed modo indebito, ſeu prohibito ab Eccleſia, lege, vel conſuetudine. Hujus ſpecies infimas non enumerat S. Thomas, quia poſſunt eſse infinitæ, ſed ſolùm q. 93. a.

2. po-

2. ponit hanc regulam generalem ex Auguſt. Cenſetur ſuperſtitioſus omnis cultus exhibitus Deo exteriùs, qui non pertinet ad Dei gloriam, vel quo mens hominis non fertur in Deum, vel quo non frænantur moderatè paſſiones, vel quem Eccleſia prohibuit lege, aut conſuetudine. Hinc videt quòd ſpecies infimæ ſunt infinitæ: Quare in praxi, accuſantem genus hoc, interroga, in quo conſiſtat ſuperſtitio: Pœnitens explicet modum, actum, & cultum in particulari. Satiùs eſt, ut abundet, quàm deficiat in dicendo peccatum, nec agis contra Rituale prohibens p. 1. c. 7. n. 20. detinere quenquam *curioſis*, *aut inutilibus quæſtionibus*: quia nec curioſè, nec inutiliter quæro, quod confert ad medendam conſcientiam, excepta materia luxuriæ, in qua (ex Catechiſmo p. 3. c. 7. n. 1.) explicanda Parocho, & Confeſsori deſideranda potiùs eſt ſermonis moderatio, quam copia. Vide in *Inſtr. Cl.* c. 9. n. 30. Secunda ſpecies ſubalterna ſuperſtitionis dat creaturis cultum, qui debetur Deo. Ad primam pertinent externi actus Hæbraiſmus, ut c. 4. n. 2. Ad ſecundam externi actus Paganiſmi; ibidem. Hæc ſecunda dicitur Idololatria, cujus S. Thom. q. 94. a. 1. plures aſſignat ſpecies. Quas vide apud illum. Qui crederet divinitatem in creaturis, vel creaturam dignam honore divino, eſset peccatum infidelitatis; peccaret contra Religionem, qui non credens id, exerceret tamen aliquem actum Religionis in cultum creaturæ, & eſſet idololatria; in qua tot erunt peccata ſpecie diverſa, quot Latriæ actus ſpecie diverſos enumeravi, ut ſi creaturæ ſacrificet offerat promittat per votum, ſi juret in nomine illius principaliter &c. S. Thomas quæſt. 94.

3. D. Quomodo ſe habet divinatio ad Idololatriam?

M. Sicut oratio eſt actus Religionis, ita divinatio Idololatriæ. Nota ex q. 85. art. 14. quòd poteſt eſse oratio, etiam ſi non invocemus Deum formaliter, ſed tantum virtualiter. Et ita demones invocantur formaliter, quando expreſse petuntur in auxilium, ſeu conſuluntur: Invocantur virtualiter, quando ad aliquid habendum, ſeu ſciendum, utimur facto, vel dicto inefficaci tam ex natura ſua, quam ex inſtitutione divina ad illud habendum, vel ſciendum: v. g. quis utitur ampullis aqua plenis ad refrigerandum; hoc non eſt divinatio, aqua enim habet refrigerare. Utitur ad baptiſmum, vel vino in Miſsa, nec eſt divinatio, quia inſtituta ſunt ad hoc à Chriſto. At ſi utar ampullis aqua plenis ad cognoſcendum furem, eſt invocatio dæmonis, non ſemper expreſsa, ſed ut plurimùm tacita; Virtutem oſtendendi furem non habeut ex ſui natura, neque ex inſtitutione divina (quod ſciremus per Eccleſiam,) neceſse eſt ineſse ex pacto dæmonum: Si utens profiteatur ſe nihil velle cum dæmone, eſt proteſtatio contra factum: ſicut qui proteſtatur nolle ſe occidere Petrum, & interim propinat venenum. Ita eſt proteſtatio contra factum, ſi ego ſciens, vel potens ſcire, quòd naturalis virtus aquæ, neque divina, extenditur ad oſtendendum furem volo uti, & verbis proteſtor me non convenire cum dæmone.

4. D. Explica magis hanc regulam?

M. Ut excludatur pactum tacitum cum dæmone, eſt neceſſarium unum ex duobus, aut quòd ex natura res habeat vim, aut ex inſtitutione divina, vel Eccleſiæ: Ex hujus inſtitutione vim habent ſacramentalia: ex divina ſacramenta habent efficaciam determinatam, ac certam ad effectus ſibi proprios, ut in *Inſtr. Cl.* Orationes ſunt utiliſſimæ, & omnia Religionis opera, v. g. accendere candelas in altari &c. ſed duo maximè cavenda ſunt; 1. ne exiſtimet omninò efficaces ad hunc determinatum effectum: ut qui utuntur Pſ. 119. ad manſuefaciendos canes, vel qui recitantes 90. credunt ſe omninò liberandos ab hoſtibus: Exc. 30. n. 16. Chriſtus promiſit nos infallibiliter exaudiendos, ſi petamus neceſſaria ad ſalutem; Utrum autem hic effectus, quem petimus, ſit nobis ita neceſſarius, ignotum eſt. Eccleſia à Spiritu Sancto directa inſtituit exorciſmos ad compeſcendos dæmones: tamen cum hoc nunquam credidit, nec vult credi, quod illis adhibitis compeſcentur dæmones: Ex occulto Dei judicio, cùm totis exorciſmis adhuc poteſt vexari miſer: Ubi ergo determinatus hic effectus per ſe ſequitur ex tali oratione, ad quem Eccleſia illam non determinavit, ſed imò prohibet per ſuos Miniſtros, effectus ille procedit ex pacto ſaltem tacito dæmonis. Adverte inſuper, quòd Chriſtus promittens exaudire preces etiam peccatoris, pro neceſſa-

riis

Digitized by Google

riis ad ſalutem, non determinavit numerum precum, ſed ſibi reſervavit, ut alium exaudiret citiùs, alium tardius. Hinc ſunt redarguenda, ut ſuperſtitioſa, ubi tot numero orationes exiguntur, tot numero candelæ ad Miſſam, ſi offerantur ex credulitate, quòd per illas nec plures, nec pauciores obtinebimus rem petitam, quæ præſertim eſt aliquid temporale, vel ſi etiam confidamus in orationibus, ut ſunt ſcriptæ, & appenſæ ad collum &c. Non eſt malum appendere ad collum, ſed malum eſt appendere cum tali credulitate; quæ poteſt eſse vana, & tantummodo veniale peccatum. In tali caſu Confeſsor debet acriter objurgare mulierculas frequentes in talibus. At ſi objurgatæ non deſiſtant, jam videntur velle pactum tacitum dæmonis.

5. D. Loquamur jam de rebus, ut habent vim naturalem?

M. Hæc efficacia, ineſt rei ad aliquem effectum, non modo ex principiis intrinſecis naturæ propriæ, ſed etiam ex motiotione naturæ univerſalis, aut corporum cęleſtium: natura enim particularis aliquando tendit ad unum effectum, & univerſalis tendit ad contrarium. Aquæ natura particularis tendit deorſum; ſed inſtinctu naturæ univerſalis habet tendere ſurſum ad impediendum vacuum; Magnes ex vi cęleſtium corporum habet verti ad polum: Aliquæ aves garritu portendunt pluviam, vel ſerenitatem ex influxu cœlorum. Notat tamen Sant. Th. quod celi imprimunt in hæc animalia, quòd facit ad conſervationem illorum, ut eſt pluvia, ſerenitas &c. In reliquis non imprimunt: quare illa, poterunt argui ex animalibus; at non quæ faciunt ad vitam hominis, vel actiones liberas; quare ſi quid circa iſtas ſignificant, erit ex pacto dæmonis. Ex conſtellationibus aliquæ herbæ accipiunt majorem vim; hinc fortè non erit ſuperſtitioſum illas colligere in nocte Sant. Joann. dummodò deſit omnis alia ſuperſtitio, & virtus tribuatur non Sancto, ſed ſtellis, quæ tunc ita influant, quod docti examinent: Non ita de ovo Aſcenſionis; nam hæc eſt feſtum Mobile, non ſemper cadens ſub iiſdem ſtellis, quare iſtis ſtellis tribui nequit vis. Nota, quod tendit ad unum, natura particularis, & univerſalis cęleſtium: quarè ſi ex hac terra per hanc radicem ex hac conſtellatione, non ſemper naſcitur herba ejuſdem virtutis, illa virtus non eſt tribuenda naturæ, ſed voluntati; & cum nullo fundamento tribui poſſit divinæ, tribuenda erit voluntati dæmonis. Etiam voluntati tribuenda eſt vis omnis imaginum artificiatarum, ut quòd tali moneta, ſignetur eryſipellis, & non alia: Vis verborum, præſertim Hæbraicorum &c. Nec figuræ artificiales, nec verba ex natura ſua habent hanc vim, ſed neque ex impreſſione corporum cęleſtium. Quæ omnia videbis deducta ex Angelico hic, ſi attentè legeris. Habens hanc doctrinam ante oculos ſaltem in confuſo, ubi caſus, contigant, in nonnullis non ita gravibus, & circa quæ multùm poteſt errare ſimplicitas, muliercularum, 1. acriter objurgabit, cogetque deſiſtere. Ubi clarè apparet ſuperſtitio, meminerit Edictum S. Inquiſit. Ubi vis eſt in verbis, & figuris artificatis, damnabit ſtatim, etiamſi verba ſint plena pietatis: Ubi agitur de herbis; & lapidibus, cautior erit, & conſulet doctiores, prohibendo interim, ne quid exerceat ante conſilium. Ubi fundatus timor eſt ſuperſtitionis, recurret ad Inquiſitores.

6. D. Quæ ſunt ſpecies divinationis?

M. Cum expreſſa invocatione dæmonum, ſunt ſequentes: prima *præſtigium*, quando apparet aliquis oculis alterius, ut quam hic in Urbe vocant communiter *Ampboram*, ſecunda *Nicromantia*, quando apparent mortui: Tertia, quando petitur à dæmone, ut in ſomnis appareat, hæc vocatur *divinatio ſomniorum*: quarta, quando volumus audire dæmones per homines arreptitios; *Divinatio per Pythones*: Quinta, quando curamus à dæmonibus cognoſcere aliquid per figuras, alicujus corporis groſſi, ut terra, lapis, lignum &c. *Geomantia*; Sexta, quando hæc volumus ſcire per aquam, *Hydromantia*: Septima per aerem: *Aeromantia*. Octava per ignem *Pyromantia*. Nona per viſcera animalium ſacrificatorum *Aruſpicium*. Fortè non deerunt aliæ: has enumeat Sant. Thom. quæſt. 95. art. 3. Hæc peccata tribui non poſſunt vanitati, & ſimplicitati; quare in Diœceſi,

ceſi, ubi reſervantur Epiſcopo, ſtatim dimitte pœnitentem ad Superiorem. In Urbe non ſunt reſervata, niſi cum actu externo conjungatur error mentis contra fidem; At ex cap. 5. num. 5. oſtendes, quàm rigorosè puniantur apud S. Tribunal, etiam in eo, qui de illis fuerit ſacramentaliter abſolutus, ubi denuntietur; quarè ante abſolutionem induc, ut quantocyus compareat ſpontaneus, & in praxi vide, num verè pœnitens dici poſſit, qui redditus ſuſpectus de fide, reniteretur comparere ſpontaneus, & compenſare tanta ſcelera humiliatione tàm ſalubri animæ, & corpori.

6. D. Quot ſunt ſpecies divinationis cum pacto tacito?

M. Aliud genus eſt, quo conſideramus motum aliarum rerùm; aliud, quando nos ipſi aliquid facimus. Sanctus Thomas quæſtione 95. art. 3.

8. D Quid eſt primum genus?

M. Eſt divinatio per aſtra: diſtingue, quando ſit divinatio, peccatum; & quando Aſtrologia, virtus intellectualis. Ex aſtris licitè cognoſcimus effectus neceſſarios in ipſo cœlo v. gr. Eclypſes. Item pluvias in aere; tempeſtates in mari, ſiccitatem in terra, & reliquos effectus, qui vel pendent à ſolo cœlo, vel à cœlo, & aliis concauſis particularibus neceſſariis, v. gr. quoad ubertatem terræ poterit præcognoſci dominari hoc anno talem conſtellationem, quæ plurimùm confert ubertati: cæterùm, quia ſeminare pendet à voluntate hominis, non poteſt abſolutè dici, quòd talis terra fructificabit, ſed ſolùm in univerſali, quòd terra fructificabit; & hoc non neceſſariò, ſed quatenùs, ut plurimum, homines habent colere terram. Hoc idem in univerſali, & eodem modo poteſt præcognoſci de bellis &c. quatenùs conſtellationes hujus anni habent inclinare ad bellum, vel ita moderari complexionem naſcituri, ut inclinet ad aliquid particulare &c. Eſt etiam expreſſus textus Sanctus Thomas lib. 2. de gen. & corrupt. lect. 10. quòd ſciens punctum, nativitatis alicujus, poteſt ſcire punctum mortis, quantùm importat circulatio cœlorum, quatenus homo tunc natus ex vi ſyderum, habet complexionem robuſtam, ut poſſit pertingere ad decem vel centum annos, ita tamen ut poſſit anteà mori ex caſu fortuitò, qui non ſubjacet ſtellis, v. gr. ex tegula fortuito cadente ſuper caput tranſeuntis, vel ex propria voluntate, ſi ſe interimat: vel ex nutrimento, quod aſſumit: nam poteſt cibis alterare ſuam complexionem ita, quòd vix poſſit pertingere ad octo, vel è contra roborare ita, quod pertingat ad centum. En verba, S. Doct. *Qui ſciret virtutes ſignorum, & ſtellarum in eis poſitarum. dum naſcitur res aliqua, cognoſceret, quantum eſt de influentia cęleſti, & poſſet pronoſticari de tota vita rei generatæ, licet hoc neceſſitatem non poneret, quia poteſt impediri per accidens.* Et 1. part. quæſt. 115. art. 4. ad 3. ita intelligit illud Ptolomæi, *Sapiens dominabitur aſtris:* Sciens anno proximo dominaturas ſtellas, quæ cauſabunt maximum calorem, adeò ut ſua complexio calidior non ſit reſiſtitura, prævenit, accipiens medicinalia refrigerativa, quibus temperat calorem propriæ complexionis, adeò, ut conjunctus calori ex cœlis cauſato, non habeat deſtrui proprium individuum Ex part. 1. cap. 33. num. 5. cęli ſunt cauſæ univerſales, non producentes effectum ex ſe ſolis, ſed attemperante ſuum influxum ad exigentiam cauſæ particularis, ideò ſub eodem cęli motu columba generat columbam, & Leo Leonem, juxta diſpoſitionem cauſæ particularis, cui conjungitur influxus cęlorum; & hinc apparet nulla ferè ſublunaria poſſe infallibiliter cognoſci ex aſtris: nam fere omnia applicantur per liberam hominis voluntatem; & ſic ſolùm poſſumus præcognoſcere ex aſtris, quòd ſi applicentur tales cauſæ, v. gr. ſi ſeminetur terra, erit ubertas: at certò nequit præcognoſci quòd homo ſeminabit. Neque certò poſſunt præcognoſci paſſiones hominum, eſtò in illas, utpotè ſenſitivas influant cæli. Conjecturari tamen aliqualiter poſſunt in multitudine aſſueta ſequi, non regulare paſſiones; & quia multitudo permittit voluntatem trahi à concupiſcentiis, ideò etiam in univerſali, ſed multò longiùs, poſſunt conjecturari actus intellectus, voluntatis, cum hoc tamen, quòd ſemper excipiatur libertas, &

multò magis gratia Dei. Si aliquando videantur Aſtrologi prædixiſse fortuitos eventus, quòd quis occidetur, vel actus intellectus, & voluntatis, quòd ille fiet Religioſus, vel nubet, notat ex S. Aug. S. Th. id fieri inſtinctu dæmonis, ut homo inducatur ad credendam hanc vim in ſtellis; & ſanè facillimum eſt dæmoni ſe immiſcere in his: etenim ex illuminatione Angeli boni, cognoſcit certò multa futura, etiam ſupernaturalia, & conjecturaliter ex ſua capacitate conſiderante diſpoſitionem hominis, quæ ſuo tempore inſtillat Mathematicis. Obſerva hæc omnia, interrogans in praxi pœnitentem, ut videre poſſit, num exceſserit. Invenies exceſſiſſe fac, ut num. 5.

9. D. Quæ divinatio eſt in conſiderando eventum rerum?

M. Eſt ſomniorum: Ex his 1. poſſumus conjecturare præterita: ſæpè enim ſomniamus, quæ antea cogitavimus: 2. Medici conjiciunt morbos futuros: quia in ſomno humores, qui abundant, ſunt cauſa ut repræſententur ſpecies ſibi ſimiles imaginationi; inde conjiciunt, ſi ſint mali humores in corpore. 3. natura in ſomno magis quieta eſt etiam magis apta recipere influxum naturæ univerſalis (ad directionem tantùm in ſuis operibus, ut n. 5. dictum eſt de animalibus) maximè, ſi paſſiones ſint moderatæ, ideò dicit Ariſtoteles caſtos eſſe magis aptos ad præcognoſcenda futura in ſomniis. Cajetanus, fatetur ſomniaſſe multa, quæ ſibi deinde acciderunt: tamen ſe nunquam credidiſſe; & optimè: nec enim ſcire poſſumus, an futurorum ſpecies excitentur à natura, Angelo, dæmone, an fuerint fortuitæ ſpecies, quibus habitis dæmon curet illa futura poni, ut ita nos decipiat &c. Certum eſt, quòd dæmon ingerit ſe, quantum poteſt. Optimùm igitur erit neque credere, neque diſcredere ſomniis; quæ portendunt nobis aliquid futurum (non aliis, niſi per ordinem ad nos) ſed præcavere prudenter. Præcavet prudenter, qui ſomnians in exeundo domũ die ſequenti fregiſſe crus, nec habens neceſſitatem exeundi, abſtinet. Imprudenter, ſi omitteret audire ſacrum præceptum, nolens exire in vim ſomnii, & non modò peccaret omittendo ſacrum, ſed et am ſibi perſuadendo, quòd caderet exiens. Peſſimè faciunt mulierculæ Januenſes, quæ ſub cervicali operosè apponunt nomina Nobilium, ut ex ſomniis præcognoſcant, qui ſorte ſint extrahendi. Objurga vanitatem, & credulitatem, eò magis, quò magis eludunt ſe ipſas de auxilio animarum purgantium. S. Thomas q. 95. a. 6.

10. D. Quæ eſt tertia divinatio in conſiderando motus rerum?

M. Omen, ſive augurium, quò obſervantur motus rerum, v.g. garritus avium, vel aliud factum hominis, ad inde prænunciandum aliquid nobis: Facta hominum, utpotè à libera voluntate pendentia malè accipiuntur in omen fauſtum, vel infauſtum facti diſperati. De motibus animalium n. 5. dictum eſt poſſe prænunciare tantùm ex inſtinctu ſuperiori, quæ poſſunt prodeſſe, vel obeſse ipſis v.g. pluviam, &c. S. Th. a. 7.

11. D. Eſtnè alia ſpecies divinationis?

M. Eſt quarta, per quam aliquid facimus, ut præcognoſcamus futura, diciturque divinatio ſortium. Eſt triplex: prima vocatur ſors diviſoria, qua utimur ad aliqua dividenda, ut honores, bona &c. Secunda, conſultoria. Utimur illa, ut videamus, quid ſit agendum, v.g. ex urna elicimus, utrum anno ſequenti debeamus ſeminare, vel non: Huc ſpectabat judicium ferii candentis, quod conſulebant, ut judicarent, quis eſset reus; & duellum, quo vincens judicabatur habere pro ſe juſtitiam. Tertia divinatoria; per quam volumus præcognoſcere, quid ſit futurum. Ex huc uſque dictis patet, quid ſentiendũ ſit de ſecunda, & tertia: Ut liceat prima, debet habere quatuor conditiones: 1. fiat cum neceſſitate: 2. cùm reventia Dei: 3: in urnam non mittatur aliquid ſacrum ab iis, qui in una apponunt proprium nomen extrahendum, & aliud ſignum in alia: 4. non utamur ſorte in Eccleſiaſticis. Has conditiones habet ſors publica Januenſium: eſt cum neceſſitate; ex pluribus enim eliguntur digniores; at quia hi adhùc ſunt multi, nec ita facilè eſt dijudicare quis ſit dignior, per ſortem extrahuntur ad gubernium, etiam de Sedis Apoſtolicæ conſenſu, ſine ullo ſigno ſacro in urna; cum reverentia Dei, adhibitis ſuper urnam Eccleſiæ benedictionibus. S. Th. art. 8.

12. Jam S. Th. procedit ad tertium genus;

nus : Religio habet colere Deum, ut ei reverentiam exhibeat: 2. ut inſtruatur, veluti ſpeculativè: 3. ut inſtruatur, veluti practicè in his, quæ debet agere. Superſtitio è contra 1. per Idololatriam exhibet reverentiam creaturæ: 2. per divinationes quærit inſtrui veluti ſpeculativè: 3. veluti practicè per vanam obſervantiam, quando, v.g. obſervat, num ſternutet, dum ſurgit è lecto, & ſi ſternutat, iterùm redit in lectum, timens eo diè infortunium. Sanctus Thomas quæſt. 96. enumerat quatuor ſpecies: prima eſt ars Magica: ſecunda ſcientia, per quam verbis, aut figuris artificiatis curamus ſanare infirmos: tertia, per quam obſervamus quædam vana, ut dirigamur, qualiter dictum eſt de ſternutatione: quarta: quando. v. gr. ut nos defendamus ab hoſtibus, appendimus ad collum verba ſacra, v. gr. Evangelium. Quid judicare debeas de pœnitente, qui nititur illis, in confuſo collige ex huc uſque dictis.

13. D. Omnia hæc ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Utique: cum his enim nequit ſervari charitas volens principaliter bonum Dei, nec amor ſi quod ſoli donetur, do alteri. Vide p. 1. c. 34. n. 6.

14. D. Ratione parvitatis materiæ poſſunt nè excuſari à mortali?

M. Quædam, excuſari poſſunt, ſi fiant ex ſimplicitate; nullatenus ex parvitate materiæ: nam graviſſimè offendo illum, qui habens aliquid ſibi proprium; data opera facio actionem, qua proteſtor illud, eſtò minimum, etiam eſſe in alio. Vide p. 1. c 36. n. 5.

15. D. Cum circa hæc nullæ adſint Theſes prohibitæ à modernis Pontificibus, ad eſt nè cenſura, vel ulla reſervatio?

M. Neque adſunt cenſuræ, neque reſervatio univerſalis, licèt in Diœceſi particulari ſoleant Epiſcopi reſervare omnem, vel plures ſuperſtitionis ſpecies: Lege Tabulam Reſervatorum: In Urbe nulla ſuperſtitio eſt reſervata, ſi deſit error intellectus; At eſtò illam in foro ſacramentali, quilibet poſſit abſolvere, graviſſimè punitur in foro judiciali ab Inquiſitoribus; Imò quilibet conſcius obligatur deferre reos ad S. Tribunal. Vide c. 6. art. n. 4.

16. D. Quas pœnitentias imponam?

M. Ut proportionatam pro qualitate peccati imponas, inquire, num fuerit ex iis, in quibus multi decipiuntur ex ſimplicitate, vel quæ committuntur ex vanitate, an dæmon fuerit invocatus tacitè, vel expreſsè: in hoc ſecundo caſu eſt ſumma malitia, & exigenda ſunt diuturna, & ſumma doloris indicia. Ubi agnoveris delictum ſpectare ad S. Tribunal, induc pœnitentem ad ſpontaneè comparendum, ut c. 5. num. 5. Et id cura ſuaviter, eſtò nullus adſit conſcius, qui poſſit deferre delictum: Hæc enim humiliatio, & confeſſio maximè frænabit à reincidentia.

CAPUT XXVII.

De peccatis externis per defectum contrariè oppoſitis Religioni.

1. DEvotioni, & Orationi actibus internis Religionis, ex Sancto Thoma quæſt. 97. art. 3. ad 2. contrariè per defectum opponitur Tentatio Dei: Circa oblationes decimarum, primitiarum, &c. diſtingue: ſi loquamur de jure percipiendi decimas, tollere hoc, præter injuſtitiam, eſt ſacrilegium, quia uſurpatur aliquod ſacrum, & ſpirituale. Sanctus Thomas quæſt. 87. art. 3. Si loquimur de impedientibus, ne ſolvantur decimæ, hoc eſt mera injuſtitia: nec enim violatur aliquid ſacrum: at ſi tollantur decimæ jam oblatæ, præter injuſtitiam, eſt ſacrilegium, quia jam ſunt aliquid ſacrum. Sanctus Thomas quæſt. 99. art. 7. Aliud peccatum poteſt eſſe circa res ſacras; Sic ergo novę actibus Religionis contrariè per defectum opponuntur tria genera peccatorum, Tentatio Dei, Sacrilegium, & Simonia. Dixi tria genera: quia ſacrilegium eſt genus amplum, de his tribus agit Sanctus Thomas quæſt. 97. ad 101.

2. D. Quid eſt Tentatio Dei?

M. Tentare eſt experimentum ſumere de aliquo; dicimur tentare equum, ſi experimentum ſumimus de illius velocitate. Sumitur experimentum, dictis, vel factis: vel formaliter, vel interpretativè.

Tentamus dictis, cum petimus, ut aliquid faciat merè ad videndum, an poſſit, vel velit facere. Tentamus factis, cum opere aliquo inducimus ad idem ex eodem motivo: hoc eſt etiam tentare formaliter. Tentamus interpretativè, quando, etiam ſi non habeamus hunc finem, tamen agimus, vel dicimus aliquid ad nihil aliud utile. Id apparet in dato equi exemplo: quem ſcimus currere velociter ob aliquam utilitatem, non dicimus tentare, aut probare equum; ſi currat ſine utilitate, concludimus, quòd probat equum, an ſciat, vel poſſit currere velociter. Sic ergo faceret opus tentativum Dei, qui vellet ſanari miraculosè, non adhibitis remediis naturalibus: nam utile non eſt ad Deum recurrere cauſam univerſalem, ut ex ſe ipſo faciat miraculose, quod fieri poteſt naturaliter. Eſt tunc defectus orationis: etenim ex cap 30. num. 16. potiſſima conditio ad bonam orationem eſt, ut ſit neceſſarium ad ſalutem, quod petitur. Apparet defectus religioſitatis, & irreverentia: nam illa actio in tali circumſtantia, utpotè Dei tentativa, eſt minus religioſa. Sancti miracula petebant ex inſtinctu ſpeciali, ob utilitatem Eccleſiæ. S. Th. quæſt. 97. a. 1. & 2.

3. D. Eſtnè ex ſuo genere peccatum mortale?

M. Utique: nam nequit ſervari charitas cum irreverentia in Deum. Vide part. 1. cap. 34. num. 6.

4. D. Ratione parvitatis materiæ poteſtnè excuſari à mortali?

M. Tentatio formalis nequit admittere parvitatem materiæ: imò major eſt irreverentia tentare Deum, ſi poſſit formicam occidere, quam ſi poſſit ſolem ſiſtere: Interpretativè deformitas conſiſtit in actione dante fundamentum ad ita interpretandum: quare ſi det fundamentum ſufficiens, etiam in parva materia, erit mortale; ſi magis, vel minùs; erit peccatum, graviùs, vel leviùs, ut tribuit fundamentum.

5. D. Tentatio Dei opponitur, Devotioni, & Orationi; quare erunt tentationes ſpecie diverſæ?

M. Ex Sanctos Thoma ſpecies peccati non deſumitur ex receſſu à termino, ſed ab acceſſu ad terminum: ſi deſumeretur à receſſu, omnia mortalia eſſent ejuſdem ſpeciei: nam omnia recadunt à Deo. Tentatio ſive recedat ab oratione, ſive à Devotione, non diverſificatur ſpecie, ſed quia habet irreverentiam in Deum; & ita erit explicanda actio irreverentialis, ut dat actui ſpeciem moralem: ſi v. gr. tentavi Deum circa poteſtatem, vel circa voluntatem &c. ſi circa dona gratuita, vel naturalia, ſi circa ſpiritualia, vel temporalia &c.

6. D. Quid eſt ſacrilegium, contrariè oppoſitum per defectum Religioni?

M. Eſt violatio, ſeù abuſus rei ſacræ, in eo, in quo eſt ſacra, ſeù pertinens ad religionem. Sacerdos ut habens votum caſtitatis, eſt aliquid ſacrum: ſi ſuratur, abutitur ſe ipſo, non tamen in eo, in quo eſt ſacer, ideò non committit ſacrilegium in furando, ſed in violando caſtitatem. Religioſus committit ſacrilegium in furando, quia per votum paupertatis, etiam in hoc eſt ſacratus Deo. Eſt genus, non ſpecies infima peccati: nam 1. ſicut ſunt diverſa ſpecies votum, & juramentum, ita ſacrilegia illis oppoſita; 2. in aſſumptione rerum divinarum diverſa ſunt ſpecies ſacramenta; ideò diverſa ſacrilegia ſingulis oppoſita: 3. in ſingulis ſacramentis habent inter ſe differentiam eſſentialem ſingulæ partes, conditiones, & diſpoſitiones, nempè, materia, & forma, quæ ſunt partes eſſentiales, etiam partes integrales ubi iſtæ concurrunt, Conditiones, v. gr. ſunt intentio ex parte conferentis, & recipientis, quando hic ſit adultus: Diſpoſitiones ſunt, quòd ſit baptizatus recipiens, quòd uterque ſit in gratia &c. Etiam eſſentialiter differunt conferens, & recipiens; quare diverſum ſpecie eſt ſacrilegium, quo confertur ſacramentum in peccato mortali, ab eo, quo recipitur: 4. ſi violantur perſonæ ſacræ, vide, in qua ſpecie ſint ſacræ: nam aliud eſt ſacrilegium occidentis ſacerdotem, aliud violantis caſtitatem, & in hoc etiam aliud eſt ſacrilegium agentis, aliud patientis in ſe violationem: Aliud eſt ſacrilegium violantis votum ſimplex, aliud violantis ſolemne &c. Circa res ſacras, divino cul-

tui

tui deputatas, aliud eſt ſacrilegium, quo quis abutitur Calice, aliud quo abutitur veſte ſacerdotali, aliud, quo abutitur templis &c. Circa oblationes, aliud eſt, quo quis violat ſacrificium, vel in toto, vel in parte (diſtinctum à ſacrilegio ſacerdotis indignè communicantis) à ſacrilegio violantis alias oblationes. Aliud eſt ſacrilegium uſurpantis jura, aliud tollentis bona. Vide, quàm ſit amplum ſacrilegii genus; interroga ſemper ſpeciem infimam. S. Th. q.99. a.3.

7. D. Eſtnè mortale ex ſuo genere?

M. Utique: ſi enim nequit ſervari charitas, cùm infertur injuria homini, multò minùs, cum infertur injuria Deo, rebuſque divinis, quarum injuria redundat in Deum, cujus ratione dicuntur ſacræ. Vide p.1.c.34.n 6.

8. D. Poteſtnè excuſari à mortali ex parvitate materiæ?

M. Per S. Thom. ad 2. ad 3. *Sacrilegium interdum inveniatur ſeparatum ab aliis peccatis ..... putà, ſi judex capiat aliquem de loco ſacro, quem in aliis locis licitè capere poſſet.* Idem dic, cùm in juramento, vel voto deficit prima veritas; cùm ſacramenta violantur, vel non apponendo partes, vel afferendo ad illa diſpoſitiones contrarias, eſtò ab Eccleſia tantùm ſint præceptæ, ut ſi quis celebraret, vel communicaret non jejunus. In iſtis nulla excuſat materiæ parvitas: Juriſdictio, licè ſe extendat ad plura, tamen in ſe, utpotè aliquid ſpirituale, eſt indiviſibilis: quarè vel violatur in toto, vel in nihilo. Sacramentum in ratione compoſiti eſt indiviſum: quarè vel totum ponitur, vel nihil. Diſpoſitiones neceſſariæ ſunt ad ſacramenti effectum, qui totaliter tollitur, ubi minima deeſt ex requiſitis. Eſtò enim Sacerdos ex induſtria biberit guttam aquæ per modum potus, totaliter impeditur gratia, effectus ſacramenti, & ita materiæ parvitas non excuſat. Aliquando ſacrilegium eſt circumſtantia mutans ſpeciem: tunc eſt duplex peccatum, & induit rationem primi, ſuper quo fundatur; ideò, ſi primum excuſatur ex parvitate materiæ, excuſatur, & ſacrilegium, verbi gratia, in caſtitate non excuſat materiæ parvitas laicum liberum; & ita neque excuſat Religioſum, qui graviter peccat etiam contra Religionem. In contractando rem alienam, materiæ parvitas excuſat: quare peccato ſacrilegii venialiter peccabit furans obolum in loco ſacro, vel Religioſus contra votum paupertatis, diſponens de obolo.

9. D. Perjurium non videtur ſacrilegium, quia S. Th. agit de illo diſtinctè q. 98.?

M. Id fecit, quia erant circa illud conſideranda ſpecialia. Circa illud c. 34. à n. 2. addo tantum ſequentia; Sanct. Thom. q.98. art. 2. ad 1. vocat perjurium æquè juramentum cui deficit veritas, ac cui deficit juſtitia: quare perjurium erit genus, & ſic interroga ſpeciem. Sed fuge quæſtiones de voce. Scito utrumque eſſe ſacrilegium, & ubi quis contra juſtitiam; cum animo faciendi, juravit illicitum, ſcito eſſe duplex peccatum: alterum contra juſtitiam juramenti; alterum contra virtutem, cui opponitur opus illicitum intentum: 2. jurans ſe facturum voluntatem alterius, intelligitur cum debita conditione, ſi *ſit licitum, & honeſtum, & portabile ſive moderatum*: S. Thom. art. 2. ad 3. quarè non obligat, niſi expreſsè intendat ſe obligare ad immoderatum, ut ſi quis intenderet ſe obligare ad nubendum fœminæ, quamvis eſſet adultera: ordinariè tamen quiſque jurat, ſecundum quod leges intelligunt: 3. ſi pater juret aliquid, filius non tenetur ex vi juramenti, adeòut ſit perjurus (licèt obligetur ex fidelitate quando promiſit) quia juramentum eſt actio perſonalis, non transfundens obligationem ex vi ſua ad hæredes, aut ſucceſſores. 4. jurans ſervare aliqua ſtatuta, intelligitur ſe obligare ad præſentia ex vi juramenti, quarè ſi violet promulgata poſt juramentum, non eſt perjurus. 5. jurans falſum ex lapſu linguæ, non advertens ad ſignificatum, *non videtur habere intentionem jurandi: & ideò à crimine perjurii excuſatur.* Sanctus Thom. art. 3. ad 2. dummodò non ſit ex habitu; nam tunc, niſi retractet habitum, voluntariè perſeverat in periculo proximo pejerandi: 6. qui ratione officii exigit ab aliis juramentum, non cooperatur peccato jurantis falſum, aut verum per falſos deos; qui verò exigit ſine neceſſitate, cooperatur: 7. jurans falſum, non in damnum alterius, eſt corrigendus juxtà ordinem Evangelicum. Sanctus Thom. ibidem ad 3.

10. D. Quid eſt Simonia, tertium peccatum per defectum contrariè oppoſitum Religioni?

M. Eſt *ſtudioſa*, ſeù deliberata *voluntas vendendi, vel emendi ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa*: Hæc ſunt invendibilia: nam comparari nequeunt temporalia ſpiritualibus, Gratis danda ſunt, quæ gratis accepta ſunt ab eo præſertim, qui non eſt dominus, ſed diſpenſator, & debet diſtribuere juxta merita. Caſuiſtæ multa diſputant ſuper hac materia, ego contentus ero innuere, quæ docet S. Thom. & addere, quæ poſtea jure poſitivo declarata ſunt.

11. D. Simonia eſt emptio, vel venditio: quare non eſt ſimonia permutare beneficia?

M. Nomine emptionis &c. *venit omnis contractus, non gratuitus*; quare nec tranſactio, nec permutatio fieri poteſt à partibus abſque periculo ſimoniæ: ſed Prælatus ex officio, & cum cauſa poteſt facere. S. Thom. quæſt. 100. art. 1. ad 5.

12. D. Poteſtnè accipi pecunia pro collatione ſacramenti?

M. Jure divino, cui nulla conſuetudo poteſt derogare, prohibemur accipere pecuniam, vel aliquid pecunia æſtimabile. Qui ex officio conferunt, poſſunt accipere aliquid, non in pretium, ſed in ſui ſuſtentationem juxta ordinationem, vel conſuetudinem approbatam Eccleſiæ. Sanctus Thomas art. 2. Super hoc eſt conſtitutio Innocentio XI. quam perpendes.

13. D. Abſque pecunia Sacerdos non vult baptizare?

M. Judica, ac ſi deficeret miniſter baptiſmi. At ſi velit vendere aquam, materia remota poteſt emi. S. Thom. art. 2. ad 1.

14. D. aliquando abſolvens ab excommunicatione exigit pecuniam?

M. Exigit ut pęnam S. Th. ad 3. & ex Trid. pęnas pecuniarias Epiſcopus debet applicare locis piis.

15 D. Poſſumnè ſolvere pecuniam, ut removeam, qui me volunt impedire à conſecutione Epiſcopatus?

M. Ante collationem non poſſum, quia per merita, non per pecuniam, debeo mihi præparare viam ad beneficia. Poſtquam per collationem habeo jus, ſi injuſtè impediar, poſſum redimere vexationem. Santus Thomas ad 6.

16. D. Accipitur pecunia pro matrimonio?

M. Accipitur dos, ut eſt contractus civilis, at nihil accipi poteſt pro eo, ut eſt ſacramentum. Santus Thomas ad 6.

17. D. Poteſtnè pecunia exigi pro actu ſpirituali, prædicandi &c.?

M Aliqui ſpirituales actus de natura ſua procedunt à gratia: alii non: v. g. prædicare procedit à gratia ſacramenti, nàm eſt miniſterium ordinis. Prophetare à gratia gratis data. Non ita doctrina Philoſophica. Qui pendent à gratia gratis data, nulli competere poſſunt ex officio; nam Spiritus Sant. *dividit ſingulis, prout vult*. 1. Cor. Exercens hos neque poteſt exigere pecuniam, ut pretium actus, neque in ſui ſuſtentationem, neque in pretium laboris Primum, & tertium apparent ex illo Matth. 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*: ſecundum: quia ſuſtentatio debetur ſolùm militanti ex officio; qui ſolus non militat ſuis ſtipendiis. Actus procedens ex gratia ſacramenti poteſt ex officio committi, & cui ſic committitur, poterit exigere ſolùm in ſui ſuſtentationem, juxta conſuetudinem approbatam, dummodò antequam exigat, dederit gratis hujuſmodi actus, & exigat non per ſe, ſed per Superiores. Accipere in eleemoſinam poteſt, dummodò abſit omnis ſuſpicio venditionis: Actus non procedentes à gratia, ſi ſunt ſpirituales, nequeunt vendi, ſed quis poteſt locare, aut vendere operam, vel laborem ſuum in uſu illius; Nemo poteſt vendere ſcientiam, ſed laborem corporalem, quem ſentit in uſu ſcientiæ. Hæc in univerſali. Sant. Thom. quæſt. 100. art. 3. quę majorem claritatem accipient ex particularibus.

18. D. Si populus nolit dare ſtipendium conſuetum Parocho, poteritnè deſiſtere ab uſu ſui officii, v. g. non batizando? &c.

D. Poteſt renunciare officium, ſed ſi retinet, non poteſt deſiſtere ab uſu. S. Th. ibidem.

19. D. Offertur eleemoſina pauperi; ut oret pro nobis?

M. Offertur, non ut pretium, ſed ut

ut per noſtram gratuitam beneficentiam, provocetur ad rependendam orationem gratis, & ex charitate. Sant. Thom. ad 2. Idem ait de quotidianis diſtributionibus pro adſiſtentibus Choro, funeri: &c.

20. D. Qui docet, vel prædicat, poteſtnè accipere pretium laboris?

M. Actiones erga populum, quæ requirunt miſſiones, non poſſunt ſubjacere pretio, neque quoad laborem: Ad hoc Chriſtus miſit: Hæc proveniunt ex gratia ſacramenti, ut num. 17. Pro labore conferendi ſacramenta, viſitandi ſubditos, prædicandi, catechizandi in Eccleſia, conſecrandi altaria, templa, Virgines, &c. nequit accipi pretium: ſi magis in particulari ſcire cupis, pro quibus actionibus nequeat accipi, vide *Inſtrut. Cler.* & in ſingulis ordinibus lege, quæ Epiſcopus ex Pontificali dicit ordinando eſſe ſui muneris, primarii, vel ſecundarii; pro labore talium nihil exigi, vel accipi poteſt in pretium, vel locari operas illas; eo enim ipſo, quòd officia ſunt ordinis; verum eſt illud Rom. 19. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur.* Et verificatur id, ſive fiat ex officio, ſive delegatione, ut ſi Clericus Minorum prædicaret de licentia legitimi Superioris: nam verè uterque mittitur à Chriſto, dùm mittitur à Superiore, primordialiter habente facultatem legandi actiones Ordinis; in *Inſtruct. Cler.* cap. 21. num. 3. leges Oſtiarium *percutere cymbalum, & campanam, aperire Eccleſiam, & ſacrarium, librum aperire ei, qui prædicat.* Quia hæ actiones corporales fiunt etiam à non ordinatis, ideò utpotè corporales, non ut propriæ Ordinis, & poſſunt locari. Ibidem num. 6. Lectoris eſt *lectiones cantare.* Ex dicta ratione ad id conducuntur Muſici. Ex num. 8. Exorciſtæ eſt *aquam in miniſterio fundere*, hoc eſt, in Miſsa lavandis Sacerdotum manibus. Ex num. 10. Acolythi eſt, *ceroferarium ferre, luminaria Eccleſiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam miniſtrare*: Ob dictam rationem hæc locari poſsunt, ſi non fiant ex officio. Cæterùm munia vendi nequeunt, quia requiritur miſſio, ſeù ſpecialis deputatio: Docere authoritativè importat miſſionem; quia eſt proprium Epiſcopi, & Diaconi: quare nequit accipi pretium pro labore docendi, diſpenſandi, delegandi, &c. Ad ſummum in viſitando poſſunt accipere debitam ſuſtentationem: Docere non ex officio, non exigit miſſionem, quia Theologus laicus docet hoc modo: quare poterit locare operas ſuas, & exigere pretium. Si ex officio deputetur ad docendum Eccleſiæ Celricos, & pauperes, ad hoc accipiendo Præbendam Theologalem, tunc non poteſt recipere, neque pro labore, neque ut det vacationes, neque ut faciat lectiones. S. Th. a. 3. ad 3.

21. D. Poteſtnè aliquid accipi pro ingreſſu Monaſterii?

M. Simoniacæ ſunt clancularia pactiones, & acceptiones, ut talis acceptetur in Ordine. Superioratu &c. Quæ autem palam exiguntur, ratione dotis, victus &c. ſtante præſertim conſuetudine, examinentur per ſuos Judices in foro fori. S. Th. ad 4.

22. D. Poſſuntnè vendi, quæ ſunt annexa ſpiritualibus?

M. Diſtingue: nàm alia ſunt annexa ſpiritualibus; quia dependent; ideò ſunt poſteriora; v. g. beneficium; nam prius eſt eſſe Clericum, quàm beneficiatum. Alia ſunt annexa, quis ordinantur ad ſpiritualia; In his temporale prius eſt ſpirituali, ut vaſa ſacra; prius enim ſunt vaſa, deinde conſecrantur: Prius eſt villa, deinde Juſpatronatus ad præſentandum Parochum. Prima, nullatenùs vendi poſſunt. Ad ſummum qui præſentat, vel nominat ad beneficium, juxta privilegia, antequam præſentet, vel nominet, de fructibus, ex pia cauſa poteſt aſſignare penſionem tertio, ſine cauſa non poteſt; multò minus poteſt retinere ſibi penſionem, aut partem fructuum. Quoad ſecunda. Jus patronatus non poteſt vendi, ſed vendita villa, transfertur & illud, quia fundatum ſuper eadem. Vaſa conſecrata, ſi frangantur, non ampliùs ſunt ſacra, & vendi poſſunt. Sepulturæ, altaria &c. venduntur quod materiale anterius ad ſpirituale, ſi non augeatur pretium ex eo, quòd ſint ſacra, neque vendatur jus, ſed ut juſpatronatus, venditis materialibus altarium, ſepulturæ &c. jus transfertur cum illis.

23. D. Licetnè commutare ſpiritualia?

M. Canones, ut ſimoniacam prohibent

commutationem beneficiorum abſque licentia Superioris, & cauſa; quare Religioſi, vel alii, non poſſunt paciſci, ut in electione ſibi invicem, vel alteri dent votum. Licet permutare Reliquias, Agnos, ut hodie multi faciunt, offerentes pro uno benedicto ab Innoc. XI. plures ab alio.

24. D. Committitne ſimoniam Prælatus conferens beneficium propter ſervitium ſibi præſtitum, propter preces porrectas ad ipſius favorem, vel quia laudatus fuit?

M. Utique: nam hæc omnia poſſunt æſtimari pecunia; Viri nobiliores menſtrue ſolvunt pro obſequiis etiam Cubiculi Præfectos: Multi promittunt pingues recompenſationes Mediatori, ut ſibi impetret Magiſtratum; Alii pecunia conducunt, qui ſe laudent, & glorioſa facta conſcribant: 1. Prælatus poteſt conferre beneficium inſervienti ſibi, ut eſt Epiſcopus, ſeù, in utilitatem Eccleſiæ, vel auxilium Miniſtrorum; nam per hoc obſequium redditur dignus; & ſi gratis inſerviat, eſt dignior, quia in obſequium Eccleſiæ impendit perſonam, & pecuniam, quam ſibi potuiſſet comparare per obſequia: 2. ſerviens conſanguineis Prælati (dum Eccleſiæ Miniſtri non ſint) per hoc obſequium non redditur dignus; 3. neque ſerviens Prælato in patrimonialibus. At ſi reperiat fidelem, poteſt confidere, quòd ſit futurus Eccleſiæ fidelior, per conſequens utilior, ac dignior, ſi conferatur beneficium ejuſdem generis: 4. nequit conferri beneficium, ut exinde proviſus conſulat conſanguineis providentis: 5. eſt ſimoniacum factum porrigentis preces pro indigno, quia *videtur principaliter intendere* contractum venditionis conſiſtentem *in do, ut des*. Do enim preces, ut des beneficium: 6. committit ſimoniam mentalem, qui alias dignus, v. g. inſerviens Epiſcopo gratis, intendit principaliter beneficium; Vide cap. 19. num. 3. ſeqq.

25. D. Quotuplex eſt Simonia?

M. Alia mentalis: alia realis: Mentalis eſt, quando quis in mente ſua nihil alteri aperiens, intendit dare temporalia, ut obtineat ſpiritualia, vel è contra. Eſt grave peccatum, ſed non ſubjacet pœnis Canonicis, ut de hæreſi pure mentali cap. 7. num 4. Realis alia eſt aperta, & alia palliata. Aperta eſt, cum dicitur: *Promitto tibi centum, ſi mihi conferas, vel impetres tale beneficium*. Palliata eſt, quando utor aliis verbis; at in rei veritate volo dare, ut des. v. g. cum dicitur: *Ex gratitudine tibi conferam centum, ſi mihi conferas, vel impetres beneficium*: Gratitudo exprimitur eluſorie; cæterùm in rei veritate, volo conferentem movere, ut mihi ob lucrum, conferat beneficium: & ita eſt verè contractus: *Dabo, ſi dabis*. Ubi autem iſte intercedit, eſt ſimonia.

26. D. Eſt etiam ſimonia confidentialis, & conventionalis?

M. Utraque eſt realis; Differunt, quòd juxta ethymologiam nominis, contrahunt, ſeu conveniunt partes, ut ſecuta proviſione proviſus habeat beneficium, & providens concordata. Confidentialis eſt, ſi providens confidit etiam in ſola ſua intentione, quòd proviſus faciet, quæ intendit, adeò ut illis opere completis adſit ſimonia realis, & ſubjecta pœnis omnibus, quibus illam ſubjecere Pius IV. & V. Per quas ſimonia confidentialis eſt: 1. ſi quis acceptat beneficium, cum pacto, ut quandocunque, aut quomodocunque debeat illud dimittere, redeat ad reſignantem, aut cedentem: 2. eſt, eſtò non intercedat pactum, ſed tantùm dimittens intendat id: 3. ſi intercedat pactum, vel intentio ut ſuprà, relinquendi reſignanti, vel alteri fructus beneficii, in toto, vel in parte: 4. ſi adſit pactum, vel intentio relinquendi penſionem reſignanti, vel alteri: 5. ſi providens de beneficio, adjiciat in conferendo (ſive etiam in ſolum præſentando) conditionem tacitam, vel expreſſam, quòd, *contra juris communis diſpoſitionem*, proviſus relinquet fructus, in toto, vel in parte, ad arbitrium Collatoris, vel alterius, in utilitatem providentis, vel alterius, vel etiamſi ſolam penſionem, quòd ſignificetur ſcripto, vel verbo tantùm: 6. ſi exempto à ſolutione jurium Cameralium, vel Cancellariæ Apoſtolicæ, reſignetur hodie beneficium, quod ipſe poſt duos, vel tres menſes iterùm reſignat, reſervans ſibi cum auctoritate legitimi Superioris, fructus, vel penſionem; quos, vel quam deinde confert in

uti.

Digitized by Google

utilitatem primi reſignantis: 7. ſi beneficiatus criminoſus factus, vel irregularis, ante, vel poſt crimen, aut irregularitatem, dimittat beneficium, & abſolutus fuit à crimine, aut irregularitate, redeat ad illud. Has conventiones Pius declaravit, ſimoniacas; addiditque conjecturas, & indicia, quæ poſſunt inſervire Judicibus ad probandum crimen. Ubi compareat pœnitens hoc gravi crimine innodatus, ſæpiùs relege Conſtit. ubi res non eſt clara, conſilium require doctiorum.

26. D. Simonia eſtnè ex ſuo genere peccatum mortale?

M. Utique: nam ſimoniacus nequit ſervare charitatem ordinatam: quia eſt maxima inordinatio, vendere divina, omninò invendibilia. Vide part. 1. c. 34. n. 6. Sed, & eſt in genere ſacrilegii: nam abutitur rebus divinis.

27. D. Admittitnè parvitatem materiæ?

M. Nullatenus: nam maxima eſt irreverentia vendere divina; & major, quò minori pretio venduntur, part. 1. cap. 36. num. 5.

28. D. Adſuntnè Cenſuræ in Simoniacos?

M. Per Extrav. Pauli II. *Cum deteſtabile*, Simoniaci, manifeſti, ſive occulti, principales, vel mediatores, ligantur excommunicatione reſervata Papæ, ſi committatur: 1. in ſuſceptione Ordinum: 2. in Beneficiis: 3. pro Ingreſſu Religionis. Ab hac intra Italiam, & extra Urbem, neque Regulares poſſunt abſolvere vi ſuorum privilegiorum. Vide part. 1. cap. 10. num. 6. Si ſit commiſſa in ſuſcipiendis Ordinibus, vel beneficiis, 2. ſimoniacè ordinati ſunt ipſo facto ſuſpenſi, & ſi exerceant, erunt irregulares: 3. conſequentes beneficium ſimoniacè, nullum jus acquirunt ad ipſum, vel ad fructus: Eſt omninò intruſus, & fructus percipit tanquam fur: obligatus in conſcientia reſtituere; nec ulla præſcriptione juvatur ad acquirendum validè fructus, vel beneficium. Imò ex Regulis Cancellariæ, quocunque alio modo nulliter obtineantur beneficia, jus acquirit ad illa, quicunque per triennium pacifice poſſidet. At ſi acquirantur ſimoniacè, poſſeſſio pacifica trium ſæculorum, neque ſufficit ad fundandum jus: Hæc omnia repræſenta, non ſolùm ſe accuſanti de tali delicto, ſed etiam iis, qui deſiderant promoveri: nam ſæpè deſiderio obtinendi & parum alias attenti ad Sacros Canones, deludunt ſeipſos. Major Pœnitentiarius cum omnibus ſuis facultatibus non habet jus ad convalidum beneficii titulum ei, qui ſcienter per Simoniam acceptat, & quando ad illum recurrunt ordinati in vim beneficii, ſimoniacè obtenti, repræſentantes, quòd ſi dimittent ob ſimoniam occultè commiſſam, nullatenus poterunt ſuſtentari, reſcribit, quòd ad ſe ſuſtentandum, fiant Religioſi. Nulliter acquiritur beneficium, & fructus, eſtò proviſus fuerit innocentiſſimus, quando ex parte conferentis interceſſit ſimonia, & neque in hoc caſu valet pacifica poſſeſſio triennalis, aut longior; quia factum eſt ſimoniacum, licèt proviſus acceptando non peccaverit. Tanti ſemper Eccleſia deteſtatur hanc peſtem. Ulteriùs qui accepit pecuniam, debet diſtribuere pauperibus, & proviſus, qui promiſit, debet etiam reſtituere perceptos.

29. D. Adſuntnè Cenſuræ, contra alia peccata contrariè per defectum oppoſita Religioni, enumerata in hoc capite?

M. Aliquibus ſacrilegiis imponitur excommunicatio in Bulla Cœnæ. §. 14. excommunicantur, qui ſacrilegium committunt ſibi aſſumendo judicium in cauſas ſpirituales &c. §. 15. qui committunt violando libertatem Eccleſiaſticam. ut ibi: §. 11. violando perſonas Cardinalium &c. §. 16. impediendo juriſdictionem Judicum Eccleſiaſticorum, ut ibi: §. 17. uſurpando, vel ſequeſtrando bona Eccleſiæ, ut ibi: §. 18. imponendo Clericis onera ibi prohibita: §. 19. judicando criminaliter perſonas Eccleſiaſticas contra tenorem Canonis: Vide alios. Extra Bullam Cœnæ excommunicantur violantes juriſdictionem Eccleſiaſticam contra Conſtit. Gregorii XIV. offendentes Eccleſiaſticos juxta cap. *Si quis ſuadente* 17. quæſt. 4. Violantes clauſuram Monialium ad malum finem; Clerici participantes in divinis cum excommunicatis à Papa: qui ſacrilegè abſolvunt ſine licentia excommunicatos in Bulla Cœnæ: Alia vide part. 1. cap. 20.

30. D.

30. D. Adſuntne Theſes prohibitæ circa peccata hoc capite enumerata?

M. Circa ſacrilegium perjurii habes c. 34. n 16. Circa Simoniam adſunt 45. 46. & 47. Inn. XI.

31. D. Quas pœnitentias imponam pro hiſce?

M. Indica excommunicationis, ſuſpenſionis, aut privationis beneficii pœnam, peccatis, quibus eſt annexa. Ut pœnitentem ab omni ſimonia divertas, ſufficiunt dicta n. 28. Ut à perjuriis, lege Catech. p. 3. c. 3. à n. 7. Quia verò noſtris temporibus plebs bibit juramenta, ſicut aquam, totus ſit ut oſtendas non excuſari à mortali juramenta falſa ratione parvitatis materiæ, promiſſoria, comminatoria, & execratoria eſſe falſa, ſi deſit intentio, etiamſi emittantur ſolùm ad terrorem; ſi adſit intentio occidendi &c. etiam pro uno inſtanti, apud Deum eſſe verum homicidii peccatum &c. dupliciterque peccari juxta c. 34. n. 9. Cavendum omninò eſſe à juramentis, etiam veris, abſque neceſſitate; nam fit inde conſuetudo, per quam nos exponimus periculo jurandi falſa; Et ita peccamus peccato ſacrilegii. Generaliter, quia hæc peccata procedunt ex irreverentia in Deum, & divina, juxta Rituale p. 1. cap. 7. n. 22. *dabis contrarias pœnitentias*, quæ maximam excitare poſſint reverentiam erga Deum, & divina.

CAPUT XXXVIII.

De Virtute Pietatis, & Vitiis eidem oppoſitis.

1. POſt Religionem, ordine Theologico explicanda eſſet virtus Pœnitentiæ tendentis ad deſtructionem peccati, ut eſt offenſa Dei; De illa ſufficienter dictum eſt p. 1. à c. 12. cum virtutes Pœnitentiæ ſint materia ſacramenti: Reſtat innuere vitia oppoſita; per defectum Impænitentię, de qua c. 4. n. 22. Per exceſſum Pœnitentia Indiſcreta. Circa hoc, nihil reſtat particulare; quare dicam de pietate.

2. Connumeratur virtutibus Juſtitiæ annexis, quæ reddunt debitum, ſed non æquale: nam reſpicit principia noſtri eſſe, quibus ut æquale redderetur, reddi deberet ipſum eſſe ſimpliciter, nam benè eſſe, divitem eſſe, &c. neque per quantitatem Geometricam, ſunt proportionalia ipſi eſſe ſimpliciter, quod à parentibus accipit filius. De hac S. Thom q. 101. præmittens, quòd non aget in particulari de vitiis oppoſitis, quia hæc ſufficienter innoteſcent ex conſideratione ipſius.

3. D. Quid eſt Pietas?

M. Nomen Pietatis aliquando uſurpatur pro dono Spiritus S. quo nos ut filii adoptivi colimus Deum. S. Th. a. 1. ad 1. De hoc dono c. 42. ſecundò: pro quocunque actu Miſericordiæ. S. Th. ad 2. Tertio: ſtrictè pro virtute, per quam *Sanguine junctis, patriæque benevolis exhibemus officium, & cultum.* S. Th. a. 1. & 2. Nomine officii venit honor, & nomine cultus ſuſtentatio. Hinc ad pietatem ſpectant actus ſpecie diverſi, quia ſpecie differunt honor, & ſuſtentatio, & quia honor ipſe, & ſuſtentatio exhibentur per plures actus ſpecie diverſos propterea curabit explicari à pœnitente: nec enim ſufficienter ſe accuſat dicens: *Dehonoravi parentes*: nam eſt alia ſpecie dehonoratio irrogata parentibus per violationem quinti præcepti Decalogi, alia per violationem ſexti; quæ ſunt peccata commiſſionis oppoſita pietati. Dic idem de peccatis omiſſionis: ex Catech. par. 3. cap. 5. n. 10. honoramus parentes orando pro illis, & eorum voluntatem ſequendo, ubi nihil obſtat: Si ergo detur caſus, quòd ad utrunque obligemur ſub mortali, & omittamus, neceſſarium eſt explicare, quem ex his omiſerit Pœnitens. Id apparet multò magis in ſecundo genere actuum, qui conſiſtunt in ſuſtentatione: nam hæc importat præcipuè ſeptem opera miſericordiæ corporalia, quare ſi ex c. 12. n. 5. hæc ſpecie differunt, etiam ſpecie different omiſſionis; & ita peccator explicabit, quod ex illis opus in ſpecie omiſerit erga parentes.

4. D. Quæ objecta reſpicit Pietas?

M. Vide *Inſtr. Cler.* c. 9. n. 20. Hæc reſpiciens principium eſſendi, comprehendit objecta, quę communicant in ratione hujus principii, nempè, parentes, patriã, conſanguineos, affines uſque ad quartum gradum. Sicut charitas fertur etiam in conjunctos amici, quia ſunt aliquid ipſius Amici, ita Pietas fertur etiam in amicos conjunſti: quarè aliquo modo reſpicit fœderatos ſuæ patriæ &c. Quia principium eſſendi eſt terminus relativus, ideò reſpicit utrunque terminum; quarè filius pietate reſpicit patrem, & civis patriam; E contra Pater, & Pa-

Digitized by Google

& Patria reſpiciunt filium, & civem.

5. D. Ex n. 3. Pietas habet duos actus, revereri, & ſuſtentare, quis horum eſt principalior?

M. Reſpectu civis, & filii, principalior eſt revereri: ſecundarius ſuſtentare: Ideò tunc obligor ad hunc ex pietate, quando alias obligor ex charitate: omittens ſubvenire violo utramque virtutem. Idem dic de cive reſpectu Patriæ in ſuo ordine: Pater è contra principaliter tenetur ſuſtentare filium & illi providere ad omnem vitam: ſecundariò honorare, ſignis tamen proportionatis, non eiſdem, quibus filius honorat patrem.

6. D. Eſtnè eadem ſpecie Pietas in filio reſpectu Patris; & in patre reſpectu filii, in cive reſpectu patriæ; in conſanguineo reſpectu conſanguinei &c.?

M. Id non decidit S. Th. Sed actus patris in filium diſtincti ſunt ab actibus filii in patrem: actio enim & paſſio ſunt in diverſo prædicamento, & genere ſupremo; quare explicabis, an fuerit pater ſeù agens, an filius, ſeù patiens, an ſubditus, vel Princeps, an conſanguineus in linea aſcendentium, cujus eſt agere, vel deſcendentium &c.

7. D. Pietas obligat ne ſub mortali?

M. Nuſquam poſſumus facere actus contrarios: Revereri autem tenemur in caſu, quod habeamus parentes; & quod omiſſio illis graviter præjudicaret: Pariter tenemur in caſu neceſſitatis, quando ex charitate debemus eadem extraneis.

8. D. Multæ virtutes, obligantes in caſu tantum, lege poſitiva obligant ad aliquos ex ſuis actibus; Ex cap. 2. à n. 4. Eccleſia obligat ad actum externum fidei Eccleſiaſticos: ex c. 8. n. 6. ad actum externum Spei: lege poſitiva obligamurne ad aliquos actus pietatis, itaut omiſſio ſit mortalis.

M. Patres, & filii reciprocè tenentur in morte ad legitimam erga Aſcendentes, juxtà diſpoſitionem legis: *nec poteſt*, inquit S. Thom. ſuppl. q. 57. a. 1. ad 1. *pater ſine culpa filium privare*. Sed hoc non eſt propriè peccatum omiſſionis: quia non peccat, ſi non condat teſtamentum, ſed ſolùm, ſi condens diſponat contrarium: quarè eſt peccatum commiſſionis: ſimplici omiſſionis peccato peccaret, qui ſciens patriam prodi, omitteret revelare; vel ſi quæ hujuſmodi

9. D. Quomodò vocatur vitium contrariè per exceſſum oppoſitum Pietati?

M. Vocari poteſt *Amor nimius conſanguineorum*. In hoc explicando non immoror, quia placere conſanguineis de ſe non eſt peccatum, & placere nimium non eſt peccatum contra pietatem, niſi fiant, quę alias prohibentur: quarè ſi quis, ut placeat patri, omittat ſacrum in die feſto, ſufficit, ſi ſe accuſet de omiſſione, nec tenetur accuſare, quòd omiſerit, ut placeret patri, per ſe loquendo.

10. D. Quod eſt vitium per defectum contrariè oppoſitum Pietati.

M. Impietas ſtrictè dicta, per quam committimus aliquam irreverentiam in parentes &c. unde omnis injuria, cum irreverentia, ſi fiat in parentes, erit duplex peccatum; & poterit contingere, quòd injuria ſit levis; at quoniam irreverentia illi conjuncta, eſt gravis, etiam erit mortale, v. g. ſi quis in patrem (eſtò clam, & ab ipſo inauditus) dicat: *Sis maledictus* abſq; animo. Ex c. 26. n. 8. maledictiones abſque animo ſunt injurię leves: at mortales in filio propter gravem irreverentiam.

11. D. Eſtnè peccatum impietatis, detrahere patri, ita quòd filius detrahens peccet contra juſtitiam, & contra pietatem, teneaturque id explicare.

M. Impietatis malitia conſiſtit in irreverentia erga perſonam, quæ eſt principium eſſendi. Qui detrahit ex S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 1. *videtur magis revereri, quàm parvipendere; unde non directè infert nocumentum honori, ſed famæ*. Ita non peccat contra pietatem furans à patre, ſed benè peccat per rapinam. Igitur obſerva, nùm injuria, ſit dehonorativa; ſi talis non eſt, non læditur pietas; ſi dehonorativa eſt, violatur.

12. D. Pater non tenetur revereri filium: nec peccat peccato impietatis?

M. Pater primariò, & omnibus modis non tenetur revereri filium: Ex pietate prohibetur facere injurias, quæ, dehonorant filium, ſupra quam extendatur jus paternum.

13. D. Peccata contra Caſtitatem non dehonorant; nec erunt contra Pietatem, ſi committantur cum conſanguineis?

M. Ex q. 144. verecundia eſt timor inhonorationis; & cum de peccatis contra caſtitatem maximè verecundetur homo, hæc ſunt dehonorativa: & jure naturali

omnis

Digitized by Google

omnis actus luxurioſus dehonorat, ſi fiat inter aſcendentes, & deſcendentes directè; In cæteris gradibus ex præcepto. Eccleſiæ, ut ſuo loco dicetur.

14. D. Eſtnè unum ſpecie peccatum Impietatis?

M. Ex n. 6. Pietas habet actus ſpecie diverſos: quare, & impietas; in qua item explicandum eſt objectum, an fuerit impius in patriam, patrem, matrem, fratres, ſorores, conſanguineos, affines &c. pietas honorat principium eſſendi, & quia hi diverſo modo reſpiciunt principium eſſendi, diverſam ſpecie deformitatem inducunt.

15. D. Impietas eſtnè peccatum mortale ex ſuo genere?

M. Utique: nec enim poſſumus ſervare charitatem, niſi reddamus ſanguine junctis, & patriæ quod debemus. Vide p. 1. c. 34. n. 6.

16. D. Excuſatur nè à mortali ex parvitate materiæ?

M. Ex n. 11. deformitas impietatis non deſumitur ab injuria ut tali, ſed à dehonoratione; Hinc ex n. 10. maledictio aliàs de ſe levis, prolata in patrem, dicta eſt peccatum mortale, quia dehonorat patrem. Honor poteſt eſſe magnus, & parvus: tolli poteſt graviter, & leviter; & excuſabitur à mortali, ſi honor lædatur leviter. At ſi, ut in caſtitate, actio minima, ſit graviter dehonorativa, tunc eſt mortale incæſtus. Vide part. 1. cap. 34. n. 6.

17. D. Adſuntnè Cenſuræ, contra committentes hujuſmodi peccata?

M. Quia leges civiles, & Deus in Decalogo graviſſimè punit hæc peccata, & alias ſunt in horrore hominum; unde rarò committuntur, ideò non invenio cenſuras univerſales. Leges caſus reſervatos Diœceſis, in quibus ordinariè reſervatur incæſtus, & parricidium, eo ipſo, quod reſervatur omne homicidium?

18. D. Adſuntnè Theſes prohibitæ?

M. Extant 14. & 15. Inn. XI. tangentes impietatem filii erga patrem.

19. D. Quas pœnitentias imponam peccanti contra pietatem?

M. Rari frequentant peccata gravia in patriam, utpotè à Principibus punita graviſſimè. Rarò parentes in filios, niſi quòd ſæpiſſimè ſuo malo exemplo inducunt ad peccandum: Videmus pueros ignaros principalium fidei myſteriorum, qui tamen frequentant juramenta, blaſphemias, maledictiones; Id, quia nunquam audiunt parentes loqui de rebus fidei; at ſemper jurantes; maledicentes, blaſphemantes. Hos parentes increpa acriter. Totus etiam ſis, ut filios componas ad debitam reverentiam. Optimum erit adoleſcentioribus conſulere, ut confeſſi domum accedentes, deoſculentur manus parentum, ipſiſque veniam petant; primum etiam conſulet facere, quoties ituri ſcholam, domo diſcedunt, vel redeunt, aut ſi cubitum eant in nocte; nec alia omittent, ut ſanctè obſervent quartum Decalogi præceptum, ſuper quo lege Catech. par. 3. c. 5.

CAPUT XXXIX.

De Obſervantia, Obedientia, & Vitiis oppoſitis.

1. Sicut homo tenetur honorare patrem, à quo habet eſſe, ità honorare illos, à quo habet operari. Habet operari ab iis, qui dirigunt homines, ut Magiſtri, Principes, Directores, Confeſſores, ut exercent officium Doctoris; & ita tenetur, quòd non poteſt reddere æquale: ſcientia enim non poteſt recompenſari proportionatè per temporalia, unde ex c. 36. n. 20. nequit vendi; & hinc non tenemur Directoribus ex Juſtitia, ſed ex virtute Pietati inferiore, quæ dicitur *Obſervantia*, Hæc duos actus, qui ex c. 37. n. 3. competunt Pietati, exercet erga Directores.

2. In ſchola S. Th. quæritur, an contineat ſub ſe plures ſpecies. Obſervantia, per quam honoramus Sanctos in cælo regnantes, & vocari poteſt Obſervantia Sacra, diſtinguitur à Politica, per quam honoramus viros excellentes in poteſtate, doctrina &c. An hæc ſubdividatur, ita ut alia ſit, qua colimus, v. g. Confeſſores, alia, qua colimus Magiſtros, &c. non eſt congruum hæc diſputare.

3. Per Obſervantiam colimus eos, qui nos dirigunt in operando. Hi ſunt in duplici claſſe, alii in actu primo, alii in actu ſecundo. Directores in actu primo ſunt habentes aliquam excellentiam doctrinæ, dignitatis &c. poſſuntque nos dirigere, ſed actu non dirigunt, quia non præſunt: In actu ſecundo ſunt qui præſunt, & quorum

rum directionem tenemur ſequi. Primis debemus obſervantiam, ſecundis obſervantiam, & obedientiam: ideò S. Thom. examinat has virtutes poſt Pietatem, ut annexas Juſtitiæ.

4. D. Si tenemur reveri excellentiores, qui occidit virum doctum, v. gr. commit tit duo peccata; contra juſtitiam, & contra obſervantiam?

M. Hi ſunt excellentiores in aliquo genere, non ſimpliciter: quare duplex erit peccatum, ſi habeantur irreverenter ſub ratione, in qua excellunt, quòd ordinariè non contingit: ſi occido Petrum, quia eſt inimicus, non oſtendo, quia ſit me doctior: ſed ſi occido, ut tollam à mundo ejus doctrinam, qua multi proficiunt, debeo tunc explicare. Qui docto contumeliam ingerit, tanquam ſit indoctus, ſi contumelia ſit gravis, tenetur explicare rationem contumeliæ ſecum importantis dehonorationem, & quod falsò ignorantiam objecerit, ex his remanet explicata ratio irreverentiæ contra virtutem hanc, de qua S. Th. q. 102.

5. D. Quæ ſunt vitia contrariè per exceſſum, & defectum oppoſita Obſervantiæ?

M. Sunt innominata, & S. Thom. in titulo quæſtionis ait, quòd de illis *erit manifeſtum* intellecta Virtute, partibuſque illius.

6. D. Quæ ſunt partes Obſervantiæ?

M. S. Thomas nomine partium intelligit ſpecies infimas, de quibus num. 2. Nihil ibi dictum eſt de obſervantia ſacra, quæ dicitur Dulia, & ſubdividitur in duas ſpecies, prima retinet nomen commune Duliæ. Secunda dicitur Hyperdulia.

7. D. Per quid diſtinguuntur hæ duæ?

M. Dulia exhibet honorem Sanctis. Hyperdulia B. Virgini, per relationem Maternitatis terminatam ad perſonam Dei, cujus vocatur Mater. S. Th. q. 103.

8. D. Hæc virtus obligatnè aliquando ad ſuos actus?

M. Ex part. 1. c. 34. num. 6. ſolùm illæ virtutes obligant, ſine quorum actibus nequit ſervari charitas, ex c. 37. num. 7. Pietas, ut defert honorem parentibus per ſe obligat ſolum in caſu &c. non ſimpliciter. Loquendo de obſervantia ſacra in Trident. ſeſs 25. decreto *de Invocatione* &c. declaratur eſſe ſimpliciter bonum, atque utile (non neceſſarium) invocare Sanctos, confugere ad illos, ob beneficia à Deo impetranda per Chriſtum. Relege decretum agens etiam de reliquiis, & imaginibus. Et inter Catholicos, non habebis quid ſpeciale commendandum erga Sanctos, quorum cultui ſunt addicti. Ubi etiam vigent hæretici, lege Controverſiſtas, ut poſſis docere, quid teneamur erga Sanctos.

9. D. Obligamur ne erga Sanctos ex præcepto Eccleſiæ?

M. Utique: ac 1. ad ſanctificandos dies natalitios aliquorum, quibus debetur Dulia, & dies aliquot per annum, in honorem B. Virginis, cui debetur Hyperdulia: 2. ad plures actus tam Duliæ, quàm Hyperduliæ Eccleſiaſticos per recitationem Officii. Quotidiè pluries invocatur B. Virgo in Officio per Salutationem Angelicam. Ad *Pretioſa* invocatur, & ipſa, & Sancti omnes. Officium primæ Novembris, & per octavam eſt de omnibus Sanctis, etiam Angelis. Tamen iſte Sanctorum cultus præcipitur materialiter, non formaliter; ut refertur in Deum: quare ſubſtantia actus eſt Sancti cultus, at ſub ratione Religionis; & in ordine ad Deum: quarè omittens ſacrum in feſto S. Jo:, vel officium &c. ſufficit, ſi ſe accuſet omiſiſſe ſacrum, vel officium, etiamſi taceat, an fuerit officium Feriæ, vel Sancti &c. nec offendunt Duliam, ſed Religionem. Vitia autem de ſe oppoſita Duliæ, aut Hyperduliæ ſunt innominata, ut n. 5.

10. D. Quid eſt Obedientia debita dirigentibus nos in operando?

M. Ex num. 3. alii ſunt noſtri Directores in actu primo; alii in actu ſecundo. Hi dirigunt per ſuum imperium, vel præceptum; & ſi ſumus ſubditi, tenemur obedire, ſequendo illorum directionem præceptivam. P. 1. c. 38. num. 7. data eſt diſtinctio inter legem, & præceptum, ac utriuſque diverſa obligatio, habenda ante oculos, ut ſcias, quando pœnitens mortaliter peccet in tranſgrediendo Superioris ordinationem. S. Th. q. 104.

11. D. Cum mortaliter peccando, ſemper tranſgrediamur præceptum, ſemper violamus hanc virtutem?

M. Violo obedientiam, quando negligo præceptum ut tale. Si non jejuno ob gulam, violo Abſtinentiam: ſi comedo, quia nolo me ſubjicere præcepto, tunc pecco contra Abſtinentiam, & Obedientiam. Vide p. 1. c. 34. n. 12.

12 D.

12. D. Obligatnè ſub mortali Obedientia ?

M. Utique : nec enim ſervat charitatem erga ſuperiorem ; Dominium in homines eſt majus bonum, quàm dominium in res exteriores. Porrò dominium importat, ut re ſubjectâ, poſſim uti pro libito voluntatis regulatæ per prudentiam : quare qui non obedit ſuperiori, tollit hoc bonum.

13. D. Quid, ubi duo Superiores præcipiunt contraria ?

M. Vide par. 1. c. 14. num. 3. & S. Th. art. 4. 5. & 6.

14. D. Obligatnè virtus Obedientiæ pro aliquo tempore indeterminatè ?

M. Ponit actum externum præceptum : quare ex c. 2. num. 2. obligat ſolum, ſi extat præceptum.

15. D. Superior debetnè multiplicare præcepta, ut in obediendo ſubditi meritum majus acquirant ?

M. S. Thom q. 105. art. 1. ad 3. *Prelati*, inquit, *debent abſtinere à multitudine præceptorum* : & 1. 2. q. 107. art. 4. in lege nova ex S. Auguſtino dicit *eſſe moderationem attendendam, nè onerosa reddatur. Dicit enim Auguſtinus de quibuſdam : Ipſam Religionem noſtram, quam in manifeſtiſſimis, & pauciſſimis celebrationum ſacramentis, Dei voluit miſericordia eſſe liberam, ſervilibus premunt oneribus, adeò ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui legalibus ſacramentis, non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur*. In illa ep. 119. cap. 19. præmiſerat Auguſtinus. *Doleo, quia multa, quæ in divinis libris ſaluberrimè appoſita ſunt, minùs curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuam terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia ſepelierit*. Sanè pluries caſtigatur ſeveriùs tranſgreſſio leviſſimæ regulæ, quàm manifeſtum mortale. Vide, nè introducatur in lege Chriſtiana mos Phariſaicus.

16. D. Quæ ſunt vitia contraria Obedientiæ ?

M. Oppoſitum per exceſſum, eſt innominatum : Oppoſitum per defectum vocatur inobedientia : de hac S. Thomas quæſt. 105. Aliquando accipitur privativè, ut ſi quis præcipiatur facere eleemoſinam, & non faciat : Aliquandò contrariè, ut in dato caſu, ſi cognoſcens præceptum, habeat actum contrarium, quo contemnat. In utroque de ſe eſt peccatum mortale, ſed in primo peccatum omiſſionis : In ſecundo commiſſionis.

17. D. Excuſaturnè à mortali ex parvitate materiæ ?

M. Præceptum, eſt actus animæ non habens materiam, & indiviſibilis : quare vel contemnitur in toto, vel in nihilo. Hinc non poteſt excuſari ex parvitate materiæ inobedientia, ſive ſit omiſſio, ſive commiſſio : quare quidquid minimum præcipiat Superior, ſi habeat veram rationem præcepti, eſt exequendum. Quod præcipitur, aliquando habet materiam ; & tunc ſi pars minima prætermittatur, ex parvitate materiæ excuſabitur à mortali ; v. gr. ſi cui præcipitur recitare Roſarium, omittat ſemel Salutationem Angelicam.

18. D. Adſuntnè Theſes prohibitæ circa Obſervantiam, & Obedientiam.

M. Innoc. XI. prohibuit 65. 66. 67. & 68. Molinos circa Obedientiam.

19. D. Adſuntnè cenſuræ, contra peccantes peccatis, quæ opponuntur duabus hiſce virtutibus ?

M. In primò §. Bullæ Cœnæ excommunicantur, qui *ſe à Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt*. In reliquis, ubi præcepta imponuntur, vide, num tranſgredientibus adjiciatur pœna.

20. D. Quas Pœnitentias imponam violanti duas haſce virtutes ?

M. Excommunicati, ut num. 10 non abſolventur, niſi ſatisfecerint juxta Bullam. Ubi ſine incurſu cenſuræ quis peccavit, vide cap. 37. num. 19. Ut accendat Pœnitentem ad amorem obedientiæ, Catech. part. 3. cap. 5. à num. 7. totus eſt, ut cum aliis actibus erga Superiores, inculcet obedientiam.

CAPUT XL.

De Virtutibus Retribuentibus, & Vitiis contrariè oppoſitis.

1. VIrtus habet rectificare hominem reſpectu principiorum, quæ dant eſſe, vel operari ſimpliciter, ut Religio erga Deum, Pietas erga parentes, Obſervantia, & Obedientia erga Superiores, & reſpectu principiorum, quæ dant eſſe ſecundum quid, qualis erga beneficiatum

tum eſt benefactor, qui dat eſſe particulare, v. gr. eſſe divitem, honoratum &c. Duo eſſe poſſumus habere ab alio, bonum, & malum: Recipit bonum, qui beneficiatur: recipit malum, qui injuriam ſuſtinet. Utrique debemus reddere proportionatè ad eſſe, quod accipimus. Ideò virtutes retribuentes utrique ſunt partes potentiales juſtitiæ: differenter tamen à virtutibus, jam enumeratis. Illæ reſpiciunt principia noſtri eſſe, vel operari ſimpliciter, ideò in caſu, juxta dicta, nos obligant ſimpliciter, ſeu ſub mortali. Iſtæ reſpiciunt principia noſtri eſſe ſecundum quid; ideò obligant ſecundum quid, non ſub mortali, ſed ex quadam decentia; convenit enim, ut recompenſemus beneficanti nos.

2. Idcircò parum ſiſtemus in earum examine; Sed nihilominus aliquid eſt dicendum; quia ex Rituali part. 1. cap. 7. n. 6. in Confeſſore *requiritur bonitas*. Hæc conflatur exercitio virtutum omnium; & exerceri poſſunt dependenter à judicio *per quandam connaturalitatem*. At plurimum confert judicium *per rationis inquiſitionem*. Inſuper adſunt complures, qui petunt dirigi ſuper exercitio virtutum, etiam non obligantium ad mortale, convenitque illos in confuſo ſaltem inſtruere, & ſcire, unde harum ampliorem notitiam poſſint accipere.

3. Virtutum retribuentium, alia vocatur gratitudo recompenſans benefactorem; alia vindicatio recompenſans malefactorem. De prima, vitioque oppoſito. S. Thom. quæſt. 106. & 107. De ſecunda quæſt. 108.

4. D. Quid eſt Gratitudo, ſive gratia?

M. Eſt virtus inclinans beneficatum ad recompenſandum ſuo loco, & tempore Benefactores pro beneficio. S. Thom. qu. 106. a. 1.

5. D. Qui ſunt actus gratitudinis?

M. Quinque: Primus, eſt *æſtimatio beneficii accepti*, principaliter ex affectu beneficantis: Secundus, *benigna acceptatio* per quam honoratur benefactor: Tertius, *Gratiarum actio*: Quartus, *grata commemoratio*, intra nos, & cum aliis, ubi ſe offert occaſio: Quintus, *Recompenſatio* re, obſequiis, vel precibus ad Deum. Primi quatuor ex S. Thom. art. 3. debent incipere ſtatim: ultimus in re debet attendere circumſtantias, nè videatur redditio ex juſtitia. Hic ultimus debet ſemper ex art. 5. tendere, ut pro poſſe reddat benefactori aliquid majus, quàm acceperit, ſervatis tamen circumſtantiis perſonæ, loci, &c.

6. D. Quæ ſunt vitia contra Gratitudinem?

M. Vitium per exceſſum eſt innominatum. Vitium per defectum vocatur *Ingratitudo*, de qua qu. 107. Habet ſex actus: Primus, eſt *non retribuere beneficium*: Secundus, *diſſimulare non agendo gratias*: Tertius, *oblivíſci*, *& nolle agnoſcere*: Quartus, *Retribuere mala pro bonis*: Quintus, *vituperare beneficium*: Sextus, *beneficium reputare pro maleficio*. Quia gratitudo de ſe non obligat ad mortale, ideò neque hi actus oppoſiti de ſe ſunt peccata mortalia, ſed ſæpè procedunt ex animo aliàs mortaliter peccaminoſo, & diſponunt ad plura mortalia: quare Reos acriter objurga.

7. Quid eſt Vindicatio?

M. Pars potentialis Juſtitiæ, diſtincta à Juſtitia Vindicativa, quæ eſt pars ſubjectiva, & de qua cap. 20. Hæc enim eſt in habente juriſdictionem: Illa poteſt etiam eſſe in privato (dummodò, ut cap. 20. n. 3. non ſe extendat ad inferendum malum injurianti: nam hic actus externus eſt proprius juſtitiæ Vindicativæ) & in eo conſiſtit, quòd ex honeſtate reperta in ſatisfaciendo injuriam, quis amet hanc ſatisfactionem, ſeu recompenſationem proportionatam. Sed pauciſſimi, & fortè nulli reperiuntur, qui ex hoc honeſto motivo ament reparationem injuriæ. Non odiunt injuriam; ſed perſonam injuriantem, quod eſt contra charitatem; ideò vix poteſt exerceri hæc virtus. Adde quòd eſt imperfectior charitate, nec obligat ad ſuum actum. E cõtra Charitas urget nos ad ſuum quemque actum perfectiorem. Ideò totus eſto, ut pœnitens relinquat hunc actum internum Vindicationis ei, cujus eſt exercere externum, nempè, Deo, qui dixit Rom. 12. *Mihi vindicta: ego retribuam*.

8. D. Quæ ſunt vitia contra Vindicationem?

M. Ex S. Thom. art. 2. ad 3. vitium per defectum vocatur *remiſſio*; dum quis minùs, quàm debet, amat recompenſationem injuriarum. Vitium per exceſſum vocatur *Crudelitas*; dum quis amat injurias recompenſari plus, quàm debet. Crudelitas etiam vocatur vitium oppoſitum per exceſ-

exceſſum Clementiæ: ſed illud, amat pœnas externas, ut tales: Iſtud pœnam, ut ſatisfactivam, ſed excedit volendo pro ſatisfactione plus, quam debeatur.

CAPUT XLI.

De Veracitate, ac Vitiis eidem contrariè oppoſitis.

1. POſt quinque virtutes annexas Juſtitiæ, ſed ab ea deficientes, quia non reddunt æquale, explicata eſt Gratitudo reddens æquale, ſed non rigorosè debitum, bebet 1. ſuccedere Veracitas, pariter, ut Gratitudo, reddens æquale, non debitum rigorosè: De hac & vitiis oppoſitis S. Th. q. 109. ad 114.

2. D. In quo conſiſtit Veracitas?

M. Verax, eſt talis in mente, qualem per voces, & ſigna externa (in his locum habent principaliorem voces, inſtitutæ ſolùm ad ſignificandum) ſe exhibet eſſe: Non teneris te exhibere, qualem te eſſe Petrus ſcire deſiderat. v.g. petit à te, utrum comederis non es mendax, ſi taceas neque ſi reſpondeas aliud diſparatum v.g. *hac nocte dormivi*. Soli Superiori legitimè interroganti teneris reſpondere; Nec dico, quòd Petro interroganti, an comederis poma, ſis mendax, ſi tantùm reſpondeas, *Comedi*, nihil addendo de pomis: Nec dico, quòd ſis mendax, dum Petro coram multitudine petenti, an habeans domi enſes, ex circumſtantiis cognoſcis illum interrogare de enſibus aleatoriis, reſponderes non habere enſes, eſtò tota multitudo accipiat illud nomen in propria ſignificatione: Nec dico, quòd nequeas ænigmaticè, metaphoricè, aut myſterioſè loqui, dùm tamen ex antecedentibus, vel conſequentibus appareat per ſigna externa hæc tua intentio interna, ſed dico, quòd teneris eſſe talis in mente, qualem te eſſe illi, cui loqueris, oſtendunt voces, & reliqua ſigna externia, quæ adhibes, adeò ut ſignis externis correſpondeat mens interna.

3. D. Licetnè ex cauſa urgentiſſima uti æquivocatione, aut reſtrictione mentali?

M. Nonnulli docebant; quòd liceret reſtrictio mentalis, & ex cauſa juſta in loquendo uti amphibologiis. Addebatur cauſam juſtam eſſe, *quoties id neceſſarium foret, aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis, ita ut veritatis occultatio cenſeretur tunc expediens, & ſtudioſa*, ſed Innoc. XI. damnans 26. Theſim, declarat, quòd utens mentali reſtrictione in juramento *mentitur*; & 27. quòd cauſæ illæ non ſufficiunt ad rectum uſum amphibologiæ. Extra hos caſus cuique licitum eſt docere, quod magis congruum judicaverit rationi. Qua motus credo in nullo caſu licitam eſſe reſtrictionem mentalem, aut æquivocationem. Quoad primùm ſic arguo. Ex Innoc. XI. ut ſuprà, *mentitur*, qui utitur mentali reſtrictione in juramento, nec ſit mendacium per juramentum, ſed præſupponitur, & divinum nomen invocatum confirmat illud, ut c. 34. num. 2. Porrò mendacium eſt ita intrinſecè malum, ut nulla poſſit honeſtari cauſa, etiam urgentiſſima. Quoad ſecundum: Omnes ultrò concedunt, amphibologiam, ſeù æquivocationem abſque cauſa eſſe illicitam; & ex Inn. eſſe illicitam in caſibus 27. prop. prohibitis: Inde ſic arguo: Tales æquivocationes illicitæ, & peccaminoſæ, ſunt certè contra aliquam virtutem, nec poteſt aſſignari alia virtus, cui opponantur, niſi Veracitas. Peccatum oppoſitum per defectum Veracitatis, eſt mendacim intrinſecè malum; ita, quòd neque poteſt honeſtari ex cauſa ſalvandi totum mundum. Hinc mihi videtur illicita omnis æquivocatio.

4. D. Innumera exempla, pro æquivocatione, aut reſtrictione mentali opinio contraria congerit ex S. Scriptura, vel ex Sanctis?

M. Scripuram ſi nequis explicare, recurre ad myſterium (cujus *multiplicatio non facit æquivocationem* ex S. Th. 1. p. q. 1. a. 10. ad 1.) juxta regulam Auguſtini, & Patrum, quod quæ in Scriptura videntur rationi non congruere, ſint myſticè intelligenda. Addit S. Th. q. 110. a. 3. ad 3. *In Sacra Scriptura, ut Auguſtinus dicit, inducuntur aliquorum geſta, quaſi exempla perfectæ virtutis, de quibus non eſt æſtimandum eos fuiſſe mentitos; Si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum eſt ea figuraliter, & prophetice dicta eſſe ... Quidam verò commendantur in Scriptura, non propter perfectam*

feſtam virtutem, ſed propter quandam virtutis indolem, quia apparebat in eis aliquis laudabilis effectus, ex quo movebantur ad quædam indebitè facienda; & hoc modo Judith laudatur, non quia mentita eſt Holoferni, ſed propter affectum, quem habuit ad ſalutem populi. Tamen antequam damnes, conſidera benè omnia in particulari: Athanaſius ſatellitibus ſe quærentibus reſpondit Athanaſium *non longè abeſſe*, veriſſimum erat in ſenſu litterali, & illæ voces externæ ſignificabant ex ſe, quod erat in mente, licèt ſatellites malè intelligentes decepti fuerint, ſed non per æquivocationem, aut reſtrictionem mentalem Athanaſii.

5. D. Quot ſunt actus proprii Veracitatis?

M. Primus eſt amare veritatem in ſuis dictis, vel factis, quæ ſunt ſigna, ut num. 6. ſecundus nihil ſignificare contra id, quod habetur in mente. Hoc eſt præceptum negativum obligans ſemper, & adſemper (cujus violatio tamen de ſe non eſt peccatum mortale, quia hæc virtus ex num. 1. non obligat debito rigoroſo) tertius patefacere judicium ſuæ mentis, ubi aliàs tenemur: quartus quoad futurum, & in executione, ut exequamur, quod promiſimus, ſi concurrant debitæ conditiones. Neque obligamur ſub mortali ad hunc actum per ſe loquendo, niſi ex vi alterius virtutis, ut quando promiſſio eſt utrinque acceptata; vel læderetur juſtitia diſtributiva, ſubſtituendo minùs dignos: nam tunc tranſit in materiam Juſtitiæ.

6. D. Quæ ſunt vitia contraria Veracitati?

M. Vitium per exceſſum eſt Innominatum. Vitium per defectum, eſt in duplici genere, ſicut in duplici genere ſunt ſigna: Utimur, & dictis, & factis; cum hac differentia, quòd voces ex ſui natura ſunt inventæ ad ſignificandum: facta non ex ſui natura, ſed ex relatione particulari hominis inducuntur ad ſignificandum.

7. D. Quomodo vocatur vitium, quatenus utimur verbis?

M. Mendacium, & 1. dividitur in jocoſum, officioſum, ſeù utile, & pernicioſum. Jocoſum eſt, quando joci gratia mentimur: Officioſum, quando mentimur pro ſalute alicujus: Pernicioſum, quando mentimur in damnum. Hoc ultimum, quia damnoſum, opponitur aliis virtutibus; quare ex ſuo genere eſt mortale, niſi excuſet parvitas materiæ: 2. alia diviſione mendacium generaliter ſumptum dividitur in Ironiam, & Jactantiam: Ironia (non quæ eſt Rhetorum figura) eſt, quando quis dicit minùs, quàm debet, ut ſi Miniſter obligatus dicere Pontifici qualitates omnes promovendi, dicat unicam; Jactantia eſt, quando quis dicit plus, quam debet. Utraque poteſt eſſe jocoſa, officioſa, & pernicioſa.

8. D. Quomodo vocatur vitium, quando utimur factis, tanquam ſignis?

M. Simulatio. Si aeri expono veſtes itineri proprias, ne tinea corrodat, non ſimulo, quamvis alii decipiantur credentes me itineraturum: non ſimulo, quia habeo finem honeſtum: At ſimulo, ſi exponam, ut id alii credant. Ergo, facta non ſunt ſimulatoria, niſi ordinentur ut ſigna decipiendi. Voces, etiam ſi non ordinentur ad decipiendum, imò etiamſi ordinentur in bonum, & utilitatem, [ut mendacia officioſa] ſunt verè mendacia. Quia facta de ſe non ſunt ſigna; ſed dicta ſunt unicè ſigna, nec ad aliud ſunt inſtituta, niſi ad ſignificandum; quare ubi utor illis ad aliud, jam deordino à ſua inſtitutione; & ſic pecco; nam peccare nihil eſt aliud, quàm deordinare.

9. D. Quot ſunt ſpecies ſimulationis?

M. Alia nomine communi dicitur ſimulatio; alia Hypocriſis. Hæc ſimulat ſe habere ſanctitatem, quam non habet. Si quis communicet in peccato mortali, etiam eò, quia contemnit ſacramenta, vel quia diſcredit Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus panis, graviſſimè peccat, & in ſecundo caſu, eſt hæreticus: at non Hypocrita; Erit, ſi communicet volens, quòd ex communione, tanquam ex ſigno, videntes arguant ipſum eſſe juſtum, quando non eſt.

10 D. Hypocriſis eſtnè peccatum mortale?

M. Ex S. Th. q. 111. ar. 3. eadem ratio eſt de mendacio, ſimulatione, ac hypocriſi: nam hæc tria opponuntur veracitati, quæ non obligat de ſe ſub mortali: Sed notat per hypocriſim importari duo, defectū ſanctitatis, & ſimulationem. Qui quoad primùm, ita deficiat à ſanctitate, ſeù juſtitia, quòd non curet ſe juſtificare, quando tenetur, peccat mortaliter. Hoc modo accipitur nomen Hypocritę in Sacra Scriptura;

Digitized by Google

ptura; ſed in rigore ſcholaſtico Hypocriſis formaliter completur in ſecundo: quare ex ſuo genere non eſt mortale; ſed judicabitur ex adjuncto, ut ſi ſanctitatem ſimulet ad falſam doctrinam ſeminandam, vel ut obtineat beneficium, & modò ſit indignus.

11. D. Adſunt ne Theſes prohibitæ circa veracitatem, & peccata oppoſita?

M. Extat 27. Inn. XI. & hanc virtutem tangunt 24. 25. 26. & 28.

12. D. Quas pœnitentias imponam violanti hanc virtutem?

M. Veracitas inſervit pro materia plurium aliarum virtutum, v. gr. Juſtitiæ, ſi Teſtis, vel Reus interrogetur: Religionis, ſi dicta confirmentur Juramento. Cautus igitur eſto, ubi pœnitens dicit ſe mentitum. Ex hoc veluti genere interroga ſpecies, præſertim à mulierculis, quæ mendacio addunt juramentum. Motiva, ut pœnitens inducatur ad odium perjurii, vide c. 16. num. 31. Unde induci poſſit ad odium mendacii, in judicio, ſive extra, hauri ex Catech. p. 3. c. 9.

CAPUT XLII.

De reliquis duabus Virtutibus annexis Juſtitiæ, ſcilicet, Affabilitate, ac Liberalitate, Vitiiſque oppoſitis.

1. Virtus non ſolùm ordinat hominem, ut non decipiat proximum (quod fit per veracitatem) ſed etiam; ut ei convivat, qualiter decet, cùm ſit animal ſociale. Porrò ex Ariſt. 8. Ethic c. 5. *Nullus per diem poteſt morari cum triſti, aut non delectabili*: Virtus ad id inclinans propriè vocatur *Affabilitas*, de qua cum vitiis oppoſitis S. Th. q. 114. 115. & 116. Annectitur Juſtitiæ, quatenus reſpicit proximum, ſed deficit à vera ratione juſtitiæ, quia Affabilitas non dicit debitum rigoroſum: quare nec ex genere ſuo obligat ad mortale.

2. D. Quos actus habet Affabilitas.

M. Non eſt aſſignare actus determinatos, in genere dici poteſt, quòd homo non debet eſſe nimis aſper, neque nimis jucundus in converſando. Debet conſiderare perſonas, tempora, loca, ſtatum &c. Aliter debet ſe gerere cum amicis; aliter cum extraneis prima vice alloquitur. Circa ſtatum: aliter oportet converſari Religioſum, aliter Sæcularem, aliter Hiſtrionem, aut Mimum. Circa tempus, aliter ſe gerere in honeſtis recreationibus, aliter in Choro, aliter in villis. Contriſtabit, quando erit opus, proximum ad bonum illius, exemplo Apoſtoli 2. Cor. 7. *Si contriſtavi vos, non me pœnitet*, præſertim Confeſſor Monialium meminerit illud Eccl. 7. *Filiæ tibi ſunt, ſerva corpus earum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas*: quòd maximè ſervabit in Confeſſionali: dæmon enim ab his incipit, ut ducat ad pejora. Idcircò cavebit ab omni verbo, & actu minùs decente ſanctitatem tanti ſacramenti, memor, quòd de quolibet verbo minùs honeſto poteſt, & debet denunciari tanquam Sollicitator.

3. D. Quæ ſunt peccata contra Affabilitatem?

M. Oppoſitum per exceſſum eſt, quando quis plus quam decet (habita ratione loci, temporis &c.) vult in converſatione delectationem afferre proximo; Et ſi fiat ob utilitatem, quam ſibi inde ſperat, dicitur *Adulatio*; ſi ob delectationem, quam experitur in placendo, dicitur *Blanditia*, ſeù *Blandimentum*. Oppoſitum per defectum vocatur *Litigium*; quo verbis non veremur contriſtare, plus quàm decet, proximum. Si hoc in verbis oriatur ex defectu charitatis unientis animos, eſt Contentio, de qua cap. 14. num. 9. ſi ex eo ſolùm, quòd non curo contriſtare proximum, opponitur Affabilitati.

4. D. Quid ſunt Liberalitas, & vitia oppoſita, de quibus S. Thom. quæſt. 117. 118. & 119.

M. S. Auguſt. l. 2. de lib. arb. c. 19. ait pertinere ad virtutem benè uti his, quibus poſſumus malè uti; Hinc diſtinguuntur diverſæ virtutes, quia diverſis rebus malè, vel benè poſſumus uti. 1. Virtus Fidei, quia poſſumus benè, vel malè credere. Credit malè, qui credit aliquid ut revelatum à Deo, quod non eſt, vel è contra: 2. Spes quia poſſumus benè, vel malè ſperare, præſumendo plus quàm deceat de Miſericordia, & Omnipotentia Dei &c. Eodem modo diſſere de reliquis. Cumque pecunia, & bonis externis benè, vel malè poſſimus uti, ideò Philoſophi, ac Theologi Morales agnoſcunt Liberalitatem, ut Virtutem, qua inclinamur ad benè utendum pecunia (quo nomine veniunt omnia bona, quæ pecunia poſſunt æſtima-

æſtimari) Ex duplici capite annectitur Juſtitiæ: 1. quia eſt ad alterum: 2. quia eſt circa res exteriores, ut Juſtitia; & deficit ab ea etiam ex duplici capite: quia Liberalis non reſpicit debitum alteri, ſed quod eſt conveniens ſibi: nec enim donat juxta neceſſitatem beneficati, ſed juxta propriam commoditatem: 2. quia non attendit debitum rigoroſum, ſed convenientiam.

5. D. Qui ſunt actus proprii Liberalitatis?

M. Ex S. Th. q. 117. art. 3. ad 3. primus eſt moderari paſſiones internas circa pecuniam, ut, neque nimis, neque minùs appetatur, quæratur, retineatur, aut profundatur: ſecundus, inter externos principalis, ut effundatur in uſum proximi, tertius, ut expendatur in uſum habentis ipſas; hic debet præcedere alium tempore, ſed ille, utpote perfectior, reſpectu virtutis eſt principalior, maximè, quia ſupponit unumquemque ſibi providiſſe, ut decet: nec enim eſſet verus actus virtutis, ſi quis, quando debet, oblivisceretur ſui, ut provideret aliis: quartus eſt, mediis licitis, & convenientibus cujuſque ſtatui, providere, & conſervare pecunias ad effectum expendendi, & erogandi. Art. 4. ad 3. ponit duos verſus explicantes naturam Liberalis.

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi.
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

quare debet curare fructus ſuarum poſſeſſionum, ſed nihil ab aliis petere.

6. D. Quod eſt vitium contrariè oppoſitum per exceſſum Liberalitati?

M. *Prodigalitas* habens magis dare, quàm deceat, attentis circumſtantiis. In hoc excedit, & deficit in retinendo, ſeù conſervando: nec enim conſervat, quando debet. S. Thom. qu. 119. Hæc de Prodigalitate ſufficiunt: In facti contingentia ſæpè conjungitur peccatis mortalibus, & præſertim contra Caſtitatem. Vide ergo, ad quem finem prodegerit ſua, ut habeas perfectè ſtatum Pœnitentis.

7. D. Quomodo vocatur peccatum per defectum oppoſitum Liberalitati?

M. Avaritia, quæ deficit in dando, & excedit in retinendo. S. Th. q. 118. Neque hoc ex genere ſuo eſt mortale, ut p. 1. c. 34. n. 6. ſi non ſit conjuncta violationi virtutis obligantis ad mortale, quod ordinariè contingit, ideò exquire, num, nimis excedendo in amore, ac retentione pecuniæ, violaverit juſtitiam, negando, aut differendo mercedem operariis; charitatem, retinendo ſua in neceſſitate proximi. Præterea ex Avaritia, ut Vitio Capitali, habent ordinariè oriri plura vitia. Quære prudenter illa.

8. D. Quæ ſunt filiæ Avaritiæ?

M. Prima eſt *Proditio*, ut ex avaritia Chriſtum Judas prodidit; & importat pluſquam unum ſpecie peccatum: Injuſtè enim proditur patria, amicus &c. unde ſimul involvit injuſtitiam, & fraudem contra perſonam: ſecunda *Fraus*. Ex c. 16. n. 5. Fraus conſiſtit in factis; & eſt genus comprehendens fraudem, de qua ibi, & fraudulentiam in emptione, & venditione, de qua c. 27. n. 2. Tertia *Fallacia*, ſeù Dolus conſiſtens in verbis, de quo cap. 16. n. 5. & c. 40. n. 7. Quarta *Violentia*, de qua c. 24. n. 8. Quinta *Perjurium*, de quo c. 36. num. 9. Sexta *Inquietudo* includens duo genera peccatorum, Sollicitudinem temporalium, & Sollicitudinem futurorum, de quibus c. 16. nu. 7. & 8. Septima *Obduratio contra Miſericordiam*, ſeù Obſtinatio; Continetur ſub quarta ex blaſphemiis in Spiritum Sanctum adductis c. 4. num. 12. Nam ibi dicitur Obſtinatio in omni genere peccati, & hic ſpecificatur Obſtinatio contra Miſericordiam, peccatum dono Sapientiæ oppoſitum, & omninò inhumanum, eſtò enim humanum ſit aliquando non miſereri, beſtiale tamen eſt obfirmare animum contra Miſericordiam.

9. D. Quas pœnitentias imponam ſe accuſanti de peccatis contra prædictas virtutes. Affabilitatis, & Liberalitatis?

M. Motiva ad primam collige ab excellentia charitatis fraternæ, ut Catech. par. 4. cap. 9. à n. 14. ad 18. Vitia oppoſita liberalitati redargue ex neceſſitate faciendi eleemoſinam, ut ibidem p. 3. c. 8. à nu. 16. Contra prodigalitatem conſidera n. 19.

CAPUT XLIII.

De Dono Pietatis correſpondente Juſtitiæ.

1. TRiplici adhuc quæſtione S. Th. integrat tractatum de Juſtitia, Virtutibuſq; annexis. In 120. agit de Epicheja, de qua c. 18. n. 3. quia eſt pars ſubjectiva Juſtitiæ legalis; quare ſimul cum hac fuit tractata. In 122 de præceptis Decalogi, quæ continent materiam Juſtitiæ, cæterùm

S 2 quæ

quæ nos obligent virtutes ſub præcepto, & ad quos actus, & quos prohibeant, dictum eſt ſuis locis. Unicè reſtat dicere circa donum Pietatis, de quo q.121.

1. Quid eſt Pietatis donum?

M. Habet reſpicere Deum, ut Patrem noſtrum, qui nos lavacro regenerationis adoptat in filios, ut ſimus hæredes Dei, & cohæredes Chriſti. Nulla virtus Moralis habet colere Deum ut patrem: Religio colit ut Creatorem, & Dominum: Pater fit nobis per charitatem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum; Et ita habemus poſſe Deum colere ut patrem ex dono Spiritus Sancti, quod vocatur Pietas. Ut ex virtute Pietatis tendimus in omnes conjunctos patri danti nobis eſſe filii, ſic ex dono Pietatis reſpicimus omnes conjunctos Deo in ratione filii adoptivi, quos conſideramus ut fratres, præcipuè Sanctos ita Deo conjunctos, ut jam actu, & inamiſſibiliter poſſideant plenitudinem hæreditatis.

2. D. Qui fructus, & Beatitudines correſpondent huic dono?

M. Ex fructibus directè correſpondent quintus, & ſextus, nempè, *bonitas* accepta pro benevolentia, & *benignitas* pro beneficentia. Indirectè octavus, nempè, *Manſuetudo*. Circa beatitudines ponderanda eſt Angelici reverentia ſingularis erga ſuum Magiſtrum Auguſtinum. Ordine ſcientifico deberet correſpondere quarta, & quinta; *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam &c. Beati miſericordes &c.* ſed ut ſequatur Auguſtinum, ponit eidem correſpondere ſecundam, nempè, *Beati mites &c.* Hi ſunt perfecti actus doni Pietatis.

4. D. Affer peccata oppoſita?

M. S. Th. meminit q. 159. art. 2. ad 1. ſolum unius peccati dono Pietatis oppoſiti, quod eſt *Crudelitas*. Ex p.1.c.34. n.8. peccata beſtialia, & inhumana opponuntur donis. Pietas correſpondet Juſtitiæ, Virtutibuſque annexis: quare peccata his oppoſita, ſi veluti ſint brutalia, erunt contra donum. Tale erit fortè peccatum, quo quis occidit mercenarium, qui petit à ſe mercedem ſui laboris, ut hodie vivat, cùm debitor commodiſſimè poſſit ſolvere. Contra Religionem, ſi quis verè credens Chriſtum contineri ſub ſpeciebus Euchariſticis, ut illum injuriaret, canibus Euchariſtiam manducandam projiceret, &c. Superſedeo alia explicare. Nam peccata brutalia erant innominata toti Philoſophiæ Morali Gentilium: & erubeſco me Theologum ſupponere inter fideles peccata, quæ nec Æthnici poterant cogitare. Ut ut ſit, ideò ſunt rariſſimè contingunt; ſupra ſphæram hujus operis.

CAPUT XLIV.

De Fortitudine, ut eſt Virtus, & Donum, Vitiiſque oppoſitis, Tertia Virtute Cardinali, & Dono Spiritus Sancti, Vitiiſque oppoſitis.

1. POſt virtutes Theologales, nec non Cardinales, Prudentiam in intellectu, & Juſtitiam in voluntate, progredior ad Fortitudinem & Temperantiam moderativas paſſionum, quia omnia ferè peccata experimur oriri ex harum inordinatione, quibus appetitus ſenſitivus excitatur, & trahit voluntatem ad ſuum objectum taliter, ut paſſione extincta, ſæpè ſtupeamus, & gemamus nos adeò fuiſſe debiles; & tunc diffundimur in mille propoſita potiùs in poſterum moriendi, quàm peccandi, ſed reviviſcente paſſione relabimur; Id, quia virtute non didicimus moderari paſſiones. At quomodo Magiſter moderationis erit Confeſſor, qui pœnitus ignorat, quomodo moderandæ veniant, carens judicio *per quandam connaturalitatem*, quia in ſe non moderatur, & judicio *per rationis inquiſitionem*, utpotè qui non attingit ſcientiam Fortitudinis, & Temperantiæ.

2. D. Iſtæ virtutes ambæ ne indiſcriminatim moderantur quaſlibet paſſiones?

M. De Temperantia dicetur ſuo loco: Fortitudo moderatur quinque paſſiones Iraſcibilis, nempè, Spem, Deſperationem, Timorem, Audaciam, & Iram, de quibus p.1.c.32. n.4.

3. Quid eſt Fortitudo?

M. Nomine fortitudinis primò accipiunt quandoque Patres firmitatem animi in quolibet opere virtuoſo. In hoc ſenſu non eſt ſpecialis virtus, ſed generalis conditio virtutis. Nam quælibet ex ſui natura habet firmiter operari: quòd homo deficiat aliquando, non ex defectu virtutis procedit, ſed ex hominis mutabilitate. S. Thom. 2. 2. quæſt. 61. art. 4. & hic q.123. a.2. ſecundò importat firmitatem animi ad ſuſtinenda, & repellenda quædam pericula graviora. Hoc modo eſt tertia Virtus Cardinalis, habès ſub ſe alias virtutes diſtinctas, & annexas, ut de Ju-

ſtitia

Digitized by Google

ſtitia fuit offenſum: & diſtinguuntur juxta diverſa in gravitate pericula ſuſtinenda, & repellenda. In hoc ſenſu de hac agit S. Thom. à q. 123. ad 141. ſimul explicans fortitudinem; prout eſt donum Spiritus Sancti. 3. accipitur pro virtute nobiliſſima inter moderativas motuum Iraſcibilis; & hæc eſt una ſpecie tantùm; de illaque S. Th. q. 123. & 124.

4. D. Quomodò dignoſcitur excellentia virtutis hujuſce?

M. Præ omnibus maximè timere debemus pericula mortis: quare nobiliſſima eſt virtus, quæ habens ita moderari paſſiones circa hæc pericula, ut ob bonum virtutis aggrediamur magna, vel ſuſtineamus, etiam, cum periculo vitæ, facit nè nimis timeamus mortem: & moderatur audaciam nè aggrediamur plus, quàm dictet ratio. Porrò ſe morti exponere ob bonum virtutis, utpotè difficile, eſt etiam valdè nobile, ſed adhuc dari poteſt aliquid excellentius: qui ſe morti exponit, ut charitativè ſubveniat peſte infectis; quia hoc eſt valde difficile, etiam eſt valde bonum; ſed, quod maximè refugiunt homines, eſt, ſi cogantur pati, & præcipuè mortem, eo, quia ſequuntur virtutem. Qui ſuis peccatis promeretur mortem, virtuoſè illam acceptat, & virtuoſus Parochus, qui videns imminere ſibi mortem, ſi ſuum exerceat officium erga infectum peſte, contemnit, ne deſit ſuo muneri, ſed virtuoſiſſimum eſt, ſi exponat morti eò, quia hoſtes nolunt illum exercere ſuum officium, quod agnoſcunt, eſſe virtuoſum. Hic igitur actus, utpotè nobiliſſimus, eſt proprius fortitudinis, quæ primum locum obtinet inter virtutes moderativas Iraſcibilis.

5. D. Quæ eſt materia Fortitudinis?

M. Remota, ſunt pericula mortis imminentia ob bonum virtutis ab eo, qui apertè dimicat contra virtutem, quia ſequimur virtutem. Quare fortitudo exercetur in bello: quo nomine venit omnis impugnatio etiam privata, ob ſequendam virtutem; & ſi ſit fortitudo Chriſtiana, verſatur circa pericula mortis imminentia ob bonum virtutis Chriſtianæ, annexæ fidei, quatenus omni Chriſtiana virtus eſt quædam proteſtatio fidei. Materia proxima ſunt quinque paſſiones Iraſcibilis. Sed principaliter moderatur Timorem, & Audaciam, quæ magis proximè concurrunt ad actus principales Fortitudinis.

6. D. Qui ſunt hi actus principales?

M. Sunt duo: aggredi pericula mortis ob bonum virtutis; & eadem ſibi imminentia ſuſtinere uſque ad mortem. Hic eſt principaliſſimus: Eccleſia recognoſcit, qui hunc eliciunt, uti veros, & proprios Martyres, etiamſi miraculoſè non ſequatur mors, dummodò talia ſint pericula, ut hic, & nunc, nata ſint inferre mortem. Dicuntur aliquando Martyres, qui ſubvenientes peſte infectis ex charitate, mortui ſunt, ut in Martyrologio 28. Februarii. Colitur quaſi Martyr. S. Lucas, *qui crucis mortificationem jugiter in ſuo corpore, pro divini nominis honore portavit.* Sancti Martini anima dicitur *martyrii palmam non amiſiſſe, & ſi eam gladius perſecutoris non abſtulerit.* Hi, habuerunt actum internum fortitudinis excellentiſſimum, ſed non externum ſuſtinendi mortem. Cujus gravitate, aliquando voluntas retrocedit, ut habentes propoſitum non peccandi, ex tentatione retrocedunt. Nec item colitur ut martyr Sanctus Chryſoſtomus: utique obiit ob vexationes ſibi inflictas; At quia Imperator illum vexabat, credens reum, ex malis ſuggeſtionibus inimicorum, non impugnabat illum formaliter, quia ſequeretur bonum virtutis, ſed ex ignorantia facti, credebat ſe juſtè impugnare.

7. D. Ad quàm virtutem ſpectabat horum ſuſtinentia?

M. Ad Patientiam, de qua c. 46.

8. D. Ad quam virtutem ſpectabat ſuſtinentia Chriſtianorum, exiliatorum, quia erant Chriſtiani?

M. Ad fortitudinem: Et ſi tales erant ærumnæ, ut inde ſequeretur mors illarum vi, erat actus perfectiſſimus fortitudinis. Si non tales, erit magis, vel minùs perfectus, juxta majorem, vel minorem gravitatem periculorum, quæ patimur ob bonum virtutis.

9. D. Quid dicam de Militibus in bello?

M. Contra Tyrannum invadentem, quia odio habet bonum Reipubl. exercent primum actum Fortitudinis Politicæ, qui eſt aggredi. Contra Turcam invadentem, ut deleat nomen Chriſti, erit actus fortitudinis Chriſtianæ, ſed non perfectiſſimus,

nequè martyrium, eſto moriantur, quia armorum, & cum animo aggrediendi, ſe morti exponere, non eſt ita perfectum, ut inemiem obviare:

10. D. Ut ſit perfectus, requiriturne, quòd fortis delectetur in actu ſuſtinendi?

M. Complures Chriſtiani, alias pii, ſe in tribulationibus, exiſtimant non eſſe fortes, aut patientes, quia non cognoſcunt ſe gaudere in illis; nonnulli, ab infirmo doloribus acutiſſimis vexato exigunt, ut gaudeat, vocantque impatientem, ſi motus aliquos doloris excitet. Ex quæſt. 133. art. 8 non eſt neceſſe, quòd fortis, & patiens in tribulatione gaudeat: ſufficit, quòd voluntariè non triſtetur. Equidem voluntas dum habet imperare, vel exercere actum virtuoſum, habet etiam de illo gaudere, ſed non, quando vehementiùs dolet corpus, quia dolor corporalis impedit voluntatem, ne exeat in actum gaudii: Si Sanctus aliquis viſus eſt gaudere inter cruciatus, fuit ex Dei gratia ſpeciali.

11. D. Quæ integrant actum fortitudinis?

M. Quatuor: Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perſeverantia. Sant. Th. q. 128. art. 1. Duæ primæ integrant actum aggrediendi: ſecundæ actum ſuſtinendi. Aliquando aſſumuntur tanquam virtutes annexæ; ſed in hoc ſenſu: loquar de illis cap. 45. Magnanimitas eſt animus promptus ad ſubeunda quælibet, etiam magna pericula mortis: Magnificentia eſt ſuſceptio voluntaria grandium periculorum mortis, quando illa debemus aggredi ob bonum virtutis, ita quòd ex eorum vehementia, in opere non deſiſtat à magnanimitate. quam præferebat ſine hoſte. Quia dum ſuſtinentur, illorum vi poſſet animus deflectere à magnanimitate, & magnificentia, quibus ſuſcepit: 3. ne deficiat, neceſſaria eſt patientia. Et quia ſæpè longitudo tormentorum dejicit animum, quem dejicere non potuit gravitas, ad integrandum Fortitudinis actum 4. requiritur Perſeverantia.

12. D. Obligat ne Fortitudo ad actum?

M. Obligat ad actum internum, ſeù ad promptam voluntatem, qua ſimus parati etiam ſubire pericula mortis, ubi unum ex duobus immineret, vel Deum offendere, vel mori. Vide p. 1. c. 13. n. 2. nec enim tentandus eſt penitens; ſufficit ita voluntas implicite, maior appretiativè erga Deum, licet intenſivè ſit major erga vitam. Ad actum externum obligamur in caſu: Ex p. 1. c. 34. n 6. virtutes tunc obligant ſub mortali, quando ſine illis nequit ſervari charitas; ergo ſi charitas eſſet perdenda, vel vita, obligaremur, ſuſtinere mortem ab hoſtibus illatam ob bonum virtutis. Ideò dari poteſt caſus, quòd Martyrium ſit in præcepto.

13. D. Obligat ne tunc per ſe, vel per accidens?

M. Ex p. 1. c. 38. n. 16. obligari per accidens ad aliquem actum, ubi omittimus, non tenemur explicare; & illa obligant per accidens, quæ obligant ratione alterius; Et obligamur ad actum fortitudinis ratione charitatis, aut alterius virtutis, quæ ſit proteſtatio fidei Chriſtianæ operantis per dilectionem, qua fides Chriſtiana eſt: quarè Chriſtianus, qui timens occidi à Mahumettanis abnegavit fidem non tenetur explicare, quòd omiſerit fortitudinis actum, ſed Apoſtaſiam, reliqua peccata.

14. D. Quando ſub mortali obligaremur excuſaretnè parvitas materiæ?

M. Quòd Chriſtianus teneatur ex præcepto ad actum fortitudinis, vix poteſt contingere inter Catholicos. Ex n. 8. fortitudinis actus eſt non ſolùm ſubire mortem ob bonum virtutis, ſed etiam ſubire alia tormenta, & pericula minora, ita quod imperfectius ſit ſubire minus periculum. Igitur fingamus in odium fidei, hoſtem tibi comminari amiſſionem duorum obolorum. Formaliter impetit bonum Fidei, vel alterius virtutis, quod eſt indiviſibile, ideò vel totum perditur, vel nihil, & quò minus malum intentat, eo gravius peccat, non ſubeundo propter virtutem.

15. D. Quæ ſunt peccata contra Fortitudinem?

M. Ex num. 6. duo ſunt actus fortitudinis, *Aggredi*, & *ſuſtinere*. Utrique ſunt peccata contrarie oppoſita per exceſſum, & defectum. In actu ſuſtinendi debemus principaliter moderari timorem, ita quòd nec excedamus, nec deficiamus in timendo mortem: Eſt enim timenda, ſed moderatè, ita quòd vitam non exponamus, niſi quando eſt exponenda. Igitur peccatum

per

Digitized by Google

per exceſſum oppoſitum huic actui eſt *Timor mundanus*. De quo cap. 9. num. 2. S. Thom. quæſt. 125. Peccatum per exceſſum, vocatur *Impaviditas*, ratione cujus homo magis, quàm debet, exponit vitam propriam & bona temporalia. S. Thom. quæſt. 126.

16. D. Quæ ſunt peccata contra actum Aggrediendi?

M. Peccatum per defectum S. Thom. relinquit innominatum: Cajetanus nominat *Vecordiam*, qua homo, ut debet, & poteſt, ſive per ſe, ſive per alios, deficit in audendo ad aggrediendum: Peccatum per exceſſum, retinet ſibi nomen *Audaciæ*. S. Thom. q. 127.

17. D. Peccata, his duobus actibus oppoſita; ſunt nè mortalia ex genere ſuo?

M. Ex part. 1. cap. 34. num. 6. non ſunt, niſi in caſu, quo fortitudo ſub mortali obligat: Prohibentur per accidens, ut num 2.

18. D. Quid eſt Fortitudo donum Spiritus Sancti?

M. Ex n 11. virtuti Fortitudinis, ut pars integralis, eſt aſſignata Magnanimitas, ſeu prompta voluntas aggrediendi, & ſuſtinendi pericula mortis (quæ ſunt maxima, & omnium terribilia) ob bonum virtutis. At iſta de ſe non habet excitare ad hanc partem integralem, neque ad tres dependentes, nàm principale incitamentum, quo ferimur in tormenta, eſt ſpes per illa perveniendi ad fælicitatem. Infirmus eligit medicinas, ferrum, & ignem, ſpe ſanationis, qua ſi deſtituatur, recuſat omnia. Virtus igitur non poteſt excitare ad magnanimitatem, & reliquas partes in ſubeundis periculis uſque ad mortem, quia mors tollit omne bonum. Sed in homine juſto Virtutes Theologicæ oſtendentes illi deberi vitam æternam, in qua gaudebit perfectè de victoria, etiamſi moriatur in præſenti, imperant hanc animoſitatem, ſeu fiduciam ſubeundi mortis pericula, cum tribus aliis partibus integralibus; & ut inclinetur homo ad hos quatuor actus, movet Deus hominem per donum Fortitudinis.

19. D. Qui fructus, & quæ Beatitudo correſpondet huic dono?

M. Quarta: *Beati qui eſuriunt; & ſitiunt juſtitiam*. Eſt enim valdè arduum habere inſatiabile deſiderium juſtitiæ, ſeu ſanctitatis. Ex fructibus correſpondent Patientia, & Longanimitas.

19. D. Obligaturnè Chriſtianus aliquando ad actum doni Fortitudinis?

M. Si obligatur ad actum Virtutis, debet 1. animari, 2. ſubire pericula mortis; 3. in illis ſe habere patienter: 4. longanimiter: omnia hæc ex dono; nam debet moveri ob finem charitatis perfectæ, ſaltem obtinendæ.

20. D. Quæ ſunt peccata contra hoc donum?

M. Utpotè beſtialia, & inhumana, ſunt innominata. Finge quidquid inhumanè timet homo, nè ſæculi voluptatibus privetur; alias certus de vita æterna, quam operatur momentaneum, ac leve tribulationis noſtræ pondus.

21. Cum nullæ ſint Theſes prohibitæ circa Fortitudinem, nec cenſuræ, ſcito, quòd pauci peccant peccato Audaciæ, aut Intimiditatis; & qui peccant, ſæpiſſimè ſuo ipſi damno corriguntur. Frequentiùs peccatur peccato Timoris mundani: quę iſtis ad pœnitentiam motiva debeas inculcare, habes c. 10. n. 5.

CAPUT XLV.

De Magnanimitate, & Magnificentia Virtutibus Fortitudini annexis. Vitiiſque oppoſitis.

1. QUia præter pericula mortis, dantur alii caſus ardui, in quibus oportet moderari paſſiones Iraſcibilis, præcipuè Timorem, & Audaciam, dandæſunt Virtutes Moderativæ; Aggredi poſſumus opera, quæ promittant honores magnos, vel quæ, ut compleantur, exigant ſumptus magnos. In his aggrediendis moderandæ ſunt ſpes, Audacia, & Timor, ne audeamus ſuprà vires, & nè nimis dejiciamur. Ad hoc ſunt duæ virtutes, Magnanimitas circa honores magnos, & Magnificentia circa ſumptus magnos. Philoſophi plures virtutes annectunt Fortitudini; Sanct. Thom. reduxit ad quatuor: Duæ primariò reprimunt Audaciam, *Magnanimitas*, & *Magnificentia*; duæ primariò Timorem, *Patien-*

tia, & *Perſeverantia*. *Conſtantia*, & *Longanimitas*, nominantur frequenter: Diſputamus de metu cadente in conſtantem virum: Longanimitas, connumeratur inter fructus Spiritus Sancti. Sed potes comprehendere ſub illis quotuor; Sanct. Thom. de Conſtantia quæſt. 137. art. 3. de Longanimitate quæſt. 136. art. 5. de fiducia, & ſecuritate quæſt. 129. art. 6. & 7.

1. D. Quomodò Magnanimitas tendit in magos honores: ſi hos quærere eſt peccatum?

M. Quærere falſos eſt peccatum: quærere veros, virtuoſum, dummodò quærantur, moderatè, ac ſecundariò: quid magis honorabile, quàm eſſe filium adoptivum, & hæredem Dei, ac cohæredem Chriſti; De hac excellentia in ſociis, teſtimonium, ſeù honorem (honor eſt ſignum atteſtativum excellentiæ) reddunt in patria ſinguli Sancti, per amorem, per glorificationem &c. Imò, & hic in via teſtimonium reddit ſæpè Deus per miracula. Falſus honor eſt, qui non fundatur in virtute. Verum omnes poſſumus, & debemus quærere, ſecundariò tamen, non primariò: Debemus primariò quærere charitatem in via, viſionem in patria, ad quæ ſequitur honor ille cœleſtium civium &c. Et ita primariò tendentes in cauſam, ſecundariò tendimus in effectum, & tendentes in maximam charitatem; tendimus in maximum honorem.

3. D. Licetnè tendere in mediocres?

M. Dummodò ſint veri, & ſecundario quæſiti, licet; Porrò ad mediocres tendimus per virtutem à Magnanimitate diſtinctam, & innominatam, quæ dici poteſt Philotimia. S. Th. q. 129. a. 2. Quare aut ſint diſtinctæ virtutes, vide cap. 14. num. 2.

4. D. Virtus Chriſtiana in id tendit, ut quiſque deſpiciat ſe ipſum per humilitatem.

M. Virtutes omnes invicem ſunt connexæ veluti ſorores; Magnanimitas Chriſtiana erigit ſpem, ut per moderatam audaciam tendat ad magnos honores, qui ſunt poſſibiles magnanimo non conſiderato ſecundum vires proprias, ſed ſecundum vires ſibi à Deo collatas per gratiam; quod enim poſſumus per amicum, ſimpliciter poſſumus (præcipuè per Deum amicum, qui nunquam deſerit hominem, niſi prius deſeratur ab homine) Humilitas autem reprimit ſpem, nè præſumat homo tendere ad magna per proprias vires. Ideò quiſque debet eſſe humilis, conſiderando ſe nihil poſſe: debet indignum ſe reputare veri honoris, quia illum meretur ex gratia Dei. At ſi cognoſcat in ſe aliquid ex Deo, cum ſumma humilitate, poteſt exigere ſibi honores convenientes ratione talis doni: v.g. Epiſcopus poteſt exigere honores Epiſcopatui à Deo ſibi conceſſo debitos.

5. D. Quæ ſunt proprietates Magnanimi?

M. Plures affert Sanct. Thom. tota quæſt. 128. præſertim ar. 3. ad. 4. Vide illum.

6. D. Obligatnè Magnanimitas ſub mortali?

M. Aliquando, ut cap. 44. num. 12. ad martyrium: ſed ad magnum, ut magnum hic, & nunc, (quod reſpicit Magnanimitas) non poſſumus obligari, quia non dicitur hic, & nunc magnum; niſi quod eſt ſupererogationis, non neceſſitatis.

7. D. Quæ ſunt vitia contrariè per exceſſum oppoſita Magnanimitati?

M. Ex. n. 2. Magnanimitas duo reſpicit: primariò opera magna: ſecundariò honores magnos conſequentes ad opera; ex quibus tertiò reſpectu aliorum ſequitur gloria, ſeù clara notitia illius, qui exercuit opera magna; Poſſumus excedere in omnibus his tribus.

8. D. Quod eſt peccatum excedens in primo?

M. *Præſumptio*, per quam homo ſuprà vires ſuas, vel à Deo ſuppeditatas, erigit animum, ut audeat ad magna. Diſtinguitur à præſumptione oppoſitâ Spei Theologicæ, ut cap. 10. num. 4. nam hæc præſumit ad obtinendum Deum: illa ad obtinendum, quæ ſunt magna extrà Deum. Hæc de ſe non eſt peccatum mortale. Vide p. 1. c. 34. n. 6. S. Th. q. 132.

9. D. Quod eſt peccatum excedens in ſecundo?

M. *Ambitio*, quæ eſt appetitus inordinatus honoris: Ex n. 3. honor mediocris eſt objectum Philotimiæ: magnus Magnanimitatis: Quia hæ ſunt virtutes diſtinctæ, etiam

etiam Ambitio primæ oppoſita erit diſtincta ſpecie ab Ambitione oppoſità ſecundæ: Ex p. 1 c. 34. n 7. utraquæ eſt ſubdividenda in quatuor ſpecies. 1. eſt appetitus falſi honoris: 2. ſi appetamus verum, quem non meremur: 3. ſi quem meremur, appetamus, ut debitum abſolutè nobis, non ex gratià Dei, 4. ſi quieſcamus in ipſo, tanquam in fine. S. Thomas q. 131.

10. D. Qui nam eſt verus, qui falſus honor?

M. P. 1. c. 31. n. 5. ſtabilitum eſt delectationem ſequi naturam actus: Ita erit verus honor, qui ſequitur ad actum bonum: ille falſus qui ſequitur ad actum malum. Eritque peccatum quærere honorem, qui ſequitur ad actum peccaminoſum.

11. D. Hi modi appetendi honorem, ſuntnè ex genere ſuo peccatum mortale?

M. Ex p. 1. c. 34. n. 6 non erunt mortalia ex genere ſuo, ſed ſolum, quando ex aliis capitibus appetitus honoris habet deſtruere charitatem.

12. Uultimus modus videtur ſemper peccatum mortale; nam ex p. 1. c. 37. n. 9. quieſcere in creatura, tanquam in fine ultimo, eſt peccatum mortale?

M. Peccamus, quieſcendo in honore, tanquam in fine proximo. Creaturarum nulla poteſt amari ut finis ultimus. At quædam, ut finis proximus: quædam unice, ut medium, & eſt peccatum quieſcere in illis, tanquam in fine proximo: Quæ ex ſui naturà dicunt rationem boni honeſti poſſunt amari, ut finis proximus: quæ ſunt indifferentia, ut amentur honeſtè, vel inhoneſtè, unicè poſſunt amari, ut media ab bonum honeſtum. Divitiæ, honor &c. indifferenter amari poſſunt, honeſtè, vel inhoneſtè; propterea debent unicè amari ut media. Proximus, virtutes &c. amantur honeſtè; ideo poſſunt amari ut finis proximus; qui vel quò ut ſingulis convenit.

13. D. Quod eſt peccatum excedens in tertiò?

M. Inanis gloria. Hæc poteſt appeti, ut ex n. 2. honor, & iiſdem modis, quibus ex n. 9. peccamus in appetendo honorem, peccamus in appetendo gloriam, S. Thomas q. 132.

14. D. S. Greg. enumerat inanem gloriam inter vitia capitalia; quare erunt octo?

M. Reverenter ſunt ſuſcipienda Sanctorum dicta, & piè ſunt exponendi, ubi videntur ſcripſiſſe contrà comunem ſenſum; Innocent. XI. prohibuit cenſurari Theſes adhùc diſputatas inter Catholicos Modernos, eſtò in illis non nemo fortè ſit laxior; quantò minùs debes notare Sanctos Patres, qui, velis, nolis, à Deo poſiti ſunt Magiſtri totius Chriſtianæ Moralis, ſaltèm quoad principia; licet non individuent caſus particulares peccatorum qui ſunt infiniti, & refrigeſcente in dies charitate, ab eorum temporibus ad noſtra creverunt, & numero, & gravitate, ut c. 2. n. 4. ubi audiſti graviora quædam peccata etiam ipſis Philoſophis innominata, & tamen hodie committuntur non infrequenter, Igitur SS. PP. dicta, & principia venerabilius debent ſuſcipi, quàm doctrina Philoſophorum, ubi agitur de virtute Morali, & Chriſtianà. Ita procedit S. Th. q. 132. a. 4. Ait aliquos ponere ſuperbiam, ut primum vitium capitale: Juxtà hos quatuor vitia capitalia ſunt mortalia ex ſuo genere. S. Greg. poſuit ſuperbiam, ut univerſalem radicem omnis peccati, etiam capitalium, & inanem gloriam, ut primum capitale vitium. In qua acceptione tria tantùm ex capitalibus erunt mortalia de naturà ſuà, nam Inanis gloria, utpotè oppoſita Magnanimitati, non eſt talis. Et juxtà p. 1. c. 34. n. 6. ex S. Th. 1. 2. q. 84. a. 4. quæ ponitur capitale vitium includit ambitionem.

15. D. Credebam Theologiam Moralem eſſe deſumendam ex Modernis, nullo habito reſpectu ad Patres. Video recurrendum ad illos pro principiis, & ſtudendum Modernis; quatenùs ex regula univerſali Patrum decidunt caſus particulares. Ita procedens erit ille pater familias, qui Matt. 13. *profert de theſ. uro ſuo nuova, & vetera.* Aſſignà jam filias *Inanis gloriæ.*

M. *Septem*. Prima eſt *Inobedientia*, de quà c. 38. n. 16. Secunda *Jactantia*, de quà c. 40. n. 7. & S. Th. q. 112. præſertim a. 1. ad 2. Tertia: *Hypocriſis*, de quà c 40. n. 10. Quarta: *Contentio*, de quà c. 14. n. 9 Quinta: *Pertinacia*, de quà c. 47. n. 6. Sexta *Diſcordia*, de qua c. 14. n. 8 Septima: *Præſumptio novitatum*. De Præſumptione dictum eſt n. 8. Filia Inanis gloriæ eſt iſta ſpecialis *Præſumptio novitatum*; quarè non genus, ſed ſpecies conflata, ex actu, & materià, circà quam verſatur oritur ab Inani glorià.

16. Ex

16. Ex S. Th., qui Patrum omnium in ſuâ Summa eſt compendium, explica peccata contrariè per defectum oppoſita ?

M. Unicum nominat per defectum contrariè oppoſitum Magnanimitati (eodem nomine vocatur oppoſitum Philotimiæ) & eſt *Puſillanimitas*. Peccat hoc peccato, qui habens vires (præſertim à Deo ſibi collatas) ad aggrediendum opus magnum, & magno, ac vero dignum honore, deiicit ſpem ſuam, nè audeat aggredi, quando debet, penſatis omnibus circumſtantiis : Humilitas facit non aggredi, conſiderando vires noſtras; at ſi Superior præcipiat, in utilitatem proximi, acceptare Prælaturam; ſi tunc nos deiicimus ad non ſperandum Dei auxilium, & recuſamus, id procedit ex vitio Puſillanimitatis; quod tamen ex ſuo genere non eſt mortale, ut oppoſitum Magnanimitati.

17. D. Quid eſt Magnificentia,

M. Habet tendere in magnos ſumptus, erigendo ſpem, ut audeat opera, in quibus exequendis neceſſariæ ſunt magnæ pecuniæ. Sicut ex c. 14 n. 2. Syneſis diſtinguitur à Gnome, & ex n. 3. Philotimia à Magnanimitate, ita Liberalitas, de quà c. 14. à n. 4. à Magnificentiâ : Hæc ſicut Magnanimitas habet actum internum, quo quis, v.g. vult erigere magnum templum; & hic actus poteſt etiam eſſe in paupere, in quo tamen nequit eſſe actus externus, qui eſt conſumere magnas pecunias in erectionem magni operis. Si habes dirigere pœnitentem prædivitem, ad opera magna, lege S. Th. q. 134.

18. D. Quæ ſunt vitia contra Magnificentiam ?

M. Peccatum per defectum dicitur Parvificentia; quando quis vel aggreditur magnum, opus, at in eo vult conſumere magnas opes, quales ſunt proportionatæ magnitudini operis, vel deſiſtit ab aggrediendo, ne faciat magnas expenſas. Peccatum per exceſſum à S. Th. vocatur *Conſumptio*. Conſiſtit in eo, quòd homo conſumat magnas pecunias excedentes omninò dignitatem operis. Nullum horum ex ſuo genere eſt mortale peccatum.

19. D. Quas Pœnitentias imponant violantibus duas prædictas virtutes?

M. Rariſſimi poſſunt exercere actus externos Magnanimitatis, & Magnificentiæ, ſed frequentiſſimi peccant tribus peccatis contrà Magnanimitatem, Præſumptione, Ambitione, ac Vanagloriâ. Præſumptio regnat principaliter inter Eccleſiaſticos aſpirantes ad beneficia cum curâ animarum. Tamen, aſſecuti declamant contrà aſpirantes. Credo, non, quòd optent perpetuari in Prælaturâ, ſed quia experiuntur gravitatem oneris; & charitativè ſtudent allos eximere : ſed, & pauci ſe accuſant de hac præſumptione. Ambitione, ac Vana gloria : Lege caput ſextum Matthæi, ubi ſermo Chriſti totus eſt contrà hæc peccata, Memento verbum illud : *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam*.

CAPUT XLVI.

De reliquis duabus Virtutibus Fortitudini annexis, nempè, Patientiâ, & Perſeverantiâ, Vitiiſque oppoſitis.

1. PRæcedentes duo Virtutes verſantur circà actum aggrediendi, & erigunt Spem, ut audeat bona difficilia. Iſtæ verſantur circà actum ſuſtinendi, & elevant Timorem, ne ſuccumbat Iraſcibilis in malis difficilè ſuperabilibus. Licet circà hæc mala diverſæ poſſint verſari virtutes, omne tamen ſub his comprehendimus ex ratione traditâ c. præced. num. 1.

2. D. Quid eſt *Patientia ?*

M. Ex S. Th. q. 136. *Eſt rerum arduarum, ac difficilium conſtans, atque diuturna perpeſſio*; Verus illius habitus debet oriri ex habitu charitatis, & gratiæ ſanctificantis, ad differentiam aliarum virtutum moralium, quarum habitus poteſt eſſe in peccatore (licèt non ſub ratione perfectæ virtutis) Hujus differentiæ ratio eſt ſubtilior. Legatur S. Th. a. 3. ſimul cum Cajetani commentariis. Vides non eſſe verè patientem, qui ad recuperandam ſanitatem, ſuſtinet ferrum, ſuſtinet ignem.

3. D. Obligatne aliquando ſub mortali vera Patientia ?

M. Debemus omnes ſub mortali eſſe diſpoſiti ad ſuſtinenda mala, quæ bonis imminere poſſunt, ut conſervemus charitatem, & non peccemus mortaliter. Ut tamen conſtat ex p. 1. c. 13. n. 2. & hîc c. 2. n. 12. non eſt neceſſe, imò periculoſum tentare hominem de ſingulis malis. Circà externum actum, tunc obligamur ſub mortali

tali ad ſuſtinenda patienter mala, quando ſine iſto actu non poſſet ſervari charitas, juxtà p.1.c.34.n.6. ideò ex p.1.c.38.n.16. obligamur per accidens,

2. D. Quæ ſunt vitia oppoſita?

M. Peccatum per defectum eſt Innominatum. Quod eſt per exceſſum dicitur Impatientia, nec ultrà de his agit S. Thomas Unum ſcito. Patientia eſt virtus maximè neceſſaria omnibus, & ſingulis, Principibus, ſubditis, pauperi, diviti, religioſo, ſæculari &c. Illius excellentiam docet S. Cyprianus, in lectionibus quartæ Dominicæ poſt Paſcha.

5. D. Quid eſt Perſeverantia?

M. Sumitur dupliciter: 1. pro actu finali; quem homo ponit, v. g. agendo de fine univerſali hominis, perſeverat, qui ultimum ſuæ vitæ actum liberum ponit in gratià Dei, ita quod ſalvetur. Agendo de fine particulari, perſeverat, v.g. peregrinus, qui cauſa voti, ſuſceptà peregrinatione Hieroſolimitanà, ponit actum ultimum, qui eſt viſitare loca ſancta; & generaliter homo perſeverat in aliquo, quoties habens intentionem de fine, ad quem ſunt neceſſaria plura media, ponit finem ipſum: ſi non ponat, eſtò ponat medium proximum, non dicitur perſeverare. In hoc ſenſu perſeverantia non eſt virtus, ſed circa finem univerſalem eſt donum ſpeciale Dei, quod de condigno mereri poteſt nemo quantumcunque perfectus. Gratia ſantificans, eſtò intenſiſſima, ex ſui naturà, nunquam exigit, ut ponatur hìc ultimus actus; quare, ſuppoſità etiam gratia ſanctificante procedit ex ulteriori beneplacito Dei, quòd ponatur hìc ultimus actus: 2. accipitur pro habitu Iraſcibilis inclinatur ad ſuſtinendas difficultates, quæ incidunt in diuturnitate benè operandi. Hujus virtutis actus eſt propoſitum neceſſarium in Sacramento Pœnitentiæ non amplius peccandi, & quo vult conſervare gratiam Dei, non obſtante qualibet graviſſima tentatione, reprimitque Timorem non reſiſtendi, à quo deiicitur. Actus internus eſt propoſitum ſuſtinendi hanc difficultatem: Externus, ipſa perpeſſio, de quorum obligatione dic., ut n.3. de Patientia. S.Th.q.137.

6. D. Quæ ſunt peccata contrariè oppoſita Perſeverantiæ?

M. A S. Thom. q.138. a. 1. peccatum oppoſitum per defectum vocatur *Mollities*, non quæ eſt oppoſita Caſtitati, ſed per quam homo nolens vivere abſque delectatione cedit difficultatibus, quas in currit in exercitio bonorum operum: Oppoſitum per exceſſum vocatur *Pertinacia*. Hæc in eo conſiſtit, quòd homo ita ſuo ſenſui adhæreat, ut nolit credere, quibus debet. Nullum ex his de natura ſua eſt mortale, ſed vide, an cum illis adhùc ſervetur charitas, vel non: Peccabit mortaliter ille pertinax, v.g. qui ſub mortali obligatus alteri cedere, non cedit. Obligatur homo ſubjicere ſuum intellectum definitioni Eccleſiæ; ſi ergo contrarium teneat, ubi ſcit extare definitionem eſt completiva hæreſis. Tenetur Chriſtianus ſubjicere ſuam voluntatem Papæ obediendo; ſi ab obedientià ſe ſubtrahat, nolens obedire, eſt pertinacia completiva Schiſmatis. Ordinariè pertinacia eſt cum omni peccato formali Inobedientiæ: Ideo pœnitens explicare debebit materiam, circà quam eſt pertinax. Omnis excommunicatio, major præcipuè, punit Contumaciam, ſeù Pertinaciam. Peccatum hoc de ſui naturà eſt aptum ſusdeque vertere omnem Remp. Ideo removeillud, præcipuè à Monialibus, à Religioſis, & ab Adoleſcentioribus, eſtò delinquant in minimo: nam niſi coerceantur, adoleſcunt in graviſſimas quaſq; perturbationes, etiam Schiſmatis, Rebellionis, & Hæreſis.

CAPUT XLVII.

De Temperantià ingenere, ejuſque partibus integralibus.

1. Ultima Virtutum Cardinalium eſt Temperantia, reſidens in appetitu concupiſcibili, & quoad ſe, & quoad plures virtutes ſibi annexas. Hujus maximè notitia eſt neceſſaria: nam plurima peccata conſiſtunt in violatione hujus. De hac in genere, illiuſque partibus integralibus, & vitiis oppoſitis S. Th. q. 141. ad 146.

2. D. Quid eſt Temperantia?

M. Nomen hoc dupliciter accipitur: pro moderatione, ſeù temperie, quam ponit homo circà actus ſui appetitus. Hoc modo eſt conditio generalis cujuslibet actus virtuoſi: Ut enim ſit virtuoſus actus, debemus ita refrænare appetitum, quòd neque nimis, neque parùm feratur in ſuum obje-

objectum: 2. pro virtute ſpeciali, refrænante appetitum concupiſcibilem circà delectationes, guſtus, & tactus S. Th. qu. 141. a. 1. 2. 3. & 4. Si quæ aliorum ſenſuum delectationes indigeant refrænari, de conſequenti, non principaliter illas Temperantia moderatur, ut quòd non nimis appetantur odoroſa &c. S. Th. a. 4. ad 4. Delectationes ſpirituales, utpote bonæ ſecundum ſe, ſunt frænandæ; per accidens, quatenùs homo v. g. debet relinquere delectationem, quam percipit in ſtudendo, ut applicet ſe delectationi, quæ percipitur in orando.

3. D. Quam regulam tenebo in refrænando concupiſcentias, & deſideria delectationum?

M. Eadem menſura nequit aſſignari omnibus: nam, v. g. cibo, & potu, alius indiget majori, alius minori nutrimento. Circa delectationes tactus, ſolutus à matrimonio debet abſtinere ab omni delectatione contra Caſtitatem. Ex conjugatis, alius propter complexionem, vel propter inſtantiam conjugis, indiget frequenter exquirere, alius raro. Igitur ea regula eſt ſervanda, ut appetantur quantùm hic, & nunc ratio dictat, conſiderata complexione, conditione, ſtatu &c. Memento ex p. 1. c. 31. n. 5. quòd delectatio ſequitur naturam actus: quare ubi nullus actus eſt ponendus, neque delectatio eſt expetenda: ubi actus moderatus, delectatio moderata: ubi actus perfectus, perfecta delectatio eſt expetenda. Omne deſiderium delectationis debet frænare ſolutus à matrimonio. *Propter ſolos filios gignendos*, ut ait Aug. debet homo nubere, ſed plurimùm confert ad perfectionem generandi delectatio vehemens (intra limites humanæ) Communiter dicitur, quod à patribus doctis, & ſtudioſis naſcuntur filii ſtolidi, quia patres abſorpti à delectatione ſpirituali, minùs incumbunt ſenſuali; Etiam qui naſcuntur illegitimi ex thoro furtivo, naſcuntur ordinariè imperfecti: nam timor, nè detegantur in fragranti, reprimit vehementiam delectationis à natura conſtitutæ, ad perfectionem generandi.

4. D. Obligatne ſub mortali virtus Temperantiæ ad ſuos actus?

M. Temperantia eſt genus ſub ſe continens quatuor ſpecies, de quibus poſtea, ideò ſatisfaciam, cum agetur de ſingulis.

5. D. Quæ ſunt peccata contrariè oppoſita Temperantiæ?

M. Peccatum excedens in frænando vocatur inſenſibilitas Et *qui*, ait S. Th. q. 142. a. 1. *in tantum delectationem refugeret, quòd prætermitteret, quæ ſunt ad conſervationem naturæ, peccaret quaſi ordini naturali repugnans, & hoc pertinet ad vitium Inſenſibilitatis*, v g. ſi ex averſione ad delectationem, homo refugeret comedere neceſſarium &c. hoc rarum eſt vitium. Quòad concupiſcentias matrimoniales, invenietur quidem conjux negans comparti debitum, non ex averſione ad delectationem, ſed ut plurimùm ex nimio amore delectationis, unde fertur in alienas, & faſtidit ſuam. Genus peccati excedens in appetendo delectationem vocatur *Intemperatia*. Peccatum, in quod facillime labimur, à quo difficillimè reſurgimus, præſertim quo uſque fervet ſanguis in venis. Ad illud medendum requiritur magna charitas in Confeſſore, ubi procedit ex infirmitate: magnus zelus honoris divini, & ſalutis animæ; ubi procedit ex malitia, conſuetudine, aut occaſione proximà.

6. D. Quæ ſunt partes integrales Temperantiæ?

M. Ut actus Temperantiæ prodeat integrè, ac perfectè completus, requiritur: quòd homo verecundetur de turpi actu, ſaltem juxta præſentem ſtatum naturæ corruptæ. Ob pravam inclinationem ad delectabilia ſenſus, nunquam homo perfectè, aut integrè frænabit concupiſcientias, niſi præcedat quidam horror de actionibus illis, quæ communiter in hac materia reputantur turpes; 2. amor, ſeù inclinatio conpetens ad ea, quæ communiter in hac materia reputantur honeſta, ſeù decora. Vanum, eſt explicare, quæ cenſeantur honeſta, quæ turpia. Id natura docet vel rudiores, qui, ubi viget paſſio, non reflectunt; at expletà paſſione, erubeſcunt, imò & horrent, quòd ſciatur actio à patribus, magiſtris &c. Si è contrà aliquo tempore perſeveraverint in refrænandis hujuſmodi paſſionibus, oritur in ipſis quoddam, veluti naturale, gaudium, quòd ſectentur honeſtatem. Communiter notaretur, ut brutalis, qui non erubeſceret de turpibus, vel non gauderet de honeſto, poſtquam ceſſavit paſſio, Hinc Theologi conveniunt, ad integrandum

Digitized by Google

dum Temperantiæ actum, præexigi, tanquam conditiones, Verecundiam, atque Honeſtatem : Ideo dicuntur partes integrales. S. Th.q.144. & 145.

7. D. Quod eſt Donum correſpondens?

M. Ex S. Th. q. 141. a. 1. ad 3. correſpondet donum Timoris, ex c. 9. directè reſpondens Spei, indirectè Temperantiæ, quia frænandis concupiſcentiis maximè neceſſarius eſt, juxtà illud Pſ. 118: *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui*. Et ut repetam omnem correſpondentiam. Prima Beatitudo cum 10. 11. & 12. fructu, & ſeptima petitione Orationis Dominicæ reſpondet Timori, & hic Spei, ac Temperantiæ. Secunda cum fructu 5. 6.8.& 6. petitione reſpondet Pietati, hæc Juſtitiæ. Tertia cum 9. fructu, & 5. petione reſpondet Scientiæ: hæc Fidei. Quarta cum 4.7. fructu, & 4. petitione dono ac virtuti Fortitudinis. Quinta cùm fructu 5. 6 & 3. petitione dono Conſilii: hoc Prudentiæ. Sexta cum 9. fructu, & 2. petitione, dono Intellectus: hoc Fidei. Septima cum 1.2.3. fructu, & 1. petitione, dono Sapientiæ: hoc Charitati. Octava Beatitudo eſt repetitio aliarum.

CAPUT XLVIII.

De primis duabus ſpeciebus Virtutum contentarum ſub genere Temperantiæ.

1. IN explicatione Virtutum plura fortè deſiderabunt Scholaſtici; ſed toties repetitum eſt finem eſſe menſuram mediorum. Sanè diſtinctius illas examinarem, ſi ſcriberem pro ſcholis; At meus finis eſt colligere; quæ magis conveniunt Confeſſori, cui inſtruendo convenit intacta dimittere ſubtiliora: E contra ſæpius inculcare magis obvia, & neceſſaria ad praxim; Ideò utor terminis, ex quorum repetita uſurpatione quis facilè poſſit venire in cognitionem ſui numeri, v. gr. in toto præcedenti capite, & in titulo præſentis, nominavi non abſolutè Temperantiam, ſed genus Temperantiæ, quò dignoſcas pœnitentem non ſufficienter ſe accuſare, ſi dicat commiſiſſe ſex actus, v. g. Intemperantiæ: nam ex termino *Genus* facilè cognoſcis non ſe ſufficienter explicaſſe, Ex Trid. p. 1. cap. 5. num. 30. ſcis explicandam infimam ſpeciem peccati; & ex Rituali c.8.n.9. prudenter interrogandam, ubi pœnitens non expreſſerit ſufficienter.

2. Quia verò multùm juvari poteris ex ordine, ante omnia, inſinuandum, quomodò accipienda ſit diſtinctio ſpecifica virtutum, quæ dividunt genus Temperantiæ. Ex c. 46.n. 3. in eo principialiter verſatur, quòd juxta rectam rationem moderetur concupiſcentias delectationum tactus, & guſtus. Horum ſenſuum actiones, majori delectatione natura condivit, quia magis neceſſariæ ſunt ad conſervationem animalis, hinc magis delectant actiones tactus, quam guſtus, quia illæ neceſſariæ ſunt ad conſervationem ſpeciei: iſtę, individui: Natura autem optima Inſtitutrix voluit nos magis fovere ad bonum commune, quam particulare. Primò igitur Temperantia dividitur in Virtutes, quæ moderantur concupiſcentias Guſtus, & quæ moderantur concupiſcentias Tactus. De his in ſequentibus. Duæ ſunt ſpecies infimæ Virtutum, quæ moderantur primas *Abſtinentia*, & *Sobrietas*.

3. D. Quid eſt Abſtinentia?

M. Habet moderari hominem, ne, pluſquam decet rationem, hìc, & nùnc, conſideratis omnibus circumſtantiis, utatur cibo, aut potu. Medicinæ eſt moderari cibum, & potum, ut confert ad ſanitatem. Abſtinentiæ moderari, ut eſt conſonum rationi. Medicinalem moderationem ſubordinat virtuti Abſtinentiæ, qui utitur cibis ad conſervandam ſanitatem, quia hanc ſervare eſt conſonum rationi. S. Th.q. 145.

4. D. Sobrietatis eſt moderari potum?

M. Abſtinentia moderatur uſum potus, ita quòd ob delectationem in bibendo, menſuram rationi homo non excedat. Sobrietas moderatur uſum potus, ita quòd ex immoderato non impediatur uſus rationis per ebrietatem; quare Abſtinentia impedit delectationem: Sobrietas nocumentum in uſu rationis.

5. D. Qui eſt actus principalis Abſtinentiæ?

M. Jejunium, de quo S. Th. 150. Valet ad tria: 1. ad frænandas concupiſcentias carnis; nam *ſine Cerere, & Baccho friget Venus*: ut ratio naturalis dictat: 2. ad faciliùs elevandam mentem in Deum: experimur enim, quòd, ventre pleno, vix poſſu-

Digitized by Google

poſſumus incumbere ad negotia etiam ſæcularia, quartò minus orationi: 3. ad ſatisfaciendum pro peccatis S. Th. a. 1. Hoc habet ratio naturalis, ut ſatisfaciens alteri diminuat aliquid ſibi; Ad conſervandam ſanitatem eligimus abſtinere à cibo, pluſquam noſter ſtatus exiget. S. Th. a. 1. ad 2. Porrò ad jejunium obligamur lege naturæ, ſi concurrat aliquod ex tribus prædictis motivis. Per primum obligamur, quando, niſi jejunemus, eſſet periculum proximum violandi caſtitatem. Per ſecundum, quando ſine jejunio, inſtante orandi præcepto, non poſſemus orare: per tertium, quando ſine jejunio, inſtante præcepto, ſatisfaciendi Deo, non poſſumus ſatisfacere. Hinc jejunium lege naturæ præceptum obligat per accidens, & ratione alterius virtutis. 2. jejunium lege naturæ præceptum non importat abſtinentiam cibi, aut potus determinati, ſed in genere tantum abſtinere cibo, & potu, quo ſi uteremur, deficeremus in aliquo ex prædictis tribus. S. Th. q. 150. a. 5.

6 D. Eccleſia præcipitné jejunare?

M. Utique. Ut demus, quæ conferunt ad praxim hodiernum. Duo præcepta jejunium importat, alterum negativum, alterum affirmativum. Utriuſque violatio importat duplex peccatum; peccato enim commiſſionis violatur primum, & peccato omiſſionis ſecundum.

7. D. Quodnam ex his eſt principale?

M. Negativum, vi cujus in omni jejunio præcipitur abſtinentia carnium; & in quadrageſima etiam ab ovis, & lacticiniis: extra hoc tempus ſecunda non eſt in præcepto univerſaliter, ſed juxta conſuetudinem locorum. Et adhuc *principaliùs* in quadrageſima ex S. Th. q. 147. a. 8. ad 3. *interdicuntur carnes, quam ova, & lacticinia*. Hinc deobligatus ab ovis, non deobligatur ab unica comeſtione cadente ſub præcepto affirmativo. E contra multi tenent deobligatum à carnibus, cui commodè ſufficit unica comeſtio; ad hanc obligari. Et ſanè id ſuade ex multiplici capite, ſed niſi aliud præcipiat Eccleſia, in jejuniis jam præceptis, deducitur non extare hanc obligationem ſub mortali ex doctrina prædicta S. Th., nam remoto priori, & principaliori, removetur poſterius, & minùs principale; cum ergo in jejunio principale ſit abſtinentia carnium, hujus obligatione ceſſante, ceſſat obligatio minus principalis. Sed quia Card. Vicarius in edicto Quadrageſimæ innuit deobligatos à carne teneri ad unicam comeſtionem, ſi commodè poſſint, id inculca, non quærens, an ſit vetus præceptum, vel de novo expreſſum.

8. D. Quid vult præceptum affirmativum?

M. Si velimus comedere, ſemel tantùm in die comedamus. Non præcipimur comedere; poſſet enim quis abſque cibo tranſigere à media nocte ad aliam, ſed ſuppoſito, quòd velimus, præcipimur comedere tantùm ſemel. Ita ſervabatur tempore etiam S. Th. ſed creſcente complexionis humanæ debilitate, introductum eſt leve jentaculum in veſperi, de quo neque Canones loquuntur, neque ullus ex Doctoribus approbatis poſitivè ab Eccleſia: Ultimi enim approbati fuere S. Th., & S. Bonaventura, quorum diebus nec verbum de iſto levi jentaculo; nunc tamen licet ex univerſaliſſima Eccleſiæ conſuetudine. De iſto plura in omnium penè Caſuiſtarum libris, præſertim quærentium quot uncias, & quarum rerum poſſimus comedere, hæc omitto: nam quæ conſuetudo piorum jam docuit permitti: eadem doce: quæ liceat quantitas, & qualitas, etiam habebis, ſi memineris dicta n. 5. quòd in ſatisfaciendo per jejunium, debemus diminuere aliquid nobis de cibo alias non immoderato, dummodò non omnimodè neceſſario; & quid eſſet diminuendum, determinavit Eccleſia, & conſuetudo.

9. D. Ad quid exacta hæc diſtinctio duplicis præcepti?

M. Sciens aliud eſſe affirmativum, aliud negativum, vides 1. eſſe interrogandum, an violaverit in ſola quantitate, vel etiam in qualitate: & ſi in qualitate, an comedendo lacticina, vel carnes; explicando carnes, non debet ulterius inquiri, an etiam comederit ova, nam principale trahit ad ſe minùs principale, non è contra. Diverſi ſpecie ſunt actus morales, comeſtio ovorum, & comeſtio carnium: quare ſpecialiter aperiendi: 2. comedens ova, & carnes, debet explicare, quoties in die comederit, quia præceptum negativum obligat ſemper, & ad ſemper: violans jejunium in quantitate, aſſò decies comedat, committit unicum peccatum, contra affirmativum non obligans ad ſemper: quare jejunio ſemel violato non multiplicatur

pecca-

peccatum: 3. qui è loco, ubi jejunatur, accedit in locum, ubi non jejunatur tali jejunio particulari, non tenetur (niſi accedat in fraudem) jejunare in hoc loco.

10. D. Quando dicar ire in fraudem jejunii?

M. Hoc, quod eſt facere aliquid *in fraudem*, poteſt contingere in pluribus materiis; quare vide p. 1. c. 18. n. 18.

11. D. Quibus diebus tenemur jejunare, & qua hora tunc poſſumus comedere?

M. Secundum præceptum Eccleſiæ declarat dies jejuniorum, quos ut 1. p. c. 35. n. 13. S. Cong. præcepit proponere etiam Catechumenis. Cur autem iſti potius dies, quam illi ſint jejunandi, vide S. Th. q. 147. a. 5. & quòad horam comedendi a. 7. ubi S. Doctor præcisè non exprimit, an peccaret mortaliter, qui ſummo manè vellet facere unicam comeſtionem; ſed id declarat, & probat Cajetanus; quare tantum peccaret venialiter, qui ſine cauſa præveniret meridiem aliquo brevi tempore; nullatenus peccaret, ſi ex cauſa præveniret; ſed ſi notabiliter præveniret abſque cauſa, peccaret mortaliter.

12. D. Teneturnè omnes ad jejunia Eccleſiæ?

M. Ex S. Th. a. 4. omnes, exceptis illis, qui non poſſunt ſine magno incommodo: ſi cauſa ſit evidens, & manifeſta, nec de facili recurſus haberi poſſit ad ſuperiorem, ex ſe poterunt frangere. Ubi poteſt haberi recurſus ad Superiorem, objurga pœnitentes illos, qui, præſertìm in quadrageſima, non curant petere licentiam: convenit enim, ut ſaltem in hoc oſtendant ſuam reverentiam, & obedientiam erga Eccleſiam; maximè, quia ſi inſiſtas ſegnius, quilibet judicabit ſe cauſam habere legitimam, quando nulla ſubeſt; ſed in dubio recurre omninò ad ſuperiorem, *qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi*, in talibus dubiis: quare inferior debet ſe ponere in tuto, & Superior, ubi eſt dubium, poteſt diſpenſare; non ſolùm in caſu certo; Proſequitur S. Th. enumerare illos, qui ſunt excepti à præcepto affirmativo unicæ comeſtionis; & 1. nominat eos, qui nondum pervenerunt ad annum vigeſimum primum. Concluſionis certæ, & communis vide rationem apud ipſum. Nonnulli excipiunt ſexagenarios. De his neque Canon extat, neque Doctor Eccleſiæ probatus. 2. operarios, qui multum laborantes (nota ly multum) pro vita corporali, vel pro neceſſario ad vitam ſpiritualem, commodè non poſſunt differre ad aliud tempus laborem, cum quo incompatibilis eſt unica comeſtio. Si in feſtis quadrageſimæ indigeant hi multiplici comeſtione, ad conſervandas vires, ut laborent diebus feriatis, non tenebuntur: 3. peregrinos, ubi adſit eadem neceſſitas, & incompatibilitas. 4. ſub iiſdem conditionibus, itinerantes, qui tamen faciunt *magnas diætas* (notà hoc, & inſuper quòd hoc magnum iter de ſe debet eſſe incompatibile cum jejunio) vult tamen etiam in his caſibus recurrendum eſſe ad ſuperiorem, *niſi fortè ubi eſt ita conſuetum, quia ex hoc, quòd Prælati diſſimulant, videntur annuere*: 5. pauperes, qui fruſtatim eleemoſinas mendicant, nec poſſunt ſimul habere, quòd eis ſufficiat ad victum diurnum; cæteros, qui poſſunt habere, dicit obligatos.

13. D. Prohibeturnè potus in jejunio?

M. Jejunii pro communione præceptum eſt negativum interdicens, vel minimum cibum, aut potum: præceptum unicæ comeſtionis eſt affirmativum; & hoc Eccleſia non prohibet potum. Nomine potus venit frigidum, & humidum. Sitis enim (cui extinguendæ potus adhibetur) Philoſopho eſt appetitus frigidi, & humidi. Carnes per ſtillicidium ita eliquantur, ut appareant aqua, & cum liquida ſint, non bibuntur propriè, ſed ſorbentur. Igitur, quod eſt liquidum, non ſe habet per modum potus, niſi ſit ad extinguendam ſitim. Electuaria neque prohibentur in die jejunii, niſi aſſumantur *in magna quantitate*: nam tunc fieri videtur in fraudem S. Th. a. 6. ad 2. & 3.

14. D. Excuſatnè à mortali parvitas materiæ?

M. Quòad præceptum unicæ comeſtionis, excuſat. Quæ autem quantitas ſit parva, relinquo prudentium judicio, nec definio ob dicta p. 1. c. 36. n. 9.

15. D. Poteſtnè diſpenſatus ad carnes, comedere quaſcunque?

M. Invenies, quòd, præcedente judidicio Medicorum, de licentia Superioris diſpenſatus ad carnes, non peccat contra præceptum Eccleſiæ, ſi comedat quaſcunque, ſed ſolùm contra naturale præceptum

abſti-

abſtinentiæ, ſi comedat inſalubres, eritque, ut plurimum, veniale, niſi maximè noceret ſuæ ſanitati, quod eſt rariſſimum. Tu tene, quòd comedens inſalubres dupliciter peccat: 1. contra naturale præceptum; & hujus gravitas metienda erit ex damno propriæ ſanitatis: 2. contra præceptum Eccleſiæ: nam opiniones, quæ ſuper hoc circumferebantur, ſuppreſſæ remanent ex decreto, de ordine Clementis XI. publicato, cujus particulam ſubjicio.

16. *Animadvertant, & Medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitati carnium, quòd, nempè, ſint ſalubres, QUIA HÆ SOLUM PERMITTUNTUR IN QUADRAGESIMA, his, qui ex juſta cauſa, nequeunt veſci cibis quadrageſimalibus: quòd ſi neceſſitati poteſt ſubveniri per ova, & lacticinia, nec Medici debent permittere, nec fideles adhibere carnes, ETIAM SALUBRES. Qui toto anni tempore, abſtinent à carne, diebus Veneris, & Sabbati, Quatuor Temporibus, nec non Vigiliis de præcepto, multò magis, ſi prædicti dies incidant in quadrageſima, DEBENT ABSTINERE A CARNE, excepto, ſi nova ſuperveniens cauſa aliud exigat. Cumque ſuper hoc nequeat ſtabiliri Regula fixa, & determinata, debet quiſque primò conſiderare ſuam neceſſitatem, ſuaſque indiſpoſitiones, ita ut non ſint affectatæ, cum reddituri ſint rationem Deo, coram quo nihil valebunt licentiæ ex cauſis, vel ſuppoſitis, vel fictis.* Hæc decretum, vi cujus reſolvuntur innumeri caſus olim diſputati; Equidem alii ex hoc conſurgent examinandi, ut contingit in omni lege, cujus verba pariunt novas quæſtiones; Sed prudens, & affectus erga pænitentiam Chriſtianam, ita diriget pœnitentes, ut 1. reverenter ſuſcipiant decreta Eccleſiæ: 2. non quærant licentiam ſine magno incommodo ſalutis corporalis, & ex prudenti, fundatoque judicio Medicorum: 3 Confeſſores diligenter examinabunt, candideque, enunciabunt ipſum peccare mortaliter, ubi quis operetur contra formam decreti?

17. D. Quid eſt *Sobrietas*?

M. Eſt virtus, qua moderamur ita potum, ut non noceat uſui rationis.

18. D. Obligatnè ſub mortali?

M. Poſitivè non obligat ad actum, cujus omiſſio ſit peccatum mortale ob dicta p. 1. cap. 34. num. 6. ſed obligamur ad non ponendum actum contrariè oppoſitum per exceſſum; de quo capite ſequenti.

19. D. Super his virtutibus adſunt ne Theſes prohibitæ, vel reſervatio, ut cenſuræ contra violantes jejunium?

M. Violans jejunium præceptum ab Eccleſia, nulli ſubditur cenſuræ, aut reſervationi univerſaliter loquendo; cæterùm vide ſtatuta Diœceſis particularis, Circa Theſes prohibitas memento ex n. 6. in Eccleſiæ jejunio eſſe duplex præceptum, aliud negativum, & aliud affirmativum. 32. propoſitio Alex. VII. eſt circa negativum. Circa affirmativum extant ejuſdem 23. 29. 30. & 31. Quæ ſunt circa gulam, dabo c. ſeq.

20. D. Quas pœnitentias imponam violanti jejunia Eccleſiæ?

M. Rituale p. 1. c. 9 n. 23. innuit *libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones imponendas*: quod (ſemper præcedente prudentia Chriſtiana) ſervandum erit cum guloſis. Cæterùm frequenter in Miſſa, & Officio celebratur jejunium: Lege Scriptutam præcipuè Jonam, Hymnos, Reſponſoria Quadrageſimæ, Homilias SS. PP. & facili negotio hauries, quæ accendant pœnitentes ad amorem jejunii. Addè ex Catechiſ p. 4. cap. 8. num. 9. quod oratio (aliàs tam neceſſaria) non prodeſt ſine jejunio. Guloſis etiam commendari poterit eleemoſina: nam ex S. Leone hæc ſubſidium pauperis, quod ſubtrahitur gulæ.

CAPUT XLIX.

De Vitiis contrariè oppoſitis Abſtinentiæ, & Sobrietati.

1. D. Quæ peccata contrariè opponuntur Abſtinentiæ?

M. Oppoſitum per defectum eſt innominatum, & poteſt dici *Nimia, ſeù indiſcreta abſtinentia*; De illo non agit Sanctus Thomas, quia vix reperitur, qui, conſideratis omnibus, deficiat. Oppoſitum per exceſſum dicitur *Gula*, de qua S. Th. q. 148.

2. D. Gula eſt nè peccatum mortale ex ſuo genere?

M. Si homo conſtitueret finem ultimum in illa, utique peccaret mortaliter; Alias de ſe non eſt peccatum mortale, ut

p. 1.

p. 1. cap. 34. num. 6. Erit per ſe mortale, ſi graviter noceat ſanitati, & teneberis explicare, quòd tibi nocueris per immoderantiam cibi, & potus, quia eſt duplex peccatum, alterum in ſibi voluntariè nocendo, alterum in nocendo per tale medium. Si leviter noceat, erit veniale ex parvitate materiæ, p. 1. cap. 36. num. 5. Eſt etiam peccatum mortale, ſi violetur Eccleſiaſticum jejunii præceptum ut cap. 47. num. 6.

3. D. Gula eſt genus, de ſpecie?

M. S. Th. 2. 4. enumerat quinque. *Præproperè*, *lautè*, *nimis*; *ardenter*, *ſtudioſè*. ſi vis rationem huius diſtinctionis, vide textum. Ad praxim: *Præproperè* peccat, qui prævenit debitum tempus. Vix poteſt eſſe mortale contra præceptum naturæ, quia ex ſola præventione nequit inferri grave nocumentum ſanitati, niſi quando præveneris nondum facta competenti digeſtione; in quo caſu nocumentum procederet ex nimio cibo. In jejunio Eccleſiæ dictum eſt cap. 47. num. 11. præventionem notabilem eſſe graviter prohibitam. Cæterum Eccleſia conditiones omnes jejunii vult per modum unius; per cujuslibet ſubſtantialis defectum violatur jejunium; quòd ſi plures deficiunt, aggravatur peccatum; & ex par. 1. cap. 34. num. 20. potes decidere, an hæ circumſtantiæ aggravantes explicandæ ſint. *Lautè* peccat, qui quærit cibos pretioſos; Nec natura, nec Eccleſia ſub mortali prohibet cibos magni pretii: tamen peccaret mortaliter, qui cum notabili detrimento ſui ſtatus, vel familiæ, plura inſumeret in cibo, & potu; *Nimis* peccat, qui vel ſe aggravat cum nocumento ſanitatis, vel ſupra quantitatem ab Eccleſia taxatam in jejunio. *Ardentèr* peccat, qui non ſervat modum debitum in edendo. *Studioſè* peccat, qui quærit cibos nimis accuratè præparatos in qualitate. De hoc, ut de ſecundo, *Lautè*.

4. D. Cum gula ſit vitium capitale, aſſigna filias?

M. Prima eſt *Inepta lætitia* Intelligitur, quando quis vagè, & incompoſitè hilareſcit. Opponitur Modeſtiæ morum, de qua cap. 56. nec eſt mortale ex ſuo genere. Secunda *Scurrilitas*, quando quis utitur verbis inhoneſtis ad delectandum; opponitur etiam Modeſtiæ, dummodò, ſola intendatur delectatio, quæ oritur ex prolatione verborum, quæ neque ſint ſcandaloſa. Eſt veniale ſatis periculoſum, quia verba externiùs prolata excitant ſpeciem internam de ſignificato. Tertia *Multiloquium*, quando, ut ſonat nomen, quis nimis loquitur, & ſuperfluè; opponitur eidem. Si quis hæc tria vellet opponi Affabilitati, non contendas. Quarta eſt immunditia, ſeu emiſſio quarumcumq. ſuperfluitatum; & ſi ſit emiſſio ſuperflui pro individuo, ſed neceſſarii pro ſpecie ad generationem, erit contra Caſtitatem; ſi aliarum ſuperfluitatum, v. gr., per vomitum, directè opponitur Abſtinentiæ, contra quam peccat utens tanto cibo, unde prævidet vomitum. Quinta Hebetudo mentis explicata cap. 4. num. 3. ut oppoſita dono intellectus.

5. D. Quæ ſunt vitia oppoſita Sobrietati?

M. Sobrietati oppoſitum per defectum eſt innominatum: quod per exceſſum opponitur, vocatur *Ebrietas*, de qua S. Th. q. 150. & definitur *inordinatus potus privans uſu rationis*. Igitur in quacunque etiam minima quantitate bibatur, ſi prævideo ex potu cerebrum plenè perturbari, & mihi perfectè deficere uſum rationis, pecco mortaliter; ſi imperfectè perturbetur, quia tunc eſt parva læſio, erit veniale ex parvitate materiæ. Eſt de ſe peccatum mortale ut p. 1. cap. 34. num. 6. quia cum ebrietate nequit conſervari charitas. Hæc vult bonum illius, quem amamus. Igitur ſi ex charitate amo meipſum, debeo velle meum bonum. Uſus rationis eſt maximum hominis bonum, & tale, quòd per ipſum principaliter in operando diſtinguimur à brutis. Nequit ergo ſtare charitas cum eo, quod habet tollere hunc. Hinc etiam peccat mortaliter, qui ſocios invitat ad ſe inebriandum; & tot numero peccata mortalia committit, quot ſocios invitat cum periculo proximo ebrietatis.

6. D. Ebrietas prima vice non eſt peccatum?

M. Se inebrians prima vice excuſatur à peccato, quia ignorat efficaciam vini, nec aufert ſibi voluntariè uſum rationis. Invitans ad bibendum excuſatur ex hoc, & alio capite: nam ignorat complexionem bibentis, cæterùm ſi prima

Digitized by Google

vice ſciantur hæc duo, eſt peccatum velle illud, unde per ſe ſequitur privatio uſus rationis.

7. D. Somnus impedit uſum rationis, voluntariè tamen poſſumus dormire?

M. Diſtingue inter actiones ordinatas à natura, & contra ordinem naturæ. Inter primas eſt ſomnus; inter ſecundas Ebrietas; non peccat, qui vult actionem ordinatam à natura, licet inde pro tempore impediatur uſus rationis. Natura instituit quietem, ut magis in poſterum operari poſſemus cum uſu rationis; Peccat, qui contra ordinem naturæ ſibi abſcindit brachium: At ſi abſciſſio ſit juxta ordinem naturæ, ad ſalvandam vitam, non eſt peccatum.

8. D. Ebrietas licetnè ad ſalvandam vitam, ſi ordinetur ad vomitum?

M. S. Th. 2. 2. ad 3. negat, quia poteſt procurari per potum aquæ tepidæ non inebriantem. Sed finge, quòd ſolus potus inebrians hìc, & nùnc poſſit cauſare vomitum, & per conſequens ſanitatem, quam inſuper finge infallibiliter annexam cum vomitu. In iſto caſu dic, ut c. 23. n. 10. de ſe defendente contra invaſorem. Poterit enim Medicus, & Infirmus permittere, at nunquam intendere impedimentum uſus rationis.

9. D. Suntnè peccata verè, & propriè actiones inordinatæ, quas homo committit in ebrietate?

M. Effectus ſequens ad ebrietatem, ſive univerſaliter ad aliam quamlibet actionem, ſpectat ad circumſtantiam *Quid*. Ex p. 1. c. 34. n. 13. effectus per ſe ſequens ad peccatum facit circumſtantiam, lege S. Th. 1. 2. q. 20. a. 5. qui ait: eventus ſequens præcogitatus, eſt peccatum: ſi v. gr. homo ante ebrietatem prævidet, quòd in ebrietate committet adulterium, homicidium &c. ſi poſtea ſe inebriat, peccat peccato ebrietatis, & peccato homicidii. Si actio ſit indifferens, & prævideatur eventus malus: diſtingue: ſi actio non eſt neceſſaria, tùnc volens cauſam, indirectè, & virtualiter vult effectum: v. g. prævideo ex actione per ſe indifferenti, ſecuturam in ſomnis immùnditiam, nec ulla hìc, & nùnc urget neceſſitas actionis, pecco ponens talem actionem, quia in ea virtualiter, & indirectè volo immunditiam; ſi adſit neceſſitas, non pecco, niſi formaliter intendam effectum ſequentem. Si actio ſit per ſe bona, non pecco, niſi formaliter intendam effectum ſequentem, v. g. prævideo ſecuturam immunditiam ex potu aquæ habentis debilitare naturam, ſed potus aquæ hìc, & nunc eſt mihi bonus, quia utilis ad temperandum calorem cerebri, tunc immunditia, eſtò prævisa, non mihi tribuitur; vide c. 23. n. 10. Duo tamen adverte: 1. non omnis neceſſitas, quæ ſufficit ad excuſandum in uno caſu, ſufficit ad excuſandum in omni. Utilitas, aquæ ad temperandum calorem cerebri, ſufficit, ut non imputetur mihi nocturna immunditia prævisa. Hæc non me excuſat ab homicidio, ſi præviderem, quòd puer hauſturus aquam laberetur in puteum. Quæ verò ſufficiat neceſſitas, relinquitur judicio prudentium, & timoratorum, Non eſt neceſſarium prævidere talem actum in particulari, ſed ſufficit prævidere, quòd ebrii, v. g. ſoleant committere in ebrietate aliquos actus peccaminoſos, ut imputentur tanquam peccata ebrio, actiones, quæ fieri ſolent ab illis. Hæc dicta ſint, ſi effectus prævidetur: ſi effectus non prævisus, ait S. Th. per ſe ſequatur, & ut in pluribus; tunc qui vult cauſam, vult effectum: ſi ſequatur per accidens, & ut in paucioribus, non imputatur; unde hìc q. 150. a. 4. adducit verba Auguſtini dicentis: *Loth culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit*: quia neque in univerſali prævìderat, quòd filiæ eſſent peccaturæ cum ipſo: Equidem ut in pluribus ebrii committunt aliquas actiones inordinatas, ſed ut in paucioribus contingit eos induci ad actiones, ad quas filiæ induxerunt Loth.

10. D. Cum neque cenſuris, neque reſervationi ſubdantur hæc peccata, ſunt nè Theſes prohibitæ de illis?

M. Octava Inn. XI. quam attentè conſidera: nam ex illa, velut ex principio, deducere poteris plures concluſiones.

11. D. Quas Pœnitentias imponam pro prædictis?

M. Vide c. 47. n. 20. Addo verba Aug. ab Angelico adducta a. 1. ad 4. *Non aſperè, quantum eſtimo, non durè, non impetuosè iſta tolluntur, ſed magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, quam minando. Sic enim agendum eſt in multitudine peccantium: ſeveritas autem exercenda eſt in peccatis paucorum.* Quam cum grano ſalis reduc ad praxim. Frequens erat in Africa ebrie-

ebrietatis vitium; ſcribebatque Epiſcopo prædicanti ad multitudinem, non Confeſſori, qui cum uno tantùm agit, ſed; & Confeſſori convenit tollere peccata magis *monendo*, *quam minando*, ubi non peccatur ex malitia, & pertinacia:

CAPUT L.

De Virtutibus, quæ refrænant concupiſcentias Tactus.

1. CONfeſſor parùm curet de queſtionibus Scholaſticis, & nomine virtutum refrænantium concupiſcentias tactus, intelligat hìc à me comprehendi virtutes, quæ habent moderari delectationes à natura conſtitutas in actu ordinato ad conſervationem ſpeciei, ſeù ad generationem, quas diximus cap. 47. num. 2. multùm excedere delectationes guſtus. Etiam iſtæ virtutes, ut Abſtinentia, & Sobrietas, ſunt ſpecies Temperantiæ; & duas nominabimus, nempè, Caſtitatem, & Pudicitiam. Theologi complures aſſerunt virginitatem (maximè voto firmatam) eſſe diſtinctam ſpecie à Caſtitate, ſicuti ex c. 14. n. 2. Gnome diſtinguitur à Syneſi, Magnanimitas à Philotimia, & Magnificentia à Liberalitate. Hoc parùm refert Confeſſori; nam quoad ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici, ſatisfaciet ſciens, quando circumſtantia Virginitatis aperienda ſit in confeſſione, quod dicetur ſuo loco. De his virtutibus agit S. Th. à q. 151. ad 154. & diſtinguit Pudicitiam à Caſtitate in hoc, quòd Pudicitia reſpicit principaliter ſigna, ut aſpectus, oſcula &c. Caſtitas verò reſpicit principaliter ipſum actum conſummatum.

2. Si quæ aliæ virtutes neceſſariæ ſunt naturæ hominum, maximè iſtæ. Infectio peccati originalis maximè ſentitur in vi generativa, ut propterea quilibet homo indigeat plurimùm hiſce virtutibus. Dicitur Sap. 8. *Ut ſcivi, quoniam aliter non poſſum eſſe continens* (caſtus) *niſi Deus det; & hoc ipſum erat Sapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis* orationem, quam proſequitur per plura capita. Cum igitur ex ſpeciali tantùm auxilio Dei habeatur, omni ex parte perfecta Caſtitas, ut ejus amorem in pænitentium pectore Confeſſor accendat, & ipſe cum Sapiente confugiet ad ſubſidium orationis, eritque utiliſſima pars illa orationis, quæ continetur Sap. 9. Verumtamen adhùc magis debebit orare pro ſe ipſo Confeſſor: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det*: quare nec ipſe Confeſſor: Adde periculum maximum ſe inquinandi, dum quis lavat inquinata, niſi ſupremam adhibeat cautelam Ob hujus verè lacrymabilis miſeriæ abundantiam, Apoſtolica Sedes debuit evulgare Conſtitutiones, equidem rigoroſas, at ſaluberrimas, & omninò neceſſarias contra Confeſſarios inhoneſta tractantes in Confeſſione, quas ſemper ante oculos habebit Confeſſor. Eſt Auguſtini ſententia, & confirmat experientia, quòd etiam immaniſſimæ beſtiæ retrahuntur à voluptatibus, maximè concupitis, ob timorem verberum; Igitur timore pœnarum in dictis Conſtitutionibus comminatarum (eas ſæpè relegendo) firmet ſe Confeſſor, ne inquinetur, dùm lavat inquinata: *Legum enim terror* (cum Auguſtino loco adducto ab Angel. 2. 2. q. 10. a. 8. ad 1.) *ita profuit, ut multi dicant, Gratia Domino, qui vincula noſtra dirupit.*

3. Acturus de hiſce virtutibus, vitiiſque oppoſitis, mihi primum præpono ante oculus monitum Catechiſmi 3. p. c. 7. n. 1. *In hac re explicanda, cautus admodum ſit Parochus, & prudens, & tectis verbis veiu commemoret, quæ moderationem potiùs deſiderat, quam orationis copiam. Verendum eſt enim, ne, dum is latè, atque copioſè nimis explicare ſtudet, quibus modis à præſcripto diſcedont, in illarum rerum ſermonem fortè incidat; unde excitandæ potiùs libidinis materia, quam reſtringuendæ illius ratio emanere ſolet.* Et p. 2. cap. 8. num. 33. *Ita agendum eſt Paſtoribus, ut nullum ex eorum ore verbum excidat, quod fidelium auribus indignum eſſe videatur, aut pias mentes lædere, aut riſum movere queat. Ut enim* Eloquia Domini eloquia caſta ſunt: *Ita etiam maximè decet Chriſtiani populi doctorem ejuſmodi orationis genere uti, quod ſingularem quandam gravitatem, & mentis integritatem præ ſe ferat.* Huc reſpiciunt verba Ritualis adducta p. 1. c. 7. num. 20. Quòd ſi adeò cautè procedere debet Confeſſor agens cum particularibus, quantò cautior erit, qui publici juris facit opus ſuum, editque tractatus, quos etiamſi velit, non ampliùs poterit ſupprimere? Sanè viris prudentioribus diſplicuit

ſemper, ſi quis Theologorum, liberiùs, quam par erat, expatiatus eſt per hanc materiam. Et hæc generaliter de hiſce virtutibus.

CAPUT LI.

De Actu Caſtitatis.

1. ABſtinentia non prohibet omnem delectationem guſtus, quam natura in cibis conſtituit, ut homo magis alliceretur ad ſui conſervationem, quæ conſervatio utpotè bona, eſt omnibus appetibilis. Igitur Temperantia eò reſpicit, ut prædictas delectationes ita moderetur homo, quòd neque excedat, neque deficiat in appetendo. Simili modo Caſtitas non prohibet omnem actum, & omnem delectationem tactus, quam natura inſtituit, ut homo magis alliceretur ad conſervationem ſpeciei, quæ conſervatio ſpeciei eſt bonum majus conſervatione individui, quia omne bonum commune majus eſt bono privato. Tamen inter Abſtinentiam, & Caſtitatem hoc intereſt, quòd bonum proprium privatum ſinguli tenentur conſervare; ideòque ſingulis inſtat præceptum comedendi: At bonum multitudinis, præcipitur quidem quærere multitudini, ſed non ſingulis de multitudine. Igitur, Caſtitas non prohibet omnem actum, ſed ita moderatur, ut fiat, quando decet. Et ideò communitur Caſtitas dividitur in Virginalem, Vidualem, & Conjugalem.

2. D. Quid requiritur, ut actus venereus fiat debito modò, juxtà ordinem Caſtitatis, & ſine peccato?

M. Poteſt quæri de peccato mortali, & de veniali; Utrumque debet ſcire Confeſſor; priùs tamen quæremus de mortali. Actum hujuſmodi natura inſtituit ad duos fines: primus eſt generare alterum hominem: ſecundus eſt educare alterum hominem, quæ quidem educatio debet eſſe non corporalis tantùm, ſed principaliter ſpiritualis per inſtructionem. Natura enim condidit hominem, qui non ſolùm ſit animal, ſed & homo, quà homo. Si homo incumbat actui venereo ſine utroque horum finium, vel ſine altero; jam operatur cum maximo malo ſpeciei humanæ, & ita non poteſt ſervari charitas, cum exercitio prædicti actus, ſine duobus illis finibus, vel ſine altero; propterea, juxtà dicta p. 1. c. 34. n. 6. Caſtitas obligat ſub mortali, ut ejus actus exerceatur inter perſonas conjunctas legitimo matrimonio. Si enim fiat aliter, quàm inter virum, & fœminam, homo utitur actu contrà primum naturæ finem, dandi eſſe. Si verò fit inter virum, & fœminam non conjunctam matrimonio; fit contrà ſecundum naturæ finem educandi, & perficiendi hominem, ut homo eſt.

3. Quid eſt matrimonium?

M. S. Th. hìc tantùm agit de peccatis contrariè oppoſitis Caſtitati: de actu autem ipſius Caſtitatis diſtulit agere in 3. p. cum de reliquis Sacramentis, ad quorum dignitatem Chriſtus elevavit matrimonium; agitque de illo à q. 41. ad 69. ut decet Theologum perfectum. Confeſſor ordinarius, & præſertim Parochus, legat perſæpè circà Matrimonium, Tridentini doctrinam, & decreta ſeſ. 24. tùm ante Canones, tùm poſt Canones decem capita de ref. matrimonii, & Catechiſmum p. 2. c. 8. ex cujus n. 3. matrimonium ita definitur: *Viri, & fœminæ maritalis conjunctio, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. Vides hinc matrimonium dare jus ad actum venereum, & illum cohoneſtare; Eſſentia matrimonii conſiſtit in hoc jure: Actus autem eſt operatio conſequens ad hoc jus, & actus complet carnaliter matrimonium, quod tamen ſpiritualiter eſt perfectum in mutuâ conjunctione animorum, quæ conjunctio ſi adſit, & ulteriùs abſtinentia ab actu; ut conjuges vacent Deo, jam tunc erit matrimonium ſpiritualiter perfectius, licet carnaliter imperfectius, & tale fuit matrimonium inter B. Virginem, & San. Joſephum; nec non inter alios Sanctos conjugatos, de quibus Hiſtoriæ tradunt in matrimonio vixiſſe cælibes. Cum igitur matrimonium non conſiſtat in actu, ſed in jure ad actum, ut diſtinctè, qualiter ordo exigit, procedamus, diſſerendum prius eſt de matrimonio, poſtea de actu.

4. D. Dixiſti matrimonium eſſe inter legitimas perſonas; peto quid intelligas per ly *legitimas perſonas*?

M. Intelligo, quòd non ſint perſonæ impeditæ à lege naturali, vel divinâ, vel Eccleſiaſticâ contrahere. Non dico à lege civili, quia ſolum ago de matrimoniis Chriſtianorum, inter quos matrimonium à Chriſto elevatũ ad ſignificandam ſui cum

Eccle-

Eccleſia conjunctionem, eſt ſignum ſenſibile iſtius gratiæ inviſibilis, & propterea ſacramentum; quare tota juriſdictio in contractu matrimoniali ſpectat ad Eccleſiam, cujus eſt adminiſtrare ſacra.

5. D. Suntne aliqua impedimenta matrimonium dirimentia ex lege naturæ?

M. Dicitur Gen. 2. *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ:* ex quibus apparet lege naturali prohibitum, ut ſimul conjugati cohabitent pater, & filia. &c. Debetque inteligi de omni lineâ rectâ, ita ut, ſi Adam eſſet in mundo nulli poſſet nubere ſuorū deſcēdentium.

6. D. Extatne aliquod impedimentum lege divina?

M. S. Th. 2.2.q. 88. a. 11. probat, quòd profeſſio ſolemnis in Religione approbatâ per Sedem Apoſtolicam, jure divino dirimit matrimonium; ſed habet multos contradictores hæc ſententia, quam tamen ſtabiliunt rationes. Id innuiſſe ſufficiat Confeſſori ordinario, nec enim ad munus Judicis, Medici, & Doctoris practici ſpectat ultra inquirere.

7. De Extantne impedimenta dirimentia per Eccleſiam?

M. Theologi claritatis gratià redegerunt omnia impedimenta in carmina ſequentia.

Error, Conditio, Votum, Cognatio Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen,
Honeſtas:
Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis:
Si Parochi, & duplici deſit preſētia teſtis;
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

8. D. Intelligo etiam adeſſe quædam impedimenta, quæ dicuntur impedientia, vellem ſcire, quæ ſint, & quomodo diſtinguantur à dirimentibus?

M. Per hoc diſtinguuntur, quòd contrahens cum dirimentibus, ultrà peccatum, invalidè contrahit: Contrahens cum impedientibus, peccat, ſed validè contrahit. Porrò impedientia continentur his carminibus.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatū.
Atque Catechiſmus, Sponſalia, jungito
Votum
Incæſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris
Suſceptor propriæ ſobolis, mors preſbytevalis,
Vel ſi pæniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibēt hæc conjugiā faciendā.

Aliqui affirmant quædam ex his undecim impedimentis non ampliùs vigere, ſed ego ſequens methodum mei operis, Confeſſori, quem pœnitens conſulit, matrimonio cum illis contracto, conſulo, ut faciat ſe accuſare, ſi quomodolibet peccaverit: Ubi verò Confeſſor conſulitur à pœnitente, an poſſit ſine peccato contrahere cum illo impedimento, nihil reſpondebit ex proprio celebro, ſed de ſententià Doctoris ſibi à Deo traditi, ſcilicèt, Epiſcopi, ſemperque hortabitur pænitentem, ut quantum fieri poteſt, ſe accommodet Eccleſiæ ſtatutis.

9. D. Confeſſori ordinario eſtnè neceſſarium pro ſuo tripiici munere Judicis, Doctoris, & Medici, ſcire ſaltem principaliores caſus, qui poſſunt contingere circà impedimenta dirimentia?

M. Id eſt utique neceſſarium Parocho, ſed non Confeſſori: quare in examine Urbis deputati ad curam Parochialem examinantut ſuper prædictis impedimentis. Parochi enim eſt, ante matrimonium invigilare, nè quod intercedat impedimentum; & ſi detegitur poſt contractum, ut provideatur etiam extra forum pœnitentiale. Confeſſor autem Judex fori pœnitentialis, optime faciet, ſi de omnibus poſſit rationem reddere, ſed non tenetur, & quoad hæc impedimenta, poteſt remittere pænitentem ad propsium Parochum, imò ita ſe ordinariè geret, niſi adeò ſint occulta impedimenta, ut ſolùm conveniat illa tollere per forum pænitentiale.

10. D. Quid faciet Confeſſor requiſitus, ut provideat matrimonio invalidè contracto, debetque provideri ſolùm in foro Pœnitentiali?

M. Confeſſor hujuſmodi, quando ex ſe ſolo neſcit decidere, an vere extet impedimentum, abſolvet tunc pœnitentem à peccatis commiſſis, & petet tempus conſulendi peritiores, quando dubitat, & Confeſſor, & Pœnitens: quo dubio durante, admonebit pœnitentem, nè petat debitum, ſed reddat. Si verò certum ſit impedimentum, nec poteſt petere, nec reddere, quamvis conjux omninò validum crederet matrimonium, quia fornicaria eſt omnis copula, ubi verè non eſt validum matrimonium. Vide dicta par. 1. cap. 18. num. 15. de modo, quo debet ſe gerere ad petendam diſpenſationem, qua obtenta, monebit ad matrimonium revali-

Digitized by Google

dandum exigi novum utriuſque conſenſum.

11. D. Ubi matrimonium intercedit, eſt néſemper licitus, & ſine peccato mortali actus conjugalis?

M. Ex multiplici capite poteſt vitiari actus iſte, ſed ſub prætextu docendi non debeo offendere pudicas aures præparantis ſe ad confeſſiones. Natura ipſa docet conjuges quid licitè, quid illicitè valeant. Si difficilior caſus contingat, materiam hanc tractant ferè omnes Caſuiſtæ, quorum libris deſtitutus Confeſſor conſulat doctiores, interim quoad uſque reſpondeat plenè, moneat pœnitentem, ut abſtineat à tali modo &c.

12. D. Actus conjugalis eſtnè etiam immunis ab omni peccato veniali?

M. Actus conjugalis erit immunis ab omni etiam veniali culpâ (imò, & meritorius in homine juſto) ſi fiat altero ex his duobus motivis; primò ad gignendos filios juxtà verbum Auguſtini adductum c. 46. n. 3. qui ſanè dicit eſſe adhibendum propter ſolos gignendos filios; attamen ſecundò poteſt eſſe omninò bonus, ſi reddatur debitum. Igitur reſpectu petentis vacat veniali culpâ, ſi fiat unicè ad gignendos filios: Reſpectu reddentis erit etiam immunis ab omni culpâ, eſtò prævideatur ex illo actu hìc, & nunc filium non generandum, ſi petitus reddat, quod debet conjugi. Caveat tamen Confeſſor, nè conjuges, pœnitentes ſuos velit ſanctos pluſquàm oportet. 1. Cor. 7. ſcripſit Apoſtolus: *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Confeſſori ſufficiat, ſi Dei legem zelet, ſicut Apoſtolus. Voluit Paulus, ut orationis tempore abſtinerent, ſed id ex mutuo conjugis utriuſque conſenſu. Optimum ſanè conſilium, ut abſtineant volentes communicare, jejunare, & alia opera pietatis facere, quæ communiter veniunt nomine orationis; At voluit, ut abſtinerent ex mutuo conſenſu; quòd ſi maritus nolit, Confeſſor ad alienam diem pertrahat uxori communionem, niſi aliud Chriſtiana prudentia dictet. Ubi tamen non eſt ratio ſpecialis orandi, qualis eſt in die communionis, vel temporibus ab Eccleſiâ inſtitutis ad orandum, revertantur conjuges *in idipſum, propter incontinentiam*. In quibus verbis affirmat matrimonium, poſt lapſum, fuiſſe ordinatum à Deo, etiam in remedium concupiſcentiæ, ac nè homo eſſet expoſitus periculo incõtinentiæ; qui tamen eſt finis ſecundarius ſubordinatus primario generationis filiorum, & conſequenter peccat venialiter, qui primò intenderet hunc finem ſecundarium; Id apparet ex verbis Apoſtoli ſequentibus: *ſecundum Indulgentiam dico:* quæ verba plures Patres intelligunt, ut voluerit Apoſtolus denunciare culpæ venialis reatum in tali actu elicito principaliter ad evitandam incontinentiam. Et duo fecit Apoſtolus, primò permiſit peccatum veniale (quod etiam eſt leviſſimum, & utinam alia peccata non haberent conjuges) ad evitandum periculum peccati mortalis: ſecundò voluit, ut ſcirent conjuges id eſſe peccatum veniale, ut ſi quando Spiritus Sanctus vocaret eos ad majorem perfectionem, agnoſcerent viam perfectionis. Apoſtolum Confeſſor imitetur in omnibus. Illos hortetur, nè invicem ſe fraudent; ſed veluti per tranſennam pariter oſtendat, quando veniale peccatum ſit actus conjugalis. Plantet quidem hoc ſemen, ſed relinquat, ut Spiritus Sanctus det incrementum, quod dabit, qui congruentem ſuis temporibus novit exhibere medicinam.

13. D. Non nè meliùs ageret, ſi Confeſſor taceret in iſtis caſibus: etenim proni ſunt maximè homines ad libidinem, & ſcientes illicitum venialiter eſſe actum conjugalem, ſi exerceatur ſolâ delectationis causà, vel ad vitandam incontinentiam non tamen ceſſabunt ab hoc veniali; è contrà ſi relinquantur in bonâ fide, juxtà plurimum Modernorum opinionem, qui nullum agnoſcunt peccatum in actu taliter exercito, nullatenùs peccabunt neque venialiter. Hoc beneficium mundo attulerunt Moderni, tot opinionibus noviter explicatis. Inde enim profit, quòd utrumque contradictorium ſub probabilitatis finibus concluſum, faciat ignorantiam invincibilem de veritate, per quàm ignorantiam excuſatur à peccato, cui ſequitur aliquid; quod in ſe verè peccatum, innixus opinioni probabili?

M. Tu multa involvis, & ferè ſatis captioſè, credens me poſſe invehi contrà Modernos, quos tamen ſuſpicio. & veneror: etenim inſudarunt plurimum in enucleanda

de Morali Theologiâ; quòd ſi aliquis in aliquo videatur exceſſiſſe, alter alterius debemus onera portare. Multò minùs curo ingredi quæſtionem de probabiliſſimo, quam, ut vidiſti, ſemper in hoc opere ſtudui evitare. Illam relinquo Scholaſticis. Confeſſorem toties monui, ut in praxi, quando probabilis verè eſt opinio, nec prohibet Eccleſia, (ut minimam probabilitatem prohibuit Inn. XI. in 3 prop.) relinquat unumquemque in ſuâ probabilitate, ſed ipſe conſulat partem tutiorem. Tamen dubitó plurimum, an opiniones inſinuatæ de actu matrimoniali ſint probabiles; quòd opus illud exercitum ob ſolam delectationem, ſit veniale peccatum definivit idem damnans prop. 9. Tu ergo veritatem hanc oſtendens pœnitenti, ſequere dictamen Apoſtoli, & Sedis Apoſt. Matris tuę, quę id expreſsè definiens non multiplicavit peccata, ſed cognovit peccare illos, qui ex ignorantia tenebant non eſſe peccatum: quare duplici malo laborabant conjuges; primò in intellectu, ignorantes eſſe peccatum: ſecundò: in appetitu, quærentes talē delectationē; nec potens Eccleſia mederi utrique, cōſuluit primo graviori; nā ignorans eſſe peccatum, quod re vera eſt peccatum, ſupponens non eſſe peccatum, frequentius committit talem actionem, & nunquam de illa dolet: qui verò ſcit eſſe peccatum, conſcientia ductus aliquando intermittit, & ſi ex paſſione peccat, deindè pœnitet de peccato. Hæc generaliter dicta ſint pro quacunque materia, ut Confeſſor in omni curet tollere ſaltem ignorantiam pœnitentium, ubi per rationes fundatas videt aliquam opinionem eſſe pœnitùs improbabilem, eſtò illam ſequantur plures.

CAPUT LII.

De Peccatis contrariè oppoſitis Caſtitati.

1. PEccatum Caſtitati contrariè oppoſitum per defectum vocatur ex ſuo genere *Inſenſibilitas*, de quâ dictum eſt c. 46. num. 5. & ſi quis deficeret, explicare deberet ſpeciem, an fuerit inſenſibilis circà delectationes guſtus, vel tactus, ut ſi ex horrore ad hujuſmodi delectationes conjux conjugi petenti negaret debitum; in quo caſu etiam peccaret contrà Juſtitiam. Peccatum contrariè oppoſitum Caſtitati per exceſſum vocatur *Luxuria*, quæ dicitur *Appetitus inordinatus delectationum tactus ordinatarum à natura ad generationem prolis*; in quâ acceptione opponitur etiam Pudicitiæ; majoris tamen claritatis gratia tractabo in præſenti capite de Luxuria, ut opponitur Caſtitati tantùm; Et in hoc ſenſu, nomine Luxuriæ, venit omnis actus venereus conſumatus, & exercitus extrà legitimū matrimonium; fuitque neceſſarium de hoc agere ſtatim poſt examinatum actum conjugalem, & deinde dabimus alia pro pleniori intelligentia ipſius actus Caſtitatis. Igitur.

2. D. Quotupliciter dividitur Luxuria?

M. Luxuria eſt genus à Sanct. Thom. quæſt. 154. art. 1. diviſum in ſex ſpecies: & ſunt: prima: *Simplex Fornicatio*: ſecunda: *Adulterium*: tertia: *Stuprum*: Quarta: *Inceſtus*: quinta: *Raptus*: ſexta: *peccatum contra naturam*.

3. D. Quid eſt ſimplex Fornicatio?

M. Semper illam conſiderando, ut opponitur Caſtitati, & non etiam Pudicitiæ ſimplex fornicatio eſt actus venereus conſummatus ſoluti cum ſolutâ. Eſt peccatum mortale, quia præjudicat fini ſecundario prolis generandæ, juxtà dicta c. 50. num 2. quæ non repeto, ſed tu relege.

4. D. Quid eſt Adulterium?

M. Eſt actus venereus conſummatus cum aliquo conjuncto in matrimonio; tunc enim fit injuria conjugi, & ideò, quatenùs Adulterium, eſt contrà Juſtitiam communitativam; & contrà duas virtutes; quare eſt in duplici ſpecie peccati, ſcilicet Luxuriæ, & Injuſtitiæ: ſi ambo peccantes ſunt conjugati, tunc eſt duplex numero adulterium, quia duobus fit injuria; & pœnitens tacens conjugium utriuſque, non explicat ſufficienter numerum ſuorum peccatorum. Eſtò maritatus conſentiat adulterio conjugis, adhùc eſt injuſtitia ex ratione traditâ p. 1. c. 34. n. 9. Peccatum, quod committitur cum ſponsâ de futuro, reducitur ad Adulterium, quia fit injuria ſponſo habenti jus ad ſponſam, vel è contra; ſed tamen eſt ſpecie diſtinctum, quia ſpecie diſtinguuntur jus ad rem, quod habet ſponſus, & jus in re, quod habet maritus; ideòque ſpecialiter explicandum in confeſſione. S. Thom. q. 154. art. 7. ad 3. Sponſi *ex ipsâ diſpenſatione jus habent* in ſibi deſponſatis.

4. D. Quid eſt Stuprum?

M. Eſt defloratio Virginis; eſt etiam con-

contra juſtitiam, ut Adulterium. Multi docent non eſſe ſtuprum, ſed ſimplicem fornicationem, ſi virgo voluntariè conſentiat: nec enim vident, cui fiat injuria; ſed tu tene cùm S. Th. a. 6. quòd ſemper eſt ſtruprum: Virginum caſtitatem Deus poſuit ſpecialiter ſub cuſtodia parentum, vel Tutorum, licèt ipſa Virgo ſit domina ſui; quare deflorans Virginem voluntariè conſentientem facit injuriam Tutoribus; ut injuriam mihi facit, qui ſuum equum ponens ſub meà cuſtodia, illum ſibi acciperet, me ignorante: quòd ſi inſtes poſſe parentes cedere juri ſuo, tunc dic, ut dictum eſt præcedenti numero de marito conſentiente. Ex hac doctrina S. Thomæ inferes committi ſtuprum, non primà ſolùm vice, cùm defloratur virgo, ſed toties, quoties homo abutitur illa fœmina reputatà Virgine, & adhuc ut Virgine cuſtodita à parentibus, vel Tutoribus,

6. D. Quid eſt Inceſtus?

M. Eſt actus venereus conſummatus cum conſanguineis, vel affinibus; eſt contra virtutem Pietatis, quà tenemur honorare prædictos; eritque ſub ſpecie Adulterii; Stupri &c. ſi rationem illorum attingat. Videndum eſt uſque ad quem gradum impediatur matrimonium; & ſi quis peccet cum conſanguinea, vel affini in gradu, in quo prohibetur contrahere, peccabit peccato Inceſtus. Multi quærunt, an hoc peccatum ſubdividatur in alias ſpecies, ita ut ſufficiat ſe accuſare de inceſtu non explicando, an fuerit cum conſanguineo, vel affini in quarto, aut in primo gradu. In praxi tu Induces pœnitentem, ut explicet, an intercedat affinitas, vel conſanguinitas, & gradum. Super omnia, ubi actus eſſet inter conjunctos in primo gradu, ſpecialiter explicari debet, an ſit in lineà rectà aſcendentium, quia dictum eſt c. 50. n. 5. inter iſtos prohiberi matrimonium jure naturæ, quod jure tantùm humano prohibetur in primo gradu lineæ tranſverſalis; cumque jus naturale diſtinguatur ſpecie ab humano plus, quàm civile ab Eccleſiaſtico, in confeſſione eſt explicanda ſpecies violati, ut ſpeciem peccatorum habeat Confeſſor.

7. D. Quid eſt Raptus?

M. Ultra malitiam peccati contrà Caſtitatem, Raptus etiam dicit malitiam Rapinæ, de quà c. 24. n. 8. fit enim injuria rapiendo violenter aliquem, ut eo abutatur ad turpia; in quo poſſunt concurrere omnes aliæ ſpecies Luxuriæ, ut ſi rapiantur puerl; nuptæ, Virgines, Moniales &c.

8. D. Quid eſt Sacrilegium?

M. Eſt, quando peccatum conſumatur cum perſona ſacra, ſcilicet, habente votum Caſtitatis, vel ſolemne, vel ſimplex; & juxta dicta c. 32. n. 6. debet explicari, an habeat votum ſolemne, vel ſimplex: hoc enim obligat coràm Deo ſolùm, at ſolemne obligat etiam reſpectu Eccleſię; proptereà gravius eſt peccatum, & ſpecie diverſum à peccato contrà votum ſimplex. Aliqui diſputant; an violans votum ſolemne teneatur explicare, quòd votum ſolemne ſit Religionis, vel Ordinis. Tu vide dicta ſuperiùs cap. 33. num. 6. Audiſti cap. 50. n. 6. S. Thom. ſentire, quòd votum ſolemne Invalidat matrimonium jure divino; & cum eo ſentit florentiſſima Thomiſtarum ſchola, non arctata inter ſola Dominicanorum Monaſteria, ſed etiam divagata per plures Religiones; quare aliqui poſſent ſentire quòd explicari debeat quale ſit votum ſolemne, vel Religionis, vel Ordinis ſacri: Sed quia hæ leges tendunt ad eundē finem non tenemur id explicare, niſi quando Religioſus violaret vota, ut divina lege prohibita: & tunç quia ex Angelico tria vota eſſentialia Religionis obligant jure divino, Religioſus etiam debebit explicare ſuum ſtatum, ſi violet Obedientiam, & Paupertatem furando, quia id eſt contra eſſentiam Paupertatis, at quæ paupertati accidunt ex conſtitutione Eccleſiæ, non ita tenebitur explicare juxta illud principium S. Thomæ.

9. D. Quid eſt peccatum contra Naturam?

M. Eſt genus peccati continens ſub ſe plures ſpecies, quas nolo enumerare, conſcius, ut dixi toties, quòd de illis, utpotè brutalibus, etiam tacebant Philoſophi Gentiles. Dolendum eſt frequentari apud Chriſtianos, quę innominata volebant Æthnici. Turpitudo illorum ſatis per ſe apparet. Circa peccatum nefandum curet Confeſſor explicari, an fuerit agens, vel patiens: nam agere, & pati Ariſtoteles ponit in diverſo prædicamento: quare differunt non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere generaliſſimo; & pęnitens id non explicans, omittit non modò ſpeciem, ſed & genus. Peccat contrà naturam, qui eſt impotens ad

ad actum conſummatum, quare Eunuchi, & ſimiles debent explicare in confeſſione ſuam impotentiam naturalem. Porrò quęlibet ſpecies peccati contrà naturam aggravatur ex aliis circumſtantiis, ut ſi agens, vel patiens ſint maritati, voto adſtricti &c.

10. D. Immunditia voluntaria, quæ eſt prima ſpecies peccati contra naturam, nimis eſt frequens, ut propterea debeat circa illam Confeſſor eſſe inſtructiſſimus?

M. Quàm frequens eſt, tam clara eſt illius malitia, ut non indigeamus, circà illam immorari. Peſſimè audies apud viros prudentes, ſi doceas dari poſſe ignorantiam invincibilem de illius malitià in adoleſcentioribus; & ſi dicas eos quidem cognoſcere, quòd ſit contrà lumen rationis; at poſſe ignorari, quòd ſit contrà legem Dei, incides in peccatum Philoſophicum; de quo vide p. 1. c. 28. n. 2. Vide 49. propoſitionem ab Inn. XI. prohibitam, & inde habebis, an dari poſſit ignorantia de illius malitià.

11. D. Poteſtnè aliquando permitti hæc immunditia?

M. Certè nunquam poteſt intendi, neque ad ſalvandam propriam vitam, quia bonum ſpeciei, ad quod natura ordinavit actum venereum, prævalet bono individui. Hinc neque permitti poteſt cum periculo conſenſus, vel delectationis voluntariæ. Quòd autem aliquando poſſit permitti ex urgenti neceſſitate, apparet ex dictis c. 23. num 4. de homicidio; Quæ autem, qualis, & quanta debeat eſſe iſta neceſſitas, non poteſt univerſaliter ſtabiliri. Cajetanus opp. tom. 1. tr. 12. luculenter probat poſſe permitti, eſtò prævideatur à Confeſſore, qui in illam incidit, ut exerceat ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici, ſive omnia ſimul exerceat in Confeſſionali, ſive dum coactus neceſſitate ſtudet hiſce materiis. Circa id multum laxavit, habenas Michal de Molinos, & quia ob noſtræ naturæ fragilitatem poſſumus facilè decipi, credentes eſſe puram permiſſionem, quando vere cooperamur, ideò res pauló eſt accuratius tractanda. Docuit plures propoſitiones Hæreſiarcha ille circà immunditiam hujuſmodi, damnatas ab Inn. XI. Omitto 42. 43. 45. 46. 48. 49. 50. 51. 52. & 53. in quibus dicebat hujuſmodi permitti, cum tamen ſi verum eſſet, quòd ait, illi de quibus loquitur, non ſolùm permiſiſſent, ſed voluiſſent, & operati fuiſſent. Refero 17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nullà adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura.* 37. *In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore, & reſignatione permanere.* In 41. docebat Deum permittere actus carnales ex violentià Dęmonis, qui non eſſent peccata, eſtò contingerent *in vigilia & ſine mentis offuſcatione*. In 47. quòd violentiæ Dæmonis erant permittendę, *nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum* ad eas reprimendas. *Et præ omnibus non opus eſt confiteri, & ſanctiſſimè fit non confitendo.* Et in 48. quòd *melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia*. Relege Conſtitutionem Innocētii, videbiſque alias plures damnatas, quæ ad idem faciunt de permittendis immunditiis hujuſmodi, aliiſque tentationibus; non tamen adduco illas, quia videntur magis tangere animas perfectiores, in quibus ille filius iniquitatis præ aliis juſtificabat omnes hujuſmodi actiones &c. Adductæ poſſunt ſatis docere Confeſſorem ordinarium, & deſtinatum multitudini fidelium, quàm cautè ſit procedendum in hac materia, quanta cura ſit adhibenda in reprimendo motu omni ſenſualitatis, & quàm lentè Confeſſor debeat immunem judicare à peccato, qui credit ſe permittere tantum, non etiam directè, vel indirectè velle prædictas immunditias.

12. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri duo Confeſſorem obteſtor: primò: ut attente ſæpius conſideret quamlibet particulam propoſitionum relatarum, & à Sede Apoſtolica damnatarum; & ſi caſus accidat, damnet etiam ipſe praxim quancunque illis conformem: ſecundò: ſi habeat pęnitentes ex mala corporis diſpoſitione proclives, charitativè, ac paternè moneat, in ſingulis caſibus confiteri, quas patitur immunditias (etiam nocturnas, quantò magis occurentes in vigilia, & ſine mentis offuſcatione) ſupponamus, quòd omninò vacent à culpa mortali, qualiter ex Cajetano poteſt contingere in Confeſſorem, quis tamen audeat excuſare à peccatis pluribus venialibus, & in praxi difficillimum eſt judicare quòd adhibita ſit omnis indu-

induſtria, ſub mortali neceſſaria reprimendis tentationibus: Igitur inducendi ſunt (paternè tamen, & omni cùm charitate) ut ea confiteantur: primò: ad ſecuritatem conſcientiæ: ſecundò: etiam ſuppoſito, quòd ſit ſecurus ſe non peccaſſe mortaliter, ad delenda venialia, & negligentias commiſſas in reprimendis: tertiò: ad obtinendum contrà tentationes effectum proprium ſacramenti pœnitentiæ, qui ſunt auxilia Dei actualia ſuo tempore, nè incidamus in eaſdem tentationes; & loquendo de tentationibus carnis, in natura magis ignea, & in juvenibus, quorum ſanguis ebullit, nihil magis poteſt extinguere ignem luxuriæ, quàm ſanguis Chriſti applicatus per hoc ſacramentum. Adde quartò: quòd immunditiæ hujuſmodi, etiam quatenus merè corporales, maximè dedecent accedentem ad nuptias Agni, ſeù ad ſumendum Euchariſtiæ Sacramentum: quare in ſero Eccleſiaſtici recitant.

Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.

S. Th. 3. p. q. 80. art. 7. Euchariſtiæ ſumptionem ait per iſtas immunditias impediri quoad duo: primò: quoad fœditatem corporalem, *cum quà, propter reverentiam ſacramenti, non decet accedere ad altare, unde, & volentes tangere aliquid ſacrum, manus lavant*; ſecundò: propter evagationem mentis, *quæ ſequitur* ordinariè; niſi adſit aliqua neceſſitas communicandi, vel proveniat ex illuſione dæmonis volentis impedire communionem. Porrò id ex ſe pœnitens non decidat, ſed de conſilio prudentis, & charitativi Confeſſoris.

CAPUT LIII.

De Pudicitia, peccatiſque contrariè oppoſitis.

1. NOn poſſunt perfectè tradi reliqua generalia ſpectantia ad Caſtitatem, & peccata illi oppoſita, niſi priùs explicetur Pudicitia cum ſuis oppoſitis. Dictum eſt c. 49. num. 1. quòd Pudicitia reſpicit præcipuè ſigna venereorum, ſicut ſunt aſpectus impudici, oſcula, & tactus, nec quæro, an diſtinguatur ſpecie à Caſtitate, quia certum eſt, etiamſi non diſtinguatur explicandos eſſe hujuſmodi actus, utpotè incompletos, juxtà regulam traditam p. 1. c. 31. n. 3.

2. D. Virtus Pudicitiæ quid habet regulare circà hujuſmodi tactus, oſcula, & aſpectus?

M. Hujuſmodi poſſunt conſiderari ſecundum ſe, & ita ex natura ſua ſunt actus indifferentes, qui poſſunt benè, vel malè fieri, ac regulantur à virtute Affabilitatis; quare licent ad oſtendendum amorem honeſtum, ubi viget conſuetudo, quòd paſſim uſurpentur; in quo tamen cautiſſimè procedendum eſt; quòd ſi debet adhiberi cautela maxima, in regionibus, in quibus exercentur ex conſuetudine, quia etiam ibi ſunt valdè periculoſi quantò cautius adhibendi ſunt, ubi nulla talis conſuetudo viget. Sanè quoad praxim, ubi non viget conſuetudo, ſunt damnandi ſaltem ob periculum proximum, quod ſi non eſſet in uno, timeri ſufficientiſſimè poteſt in comparte: ſunt enim peccata, quoties libido ſe ingerit, vel timeri poteſt, ut ſe ingerat: & id accidit, quoties ex antiqua conſuetudine non ſunt introducti, ut ſigna honeſti amoris.

3. D. Optimè dicis eſſe peccata, quoties ſunt libidinoſi, ſed aſſignandum eſt, quando cenſendi ſint libidinoſi?

M. Hoc non poteſt explicari: cæterùm unuſquiſque in praxi agnoſcit optimè, quando moveatur ex amore libidinoſo; Natura id omnes docet, eſtò nequeat id explicari, & pœnitentes, ubi ſe accuſant de iſtis, jam agnoſcunt peccaſſe, ſaltem exponendo ſe periculo.

4. D. Hujuſmodi actus extrà matrimonium, ſuntnè ſemper peccata?

M. Utique extra matrimonium ſemper ſunt peccata etenim amor libidinoſus à natura eſt inſtitutus ad procreationem prolis, & cui prohibitus eſt ultimus actus, etiam prohibitæ ſunt diſpoſitiones ad ultimum actum: quia, & diſpoſitio, & ultimus actus ſunt in eodem genere, & quia natura tendit ad complectum: quare cui natura prohibet complementum, ſimul prohibet inchoationem.

5. D. Suntnè omnes actus contra Caſtitatem peccata mortalia ex natura ſua?

M. Dictum eſt p. 1. c. 34. n. 6. quòd tunc peccamus mortaliter, quando actus nequit ſtare cum charitate: dictum eſt c. 50. n. 2. quòd nequit ſimul ſtare charitas cùm actu venereo præjudicante proli, quam

natura

natura intendit naſci ex eo, præjudicanti, inquam, vel quoad eſſe, ut contingit in peccatis contra naturam, vel quoad educationem, ut contingit in aliis Luxuriæ ſpeciebus. Dictum eſt num præcedenti naturam eodem præcepto prohibere ultimum actum, & diſpoſitiones omnes prævias ad ultimum actum, inde ſequitur omnes actus contra Caſtitatem eſſe ex ſuo genere peccata mortalia.

6. D. Poſſuntnè excuſari à peccato mortali ex parvitate materiæ?

M. Nunc tenetur communiter nullum peccatum contra Caſtitatem excuſari à mortali ex parvitate materiæ, & inclita Societas Jeſu ſemper amantiſſima Caſtitatis Angelicæ, tùm in ſuis Religioſis, tum in ſuorum Religioſorum pœnitentibus, atque diſcipulis, ſub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis doceret, vel admitteret parvitatem materiæ excuſantem à mortali in peccatis contra Caſtitatem; cujus doctrinæ, ut detur ratio, juxtà Doctoris Angelici, quem ſequor in omnibus, principia, ſic arguo: Tota Luxuriæ malitia conſiſtit in eo, quòd præjudicetur, vel eſſe prolis, vel educationi ad inſtituendam totam vitam: quantumcumque ergo minimus ſit actus, quia infert aliquod ex dictis damnis, quorum utrumque eſt graviſſimum, erit ſemper peccatum mortale. Peccat mortaliter, qui minimam excitat ſcintillam, ordinatam ad incendendum campum, eſtò per accidens non ſequatur incendium. Et ita eſt in noſtro caſu. Poteſt peccari venialiter, ſi aſpectus, aut tactus eſſent occaſio, & diſpoſitio tantum remota ad accendendum amorem libidinoſum, ut ſunt verba ſcurrilia, de quibus cap. 48. nu. 4. & inordinati aſpectus, non tamen libidinoſi, ſed qui diſponunt remotè ad libidinem; ſi verò ſint cum periculo proximo, tunc erunt peccata mortalia.

7. D. Quia Luxuria eſt vitium capitale, enumera mihi ejus filias, innuendo, quibus virtutibus opponantur?

M. Luxuriæ filiæ ſunt octo: Prima: *Cæcitas mentis* oppoſita dono Intellectus. Vide cap. 4. num. 13. Secunda: *Inconſideratio* Prudentiæ oppoſita. Vide cap. 15. num. 4. Tertia: *Præcipitatio*: Quarta: *Inconſtantia*: Ambæ oppoſitæ eidem Prudentiæ. Vide c. 15. num. 3. & 5. Quinta *Amor ſui* per hoc, quòd inordinatè appetit propriam delectationem; quare eſt genus peccati, ex quo cauſantur omnia peccata: Sexta: eſt *Odium Dei*, oppoſitum charitati. Vide c. 14. num 1. Septima: eſt *affectus præſentis ſæculi*. Eſt etiam genus peccati: Octava eſt *horror futuri ſæculi*. S. Thom. quæſt. 153. art. 5. vocat *faſtidium*, & *deſperationem*, inchoativè ſaltem; unde reducitur ad ſpeciem deſperationis.

8. D. Adſuntnè Cenſuræ, vel pœnæ Eccleſiaſticæ contra violantes Caſtitatem, aut Pudicitiam?

M. Adſunt rigoroſæ pœnæ civiles, & etiam Eccleſiaſticæ imponendæ in foro exteriori contra Adulteros, Inceſtuoſos, Virginum defloratores, Raptores, Sacrilegos, Concubinarios, & præcipuè contra Clericos exercentes peccatum nefandum. Harum pœnarum notitia non eſt omninò neceſſaria Confeſſori, qui pœnitentem reum remittet ad Juriſtas; quòd ſi diſcutiendum ſit, an aliqua illarum obliget in conſcientia, non deſunt Doctores, à quibus id haurire poſſit: Ubi autem careat libris, exquirat conſilium; Circa pœnas in foro pœnitentiali, animadvertat, nonnullas hujuſmodi peccatorum ſpecies ſolere ab Epiſcopis reſervari; quare cujuſque Diœceſis in particulari obſervet caſus reſervatos. In univerſali Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matr. impoſuit pœnam excommunicationis committentibus peccatum Raptus, vel operando, vel cooperando per conſilium, auxilium, vel favorem p. 1. c. 10. num. 6. audiſti adeſſe excommunicationem reſervatam Summo Pontifici (à qua intrà Italiam, extrà Urbem neque poſſunt abſolvere privilegiati regulares) contrà violantes clauſuram Monialium ad malum finem, hoc eſt, ad finem offendendi earum Pudicitiam, aut Caſtitatem.

9. D. Quas Pœnitentias Confeſſor debebit imponere violantibus virtutem Caſtitatis, aut Pudicitiæ?

M. Rituale adductum p. 1. c. 7. nu. 23. tantùm in genere dicit imponenda eſſe *libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones*. In ſpecie, ſi quæ determinantur pœnitentiæ in particularibus Diœceſibus, ad unguem Confeſſor ſequetur hujuſmodi ordinationes. Meminerit, quæ peccata habent annexam excommunicationem, ſananda eſſe juxtà regulas generales de excom-

excommunicatione traditas p. 1. cap. 18. num. 22. ut, ſcilicet, parti læſæ ſatisfiat &c. Hujuſmodi peccata ſi ſint humana, hoc eſt, ex fragilitate, curanda ſunt per Confeſſorem magna charitate, juxtà dicta par. 1. c. 22. num. 3. ita quòd animet Pœnitentem recurrere ſemper ad medicinam Sacramenti Pœnitentiæ ad hoc inſtituti, ut vi illius accedente cum debita præparatione, à Deo impetrent per merita Chriſti applicata ex opere operato, *auxilia, maxima, quibus Chriſtiani, dum vivunt, conſervare ſe integros ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint*. Sed ſi ab initio Chriſtianus negligat recurrere, quantum poteſt, pro hoc peccato ad ſacramenta pœnitentiæ, vertitur facillimè in conſuetudinem, quam eradicare laborioſum eſt, & niſi Confeſſor cautè procedat, nunquam eradicabit: Conſuetudinarii promittunt maria, & montes, præſertim inſtante præcepto Paſchali, vel alia ſimili occaſione. Circa hujuſmodi peccatores Confeſſor habet part 1. cap. 11. à nu. 18. regulas à S. Carolo ſtabilitas, ad quarum amuſſim niſi procedat, aggravabit conſcientiam propriam, nec ſolvet coram Deo pœnitentes. Porrò quæ inculcanda ſunt, ut pœnitens concipiat maximum horrorem contra hæc peccata, Confeſſor hauriat ex Catechiſmo p. 3. c. 7. à nu. 6. Et quia frequentiſſimè peccatur contra prædictas Virtutes peccato ſolùm Interno concupiſcentiæ, vel delectationis moroſæ, horum actuum internorum remedia, & pœnitentias accipere poterit ex eadem p. 3. c. 10. præſertim à n. 21.

CAPUT LIV.

De tribus Virtutibus annexis Temperantiæ, ſcilicet, Continentia, Manſuetudine, Clementia, Vitiiſque oppoſitis.

1. TEmperantia refrænat concupiſcentias guſtus, & Tactus, quæ, ſunt vehementiores. Porrò virtutes, quæ in refrænando paſſiones, non ita vehementes, imitantur Temperantiam, dicuntur partes potentiales ejuſdem, ſive annexæ eidem. In præſenti capite agemus de tribus, & in ſequentibus de reliquis.

2. D. Quid eſt Continentia?

M. De Continentia S. Th. agit q. 155. & notat accipi aliquando in Scriptura, & Patribus, pro ipſa virtute Caſtitatis, etiam ut includit Virginitatem, & Pudicitiam. Scholaſticè tamen loquendo Continentia diſtinguitur à caſtitate in hoc, quòd Caſtus, ordinariè non ſentit ſtimulos carnis: Continens verò ſentit ſtimulos carnis, & aliquando graves; nihilominus per voluntatem reſiſtit: quare Caſtus habet rectificatum utrumque appetitum, intellectivum, & ſenſitivum: Continens habet appetitum ſenſitivum adhuc deordinatum, per commotiones paſſionum, ſed tenet intellectivum, ſeù voluntatem ordinatam in ultimum finem, ita, quòd concupiſcentia non trahit illam ad peccatum mortale. Propterea Continentia non eſt perfectè Virtus; veruntamen hæc non ſunt omninò neceſſaria Confeſſori ordinario. Propriè dicuntur Incontinentes, qui peccant ex infirmitate. Confeſſor ex generali notione Caſtitatis, & Pudicitiæ tradita, habet etiam, quomodo curare debeat Incontinentes; nam quoad praxim melius fuit omnia ſimul examinare. Hic ſolùm pro Confeſſariis adverto ex Angelici doctrina ſequi, quòd diverſum ſpecie ſit peccatum procedens ex paſſione, & peccatum procedens ex malitia. Peccatum procedens ex paſſione dicitur Incontinentia, & opponitur Continentiæ: peccatum procedens ex habitu, malitia, & conſuetudine dicitur Intemperantia, & opponitur Caſtitati, quæ eſt ſpecies Temperantiæ. Porrò ex part. 1. c. 34. num. 7. peccata oppoſita diverſis ſpecie Virtutibus diſtinguuntur ſpecie. Et id quidem legitimè ſequitur ex Angelici doctrina; veruntamen adhuc non vidi, qui diſtinguerent ſpecie iſta peccata, cùm imò ante prohibitionem Innocentii XI. tenerent plurimi conſuetudinem non eſſe neceſſariò explicandam, eſtò de illa Confeſſor interrogaret. Qui legis, eſtò Judex, an id legitimè deducatur ex principiis Angelicis. Ego nolim firmare, quia nihil novi curo proponere, quin imò communi ſenſui me accomodans in hoc opere, nunquam memini conſuetudinem explicari debere, quia mutet ſpeciem, ſed potiùs, quia notabiliter aggravat. Et hæc de Continentia in particulari ſufficiunt Confeſſori ordinario.

3. D. Quid eſt Manſuetudo virtus annexa Temperantiæ?

M. Manſuetudo eſt virtus habens refrænare

frænare paſſionem Iræ, ut ne quis iraſcatur plus, aut minùs, quàm decet. Hinc apparet ſubjectum receptivum iſtius virtutis eſſe appetitum ſenſitivum Iraſcibilem; nihilominus annectitur Temperantiæ reſidenti in concupiſcibili, quia in modo refrænandi aſſimilatur Temperantiæ.

4. D. Obligatnè Manſuetudo ſub mortali ad ſuum actum?

M. Debemus eſſe parati, & diſpoſiti ad exercendos actus Manſuetudinis, quando ſine illorum exercitio non poſſet ſervari charitas, in quo caſu Manſuetudo ſub mortali obligaret, juxtà dicta par. 1. cap. 34. num. 6. ſed obligaret per accidens ex p. 1. c. 38. num 16. Cœterùm quia poſſumus tranſigere totam vitam abſque eo; quòd offerantur occaſiones iraſcendi cum totali detrimento charitatis, ideò, per ſe loquendo, non obligat ſub mortali Manſuetudo.

5. D. Quæ ſunt Vitia contrariè oppoſita Manſuetudini?

M. Peccatum contrariè oppoſitum per defectum eſt, dum, ſcilicet, ubi, & quando quis debet, non iraſcitur; de quo S. Thom. q. 158. art. 8. eſt innominatum. Ut intelligatur ejus eſſentia, ex S. Thoma qu. 123. art. 10. fortis in ſuo actu debet uti ira, & quicumque ad modum fortis aggreditur aliquid difficile: nam aggredimur hæc difficilia per Iraſcibilem, cujus in exequendo actus eſt Ira. Igitur quibus incumbit aggredi aliquid difficile, ut fortes in bello, & in pace habentes ſervare juſtitiam legalem, & commutativam, ubi hæc opprimitur à potentioribus, debent iraſci, nè verificetur illud Iſ. 56. *Canes muti non valentes latrare*, præſertim pro Eccleſiaſtica Immunitate, & ad ſublevandos pauperes. Plures quidem iraſcuntur contra pauperes, & debiles, at ſub capite potentium conſulunt pulvillos. Confeſſor, ubi ſimiles incidunt pœnitentes, inculcet grave peccatum, quo ſe implicant, & graviſſimum, quod Eccleſiæ inferunt detrimentum. Si qui verò ſpiritualiores aggrediuntur ardua quæque ſine ira; doceat Confeſſor id non eſſe humanum, & hujuſmodi carere effectibus humanitatis. Nimia hæc lenitas pertingere poſſet ad peccatum mortale, quando ex ejus omiſſione præjudicium notabile inferretur charitati, quia verò Confeſſor id nequit ſcire, niſi pœnitens explicet, ideò ſi ſe accuſat de nimia lenitate, interroget prudenter, ut poſſit agnoſcere peccatum. Sciat nihilominus, quòd hæc nimia lenitas eſt peccatum mortale per accidens, ideò ſi v. gr. ſe accuſat, quod in tali materia v. g. præjudicaverit Eccleſiæ, non eſt neceſſe, quod interroget; an fuerit iratus, ut illam defenderet.

6. D. Quomodo vocatur peccatum contrariè oppoſitum per exceſſum Manſuetudini?

M. Vocatur *Ira*, non ut eſt paſſio, ſed ut eſt appetitus inordinatus vindictæ. Utpotè inordinatus appetitus eſt ſemper peccatum, ſed non ſemper eſt mortale peccatum ex genere ſuo.

7. D. Omnis appetitus contra juſtitiam ex genere ſuo eſt mortale peccatum: Juſtitia enim eſt tale medium, ſine quo nequit ſervari charitas, & ira appetit vindictam injuſtam?

M. Lege S. Doctorem q. 158. art. 3. & videbis; quòd ira dicitur inordinata: primò, quatenus tendit in objectum, in quod non debet tendere, ſcilicet, in vindictam injuſtam: & in tali caſu eſt utique peccatum mortale ex ſuo genere, ſolumque poteſt excuſari ob parvitatem materiæ, vel ſi deſit plena advertentia, quæ eſt neceſſaria: ſecundò: dicitur inordinata, quatenus tendit quidem in vindictam juſtam; ſed nimis ardenter, vel plura, quam debet; Iræ ſigna profert. Quia utrumque modum complectitur Ira, manſuetudini oppoſita, ideò non dicitur ex ſuo genere peccatum mortale: dictum eſt in *Inſtruct. pro ordinandis* c. 12. num. 18. peccari poſſe peccato Iræ tripliciter, ſed omnes illi modi ſunt de ira inordinata ex parte objecti.

8. D. Eodem loco dictum eſt Iram eſſe Vitium Capitale, nunc inquiro, quænam ſint ejus filiæ, & quibus virtutibus opponantur?

M. Apud S. Th. qu. 158. art. 5. invenies Iram diſtingui in tres ſpecies ex parte actus; quæ tamen quia non diſtinguunt iram, ut ex parte objecti eſt mortale peccatum, ideò illas relinquo, ut non neceſſarias omninò Confeſſori ordinario, qui principaliter debet ſcire ſpecies peccatorum mortalium. Si lubet, lege S. Doctorem, qui à. 6. enumerat Iram inter peccata capitalia, & ſex ei filias aſſignat art. 7. Prima: eſt *Rixa*, peccatum oppoſitum charitati, de quo c. 14. num. 12. ſed univerſalius nomine Rixæ hic veniunt peccata

cata omnia, quæ factis inferunt nocumentum proximo. Secunda: eſt *Tumor mentis*, ſive, ut explicat ad 3. audacia intentantis vindictam, de quo Tumore, ut oppoſito fortitudini, dictum eſt c. 43. n. 16. Tertia: eſt *Contumelia*, peccatum oppoſitum Juſtitiæ, de quo c. 26. n. 2. Quarta: eſt *Clamor*, ſcilicet, inordinata, & confuſa locutio, peccatum, Modeſtiæ oppoſitum, de quo dicetur c. 56. n. 23. Quinta: eſt *Indignatio*, ſeù triſtitia de bono proximi, quatenùs eſt indignus: Iræ paſſio obnubilat intellectum: quare apprehendit, & judicat eum, qui offendit, indignum venia, dignumque ſolùm ſupliciis, & vindicta: quare indignatur, quòd offendens habeat bona, utpotè creditus illorum indignus: maximè indignatur, ſi quis petat pro offendente bonum veniæ. Hæc indignatio eſt Nemeſis, de qua c. 14. n. 6. ubi explicatum eſt, quotupliciter triſtari poſſimus de bono proximi, & dictum eſt Nemeſim, ſeù indignationem de ſe eſſe peccatum veniale, quando agitur de bonis temporalibus: cæterùm ſi offendens verè non ſit indignus, ſed ſolùm à nobis ex ira judicetur indignus, tùnc etiam poterit eſſe peccatum mortale. Sexta tandem Iræ filia eſt Blaſphemia, de qua dictum eſt c. 4. n. 8. & quidem ſi ſit blaſphemia ſimplex, opponitur Religioni, & præciſè actui, quo laudamus Deum: ſi verò ſit blaſphemia hæreticalis, opponitur Fidei, & præciſè confeſſioni externæ fidei.

9. D. Quas pœnitentias Confeſſor imponet violantibus virtutem Manſuetudinis?

M. Qui violant per defectum, maximè ſunt Superiores, & Principes; qui non zelant Dei honorem, & obſervantiam legum; Et quia hic defectus habet maximam ſimilitudinem cum ipſa Virtute, ut ſcias, quando eſt virtus Manſuetudinis, & quando peccatum Manſuetudini oppoſitum, videbis, quòd deficiens ordinariè loquendo, ſolùm tacet, & non iraſcitur, quando non adeſt injuria in ſeipſum, ſed quando, vel leve delictum à paupere in ſe eſt commiſſum, in his caſibus omnia ſusdeque movet. At verò ſilet, ubi agitur de offenſis Dei commiſſis à potentioribus, quas offenſas parum curat ſupprimere. Confeſſor excitabit hujuſmodi delinquentes ad juſtam iram, graviter, & efficaciter oſtendendo ſuas obligationes in vim officii, & ex juſtitia; Vide dicta c. 19. n. 14. Pro excedentibus in iraſcendo, ſi quidem excedant ex parte objecti appetendo vindictam majorem, quam mereatur delictum, contra quod iraſcuntur, hos Confeſſor monebit de obligatione charitatis, & juſtitiæ, quam habent erga proximum, de quarum obligatione virtutum, pro quanto ſufficit Confeſſori ordinario, dictum eſt ſuo loco: Si excedat ex parte actus in nimis iraſcendo, habet ex Evangelio, & Epiſtolis Apoſtolorum obvia loca, ut utramque iram refrænet: nec erit incongruum oſtendere, quòd aſſignatæ ſex filiæ Iræ naſcuntur præcipuè ex Ira, ut excedit modum, maximè Clamor, Contumelia, Indignatio, & Blaſphemia.

10. D. Quid eſt Clementia, Tertia Virtus annexa Temperantiæ?

M. Clementia diſtinguitur à Manſuetudine, per hoc, quòd iſta moderatur, & refrænat Iram, quę eſt cauſa pœnarum. Clementia verò mitigat, & moderatur pœnas, quę ſunt effectus Irę: Princeps moderatus fuit Iram per manſuetudinem, ita quòd in iſta paſſione non fecerit, neque exceſſerit: ſed adhuc poteſt deficere, vel excedere in caſtigando, neque loquor nùnc de exceſſu in caſtigando contrà juſtitiam, ſed juſtitia habet ſuam latitudinem, intrà quam ſemper pœna erit juſta: Audiſti c. 27. n. 6. quòd pretium morale rerum venalium eſt triplex, & unumquodque eſt juſtum: Etiam pœnæ poſſunt conſiderari juſtę cum hac triplici latitudine, ut aliæ ſint infimæ, aliæ mediæ; aliæ rigoroſæ; dummodò ſint juſtæ, Superior poteſt eligere quamlibet ex his, & Clementia refrænat animum, ne inclinet ad eligendam pœnam intra limites juſtitiæ rigoroſam. Omnes experimur inclinari ad rigorem erga alios, ad benignitatem erga nos, & noſtros: Id etiam pluries in ipſo Confeſſionali experietur ipſe Confeſſor: inclinabitur ad dandas pœnitentias leves, ubi accedant amici, divites &c. ubi verò accedunt ignoti, pauperes &c. inclinabitur ad pœnitentias graviores. Igitur Clementia dirigit hominem, ut inclinet ad moderandas pœnas, non amicis tantùm, ſed omnibus, ſemper tamen, ut decet, conſiderata conditione perſonæ, loci, temporis &c.

11. D. Quam regulam ſervat Clementia, ut moderetur pœnas intra Juſtitiæ limites?

M. Po-

M. Potuiſſes id addiſcere ex verbis illis poſitis in fine numeri præcedentis, *conſiderata conditione perſonæ* &c. ubi enim hęc veniunt conſideranda, non poteſt aſſignari regula generalis, & determinata, ſed omnia relinquuntur arbitrio prudentis. Cęterùm, quod inſinuatum eſt de pretiis, & applicatum pœnis, debet inſervire pro regula generali, ad Clementiam, ut ſemper applicetur pœna infima ex iis, quę ſunt irrogandę per juſtitiam. Aliam regulam Confeſſor explicabit pœnitentibus, oſtendens, quòd illam ſequentes, erunt ſimiles Deo. Audiſti c. 39. n. 5. quòd Gratitudo ſemper habet de bonis retribuere ſupra condignum, hoc eſt, ſupra quam valeat beneficium nobis collatum; Deus hoc modo procedit, ut Sanctis retribuat gloriam ſupra condignum: peccatoribus verò, etiam damnatis in inferno, per Clementiam retribuit de pœnis infra condignum. Et id exigit Clementia ab omnibus habentibus retribuere pœnas. Vide de hac virtute S. Thomam q. 147.

12. D. Quod dictum eſt Clementiam retribuere pęnas infra condignum, debetnè verificari etiam de Confeſſore, ut iſte debeat imponere pœnitentias infra condignum?

M. Confeſſor eſt Miniſter Dei, & Miniſter non poteſt agere pręter mandatum principalis; Deus per os Eccleſiæ ſuæ ſponſæ in Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 22. determinavit quidem aliquam proportionem inter peccata, & pœnitentiam à Confeſſore imponendam pro peccatis; unde dicitur *Videat, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat*. Taxare verò præciſam pœnitentiæ quantitatem cuilibet peccato nec Deus voluit, nec Eccleſia, univerſaliter loquendo, licet, ut dictum eſt p. 1. c. 15. aliquoties oſtenderit pęnitentias, quæ, ut in pluribus, erant imponendæ pro determinatis peccatis, nihilominus adhùc variandæ, juxta exigentiam, & conditionem pœnitentium: nec enim juxta diſciplinam Eccleſiæ antiquam, moribundis, aut infirmis, quando volebant reconciliari, imponebantur pęnitentiæ canonicæ, quæ ſanis. Igitur taxare quantitatem pęnæ huic peccato in particulari hìc & nùnc; remittitur à Deo, & Eccleſia, prudenti judicio Confeſſoris; & tu quæris, an ſicut in aliis cauſis Judex per leges Clementiæ, debet eligere pęnam minorem, imò infra condignum caſtigare, ita etiam teneatur procedere Confeſſor: hæc, ni fallor, eſt vis tuæ interrogationis, & reſpondeo, quòd Confeſſor debet habere præ oculis duo principia: primò: quod pęnitens non plenè ſatisfaciens pro peccatis in hoc mundo, ſatisfaciet in Purgatorio pęnis multò acerbioribus: ſecundò, quòd Chriſtianus patiens ſupra id, quòd debet pro hoc peccato, ſatisfacit pro aliis antea commiſſis, & nondum plenè quòad pęnam remiſſis, meretur maximè, & magis aſſimilatur Chriſto; Ex his motivis non debet queri pęnitens, ſi Confeſſor ſit aliquantò ſeverior in imponendis pęnitentiis; tunc enim habet præ oculis bonum pęnitentis: At quia temporum conditio, & infirmitas hominum non ſuffert graviores pęnitentias; Confeſſor eas moderabitur juxta Charitatis, & Prudentiæ regulas, magis quam Clementiæ, quæ in hoc tribunali non poteſt habere locum ex ſe ſola, niſi annectatur prædictis virtutibus.

13. D. Obligatnè Clementia ſub mortali ad ſuum actum?

M. Audiſti explicatam Clementiæ rationem in applicandis pęnis, exemplo trium pretiorum moralium, de quibus dictum eſt c. 27. n. 6. de quibus additum eſt non peccare venditorem, ſi vellit vendere pretio ſupremo, quia hoc eſt intra latitudinem juſtitiæ: Applicando hanc doctrinam Clementiæ: habet hæc moderari pęnas juſtas, accipiendo infimam intra latitudinem pęnarum juſtarum; qui autem eligit aliquid juſtum hìc, & nunc, numquam eligit aliquod medium incompoſſibile cum charitate, propterea nunquam peccat per ſe loquendo: Unuſquiſque tamen debet eſſe animo ita paratus, ut ſi hìc, & nunc pręjudicaret hæc pęna, (alias juſta, ſed rigoroſa) charitati, illam dimitteret. Et verò ut magis aperiam intellectum Confeſſoris, volo hìc notare, quòd ita communiter procedunt Principes Chriſtiani, etiam in caſibus gravioribus, ut quotidie videmus. Habent reum morti adjudicatum pro tali die; juſtiſſimè pro tali die poteſt addici ſupplicio; quia tamen vident reum non ſe diſponere ad ſacramenta, per Clementiam diminuunt pęnam, protrahendo aliquem diem vitæ, ut faciliùs ſe diſponat; quòd ſi perſeverat impœnitens, dant Juſtitiæ locum, quia non eſſet ampliùs Clementia: etenim quilibet reus ſciens ſe non addicea-

Digitized by Google

dicendum morti, oſtenderet impænitentiæ ſigna.

14. D. Dic mihi: Obliganturnè in tali caſu ſub mortali Principes ad differendum per talem Clementiam Rei ſupplicium?

M. Ordinarie loquendo ſub mortali tenētur Principes Reis concedere tempus ad recipienda Sacramenta Pęnitentiæ, & Euchariſtiæ, ad quorum ſuſceptionem tenemur omnes jure divino in articulo mortis; At ſi Reus illa ſuſcipere admonitus renuit, Princeps non tenetur ſub mortali protrahere executionem ſententiæ per talemClementiam. Ut enim n. præcedenti eſt dictum, Clementia per ſe non obligat ſub mortali, ſed ſolùm per accidens in caſu, quo Charitas obligaret. Porrò in tali caſu Charitas non obligat Principes ſub mortali ex ratione tradita p.1.c.14.n.3.(& relegenda, cum ſit ratio univerſalis)nam ſub mortali charitas obligat, quando proximus eſt in extrema neceſſitate. Reus autem ex voluntate, non ex neceſſitate reperitur indiſpoſitus in dicto caſu. Princeps obligaretur ſub mortali ad exercendam Clementiam fęminæ gravidæ, differendo ſupplicium,quia fætus exiſtens in utero,& eſt innocens, & eſt in extrema neceſſitate.

15. D. Quomodò vocatur peccatum contrariè oppoſitum Clementiæ per defectum?

M. Poteſt vocari *Nimia lenitas*,& committitur, quando Superior(præcipuè Confeſsor)irrogaret pęnam, quæ eſset infra limites pęnæ juſtæ. Ita eſse animo inclinatum pertinet ad hoc vitium; ſi verò pæna infligatur minor juſta, tunc etiam committitur injuſtitiæ peccatum contra juſtitiam legalem; ſicut eſt contra charitatem habere animum inferendi malum proximo; at eſt contra juſtitiam actu inferre malum proximo.

16. D. Igitur hoc erit ex ſuo genere peccatum mortale: nam habere animum violandi juſtitiam: eſt de ſe peccatum mortale: Alias dixiſti p.1.c.34.n.6. illa non eſse de ſe peccata mortalia, quæ opponuntur virtutibus non obligantibus ad mortale. Et id ſtatuiſti ut regulam generalem; quare nunc contradicis tibi ipſi?

M. Tu certè opponis difficultates, quæ ſunt ſupra captum Confeſsoris ordinarii; & mihi neceſsaria eſt memoria, ut recorder, non dicere in uno loco contraria iis, quæ dixi in altero: vis enim me convenire; fateor nihilominùs, quòd tale debet eſſe tuum ſtudium, ut ſemper metiaris particularia,juxta regulas, & principia univerſalia: Ut autem tibi ſatisfaciam, nota quòd dixi n.precedenti peccatum hoc *nimiæ lenitatis* imponere pœnam minorem juſtā,non dixi imponere pœnam injuſtam. Porrò imponere pœnam minorem juſtā,de ſe non eſt mortale,niſi ſub mortali Superior obligetur ad imponendam hanc pęnam,& non minorem. Id apparet præſertim in Religionibus, in quibus,pro tali delicto in particulari imponitur aliqua pœna,& Superior illam non imponens, ubi verè habet locum, conſiderata qualitate peccati, qualitate peccantis &c. peccat peccato nimiæ lenitatis, non tamen de ſe peccat mortaliter, quia Conſtitutiones Religionis non obligant ad imponendam hujuſmodi pœnam ſub mortali; ſed ſi ſequeretur inde relxatio boni communis, tùnc eſſet mortale peccatum, non quia opponitur Clementię, ſed quia opponitur Charitati, præcipuè reſpicienti conſervationem boni communis.

17. D. Quomodò vocatur pecatum contrariè, oppoſitum Clementiæ per exceſſum?

M. Dicitur *Crudelitas*: Diſtinguenda ſunt hæc tria, Severitas, Crudelitas, & Sevitia, ſive feritas: Dicitur Severus, qui Reo ſemper imponit pœnam ſupremam inter tres gradus pœnæ, infimæ,mediæ,& rigoroſæ. Hic quidem in caſtigando omittit actum Clementiæ, ſed non committit peccatum contrariè oppoſitum Clementię. Sævus,ſeù ferus dicitur, qui in caſtigando non reſpicit culpam Rei, ſed delectatur in hominum cruciatu,& pœnis: Crudelis verò dicitur, qui conſiderat culpam, ſed tali pœnæ irrogat pœnam juſto majorem; S. Th.q.159.Sævus committit peccatum inhumanum, quia delectari in ſanguine,ſeù pœnis aliorum, eſt beſtiale, & contra hominis naturam; propterea peccat contra donum Pietatis, quæ,juxta dicta p.1.c.34. n 8.eſt virtus hereoica, ſeù divina, & propterea illis opponuntur peccata beſtialia, ſeù inhumana. Crudelitas directè opponitur Clementiæ, & per accidens erit peccatum mortale,ſcilicet,ratione juſtitiæ,quam lædit, juxta dicta n. præcedenti de Nimiâ lenitate,cujus doctrina eſt applicanda Crudelitati.

18. D. Circa Continentiam, ſupra jam dicta de Caſtitate, nihil ultra notandum reſtat,

reſtat, quoad Cenſuras, pœnas, & propoſitiones prohibitas. Et circa Manſuetudinem, atque Clementiam, hæ duæ virtutes conſideratæ ſecundum ſe, aut ratione peccatorum ſibi oppoſitorum, nullam habent cenſuram, aut reſervationem, de quibus hìc oporteat ſpecialiter meminiſſe, quia non obligant de ſe ad mortale, niſi quatenus etiam violatur Juſtitia. Circà pœnitentias imponendas Iracundis, dictum eſt n. 9. Circa pœnitentias imponendas Crudelibus, aut Nimium lenibus, jam habes ex dictis ſuo loco de Juſtitia, quid Confeſſor debeat inculcare hujuſmodi peccatoribus: eſtò enim Theologus conſideret hæc peccata ſecundum, ſe, & valdè ſit utile Confeſſori ſcire, quid ſecundum ſe dicant hujuſmodi peccata, tamen in praxi ut plurimum conjuncta ſunt Injuſtitiæ, & Confeſſor efficacius urgebit pœnitentem, ſi oſtendat periculum peccatorum mortalium, proveniens ex injuſtitià, quam ſi oſtendat peccatum veniale, quod eſt in Crudelitate, aut Nimia lenitate, ut conſiderantur hæc peccata per ſe, & abſtracta à qualibet injuſtitià.

CAPUT LIII.

De Humilitate; peccatiſque eidem contrariè oppoſitis.

1. UT audiſti huc uſque S. Th. conſiderans vim nominis Temperantiæ, quod ſonat temperare, moderari, ſeu refrenare, poſuit ſpecies ipſius Temperantiæ, quatuor virtutes, Abſtinentiam, Sobrietatem, Pudicitiam, Caſtitatem, quæ habent refrænare concupiſcentias tactus difficillimas, ut refrænentur: Succeſſivè conſiderans hominem trahi (licet non ita potenter) ab aliis etiam paſſionibus, aſſignavit, ut annexas Temperantiæ, virtutes, quæ refrænant hujuſmodi paſſiones; & primò videns hominem trahi ad illicita ſæpius ab Ira, egit de manſuetudine moderativa Irarum; ſecundò conſideravit hominem, ubi agitur de ſe ipſo, aut de ſuis tendere in id, ut nolit pœnam: ubi verò agitur de extraneis contra illos velle omnem rigorem pœnarum, juxta exemplum Davidis conſideratum in Appendice ad *Inſtruct. pro ordinandis* c. 7. n. 5. propterea Temperantiæ annexuit Clementiam, quæ nos refrænaret ab hujuſmodi paſſione, inclinaretque ad medium tenendum ergà omnes, juxta illa, quæ diximus de Clementia. Ulterius conſiderans alias etiam paſſiones eſſe moderandas, notavit nonnullos comprehendere virtutes omnes moderativas hujuſmodi paſſionem ſub uno Modeſtiæ generico nomine, quod notavit, nè parum verſati confunderentur; nam de reliquo vitans ipſe omnem vocis quæſtionem, poſuit tertio loco virtutem Humilitatis, quæ haberet moderari paſſionem Spei; de qua virtute, vitiiſque oppoſitis agit S. Doctor à q. 160. ad 166.

2. D. Quid eſt Humilitas, quarta virtus annexa Temperantiæ?

M. Si reliquiſſes me proſequi ſermonem inceptum, eò jam certè deveneram, ut tibi plenè ſatisfacerem abſque interrogatione. Igitur, ut dicebam, Humilitas habet moderari paſſionem Spei. Memento, quod Spes eſt boni ardui, quare duplex ratio conſideratur in objecto Spei: primò: bonitas: ſecundò: arduitas, & difficultas illud conſequendi: Bonitas conſiderata ſecundum ſe habet attrahere: Arduitas verò habet retrahere. Igitur duplex virtus eſt neceſſaria pro dirigenda paſſione Spei, altera, quæ dirigat hominem, dum conſiderat arduitatem, & hæc virtus habet impellere, ut, non obſtante arduitate, curet homo conſequi bonum illud: hæc virtus eſt Magnanimitas, de qua dictum eſt cap. 44. Altera, quæ dirigat hominem, dùm conſiderat bonitatem; & hæc virtus habet refrænare; ut homo plus, quam decet, non feratur in objectum, utique bonum, ſed & ſimul arduum. Porrò virtus hæc vocatur Humilitas. S. Th. q. 161. a. 1.

3. D. Quomodo poſſum per humilitatem me ſubiicere omnibus?

M. Cum Dei adjutorio conſequi poteris id, ſi quoties non habes opus conſiderandi in te dona Dei, conſideres quidquid habes ex te ipſo; videbis enim te ex te habere ſolum defectum, & peccata; è contrà in proximo ſi conſideres dona Dei, ſaltem aliquod; nemo enim quantumcunque peccator, eſt ſine aliquo Dei dono: Porrò certè qui conſiderat in ſe ipſo ſolos defectus, neceſſariò cognoſcet ſe eſſe inferiorem altero, in quo conſiderat Dei dona. Hoc modo Sanctus Dominicus ingrediens aliquam civitatem, ſe ſubiiciebat ſemper omnibus ejuſdem urbis incolis, dum genuflexus orabat Deum, ne ob ſua peccata urbem ſubverteret. Conſiderabat ſuos

V defe-

defectus etiam minimos, ratione quorum eſtò ſingulorum, Deus juſtiſſimè poteſt in hoc ſæculo caſtigare civitatem integram, in quà moratur talis defectuoſus. E' contra in habitatoribus conſiderabat miſericordiā Dei, ratione cujus Deus expectat, & non punit peccatores. Hujuſmodi conſiderationes unuſquiſque poteſt habere; imò tenetur ex illo Philipp. 2. *In humilitate ſuperiores ſe invicem arbitrantes*. Aliud humilitatis univerſale motivum adduxi in Appendice ad *Inſtruct. pro ordinandis* c. 7. n. 1. quod hìc repeto: nec enim abundè poteſt inculcari. Luc. 17. præcepit Chriſtus Apoſtolis, & in Apoſtolis, unicuique fidelium: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis: dicite: Servi inutiles ſumus*. Quilibet igitur conſiderans ſe ipſum ſecundum ſe, ex mandato Chriſti, debet credere ſe ſimpliciter inutilem: E' contra debet conſiderare proximum omnem, imò & dæmonem ex Dei virtute illi collata, dum aſſumitur ut inſtrumentum alicujus operationis; eſſe utilem ad aliquid: nam de omni, etiam de dæmone verificatur illud Auguſtini in Pſ. 54. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus, aut ideò vivit ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur*. A pertè fatemur omnes Chriſtiani, quòd damnati ſunt à Deo aſſumpti, ut inſtrumentum ad oſtendendam Dei juſtitiam. Et ita ſunt utiles. Porrò clarum eſt, quòd inutilis debet ſe ſubiicere ei, qui eſt utilis.

4. D. S. Franciſcus reputabat ſe maximum totius mundi peccatorem: eſtnè neceſſarium ad perfectiſſimam humilitatem, quòd homo ita de ſe ſentiat?

M. S. Th. q. 161. a. 3. ait non eſſe neceſſarium quòd homo reputet ſe magis peccatorem quolibet alio, & quia ſemper ſtudet probare, quod aſſerit, id probat ex illo Gal. 2. *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores*. S. Franciſcus ex principio ſtabilito reputabat ſe maximum peccatorem: conſiderabat, quòd ſi alii recepiſſent dona ſibi à Deo collata ex gratia Dei, magis correſpondiſſent Deo, quam ipſe correſponderet ex ſuo defectu.

5. D. Obligatnè ſub mortali ad ſuum actum virtu Humilitatis?

M. Ex S. Th. q. 161. a. 1. ad 5. *Humilitas præcipuè reſpicit ſubjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam alii humiliando ſe ſubiicit*. Et q. 162. art. 5. illud adverbium *præcipuè* vertit *propriè*, nec poſſumus ſervare charitatem Dei, quando poſitivè nolumus illi bonum noſtræ ſubjectionis debitum; quarè reſpectu proprii, & principalis objecti, dicenda eſt Humilitas obligare ſub mortali ex genere ſuo, quia debemus ſubiicere nos Deo, ejuſque legi nobis ſtabilitæ, adeò ut, licet poſſimus agere præter legem (in quo caſu peccabimus venialiter juxta dicta p. 1. c. 34. n. 4.) nunquam tamen ſine mortali poſſumus refugere hanc ſubjectionem, ut agamus contra legem Dei. Patricularis tamen materia actuum Humilitatis coincidit cum materia aliarum virtutum principalius præceptarum: v. g. lex divina nos obligat aliquoties in anno, juxta dicta cap. 1. n. 19. ſubiicere noſtrum intellectum divinæ revelationi factę de tribus principalioribus myſteriis Eccleſiæ Catholicæ. Satisfacimus Deo præcipienti actum Humilitatis, unicè per actum fidei circa prædicta myſteria. Ille eſt actus imperfectus Humilitatis: Ad actum verò perfectum obligamur, quando obligamur ad actum perfectæ charitatis importantem, quod ſubiiciamus voluntariè totam vitam noſtram legi divinę. Ubi obligamur ad actum imperfectum charitatis, pariter obligamur ad actum imperfectum Humilitatis, v. g. ſi obligamur ad actum eleemoſinæ, obligamur ad actum imperfectum ſubiiciendi aliquid noſtrum Deo in bonum proximi. Audiſti ex Trid. p. 1. c. 4. num. 12. ad juſtificationem prærequiri Dei amorem initialem, ſed imperfectum, quia nondum eſt cum propoſito ſervandi omnia mandata, de hoc enim propoſito Concilium loquitur ſubſequenter Juſtificandi obligati primò ad illum actum imperfectum amoris initialis, obligantur etiam ad actum imperfectum Humilitatis: nam illo amans Deum ſubiicit ſe Deo ut fini. Et ſic loquendum de reliquis. Hinc vides Humilitatem minus principaliter tendere in proximum, & ſic obligabimur ſubiicere nos proximo, cum obligamur ſubordinare noſtra, vel nos proximo. Subditus tenetur eſſe ſubordinatus Superiori; Obligatus ad eleemoſinam corporalem, tenetur ſubordinare ſua bona pauperi &c.

6. D. Audio S. Benedictum in ſua Regula poſuiſſe duodecim gradus Humilitatis, libenter ſcirem illos, ut poſſim dirigere pœnitentes meos, quando ipſos videro aman-

Digitized by Google

tes perfectionis : perfectio enim Chriſtiana maximè conſiſtit in Humilitate ?

M. Non rectè procedit Confeſſor, qui ſcire cupit gradus Humilitatis, eo tantùm fine, ut alios doceat. Principaliter curabit ſcire, ut ipſe in illis ſe exerceat quam perfectè. Id eſt omninò neceſſarium; Ex Rituali adducto p. 1. cap. 7. n. 7. Confeſſor ad audiendas confeſſiones, *quantam maximam poteſt prudentiam* debet ſibi comparare, ex n. 10. *piis precibus* debet implorare *divinum auxilium ad hoc miniſterium rectè, ſanctèque obeundum*. Ex n. 18. debet *humaniter* ſuggerere penitenti, ut integrè confiteatur. Ex n. 21. debet *paterna charitate* adhibere opportunas correptiones . Porrò maxima prudentia, piç preces, humanitas, & paterna charitas exigunt perfectam humilitatem, ut ex te videbis facilè ſi reflectas ad dicta n. 5. Tibi ergo ſunt addiſcendi duodecim gradus humilitatis, à B. Benedicto poſiti, ut alios doceas, ſed principaliter, ut in illis te exerceas. Et ſunt hi. Primò : *Corde, & corpore ſemper humilitatem oſtendere, defixis in terram aſpectibus*. Secundò ; *Pauca verba, & rationabilia loqui non clamosà voce*. Tertiò: *Non eſſe facilem, aut promptum ad riſum*. Quartò : *Tacere uſque ad interrogationem*. Quintò : *Tenere, quod habet communis Monaſterii regula*. Sextò: *Credere, & pronunciare ſe omnibus viliorem*. Septimò : *Ad omnia indignum, & inutilem ſe confiteri*. Octavò: *Confiteri peccata ſua*. Nonò; *Per obedientiam in duris ; & aſperis patientiam amplecti*. Decimò: *Cum obedientià ſubdere ſe majori*; Undecimò: *Non curare implere voluntatem propriam*. Duodecimò : *Deum timere, & recordari omnium, quæ præcipit*. Porrò graduum horum convenientiam Theologicam, vide apud S. Thom. quæſt. 161. art. 6.

7. D. Tu maximè commendas hos gradus Confeſſori, & certè ſunt maximè commendandi cuilibet Chriſtiano, ſed non videntur neceſſarii Confeſſori, ut tali ?

M. Deciperis : Confeſſori ut tali, omnes hos duodecim gradus commendat Rituale: Primum, ubi vult confeſſiones audiri in Confeſſionali *crate perforata inter penitentem, & Sacerdotem inſtructo*. Secundum in illis verbis: *Nè curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat*, Tertium illis: *Correptiones adhibebit, & ad contritionem efficacibus verbis exercitare conabitur*. Quartum illis : *Cum ſigillo, ſub exacto, perpetuoque ſilentio*. Quintum illis: *Eccleſiæ conſtitutiones diligenter obſervet*. Sextum, ubi vult peritiorum exquiri conſilium: ſeptimum, ubi vult implorari divinum auxilium. quæ enim poſſumus, aut ad quæ ſumus utiles ex nobis, non petimus ab alio. Octavum expreſsè quidem non meminit Rituale, quia nunquam Eccleſia ſibi perſuaſit, Confeſſorem vivere in peccato mortali; ſed ſuppoſuit notum jus divinum, ut volens adminiſtrare ſacramentum Pænitentiæ, ſi ſit in peccato mortali, debeat confiteri, vel externè Sacerdoti, vel ſaltem internè Deo, per contritionem charitate perfectam. Nonum, ubi vult audiri Pœnitentem; Conſiderà, quibus id exprimit, verba, & videbis indicari patientiam invictam. Decimum illis verbis: *In hoc miniſterio procedat, ut infrà præſcribitur*. Undecimum, ubi commendat *honori divino, & animarum ſaluti* conſulere, non ſibi, adeò, ut neque ſibi poſſit applicare pœnitentias pecuniarias. Duodecimum tandem, ubi ait Confeſſorem *divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ miniſtrum à Deo conſtitutum*. Miniſter enim debet timere ſuum principalem, & recordari omnium, quæ præcipit in exequendo miniſterio. Reſtat, ut hiſce gradibus humilitatis externæ correſpondeat vera, & par Humilitas interna.

8. D. Quæ ſunt peccata contrariè oppoſita Humilitati ?

M. Peccatum contrariè oppoſitum per defectum eſt innominatum, nec de illo agit S. Thom. Peccatum contrariè oppoſitum per exceſsum vocatur Superbia, cujus ut plenam notitiam tradat S. Th., quçrit inſuper particulariter de Superbia primi hominis, de pœnis propter illam incurſis, quæ ſunt effectus, & de causà, ſcilicet, de Tentatione Diaboli, qua tentavit primum hominem. Quia hæc non ſunt omnimodè neceſsaria Confeſsori ordinario, relinquentur videnda in textu, & ſolum dabimus, quæ circà Superbiam pertinent ad Confeſsores.

9. D. quid eſt Superbia ?

M. Eſt *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ut homo non vult ſubiici regulæ, ſeu legi divinæ*. S. Th. q. 162. a. 5. & conſequenter eſt etiam Superbia, ſi non vult

V 2 ſubii-

ſubjici Superiori creato ſibi conſtituto à Deo, & tenenti vicem Dei in directione noſtra. Equidem in omnibus peccatis contemnitur regula, & lex divina; unde omne peccatum importat rationem ſuperbiæ, ſed tunc eſt peccatum ſpeciale ſuperbiæ, quando directè, vel indirectè tendimus in aliquid, quia nolumus ſubjici Superiori; Si quis furetur, ut diteſcat de alieno, utique contemnit ſeptimum Decalogi præceptum, ſed non contemnit formaliter, committitque unicum furti peccatum; ſi verò furetur, quia non vult ſubjici Decalogo, tunc duplex peccatum committit, alterum furti, alterum Superbiæ ſpecialis.

10. D. Mihi videris confundere Inobedientiam, & Superbiam?

M. Tangis optimam difficultatem. Porrò ſcias me oppoſuiſſe prædictum exemplum, quo clarius poſſet intelligi. Verum igitur eſt, quòd in allato exemplo concurrunt inobedientia, & Superbia; imò Inobedientia ſemper eſt conjuncta ſuperbiæ ſpecialiter ſumptæ; Ex dictis c.38. n. 16. inobedientia importat contemptum præcepti: *Contemptus* autem *pertinet ad ſuperbiam*, ait S. Th. q.162. art.1. non tamen omne peccatum ſpeciale Superbiæ ſemper eſt cum Inobedientia formali, v. g. peccat peccato Superbiæ, qui gloriatur de ſcientia, quam habet, quaſi eam habeat à ſe ipſo, non à Deo, vel qui hic, & nunc exiſtimaret ſe eſſe juſtificatum per opera naturalia, cum tamen formaliter in hoc non ſit inobediens. Igitur Inobedientia eſt tantùm: quando formaliter nolumus nos ſubjicere in operando legi divinæ; in quo caſu ſuperbia, ſeù contemptus eſt cauſa peccati Inobedientiæ, ſeù cauſa, quòd non exequamur præceptum; & in hoc non exequi, prout connotat pro ſua cauſa contemptum, ſtat ratio formalis Inobedientiæ. At ratio formalis Superbiæ ſtat in ipſo contemptu, & Superbia magis latè patet, quia, ut oſtendit exemplum adductum, ſuperbię, etiam extra caſum Inobedientiæ.

11. D. Inobedientia, ſemper, ut dixiſti, conjungitur ſuperbiæ formali, ſeù contemptui, qui eſt de ſe peccatum mortale, etiam præſcindendo ab Inobedientia: quare Inobediens in confeſſione non ſufficienter explicabit ſe fuiſſe Inobedientem, ſed debebit etiam diſtinctè explicare peccatum contemptus, & Superbiæ?

M. Audiſti p.1. c.31. nu.3. quòd explicans in confeſſione ultimum actum, eo ipſo etiam explicat præcedentes, non è contra. In confeſſione dicens ſe fuiſſe delectatum contrà Caſtitatem, debet ulterius explicare, ſi per ſolam delectationem moroſam, deſiderium &c. E contra ſe accuſans de peccato conſumato contra Caſtitatem, eo ipſo explicat delectationem moroſam, deſiderium, intentionem, electionem &c. Cum ex num. præced. Superbia ſit ſemper cauſa Inobedientiæ, qui explicat Inobedientiam, ſimul explicat Superbiam, non è contra.

12. D. Poteſtnè peccatum Superbiæ excuſari à mortali ex parvitate materiæ?

M. Formale peccatum Superbiæ non poteſt excuſari à mortali ex parvitate materiæ: nam importat nolle ſubjici Deo; qui autem in minimo tollit dominium Dei, totaliter tollit omne dominium Dei. Optimè Scholaſtici concludunt, quòd ſi una formica tolleretur à dominio Dei, vel hoc, quod eſt ſemel erigere digitum, omnia eo ipſo ſubducenda eſſent à dominio Dei; quod ut indiviſibile, vel totum tollitur, vel nihil.

13. D. Quot ſunt ſpecies Superbiæ?

M. Quatuor Superbiæ ſpecies ex S. Greg. aſſignat S. Th. q.162. a. 4. Primò, cum homo æſtimat habere aliquod bonum à ſe ipſo; ſecundò, cum quidem æſtimat ſe tale bonum habuiſſe à Deo, ſed Deum ſibi contuliſſe, quia id per ſe ipſum promeruit, adeò ut illi debeatur hoc præmium ex ſola Juſtitia, non primariò ex pura Dei Miſericordia: tertiò, cum jactat ſe habere bonum, quod verè non habet: quartò, cum vult videri, quod ipſe unicè habeat illud bonum.

14. D. Scio nullas extare propoſitiones prohibitas circa Humilitatem, uti neque cenſuras contra formale peccatum Superbiæ directè: licet enim in 1. §. Bullæ Cœnæ excommunicentur hæretici, & ſchiſmatici, in quorum peccato importatur pertinacia, ſeù contemptus, & ſuperbia, nihilominus agnoſco cenſuras infligi, non propter ſolam ſuperbiam, ſed ut contemptus internus conjungitur cum effectu externo, qui eſt ſchiſma, & hæreſis; quare ſolum opto ſcire, quas pęnitentias debeat imponere Confeſſor pro peccato Superbiæ.

M. Cōfeſſor debet eſſe ſollicitus, ut eradicet hoc peccatum è corde pęnitentium, quia

quia eſt initium omnis peccati, & ſi debet peculiari ſtudio attendere ad extirpandum quodlibet vitium capitale, quantò magis incumbat, ut extirpet ſuperbiam, quæ dicitur Regina omnium vitiorum, etiam capitalium. Nec loquor ſolum de peccato formali Superbiæ ſecundum quatuor ſpecies enumeratas numero præcedenti. Vix enim homo pertingit ad hoc formale peccatum extra caſus Inobedientiæ; ſed eradicabit Confeſsor, quantum poterit, omnem rationem Superbiæ. Quouſque vivimus, habemus ſemper in nobis fomitem peccati, quo ducimur ad ſuperbiam, unde perfectè, dum vivimus, non poſsumus eſſe ſubjecti Deo: nam ſine ſpeciali privilegio ſoli B. Virgini ex puris creaturis conceſſo, non poſsumus diù vivere abſque omni peccato, hoc eſt, non poſsumus diù vivere cum perfectiſſimà ſubjectione, & ordinatione ad Deum. Id igitur curabit Confeſſor, ut, quantum poteſt, abducat pęnitentes ab omni ratione Superbiæ. Specialius tamen curandi erunt, qui tendunt directè in ipſam formalem rationem ſuperbiæ, juxta aliquam ex quatuor ſpeciebus aſſignatis num. 13. quamvis non pertingant ad mortale pecatum, ob imperfectionem actus, nec hujuſmodi pęnitentibus, efficacior, aut ſalubrior pęnitentia poterit imponi, quam ordinata per Rituale adductum part. 1. cap. 7. num. 23. quòd injungantur *ſuperbis humilitatis* officia, in quibus exercendis erunt frequentiſſimè, deſumptis motivis, tum ex ſcriptura, tum ex Patribus, quæ obvia ſunt cuilibet Confeſſori, ut non neceſse ſit hìc ulla repetere, ſed tantum meminiſse, quòd efficaciſſimum motivum pro inducendis ad veram humilitatem pęnitentibus, erit ipſius Confeſsoris exemplum curantis in omnibus, at præſertim in adminiſtrando Pęnitentiæ ſacramento, ſe ſubjicere perfectè omni regulæ à Deo ſta-[illegible] etiam or[illegible] hoc Sacramentum, & omni [illegible] Eccleſiæ, tum Romanæ, tùm ſuę partic[illegible], habendo ſemper ante oculos, & Rituale, [illegible] ſuæ Eccleſiæ conſtitutiones.

CAPUT LVI.

De reliquis Virtutibus annexis Temperantiæ.

1. EX hucuſque dictis Temperantiæ modum ſervat primò Continentia refrænans, aut moderans voluntatem, ne ſinat ſe trahi à concupiſcentiis guſtus, & tactus, quæ in appetitu ſenſitivo inſurrexerint; ſecundò Manſuetudo moderans paſſionem Irę, ut non iraſcatur homo ſupra quam decet: tertiò Clementia refrænans deſiderium operandi juxtà rigorem legis in imponendis pœnis, vel prætermittendi ordinem legis: quartò Humilitas refrænans paſſionem Spei, ne audeat pluſquam oporteat, & ſuprà vires, quas homo habet in præſenti: quintò eſt Philotimia refrænans deſiderium honoris; De hac virtute ſolum per tranſennam egit S. Th., & nos cum eo tetigimus aliquid cap. 44. num. 3. per occaſionem Magnanimitatis, cum qua in materia convenit. Ibi dicta ſufficiunt Confeſſori ordinario: *omnis homo*, ex Philoſopho, *natura ſcire deſiderat*, hoc deſiderium debet ita regulari, ut non excedamus, vel deficiamus in addiſcendo; Et hinc ponitur Virtus Studioſitatis.

2. D. Quid eſt Studioſitas ſexta virtus annexa Temperantiæ, quæ venit etiam ſub nomine generico Modeſtiæ?

M. De Studioſitate, vitioque Curioſitatis oppoſito agit S. Th. q. 166. & 167. Porrò Studioſitas eſt virtus moralis, per quam homo amat ſtudium, prout oportet, principaliter moderans deſiderium ſciendi, ad quod ex naturà ferimur, nè nimis amemus, vel nimis aplicemus ad ſtudium: ſecundariò autem impellens ad ſtudium, à quo nos retrahit labor improbus omninò neceſſarius, ut ſtudeamus.

3. D. Quam regulam debemus adhibere in ſtudendo?

M. Primò: ſcientia, ſeu cognitio, quam in hac vità intendimus acquirere non debet expeti per ſe, & ut finis, ſed ut medium in ordine ad aliud. Hoc apparet evidenter: nam per virtutes intellectuales dicimur boni ſecundum quid, non ſimpliciter, ſicuti ſimpliciter boni dicimur per virtutes morales. Virgilius non dicitur *bonus* abſolutè, ſed ſecundum quid, ſeù cum addito, *Bonus Poeta*. E contra ornatus

 virtu-

virtute morali, etiam in communi locutione, dicitur abſolutè *Vir ille eſt bonus*. Porrò quod eſt tale *ſecundum quid*, ordinatur ut medium ad *tale ſimpliciter*. Et ita nullus debet ſtudere ad hoc præcisè, ut ſit doctus, ſed ut per doctrinam ſit utilis ad alium finem. Quarè qui leget hoc opus, caveat, ne legat merè, ut ſciat: de hoc enim judicabitur à Deo, ſed ſi quid in eo ex Angelico inveniet boni, ordinet primò, ut ſe ipſum dirigat, deindè ut ex ſuperabundantia dirigat alios. Videat autem primò finem ſuum. Reſpublica, etiam Eccleſiaſtica, indiget viris doctis in quolibet genere virtutum, etiam naturalium, ut Philoſophis, Medicis; Mathematicis, Artificibus in quacunque arte. Confeſſor inculcabit ſuis pœnitentibus, ut unuſquiſque in ſua profeſſione curet fieri excellentiſſimus, ordinans hoc ad bonum Reipublicæ, cui, cæteris operibus prodeſt magis unus excellentiſſimus, quàm multi ordinarii. Quia verò divites, ac nobiles incumbunt aliquibus artibus, vel ſcientiis, non ut illarum exercitio familiæ provideant, vel Reipublicæ inſerviant in tali miniſterio, Confeſſor etiam accendet illos ad ſtudium, non tamen eò præcisè, ut ſciant, ſed ut ſe perficiant: quilibet enim pro fine proximo poteſt intendere ſui perfectionem. Omnibus tamen commendet, ut ſtudeant, attenta ſanitate corporis, & inſtrumentis, quæ habent, ſcilicet, Magiſtris, libris &c. Secundò ſtudioſus addiſcet magis, quæ ſunt magis neceſſaria; quarè ut, juxtà virtutem Studioſitatis, dicatur ſtudere præparans ſe ad confeſſiones, priùs attentè videbit quid ſit omninò neceſſarium pro ſuo triplici munere Judicis, Medici, & Doctoris, horumque ſtudium præponet quaſi fundamentum aliorum. Hujuſmodi ſunt doctrina Chriſtiana, circà quam in examine Romano vidimus deficere nonnullos. Antea quidem opponebatur, id procedere non ex ignorantia rerum fidei, ſed ex ignorantia terminorum, ſub quibus Examinatores interrogant: Verum hoc refugium non amplius habet locum. Edita eſt *Inſtruct. pro ordinandis*, in cujus c. 8. 9. 10. 11. & 12. collecta eſt doctrina Chriſtiana ſub terminis in examine uſitatis; & crediderim, quòd multum Parochi proficerent, ſi ſub eiſdem inſtruerent non ſolùm Tonſurandos ſuæ Paræciæ, ſed quoſcunque pueros die Dominico. Poſt hæc Confeſſori ordinario neceſſarium eſt ſcire, quæ præcipit Rituale, ſicut, & alia, quæ innuimus p. 1. c. 12. n. 12. In his addiſcendis totus debet eſſe Confeſſor.

4. D. Virtus Studioſitatis obligatne ſub mortali ad ſuum actum?

M. Ex ſtabilitis p. 1. c. 34. n. 6. de ſe non obligat, niſi quando ſcientia eſt medium neceſſarium ad charitatem. Quarè ſub mortali obligamur ad addiſcendum neceſſatia ad ſalutem, juxta dicta p. 1. c. 35. à n. 2. primò illa, ſine quibus non poſſumus exercere actum fidei de myſteriis neceſſariis neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti: ſecundò illa, ſine quibus non poſſumus exercere actũ Spei, ut eſt Oratio Dominica: tertiò illa, ſine quibus non poſſumus exercere actum charitatis, ut eſt Decalogus, Eccleſiæ præcepta &c. Ad hæc tenentur univerſaliter omnes Chriſtiani, & in particulari tenetur quilibet, ut dictum eſt ibid. n. 7. quartò tenetur quilibet ſcire officium ſuum, & quidem ſub mortali, ac negligendo illud, peccat mortaliter; proptereà ſub mortali Confeſſor tenetur ſcire neneſſaria pro rectè exercendo triplici ſuo munere Jud cis, Medici, & Doctoris, adeò ut in illo peccans ex defectu ſcientiæ, dupliciter peccet, v. g. Confeſſor non quærens in pœnitente dolorem ſupernaturalem ex ignorantia neceſſitatis hujus doloris, peccat primò faciens ſacramentum invalidum: ſecundò: peccat ignorans neceſſitatem doloris ſupernaturalis, & maximè poſt decretum Innocentii XI. eſt veluti primum principium in Theologia, quòd attritio debeat eſſe ſupernaturalis; & prima principia ſui officii tenetur quilibet ſcire. Hinc infertur, quòd, ut ſe certificet de dolore ſupernaturali pœnitentis, debet aliqualiter, ſaltem in confuſo, ſcire, unde proveniat ſupernaturalitas. Quæ autem in particulari debeat neceſſariò ſcire Confeſſor, non poſſumus determinare, quia & Confeſſoribus alii tenentur ad toties dictis, alii ad pauciora. Meme[...]exercet Judicis, Mediquòd triplex mu[...] Porrò plura tenetur ſcire ci, & Doc[...]s. Judex cauſarum graviorum, quam Judex leviorum. Medicus curans infirmos ordinarios non ita debet eſſe doctus, ut curans morbos periculoſiores. Idem dic de Magiſtro, ſeù Doctore.

5. D. Quæ ſunt vitia contrariè oppoſita Studioſitati?

M. Pec-

M. Peccatum contrariè oppoſitum per defectum eſt innominatum. Crediderim ego reduci poſſe ad hoc ignorantiam voluntariam. Peccatum contrariè oppoſitum Studioſitati per exceſſum vocatur Curioſitas, de qua S. Th. quæſt. 167.

6. D. Equidem Curioſitas communiter damnatur ut peccatum; ſed ego non video quomodò poſſim peccare in deſiderando ſcientiam, quę eſt perfectio hominis?

M. Curioſitas eſt peccatum; & poſſum multipliciter eſſe curioſus: primò: ſi per ſenſum quęram cognoſcere objectum, quod mihi non licet: Quinque ſunt ſenſus hominis; & per tres poſſumus cognoſcere objecta, ſub mortali nobis prohibita: Hi ſunt Tactus, Viſus, & Guſtus. Tactus, quando fertur, ut cognoſcat, ſeù tangat &c. quæ habent annexam delectationem veneream: Guſtus, quando fertur in cibos prohibitos: Viſus autem, quando videtur mulier ad concupiſcendum. Circà hæc nihil addo, quia jam ſufficienter dictum eſt ſuo loco. In cæteris caſibus nullum eſt objectum illicitum ex natura ſua ſenſui, quare ſecundò: peccabo curioſitatis peccato, ſi ordinem hujuſmodi cognitionis ad finem malum, vel ex ſe, vel ex intentione operantis. Circà illa, quæ ordinantur ex ſe. S. Th. a. 2. ponit duo exempla: primum eſt. *Inſpectio mulieris ordinatur ad concupiſcendum illam:* ſecundum: *diligens inquiſitio eorum, quæ ab aliis fiunt, ordinatur ad detrahendum*. Inſpectio mulieris ordinatur remotè, & in hoc caſu, qualiter ſit peccaminoſa, dictum eſt c. 32. n. 6. Idem dic, dum aliorum facta curioſius inquiro, niſi actu, vel virtute, meà intentione ordinem hanc cognitionem. ut detraham; vel expono me periculo peccati. Porrò Cōfeſſor, dum nimis ſcrupuloſè vult exercere ſuum officium, *caveat*, ut loquitur Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 20. *nè curioſis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat*. Si pęnitens accuſet ſe curioſitatis, non ſit ipſe ſuprà pœnitentem nimium curioſus inveſtigandi, quæ curioſius ſcire voluerit pœnitens: nam ordinariè ipſi explicant, ubi mortaliter peccaverint, niſi aliud prudenter judicet Confeſſor ex modo loquendi Pęnitentis, quem ego certè remitterem, velut omninò indiſpoſitum, ſi ſe curioſitatis accuſaret tantùm in genere, attendens, ut ego interrogem de curioſitate peccaminosà mortaliter, ut ſi curioſius inſpexerit exercentes actum matrimonialem &c.

7. Secundò: peccatur in cognitione ſenſitiva, eſtò nullus habeatur finis malus, quando non ordinatur ad finem bonum: De cognitione ſenſitiva per guſtum, Innocentius XI. prohibuit contrarium prop. 8. De cognitionibus aliorum ſenſuum mihi videtur deduci ex paritate guſtus. Angelicus vult cognitiones ſenſitivas ordinandas ad intellectivam: ſenſus enim ſunt medium, ſeù organum, & inſtrumentum intellectus.

8. Tertiò: Curioſitas de cognitione intellectiva, ſi homo ſtudeat ſcientiis malis, ut eſt Aſtrologia judiciaria &c. Nulla equidem ſcientia eſt in ſe mala, ſed ob periculum imminens, ut eà quis abutatur, Eccleſia prohibuit Aſtrologiam judiciariam, & huc ſpectant, qui legunt libros prohibitos. Circa quorum lectionem hæc reperio in Indice librorum prohibitorum, Regula 10. §. Ultimo: *Qui libros Hæreticorum, vel cujuſvis Authoris ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, aut habuerit, ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Epiſcoporum ſeverè puniatur*. Non memini curioſitatem ſuperſtitioſam, de qua utpotè oppoſita Religioni, dictum eſt c. 35. à n. 3.

9. Quartò: eſt Curioſitas, ſi cognitio intellectiva non ordinetur ad finem bonum ex dictis n. 3.

10. Quintò: eſt Curioſitas, quando, relicto utiliori ſtudio, attendimus ad minus utile fini, cui nos applicavimus. Ad hoc Angelicus a. 1. adducit verba Hieronymi. *Sacerdotes, dimiſſis Evangeliis, & Prophetis, videmus comedias legere, & amatoria buccolicorum verſuum verba cantare*. Hùc referri poſſet ille Confeſſor, aut Parochus, qui principaliter curaret ſcire redditus beneficii, modum illos augendi &c. Secundariò autem ad ſuum Confeſſoris, aut Parochi munus. Omnes utique Beneficiati, ſive Sæculares, ſive Regulares debent omni diligentia incumbere ad conſervandum, imò augendum redditus Beneficii. Et multa ex parte collapſus obſervantiæ regularis tribui debet huic negligentiæ, ſed tamen ſtudium œconomicum temporalium redditaum debet eſſe ſecundo loco: primi-

Digitized by Google

tus incumbendum eſt ſtudio proprii muneris.

11. Sextò: eſt Curioſitas, quando quis ſtudeat altioribus ſtudiis, & ſupra ſuum ſtatum, aut capacitatem, ut ſi Sacerdos fingat ſe Confeſſorem Magni Regis, & ex ſe determinet; quid in tali caſu conſuleret, vel ſi fingat ſe Epiſcopum, & jam meditetur ordinationes pro bono gubernio Epiſcopatus. Huic ſanè Confeſſori dicitur Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris*.

12. D. Eſtnè Curioſitas ex ſuo genere peccatum mortale?

M. Sicuti non obligat ſub mortali Studioſitas, ita neque mortale peccatum eſt Curioſitas. Ex natura ſua eſt mortale peccatum ſtudere cognitionibus illis ſenſitivis, quæ ſunt contra Caſtitatem, & ſtudere cognitionibus intellectivis, in quibus eſt periculum proximum gravis damni ſpiritualis. Ex præcepto Eccleſiæ peccatum eſt mortale ſtudere libris prohibitis juxta dicta n. 8. nam Eccleſia, dum illos prohibet, ponit eorum lectionem ſub hoc peccato.

13. D. In legendis libris prohibitis poſſumuſne excuſari à mortali ex parvitate materiæ?

M. Communiter aſſerunt dari, nec eſſe peccatum mortale, ſi quis legat paucas lineas libri prohibiti. Tamen hic applica regulam de furto poſitam p. 1. c. 37. n. 6. Eſt peccatum mortale, ſi acum furer, ex quo furto grave damnum immineat poſſeſſori: & eodem modo erit mortale, ſi legam paucas lineas, ex quarum lectione gravis immineat mihi ruina ſpiritualis.

14. D. Adſunt ne Cenſuræ contra peccatum Curioſitatis?

M. Vide n. 8. & §. primum Bullæ Cœnæ, in quo excommunicatur legens &c. librum Authoris Hæretici, quando vel contineat hæreſim, vel ſi hæreſim non contineat, adhuc tractat de Religione, qualis eſſet liber Hæretici explicantis myſterium Trinitatis; etenim eſtò nullam miſceat hæreſim, ſed inſerat ſanam doctrinam, intelligitur prohibitus in dicto §. Eccleſia enim à fonte malo non vult nos haurire aquam, eſtò alias inſe bonam. Lege Catalogum Cenſurarum p. 1. c. 20.

15. D. Adſuntnè propoſitiones prohibitæ circa ſtudioſitatem.

M. Vide 45. Alexandri VII. circa libros prohibitos. Ex 8. Innocentii XI. Theologicè deducitur omnem ſcientiam eſſe dirigendam ad alium finem.

16. D. Quas Pœnitentias imponet Confeſſor pro peccato Curioſitatis?

M. Ubi pœnitens ſtuduit libris prohibitis, ante omnia debebit ab ſe abdicare hujuſmodi libros, ut potè quorum retentio eſt etiam prohibita. Sed circa alia Curioſitatis peccata, nihil melius accidet Confeſſori, quam ſi pœnitentem inducat, ut omnia agat ordinatè propter finem, præponendo ſemper finem principaliorem. Super omnia Confeſſor præcedat exemplo ſuis pœnitentibus, ita quod fugiat omne vitium curioſitatis, in omni quidem circumſtantia, ſed maxime in loco, tempore &c. deputatis ad confeſſionem.

17. Enumeravi decem virtutes, ut ſpectantes ad Temperantiam: primò: *Abſtinentiam*: ſecundò: *Sobrietatem*: tertiò: *Caſtitatem*: quartò: *Pudicitiam*: quintò: *Continentiam*: ſextò: *Manſuetudinem*: ſeptimò *Clementiam*: octavò: *Humilitatem*: nonò: *Philotimiam*: decimò: *Studioſitatem* Hę habent refrænare paſſiones omnes, quæ nos impellunt. P. 1. c. 32. n. 3. enumeravimus undecim paſſiones. Amor eſt paſſio generalis, & conſequenter quælibet virtus habens moderari paſſiones particulares, habet moderari amorem, qui cauſat talem paſſionem. Quæ verò moderatur Amorem, moderatur, & odium ſibi oppoſitum: virtus enim moralis conſiſtit in medio oppoſitorum: Philotimia moderatur deſiderium & Abominationem: Humilitas moderatur Spem, & Deſperationem. Caſtitas, Abſtinentia &c. moderantur Gaudium, ſeù Delectationem. Iram moderatur Manſuetudo: Triſtitiam moderatur Patientia, quæ tamen c. 8. num. 2. fuit annexa Fortitudini: Fortitudo moderatur minus principaliter Audaciam, Timorem verò principaliter; Et ita vides aſſignatas virtutes, quæ moderentur omnes paſſiones, ſive refrænando hominem, ut fit per Temperantiam, ſive impellendo, ut fit per Fortitudinem; Singulis paſſionibus non aſſignavimus ſingulas virtutes, quia plures paſſiones nos ferunt, vel retrahunt ab uno, & eodem objecto; quarè virtus habens dirigere principales paſſiones dirigit etiam illi annexas.

18. Nihilominus ut homo ſit perfectè virtuoſus, iſta non ſufficiunt: non ſufficit eum eſſe diſpoſitum perfectè in ordine ad

Deum

Deum per virtutes Theologicas, aut in ordine ad proximum per Juſtitiam, & Virtutes Juſtitiæ annexas, aut in ordine ad ſuum appetitum internum, ſive Iraſcibilem, per Fortitudinem, & virtutes Fortitudini annexas, ſive Concupiſcibilem, per Temperantiam, & virtutes illas decem enumeratas, ut Temperantiæ annexas: Ut ſit perfectè virtuoſus, requiritur inſuper hominem, diſponi perfectè circà ſuas actiones externas, & ſecundum, id, per quòd apparet aliis hominibus: cumque virtus ſit diſpoſitio ad optimum, apparet, ut homo ſit perfectè virtuoſus, requiri virtutem, quà benè diſponatur circà hæc exteriora. Porrò hæc virtus dicitur communiter Modeſtia, eo quia ponit modum, ſeù moderatur; unde ex ipſa æthymologia nominis annectitur Temperantiæ.

19. Modeſtia ſic ſumpta eſt genus, & dividitur in tres virtutes ſpecie diſtinctas, quarum alia reſpicit actiones externas in ſeriis: Alia reſpicit actiones in ludicris, & jocoſis. Homo virtuoſus etiam in his tenet modum, ſed diverſimodè ſe gerit, ac in ſeriis, ideò per diverſam virtutem diſponitur, ut à Philoſopho vocatur *Eutrapelia*, nomine particulari: Tertiò tandem virtuoſus tenet modum in ornatu ſui corporis, veſtiendo &c. Hæc autem ultima, ſicut & prima, non habent nomen particulare, ſed utraque dicitur Modeſtia, nomine generico. Confeſſoris ordinarii eſt ſcire aliquid, ſaltem in confuſo, de tribus hiſce virtutibus, ut poſſit earum amorem excitare in pęnitentibus, præſertim quia deficientes in illis, maximo ſunt ſcandalo in populo, & Deus graviſſimè punit multitudines peccantes contra hujuſmodi virtutes.

20. D. In quo conſiſtit prima ſpecies hujus Modeſtiæ, & eſt undecima virtus annexa Temperantiæ?

M. Prima ſpecies dicitur Modeſtia morum, & habet pro materià extrinſeca noſtras actiones externas: pro materia verò intrinſeca paſſiones appetitus concupiſcibilis. Ratio per hanc virtutem moderatur primò iſtas paſſiones, & ultimò illas actiones, in quibus certè vel deficeret, vel excederet homo, ſi fineret illas ordinari per paſſionem, & non per virtutem. De hac modeſtia S. Th. q. 168. a. 1.

21. D. Quam regulam proponit ſervandam hæc virtus Modeſtiæ?

M. Non poteſt determinari particulariter una Regula, quæ inſerviat omnibus: etenim noſtræ actiones externæ, etiam in ſeriis, componendæ ſunt, juxta ſexum, ætatem, ſtatum, conditionem, negotia &c. quæ contingunt hìc, & nunc, nihilominùs hæc in univerſali Confeſſor pœnitenti proponet, & commendabit, quæ à Patribus accepta tradit S.Th.a. 1. Eccl. 19. *Amictus corporis, & riſus dentium, & greſſus hominis enunciant de illo.* Ambroſius 1. de offic. c. 18. *Habitus mentis in quodam corporis ſtatu cernitur, & vox quædam animi eſt corporis motus. Et motum natura informat: ſi quid in natura vitii eſt, induſtria emendet.* Auguſtinus lib. 3. Regulæ. *In motibus veſtris nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* In dicto libro de officiis totus eſt Ambroſius, ut explicet partes Modeſtiæ in voce, in habitu, in inceſſu, in motibus membrorum &c. Si Confeſſor poſſit ſibi providere hoc opus Ambroſii, erit utiliſſimum, ſępiùs illud relegere, ſententiaſque memoriter accipere, ut illas data opportunitate Pœnitenti explicet: Ubi præ inopià ſibi providere non poſſit, habet in Urbe patentes Bibliothecas, Angelicam in Conventu S. Auguſtini, & Caſanatteam apud Patres Dominicanos omni librorum genere, Patrum præcipuè, inſtructas: inde ſcripto ſibi ex Ambroſio colligat hujuſmodi ſententias; nec enim in molem augeri convenit hoc opus: quòd ſi omnibus his deſtituatur, notet accuratè, quos geſtus tanquam inciviles carpant homines benè morati, eoſque primum à ſe abdicet, deindè à pęnitentibus Quoniam verò ſanctiſſimum, & graviſſimum eſt Confeſſoris officium, tantæ gravitati, & ſanctitati correſpondeant in confeſſionali actiones omnes Confeſſoris. Procul abſit impatientia, quælibet: confabulationes, quę non faciunt ad directionem Pœnitentis, procul omninò arceantur: Cautus ſit, ne vel excidat verbum, aut nutus, quę redoleant inhoneſtatem, aut amorem carnalem: In his enim duobus caſibus Pœnitens tenebitur denunciare illum, eſtò ex levitate, aut imprudentia fuerint prolata, cujus levitatis, aut imprudentię Judex debet eſſe ſanctum Tribunal: Hæc, & ſimilia curet in Confeſſionali Confeſſor, ſi nolit præterire Modeſtię regulas.

22. D. Obligatnè virtus iſta Modeſtiæ ſub mortali?

M. Per

M. Per ſe loquendo non obligat, niſi ratione alterius virtutis, præſertim Charitatis: etenim fideles maximè ſcandalizantur, ubi vident actiones aliquas Modeſtiæ contrarias. Etiam aliæ plures de ſe ſunt inductivæ ad peccata contrà Caſtitatem: Et quòad ſcandalum, nihil offenditur Sæcularis, aut vix, ex actionibus etiam plus quam leviter immodeſtis alterius Sæcularis. At grande ſcandalum patitur videns in Eccleſiaſtico, præcipuè in Religioſo, facilitatem alloquendi fęminas, motum inconſtantem corporis, præſertim in Confeſſionali, continuas in Miſsa, vel Officio ſyncopes, elidendo verba; ſi officium recitet, ubi ludunt alii, loquens modò cum Deo, modò cum hominibus: ſi Confeſſor in Confeſſionali erigat vocem, ut ruſticos corrigat: ſi Sacerdos hortans ad pacem Sæculares, ipſe ſemper contendat, ſi ſuffocet ſuos debitores, ut reddant paucos danarios, quando alias cognoſcuntur hìc, & nunc impotentes &c. Sanè ſcandalum poteſt eſſe adeò grave, ut mortaliter peccetur?

23. D. Quomodò vocantur peccata contrariè oppoſita huic virtuti Modeſtiæ Morum?

M. S. Th. de neutro agit, non de oppoſito per defectum, quia eſt innominatum; nec de oppoſito per exceſſum, quod communiter vocatur Immodeſtia, eo quia eſt per ſe notum, magiſque conſtabit ex peccato per exceſſum oppoſito ſequenti Virtuti.

24. D. In quo conſiſtit ſecunda ſpecies Modeſtiæ, & eſt duodecima virtus annexa Temperantiæ?

M. Secunda hæc Modeſtię ſpecies vocatus virtus Eutrapeliæ, de qua S. Th. q. 168. 2. Sicut corpus, quia eſt virtutis finitæ, fatigatur laborando per ſuas operationes, ita etiam Anima, utpote virtutis finitæ, fatigatur per ſuas operationes. Et ad hoc oſtendendum S. Joannes, ut notat Angelicus, induxit exemplum arcus: Anima operatur per intellectum, habendo cognitionem, vel ſpeculativam, vel practicam, & magis, ut conjuncta corporis, fatigatur per primam, quàm per ſecundam: ſicut autem corpori poſt laborem datur quies, ita quies danda eſt Animæ: quies autem Animæ, ut conjunctæ corpori, eſt aliqua delectatio naturalis, & ſenſibilis, quæ habetur per ludicra, & jocoſa: quare neceſſarium eſt aliquando quieſcere ab operationibus animæ per jocos. Dirigimur autem per Eutrapeliam, ut in iſtis nos benè habeamus, ut ſumamus delectationes, quantum decet. Porrò ex Philoſopho S. Th. notat, quòd joci condiunt noſtram converſationem, & cum eà parcitate, quà, ſale utimur in condimentis, debemus uti jocis, quod præcipuè curabunt obſervare Eccleſiaſtici, præſertim Regulares, & Confeſſores.

25. D. Quas regulas obſervat Eutrapeliæ virtus.

M. Tres principaliter obſervat: primò, ne delectetur in operationibus, aut verbis turpibus, & nocivis, ut qui ſemper in recreatione detrahunt proximo, aut obſcęnè loquuntur: ſecundò, ne totaliter diſſolvatur gravitas animi, & Confeſſor maximè cum pęnitentibus, ſemper ſe oſtendet Judicem, Medicum, & Doctorem, ę contrà ſemper illum pęnitentes venerabuntur ut talem: tertiò ſient in omni alia virtute ſervabuntur debitæ circumſtantiæ, temporis, loci, ſtatus, ætatis &c.

26. D. Obligatne virtus hæc ſub mortali?

M. Per ſe loquendo non obligat ſub mortali, niſi ex alio capite quis præjudicaret charitati, commiſcendo, quæ ſunt contrà Deum, vel proximum, aut ſi etiam ſibi homo grave detrimentum afferret in ſanitate &c.

27. D. Quomodò vocantur peccata contrariè oppoſita Eutrapelię?

M. Contrà hanc virtutem poſſumus peccare ſicut & contrà cęteras, per exceſſum, & defectum. Neutrum tamen ex his peccatis habet proprium nomen; nihilominus de utroque agit S. Thomas art. 3. & 4. dicens vocari agreſtes, & duros, qui deficiunt, peccare tamen minùs, quam qui excedunt; quando autem hi peccent mortaliter, facile agnoſcet Confeſſor ex regulis datis num. 25. ad veram Eutrapeliam.

28. D. Si exceſsus in ludo eſset peccatum, peccarent joculatores, & Hiſtriones, necnon qui ſuſtentat illos; cum tamen B. Paphnutio revelatum fuerit, quòd in gloria futurus ſibi eſset æqualis quidam joculator?

M. Appoſui rationem, & exemplum adductum à S. Thoma, ut meliùs percipi poſſit illius doctrinæ vis. Igitur multi præ-

ten-

tendunt peccare mortaliter Hiſtriones, Comœdos, Tragœdos, & ſimiles. Ac ſanè ſi deficiant in prima Regula Eutrapeliæ tradita, peccabunt mortaliter ipſi, & qui ſuſtentant, nec abſolvi poterunt, niſi deſiſtant. An autem deficiant, non poſſumus determinare, niſi videamus ipſas comœdias &c. Nec ego crediderim, quòd deficiant Comœdiæ, aut Hiſtrionatus permiſſi à Principibus Catholicis, & piis, quando non recitant viri, & fœminæ ſimul in theatro. Hiſtriones virtuosè operantes ſunt utiles Reipublicæ in hoc officio ludicro, & jocoſo, & eſtò reſpectu Reipublicæ, nullum aliud habeant ſerium officium, tamen habent in ordine ad ſe ipſos, & ad Deum, ſi ſuo tempore orent, ſi ut poſſunt eleemoſinas faciant &c. Porrò quòad ludricrum officium, quia utile eſt Reipublicę, poſſunt exigere debitam mercedem, ſed moderatam. Inter deputatos ad delectandum, Muſici videntur innocentiſſimi, quando non cantent cantiones obſcænas, quod crediderim rarò contingere; propterea honeſtius iſti frequentantur, & ſuſtentantur, niſi periculum proximum immineat caſtitati ratione ſexus. Horum tamen Mæcænates peccabunt, ſi largiùs, quam par eſt, effundant in Muſicos. Et ſanè ſuſtentantur, foventur, ac ditantur hi: quem verò videmus à natura diſpoſitum ad vocem harmonicam, arte reddimus aptiorem, curamuſque perfici ſub optimis Magiſtris; quòd tamen vix contingit in alio quopiam, eſtò utiliore officio: Noſtris temporibus inveniuntur vix Męcænates Theologorum, Medicorum &c. qui curent erudiri ſub optimis Magiſtris à natura diſpoſitos ad has virtutes; Et hinc extra Regularium clauſtra, & [illegible] publicas Acade[illegible], [illegible] ſuſtentant ingenia, [illegible] invenias profundum Theologum; ſed & in clauſtris, floret utique Theologia Scholaſtica, ſed non æque Polemica, Moralis, & Poſitiva, eo quòd honores, & gradus, qui ſunt virtutum ſuſtentacula, primæ ſint deſtinati, non cæteris. Quid dicam de Medicis: Hi ſanè fovendi eſſent ut omni ex parte ſcientiam acquirerent aliquando nobis maximè profuturam: vix tamen invenies, qui ſuſtentet ad tale ſtudium diſpoſitos ad illud à natura; Hinc non poſſumus habere Medicos inſignes etenim vix laureati ob rei familiaris defectum ne[illegible] poſſunt ſibi providere libros, nec eorum accuratæ lectioni applicari, ſed unicè infirmos circuire; Confeſſor notabit, quòd viri omni ex parte docti, & inſignes tunc floruere, quando abundarunt Męcænates; & hodiè in noſtris regionibus abundant excellentes Muſici, quia eorum abundant Męcænates; propterea ſuæ erit prudentiæ ita pęnitentibus laudare horum ſuſtentationem, ut tamen oſtendat magis incumbendum ſuſtentationi aliarum ſcientiarum; præcipuè bonis Eccleſiaſticis; circa quos vide Tridentium ſeſſ. 13. de ref. c. 18. & ſi es Confeſſor Epiſcopi, cura, ut obſervetur.

29. Sed hoc vitium contrariè oppoſitum Eutrapeliæ per exceſſum maximè abundat in ludendo. Sanè uti ludis, ut ſale in cibis, eſt Eutrapeli: ſed ludi, primò, non debent eſſe prohibiti à Principe: ſecundò, non debent eſſe cum periculo amittendi pecuniæ vim omninò improportionatam ſtatui cujuſque ludentis, conſiderata familia, negotiis, &c. tertiò, debent abeſſe fraudes &c.

30. D. In quo conſiſtit tertia Modeſtiæ ſpecies, & quæ eſt decima tertia virtus annexa Temperantiæ?

M. Refrenatis ad verę virtutis regulam paſſionibus internis, & actionibus externis, ultimò omnium remanet moderandus exterior ornatus noſtræ perſonæ, familię, domus &c. Reſpicit autem ad hoc virtus, quæ dici poteſt *Modeſtia ornatus*, & de qua S. Thom. quæſt. 169. a. 1. ubi ſimul explicat vitia huic virtuti contrariè oppoſita, & per exceſſum, & per defectum, nec nobis erit neceſſarium de illis diſſerere ſpecialiter, quia eorum inordinatio ſufficienter patebit ex ordinatione virtutis, & è contra hujus ordinatio ex illorum inordinatione. Igitur homo in ornando ſe, primò, non debet excedere conſuetudinem honeſtam virorum prudentium, quibus convivit, habita ratione ſuæ conditionis: ſecundò, in ſe ornando, non debet quærere gloriam humanam, ſed ſolùm uti ornatu, quia ſic convenit viventibus in tali communitate. Gloriam humanam ex ornatu quærere, ut Confeſſor ſciat, quam ſit grave peccatum, audiat S. Greg. hom. 40. in Evang. *Nonnulli cultum ſubtilium, pretioſarumque veſtium putant non eſſe peccatum: ſed ſi culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd dives, qui torquebatur apud inferos, byſſo, & pur-*

& purpura indutus fuiſſet: tertio, non debet quærere ornatum ad corporis deliciam: hujus enim ſunt fomentum ſubtiles & pretioſæ veſtes: quartò, non debet nimium eſſe ſollicitus de hoc ornatu.

31. D. Peccantnè fœminæ in vano ornatu?

M. Etiam fęminæ, ut non peccent, debent ſervare quatuor illas conditiones, & præthereà quintam, quòd non provocent viros ad laſciviam; quòd facilè contingit in ornatu muliebri de ſe provocativo; Et ſi quidem de ſe ſit proximè provocativum aut ornatus ad hoc intendatur, ut videntes provocentur ad concupiſcendum, hoc eſt ſemper peccatum mortale; quòd ſi fiat ex vanitate, aut lenitate, aliàſque ornatus de ſe non ſit valdè provocativus, erit veniale. Maritata poterit ſe ornare, tamen ut proprio viro, non ut aliis placeat; Unde his, ex Auguſtino Angelicus docet, quòd Confeſſores univerſaliter non prohibeant portare aurum, aut veſtes pretioſas (intellige ſemper juxta cujuſque ſtatum) ſed tamen etiam maritatis prohibeant nudare capillos, ut extendantur ſupra humeros. More ſcholaſtico diſtinctiùs procedens S. Th. addit permitti poſſe, ſi non ex vanitate, ſed ex inducta conſuetudine ita procederent fæminæ, *quamvis talis conſuetudo*, concludit, *non ſit laudabilis*: quarè multò minùs erit laudabilis conſuetudo incedendi nudatis brachiis, & pectore. Si maritatæ fucis ſe pingant in facie, ut placeant maritis, non eſt mortatale peccatum; ſi verò velint per hos fucos occultare aliquam deformitatem ex ægritudine provenientem, quia deſpicerentur, niſi occultarent, tùnc neque, erit veniale peccatum. Maximè verò caveant fæminæ uti veſte virili, aut è converſo, *præcipuè, quia poteſt eſſe cauſa laſciviæ*; quod non erit peccatum, ſi fiat ex neceſſitate ocultandi ſe hoſtibus, vel ſimili.

32. D. Poſſuntnè abſque peccato artifices præparare, aut vendere hujuſmodi ornamenta?

M. Ad verbum hic adducam S. Th. textum; In eo enim eſt regula univerſalis, quam debebit memoriæ tenere Confeſſor pro his, & ſimilibus caſibus, nè vel nimis ſtringat, vel nimis laxet habenas circa hujuſmodi artifices. Ait igitur q. 169. a. 2. ad 4. *Si eſt ars ad faciendum opera, quibus homines uti non poſſunt abſque peccato, artifices faciendo peccant, quia directè aliis præbent occaſionem peccandi, ut qui fabricat idola.* Adde, qui docet artes magicas &c. *Si ſit ars, cujus operibus homines poſſunt benè, & malè uti, ſicut ſagittæ, gladii; & hujuſmodi, uſus talium artium non eſt peccatum. Si tamen operibus alicujus artis, homines malè pluries uterentur, quamvis de ſe non ſint illicitę, ſunt extirpandæ à civitate officio Principis.* Hujuſmodi fortè eſt Aſtrologia judiciaria prohibita per Romanos Pontifices. Ex hac regulà univerſali S. Th. deducit non peccare artifices præparantes, aut vendentes ornamenta fæminarum, quia licitè illis utuntur maritatæ, *niſi fortè inveniendo aliqua ſuperflua, & curioſa*. Concludit verbis Chryſoſtomi: *Ab arte calceorum, & textorum multa abſcindere oportet: etenim ad luxuriam deduxerunt, neceſſitatem ejus corrumpentes, artem arti malè commiſcentes.*

33. Ita Doctor Angelicus diſſervit de virtutibus, quas alii fortè credent plures vel pauciores; veruntamen mihi ſufficit S. Th. & fortè ſufficiet etiam Confeſſori ordinario; qui optimè ſuum munus implebit, ubi doctrinam Angelici calleat, ab Apoſtolica Sede ſæpius approbatam, dictamque unà cum S. Auguſt. doctrinà *inconcuſſam, & tutiſſimam*.

CAPUT LVII.

Recapitulatio Virtutum Theologicarum, peccatorumque illis oppoſitorum.

1. OPus hoc ordinatur ad inſtructionem Confefeſſoris, ut exerceat [illegible] ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medic[illegible] quia ex Trid. ſeſs. 23. de ref. c. 15. Sacerdoti iubeu[illegible] men, antequam ab Epiſcopis obtineat juriſdictionem, ut abſolvat à peccatis; ideò quanquam ſit unus finis, debui tamen etiam intendere in id, ut doctos Sacerdotes inſtruerem ad præfatum examen; etenim intendens finem tendit ſimul in media pro conſequendo fine? Porrò licet hoc examen ſit diſpoſitio tantùm, & medium, nihilominùs, in Urbe præſertim, pluris ſit hoc examen, ipſo Sacerdotis miniſterio. Eſt pars Apoſtolatus, & hanc partem petere per ſe non erubeſcunt plurimi Sacerdotes, uti erubuerunt duo Boanerges, Iacobus, & Joannes, qui propt[illegible]

Digitized by Google

per matrem petiere, ut ſederent ad dexteram, & ſiniſtram Chriſti. Quòd ſi Epiſcopi tenentes in Eccleſia Chriſti locum, interrogent: *Poteſtis bibere calicem* Matth. 20. facili negotio reſpondent: *Poſſumus, Poſſumus:* Unicè terrentur ab examine ſubeundo. Quare Inſtructio hæc principalior eſt quoad finem, ſed magis neceſſaria ob medium.

2. Equidem curavi opus reſtringere, ſed quia vaſtum eſt mare Theologia Moralis, non ita potui reſtringere, ut ejus ſubſtantiam ſemper quilibet Sacerdos habere poſſet in promptu, ſive quando examen ſubit, ſive quando ſuum in Confeſſionali exercet officium. Id præcipuè provenit ob nimis labilem hominis memoriam, cui ut complures Caſuiſtæ proſpicerent, hanc Theologiam redegerunt in breve compendium, & ſanè cum magno Confeſſorum fructu, ſed verè ignoro, an cum totali fructu: etenim nequit eſſe Doctor, qui ſcit ſolas concluſiones abſque ſuis fundamentis: Illud accedit, quòd abſque fundamento rationis addiſcens utique ſcit caſum illum particularem, de quo liber loquitur; ſed ignorat omninò cæteros in infinitum variabiles: Quia igitur in præcedentibus adductæ ſunt rationes, & fundamenta, nunc redigemus in compendium, quæ primò fuſiùs fuere propoſita; ut ea ſibi faciliùs figere poſſit memoriæ Confeſſor; ſi quando rationes voluerit attentiùs examinare ſuo loco illas videbit.

3. Plura item præcedenter dicta ſunt, ſed tamen alia, communiter loquendo, videntur magis, alia minùs neceſſaria. Hic autem recapitulabimus ea, quæ videntur magis neceſſaria Confeſſori ordinario, & expoſito multitudini fidelium, quos inter quædam utique peccata ſunt frequentiſſima, & de his oportet inſtructum eſſe quemlibet Confeſſorem quoties exponit ſe audiendis Confeſſionibus. De aliis autem ſufficit, ut ſciat dubitare ad conſulendum peritiores.

4. Ultimò in hac recapitulatione non ſemper dabuntur exactæ definitiones, ſed, & aliquando ſubſtituentur deſcriptiones, juxtà terminos, quibus communiter pœnitentes conſueverunt ſe explicare. Ita enim faciliùs ea memoriæ tradent Confeſſores, remediumque adhibebunt in Confeſſionali.

5. D. Quid eſt fides Theologica?

M. Eſt credere myſteria à Deo revelata ſub ea ratione, quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſia Catholica nobis proponit. Confeſſor, & alii docentes doctrinam Chriſtianam, ſemper in praxi curabunt, ut pueri in eliciendo actu fidei exprimant hanc rationem formalem, nec ſufficiat illis, ut dicant: *Credo myſterium hoc revelatum* &c. ſed ut dicant: *Credo myſterium hoc, quia revelatum* &c.

6. D. Tenemurne explicitè elicere aliquos actus fidei ex præcepto divino, ſeù neceſſitate medii?

M. Tenemur neceſſitate medii explicitè credere tria hæc myſteria, quòd Deus ſit unus in eſſentia, & trinus in perſonis: ſecundò: quòd ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis carnem ſuſceperit, & ſecundum carnem mortua fuerit, ac ſecundum eam reſurrexerit: tertiò: quòd Deus ſit Remunerator operum bonorum per vitam æternam, & operum malorum per ignem æternum gehennæ.

7. D. Satisfacio nè huic præcepto, dum dico: *Credo totum id, quod credit Sancta Mater Eccleſia?*

M. Non ſatisfacis, quia hoc eſt credere tria illa myſteria implicitè, non explicitè.

8. D. Quid intelligis, dum dicis tria illa myſteria eſſe credenda neceſſariò neceſſitate medii?

M. Intelligo, quòd niſi explicitè credantur, non poſſumus ſalvari, eſtò ſine ullo peccato contingeret nos ea ignorare.

9. D. Faceretnè confeſſionem validam, qui aliquod ex illis ignoraret?

M. Faceret invalidam, quia ſi non poteſt glorificari, neque poteſt juſtificari: nam juſtificatio dat jus ad gloriam.

10. D. Igitur committeret ſacrilegium, qui aliquod ex illis invincibiliter ignorans, confiteatur?

M. Non juſtificaretur, ſed neque peccaret, quia in ignorantia invincibili non adeſt culpa.

11. D. Hæc ignorantia excuſat à peccato, cur etiam facit validum ſacramẽtum?

M. Non facit validum ſacramentum, quia ad validitatem non ſufficit materia, & diſpoſitiones &c. æſtimatæ, ſed verè à Chriſto determinatæ.

12. D. Credendum eſtnè Pœnitenti, qui aſſerit ſe invincibiliter ignoraſſe hæc myſteria?

M. Non ſtatim eſt credendus, ſed

ſed prudenter examinabitur.

13. D. Quomodo examinabitur, ut videatur, an vincibiliter, vel invincibiliter ignoraverit?

M. Examinetur, an fecerit diligentias debitas, an à parentibus admonitus, ut recitaret ſymbolum, illud didicerit, an adierit Parochum, præſertim pro doctrina Chriſtiana diebus Dominicis &c.

14. D. Tenemurnè alia credere ex neceſſitate præcepti Eccleſiæ, præter tria illa myſteria?

M. Tenemur credere myſteria, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, & quidem hæc etiam explicitè.

15. D. Hæc ſunt univerſalia reſpectu cujuſcumq; fidelis, tenenturnè particulares alia explicitè credere ſuprà Symbolum?

M. Ultrà Symbolum quilibet Chriſtianus explicitè tenetur credere, juxtà officium, quod habet in Eccleſia Dei.

16. D. Quomodò ſe geret Confeſſor cum Pœnitente, qui ignorat ſymbolum quoad ſubſtantiam?

M. Geret ſe, ut præcipit Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 17. & S. Carolus adductus ib. c. 11. n. 18. & 19.

17. D. Quando tenemur elicere hos actus fidei?

M. Per ſe loquendo tenemur elicere primò, dum pervenimus ad uſum rationis: ſecundò: in articulo mortis: tertiò: quinquies, vel ſexies in anno. Per accidens autem ſit hæc regula univerſalis: quando tenemur ad actus virtutum ſupernaturales, quia fides eſt principium ſupernaturalitatis.

18. D. Quot peccata commiſit, qui per anni vincibiliter ignoravit hæc myſteria?

M. Primò commiſit quinque vel ſex peccata in omittendo actum fidei: ſecundò ferè totidem in diſpellendo à ſe hanc ignorantiam.

19. D. Si eſt ita; tenebitur Confeſſor interrogare pœnitentem, quot ætatis annos habeat, ut poſſit habere numerum circum circà utriuſque peccati, quod plerumque non quærunt Confeſſores.

M. Tenentur utique interrogare; quòd ſi non faciunt, ipſi conſulant conſcientiam ſuam.

20. D. Quæ ſunt peccata contrariè oppoſita Fide?

M. Sunt tria, Paganiſmus, Judaiſmus, & Hæreſis.

21. D. Quid eſt Hæreſis?

M. Eſt error intellectus circà aliquem articulum fidei, cum pertinacia in voluntate.

22. D. Per quid Hæreſis diſtinguitur à Blaſphemia hæreticali.

M. Diſtinguitur per hoc, quòd blaſphemus hæreticaliter affirmat quidem aliquid contra articulum fidei, ſed non credit, quod affirmat: Hæreticus verò, & affirmat, & credit pertinaciter.

23. D. Quæ differentia eſt inter hæreticum materialem, & hæreticum formalem?

M. Eſt hæc differentia, quòd hæreticus materialis habet errorem in intellectu, ſine pertinacia: hæreticus formalis habet errorem in intellectu contra articulum fidei, cum pertinacia in voluntate.

24. D. Quid eſt Pertinacia requiſita pro hæreſi?

M. Eſt, quòd homo ſciens definitionem Eccleſiæ Catholicæ in aliquo articulo, velit tenere contrarium.

25. D. Ut homo ſit hæreticus formaliter, quanto tempore debet perſeverare in errore?

M. Sufficit unicum inſtans, quando verè ſcit contrarium eſſe definitum ab Eccleſia Catholica.

26. D. Quod peccatum committit voluntariè dubitans de aliquo articulo fidei?

M. Committit peccatum hæreſis, quia dubius in fide eſt infidelis, ſed Hæreticus.

27. D. Quotuplex eſt Hæreſis.

M. Eſt duplex, alia interna, & alia externa.

28. D. Ad quid prodeſt hæc diſtinctio Confeſſori ordinario?

M. Prodeſt, ut ſciat, an poſſit abſolvere Pœnitentem: quilibet enim Confeſſor poteſt abſolvere primam, ſed ſecunda eſt cum excommunicatione reſervata in Bulla Cœnæ.

29. D. Quid intelligis per Hæreſim internam?

M. Intelligo hæreſim, quæ concepta ſolum eſt in mente, nec ullatenus manifeſtata ſigno aliquo exteriori vocis, vel ſcripti.

30. D. Eſtnè hæreſis interna, quam ego protuli voce ſubmiſſa, ita quòd nemo potuerit audire?

M. Hæc erit quidem occulta, ſed verè extea.

externa, & illam proferens incidit in Bullam Cœnæ.

31. D. Poteſtnè unquam ſimplex Confeſſor abſolvere hæreſim externam?

M. Poteſt illam abſolvere in articulo mortis, dummodò ſi poſſit, pœnitens juret de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſi convaluerit.

32. D. Pœnitens ab hæreſi ſic abſolutus in articulo mortis, remanetnè verè, & directè abſolutus?

M. Remanet verè, & directè abſolutus; unde non indiget amplius confiteri ſacramentaliter illam hæreſim, ſed tenetur judicialiter ſe ſiſtere habenti authoritatem abſolvendi, ut obediat Eccleſiæ; quòd ſi non ſe ſiſtat, ob illud inobedientiæ peccatum reincidit in excommunicationem.

33. D. Quia innuiſti de blaſphemia hæreticali, vellem ſcire, quomodò diſtinguatur à ſimplici?

M. Simplex eſt *contumelia in Deum, vel Sanctos*: Hæreticalis eſt *Contumelia in Deum, vel Sanctos affirmans aliquid contrarium fidei*.

34. D. Dicere *Deus ſit maledictus*, eſtne blaſphemia ſimplex, vel hæreticalis?

M. Dicere *Deus eſt maledictus* eſt blaſphemia hæreticalis, quia affirmat contrarium fidei: dicere *Deus ſit maledictus*, eſt blaſphemia ſimplex, quia non affirmat, ſed optat.

35. D. Quomodò cognoſcam, an proferens, v.g., *Deus eſt injuſtus*, fuerit tantum blaſphemus, val etiam hæreticus?

M. Interrogabis, an quando protulit ore, crediderit mente Deum eſſe injuſtum: ſi protulit, & credidit, fuit hæreticus externus: ſi protulit, ſed non credidit, fuit tantùm blaſphemus.

36. D. Differuntnè ſpecie blaphemia in Deum, in Beatiſſimam Virginem, & in Sanctos?

M. Tibi nunc id recolere non eſt neceſſarium: vide ſuo loco, ſed tamen curabit Confeſſor, ut pœnitens explicet, in quem illorum directa fuerit blaſphemia.

37. D. Blaſphemia hæreticalis eſtnè caſus reſervatus.

M. In Urbe non eſt caſus reſervatus: In aliis Diœceſibus conſule tabellam caſuum Reſervatorum.

38 D. Ad quid tenetur ſciens aliquem hæreticaliter blaſphemaſſe?

M. Vide Edictum Sanctæ Inquiſitionis, ex quo habebis, quòd ſciens aliquem incidiſſe in peccata ibi expreſſa, tenetur hujuſmodi peccatorem denunciare Sancto Tribunali.

39. D. Infra quantum tempus tenetur denunciare.

M. A die, quo habuit notitiam de tali edicto, currunt illi triginta dies, intra quos poteſt denunciare, eſto antea per annum non denunciaſſet, quia neſciebat edictum. Elapſis tringinta diebus, niſi denunciaverit, incidit in excommunicationem reſervatam Sanctæ Inquiſitioni.

40. D. Quid eſt Spes ſecunda virtus Theologica?

M. Eſt virtus, per quam ſperamus mediante gratiâ Dei, & bonis operibus, quæ proponimus facere, ſperamus, inquam, ſalvari, ſub ea ratione formali, *quia Deus eſt omnipotens, & miſericors*. Hanc rationem formalem Confeſſor inculcabit pœnitentibus, ut explicent.

41. D. Tenemurnè ad actus Spei?

M. Tenemur eo modo, & tempore, quo dictum eſt num. 6. nos teneri ad actus fidei.

42. D. Quam orationem commendabo Pænitenti, ut poſſit frequentare actus Spei?

M. Commendabis maximè duas, alteram à Chriſto inſtitutam, nempè Orationem Dominicalem, & alteram ab Eccleſia compoſitam, nempè Salutationem Angelicam. Hæ ſi dicuntur ex corde, habent conjunctos actus Spei.

43. D. Quid eſt Charitas, tertia virtus Theologica?

M. Charitas tendit in duo objecta, nempè, in Deum, & in proximum.

44. D. Ad quid nos obligat Charitas reſpectu Dei.

M. Obligat nos illum amare ſuper omnia, *quia ſummè bonus eſt*: hanc pariter rationem Confeſſor inculcabit pœnitenti.

45. D. Quid eſt Amare

M. Eſt velle bonum, ſive deſiderando alteri bonum, quod non habet, ſive gaudendo, aut complacendo de bono, quod habet. Deo poſſumus deſiderare glorificationem exernam, ut ab omnibus ametur, & gaudere de immenſa ejus bonitate.

46. D. Tenemurnè unquam ad actus charitatis erga Deum?

M. Tenemur ad actus charitatis modo, & tempore, quo dictum eſt nos teneri ad actus fidei.

47. D.

Digitized by Google

47. D. Tenemurnè ad actum internum charitatis erga proximum?

M. Tenemur, & contrarium damnavit Innocentius XI. propoſitione 10.& 11.

48. D. Tenemurnè ad faciendam eleemoſinam proximo?

M. Tenemur primò: ſi ſit in extrema neceſſitate, & tunc tenemur quoquo modo ſubvenire dummodò nos & noſtri non ſint in æquè extrema neceſſitate: ſecundò: tenemur in gravi neceſſitate, quando habemus de ſuperfluis. Porrò in gravioribus neceſſitatibus tenemur etiam aliquid nobis diminuere de neceſſariis ſtatui, ut ſubveniamus proximo, ſed non poteſt aſſignari præciſa quantitas. Confeſſor inculcabit pœnitenti, ut abundet potiùs, quam deficiat in quolibet horum trium caſuum, tamen ſine gravi, & manifeſto detrimento ipſius pœnitentis.

49. D. Quid intelligis dicendo *neceſſaria ſtatui?*

M. Neceſſarium perſonæ dicitur id, ſine quo non poteſt conſervari perſona, v. gr., ſi non habet pauper, unde vivat hodiè; ſed vel deberet mori, vel aliter ægrotare graviter. Neceſſarium ſtatui dicitur, quod eſt neceſſarium juxta conditionem, & dignitatem perſonæ. Hic memento, quòd ſeptem ſunt eleemoſinæ corporales, diſtinctæ ſpecie,& unaquæque nos obligat.

50. D. Tenemurnè ad eleemoſinas ſpirituales?

M. Tenemur etiam ad iſtas, ubi ſaltem probabilis extat ſpes juvandi proximum.

51. D. Quid eſt Acidia?

M. Acidia, quæ opponitur charitati Dei, eſt tædium rerum ſpiritualium, ſeu divinarum.

52. D. Acidia eſtnè peccatum mortale ex ſuo genere?

M. Eſt utiq; nam deſtruit, ſeù opponitur charitati.

53. D. Eſtnè ſemper de ſe peccatum mortale?

M. Erit peccatum mortale, ſi faſtidiat res divinas, ut tales, v. g., ſi non vult proferre nomen *Jeſu* quia diſplicet illi honorare Deum, ſed ſi faſtidiat, quia non vult ſubire incommodum, quod, v.g.ſentit in audiendo miſſam, tunc non eſt mortale peccatum.

54. D. Dicis, quòd mortaliter pecco, ſi omitto proferre *nomen Jeſu*, quia mihi diſplicet divina?

M. Utique hoc dico; nam ſub illa formali ratione Acidia non admittit parvitatem materiæ.

55. D. Pecco nè mortaliter, ſi omittam in die feſto audire ſacrum, non quia ſit res divina, ſed quia ſentio incommodum in audiendo?

M. In tali caſu committo duo peccata, alterum omiſſionis contra Religionem, & Eccleſiæ præceptum: hoc eſt mortale: alterum commiſſionis Acidiæ contra charitatem Dei: hoc eſt veniale.

56. D. Quomodò peccare poſſum odio in proximum?

M. Per tres actus ſpecie diſtinctos: primò: ſi diſpliceat mihi bonum proximi: ſecundò: ſi gaudeam de illius malo: tertiò: ſi deſiderem illi malum.

57. D. Si plures odio habeam, debeo nè explicare numerum eorum, quos odio habui?

M. Debes explicare, quia tot ſunt numero peccata, ſive formaliter, ſive æquivalenter, quot odio habiti: nam injuria eſt in injuriato: quare tot numero ſunt injuriæ, quot numero injuriati.

58. D. Debeo nè explicare bonum, quod mihi diſplicet in proximo, vel malum, quod volo proximo?

M. Etiam hoc debeo explicare, ſicut tenetur explicare, qui actu externo tollit bonum, vel infert malum proximo.

59. D. Mater, quæ ex ira, tamen ex animo pro uno inſtanti deprecatur malum filiis; & poſtea pœnitet, peccatnè mortaliter?

M. Mater committit plura peccata mortalia in uno actu: Ira enim non excuſat, niſi tollat uſuum rationis; & quando hic tollitur, malum non optatur ex animo; nam ex animo ſignificat, quòd etiam ex voluntate volumus hoc malum; & ſemper voluntas operatur dependenter ab uſu rationis. Igitur illa mater, primò: peccat contra charitatem volens malum filiis: ſecundò: contra pietatem, ut ſunt filii; & tertiò: ſi addat juramentum, peccat contra Religionem, violans juſtitiam juramenti, quia jurat de re illicita. Hæ ſunt tres ſpecies peccatorum; & in unaquaque ſpecie,tot numero peccata committit, quot numero ſunt filii.

60. D. Dixiſti n 56. quod diſplicere, ſeù triſtari de bono proximi eſt odium, mihi videtur, quòd ſit Invidia?

M. Poſ-

M. Poſſum triſtari de bono Petri, v. g. quia eſt bonum illius, & poſſum triſtari, quia mihi diſplicet illum habere plus, quam ego habeam. In primo caſu eſt odium: in ſecundo eſt Invidia, quæ eſt triſtitia de bono proximi, ut eſt diminutivum propriæ excellentiæ.

61. D. Mihi non diſplicet abſolutè, quòd Petrus habeat bona; imò vellem, quòd eſſet ditiſſimus; ſed vellem ego habere pluſquam ille, & ſolùm mihi diſplicet, quia in bonis excedit me?

M. Si tibi abſolutè diſpliceret Petrum habere bona, eſſet odium: quia tibi diſplicet, quòd te in bonis excedat, eſt Invidia.

62. D. Etiam ego prætendebam tale beneficium, & diſplicet, quòd non obtinuerim?

M. Si tantùm diſplicet te non obtinuiſſe, non peccaſti, ſi es dignus: at ſi habuiſti duas diſplicentias; alteram, quòd tu non obtinuiſti, alteram, quòd obtinuerit Petrus: non peccaſti in prima, ſed in ſecunda; & ſi in ſecunda diſplicuiſti, quia nolles Petrum habere bona, eſt odium: ſi diſplicuiſti, quia nolles Petrum habere plus quam te, eſt Invidia.

63. D. Invidia eſtnè ex ſuo genere peccatum mortale?

M. Eſt utique: nam utpotè oppoſita charitati, habet deſtruere ipſam charitatem.

64. D. Quid teneor interrogare, dum pœnitens confitetur ſe rixatum fuiſſe?

M. Apud vulgum rixari duo importat, primò quòd incæperit contendere verbis: ſecundò: quòd intulerit damnum: quare primò interrogabis ſuper verba, an fuerint injurioſa graviter: ſecundò an per verba graviter injurioſa impoſuerit aliquod crimen: tertiò, ſi crimen fuerit verum, vel falſum, publicum, vel occultum: quartò, quod intulerit damnum perſonæ &c.

65. D. Quid eſt ſcandalum?

M. Eſt occaſio ruinæ ſpiritualis proximi, & eſt peccatum contra charitatem.

66. D. Ad peccatum ſcandali ſequitur nè intendere ruinam ſpiritualem proximi?

M. Pecccarem peccato ſcandali, eſtò non intenderem hanc ruinam, ſi facio actionem de ſe inductivam ad peccatum, quod eſt ruina ſpiritualis proximi.

67. D. Qui conſulit vel jubet, v. g. furtum, peccatnè tantùm peccato ſcandali?

M. Cauſa ſunt, non occaſio tantum, qui continentur iiſis duobus verſibus.

Juſſio, *Conſilium*, *Conſenſus*, *Palpo*, *Recurſus*,

Participans, *Mutus*, *non Obſtans*, *non Manifeſtans*: quare hi peccant etiam contra juſtitiam, dummodè ultimi tres teneantur ex juſtitia loqui: nam ſi non teneantur ex juſtitia, peccabunt ſolùm contra charitatem.

68. D. Qui ſuo exemplo inducit alium ad furandum, teneturnè reſtituere, quod abſtulit alius ſuo malo exemplo inductus?

M. Non tenetur, quia peccans peccato ſcandali ſolùm violat charitatem; & Reſtitutio eſt actus, ad quem obligat ſola Juſtitia.

69. Hæc, & ſi quæ alia ordinariè ſolent contingere circa virtutes Theologicas, ea omnia debet habere in promptu, qui optat ſe ſubiicere examini pro audiendis confeſſionibus.

CAPUT LVIII.

Recapitulatio eorum, quæ dicta ſunt de Reſtitutione ſpectante ad Juſtitiam commutativam.

1. NOn recapitulo hìc dicta de Prudentia, uti neque dicta de ſpeciebus Juſtitiæ, ſcilicet Epicheja, Juſtitià legali, Juſtitià Diſtributiva, & Juſtitià Vindicativa: etenim peccata contra Prudentiam non ſunt ex ſuo genere mortalia: quæ verò ſunt contra prædictas Juſtitiæ ſpecies non ſunt peccata communia vulgi, & multitudinis fidelium, & committuntur ab habentibus aliquam juriſdictionem. Quia verò violantes prædictas Juſtitiæ ſpecies ut plurimum tenentur ad reſtitutionem, obligatio illorum cognoſcetur ex reſtitutionis regulis generalibus, quæ hìc recapitulantur.

2. D. Quæ ſunt radices, ex quibus oritur obligatio reſtituendi?

M. S. Th. reducit ad duas, nempe, ex re accepta, & ex injuſta acceptione. Ex re accepta obligatur poſſeſſor bonæ fidei: Ex injuſta acceptione obligatur poſſeſſor bonæ fidei; & dicitur obligatus ex acceptione injuſta quicunq; lędit proximum, etiamſi nihil pro ſe accipiat, dummodò damnificet, ut qui incendit domum alterius.

3. Quid tenetur reſtituere poſſeſſor bonæ fidei, & poſſeſſor malæ fidei?

M. Ambo tenentur reſtituere, ſed cum hac differentia. Poſſeſſor bonæ fidei, quando venit in malam fidem, ſeu quando cognoſcit rem eſſe alterius, tenetur reſtituere rem, ſi extat: ſi non extat, tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior: At poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere rem, ſi extat: ſi non extat pretium rei cum fructibus perceptis, & damnis illatis.

4. D. Diciturnè poſſeſſor bonæ fidei, qui rem emit dubitans, an venditor ſit dominus, & poſſit illam vendere?

M. Non eſt poſſeſſor bonæ fidei, quicunque peccat, dum accipit rem alterius. Porrò hujuſmodi emens peccat, quia ſe exponit periculo non benè emendi.

5. D. Quid faciet accipiens rem bona fide, poſteà autem incipiens dubitare, an ſibi potuerit dari talis res?

M. Debet facere debitas diligentias inveniendi veritatem; & ſi adhùc remaneat dubius, poterit retinere, quia *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*

6. D. Ob hoc axioma poteritnè illam retinere factis debitis diligentiis, qui emit cum dubio; & adhùc remanet dubius?

M. Non poteſt: Regula enim illa verificatur de poſſeſſore bonæ fidei: At emens cum dubio ex num. 4. eſt poſſeſſor malæ fidei.

7. D. Suntnè reſtituendi fructus rei?

M. Fructus ſunt in triplici genere. Alii ſunt naturales, alii mixti, & alii induſtriales. Poſſeſſor bonæ fidei, ſi factus eſt ditior, ex fructibus debet reſtituere primos: Tenetur etiam reſtituere ſecundos deductis expenſis: Tertios nullus poſſeſſor, ſeù bonæ, ſeù malæ fidei tenetur reſtituere. Poſſeſſor verò malæ fidei primos tenetur reſtituere quoad pretium, ſi non extent, etiamſi non factus fuerit ditior: Ex ſecundis poterit ſibi retinere ſolum expenſas, quæ feciſſet verus dominus.

8. D. Teneturnè ad reſtitutionem quicunque lædit juſtitiam commutativam?

M. Tenetur: qui enim tollit jus alterius, debet illud ſemper reparare.

9. D. Homicida, & Mutilator non poteſt reſtituere vitam, & membrum, quod abſtulit?

M. Qui non poteſt reſtituere idem numero, reſtituet idem ſpecie: qui non poteſt reſtituere idem ſpecie, reſtituet æquivalens, vel in pecunia, vel in honore; conſiderata conditione lædentis, & læſi, ſecundum arbitrium prudentis viri: Hæc applicanda ſunt Mutilatori, & Homicidæ, in quibus conſideranda primò eſt injuria in mutilatum, & occiſum: ſecundò damnum inde proveniens: nam uxor, & familia occiſi, uti mutilatus, reparandi ſunt de damno ſibi proveniente ex eo, quòd mutilatus, & occiſus non poſſunt ampliùs laborare, ut ſibi, vel familiæ victum lucrentur; Hoc damnum debent reparare in pecunia, niſi remittatur, ſicut expenſas in medendo vulneratum, niſi recipiatur in Hoſpitali, cui tamen expenſæ erunt reparandæ, ſi vulnerans eſſet dives, & talis, qui deberet ſolvere expenſas hoſpitali, ſi in ipſo reciperetur. Damnum primum ex injuria proveniens debet reparari ad arbitrium viri prudentis per humiliationes, aut alias ſatisfactiones, ut plurimum tamen remittitur, & id debet conſulere Confeſſor.

10. D. Cum viri prudentes ſint legislatores, teneturnè homicida, vel multilans in ſatisfactionem læſi ſubire pœnas à lege contra ſe ſtatutas.

M. Tenetur ſubire, ſed poſt ſententiam judicis: quando verè ſint pœnæ, & lex non determinet ipſo facto pœnas incurri; nam ſi imponatur v.g. excommunicatio incurrenda ipſo facto, ſtatim eſt excommunicatus, ante declaratoriam Judicis, licet ante hanc non ſit vitandus.

11. D. Teneturnè ad reſtitutionem Adulter, qui violavit uxorem alterius?

M. Quia læſit juſtitiam commutativam, tenetur; & primò ad damna: ſi enim naſcatur filius, tenetur illum alere; ac procurare, ne in toto, vel in parte accipiat hæreditatem debitam filiis legitimis mariti: ſecundò tenetur reparare injuriam illatam marito, & è contra, arbitrio viri prudentis, niſi remittatur injuria.

12. D. Quomodò maritus intelligitur remittere injuriam uxoris, quæ thorum violavit?

M. Multipliciter, ſed præcipuè, ſi ſciens adulterium uxoris, petat ab ipſa debitum.

13. D. Teneturnè ad reſtitutionem, qui temerariè judicat de proximo in corde ſuo nihil exteriùs proferens?

M. Et hic lædit juſtitiam commutativam: quare tenetur: & reparabit injuriam, ſi deſiſtat à judicando malum de proximo; & præterea judicans benè de ipſo.

14. D.

14. D. Quomodò reſtituet, qui læſit famam alterius, imponendo falſum crimen?

M. Reſtituet ſe retractando coram illis, apud quos malè locutus fuit de proximo, etiam dicendo ſe fuiſſe mentitum.

15. D. Reſpondent hi non credere ſe huic retractationi, quam facit ſolùm de ordine Confeſſoris?

M. Ut ſibi credatur in tali caſu, adhibebit juramentum, quod eſt medium ultimum, & efficax, ut nobis credatur: hoc poſito ſatisfecit propriæ obligationi.

16. D. Suntnè peccata ſpecie diverſa imponere falſum crimen, & revelare crimen occultum?

M. Utrumque eſt contrà juſtitiam, ſed tamen ſunt ſpecie diverſa: multùm enim primum excedit ſecundum.

17. D. Quomodo reſtituet, qui revelavit crimen occultum proximi?

M. Nunquam mentietur, ſed coram illis, quibus revelavit, dicet ſe malè, aut injuſtè, vel ex paſſione locutum fuiſſe, vel laudabit illum, ita quòd iterum audientes poſſint efformare debitam exiſtimationem de tali diffamato per revelationem criminis occulti.

18. D. Teneturnè ad reſtitutionem, qui revelat crimen verum, & publicum de proximo?

M. Publicè diffamatus non habet jus ad famam in eo, in quo eſt diffamatus: quare revelans crimen publicum peccat ſolùm contra charitatem; & ita non tenetur ad reſtitutionem.

19. D. Incendens viridem agri ſegetem, quid tenetur reſtituere vero domino?

M. Non tenetur reſtituere totum fructum, quia poteſt hoc multipliciter impediri per grandines, &c. ſed ſi, v. g. incendat menſe Januarii, videbit quanti tunc æſtimaretur ſeges, ſi dominus illam vellet vendere; & ita ſi incendat menſe Martii, Maii &c. nam debet reſtituere, quanti valet hodie, quando incenditur.

20. D. Quid tenetur reſtituere, qui obligatus hodie reddere mutuum, non reddit; quare mutuans ex pecunia ſibi hodie reſtituenda non poteſt lucrari, quod lucraretur, ſi haberet?

M. Si mutuans habet aliam pecuniam, ex qua poſſit acquirere prædictum lucrum, ad nihil tenetur: ſi verò aliam non habet, & Mutuatarius ex culpa non reſtituat, videndum eſt arbitrio viri prudentis, quanti æſtimetur ſpes talis lucri, detractis laboribus, & expenſis, quas Mutuans deberet facere, conſideratis etiam fortuitis eventibus, qui multipliciter poſſunt impedire lucrum, & hoc debebit reſtituere.

21. D. Teneturnè ad damnum emergens?

M. Lucrum ceſſans, & damnum emergens differunt: Lucrum ceſſans eſt, ut in præcedenti caſu, in quo, ſi pecuniam mihi reddendam implicabo, per contractus, inde lucrabor; At damnum ceſſans eſt: ſi, v. gr. Mutuatarius differat ſolvere, teneor accipere illa centum ad cambium, per quod obligabor annuatim ſolvere quatuor. Ex dilatione mihi emergit damnum horum quatuor, quæ propterea Mutuatarius tenetur mihi reſtituere; quia nemo debet mihi eſſe damno, præcipuè, quando ex me reportavit commodum.

22. D. Teneturnè reſtituere, qui habet aliquod lucrum ex actione illicita, v. g. ex meretricio?

M. Illicitum eſt meretricium, ſed non eſt illicitum ſolvere pro meretricio, quia nulla lex prohibet ſolvere, ſeù dare pro illo.

23. D. Qui accepit, ut occideret inimicum, poſtquam occidit, teneturnè reſtituere?

M. Etiam poſtquam occidit, tenetur reſtituere, quia non ſolùm eſt prohibitum occidere, ſed etiam eſt prohibitum dare aliquid pro occidendo inimicum.

24. D. Qui mandavit occidi, reportabit commodum, quia & habebit inimicum occiſum, & recuperabit ſuam pecuniam.

M. Qui occidit, debet reſtituere, non tamen mandanti, ſed pauperibus, quibus etiam debet dare mandans occidere, cum pacto dandi tantam pecuniam Sicario. Eodem modo differendum eſt de Simoniaco.

25. D. Cui teneor reſtituere, ſi mortuus ſit ille, cui debeo?

M. Teneor reſtituere hæredi: nam hic repræſentat in hoc perſonam ejus, cui debeo.

26. D. Cui teneor reſtituere, ſi ignoro verum rei dominum?

M. Si factis debitis diligentiis adhuc ignoro dominum, teneor facere eleemoſinas in beneficium veri domini.

X 2 27. D.

Digitized by Google

27. D. Poſſumne retinere mihi vere pauperi, ſi rem deperditam inveni, cujus verum dominum, factis debiti diligentiis, adhuc ignoro?

M. Si es vere pauper, de conſilio prudentis Confeſſarii, poteris retinere tibi aliquam partem juxtà indigentiam.

28. D. Cui tenetur reſtituere, qui vendens defraudavit concurrentes ad ſuam publicam officinam; dans minus, quam debeat, & ignorans nunc particulares, quos defraudavit?

M. Tenetur reſtituere, dando plus, quam debeat, concurrentibus in poſterum ad eandem officinam, quouſque circumcircà, quod primò abſtulerat concurrentibus, integrè reſtituerit ſi ſint iidem, qui damnificati.

29. D. Quid debet facere fur volens reſtituere, ſed cognoſcens dominum rei tranſmigraſse in longinqua?

M. Suis expenſis, quia eſt in culpa, tenetur remittere rem proprio domino, vel ſi cum periculo tranſmitteretur, ſignificare, & ſe offerre ad expenſas neceſſarias.

30. D. Curritne idem de habente rem alienam bona fide?

M. Hic, quia non eſt in culpa, non tenetur ad expenſas pro tranſportatione, ſed ſignificabit vero domino, ut ſuis expenſis poſſit illam tranſportare.

31. D. Teneturne reſtituere, qui vendit rem pretio ſupremo?

M. Pretium aliud eſt legale, aliud morale: Illud eſt ſtatutum à lege, hoc à conſuetudine: Primum non licet excedere in minimo, & excedens tenetur reſtituere: Morale eſt triplex, infimum, medium, & ſupremum: quodlibet horum eſt juſtum: quarè dum ſtat intra limites ſupremi, non tenetur reſtituere.

32. D. Tenebiturne reſtituere, qui vendit ſupremo pretio, credens ſe non poſse vendere tali pretio?

M. Hic ex conſcientia erronea peccabit contra juſtitiam, ſed non tenebitur reſtituere, quia in veritate non læſit juſtitiam.

33. D. Qui tenentur reſtituere?

M. Comprehenſi illis verſibus adductis c. 56. n. 67.

33. D. Teneturne ſemper ad reſtitutionem qui tacet, ſeu *Mutus*.

M. Tenetur tantum, quando ex juſtitia tenetur clamare. Idem dic de duobus ſequentibus.

35. D. Quo ordine tenemur reſtituere?

M. Primò omnium debet reſtituere habens rem alterius, etiamſi bona fide habuerit, hoc non reſtituente jubens, tertiò exequens; & ſic de reliquis, ita ut, qui magis influxit in furtũ, teneatur ante alios.

36. D. Si omnes hi tenentur, qui, v.g. furto perdidit decem, poterit aliquando recuperare centum?

M. Si conſulens, v. g. reddidit integra decem, jubens, & exequens non tenentur amplius vero domino, ſed conſulenti, pro parte, quam ſolvit, & ipſi debebant ſolvere.

37. D. Si quis ſua juſſione ſit cauſa furti, & ipſe ſolvat vero domino, teneturne exequentes reſtituere vero domino?

M. Non tenentur, quando jubens eſt cauſa talis, cujus juſſioni non poſſit reſiſti, ut poteſt contingere in Principe jubente rapinam militibus. Hi, quando Princeps reſtituit, non tenentur reſtituere Principi.

38. D. Qui tenentur reſtituere in ſolidum, & qui pro parte?

M. In ſolidum tenentur omnes, qui concurrunt ad actionem furti, aliquo ex modis contentis in verſibus: pro parte tenentur omnes, qui non concurrerunt ad actionem furti, ſed habuerunt partem de re furto ablatà.

39. D. Quid ſignificant illi duo termini *obligari in ſolidum*, & *obligari pro parte?*

M. *Obligari in ſolidum* ſignificat, quod ſinguli concurrentium ad actionem furti tenentur reddere integre rem furto ablatam, eſtò non totam unus poſſideat, poteſtque aliquando contingere, quod nihil rei alter habuerit. Ubi tamen ipſe reſtituit, poterit repetere à ſociis, juxta dicta n. 35. *Obligari pro parte* ſignificat, quòd non concurrens ad actionem furti, ſi participavit de furto ablato, debet reſtituere tantum, quantum venit in ſuas manus.

40. D. Quantum differre poſſumus reſtitutionem?

M. Statim tenemur reſtituere, quia nec uno inſtanti poſſumus voluntarie aliena retinere invitis dominis.

41. Examinandus ad confeſſiones circa Reſtitutionem, hæc, & ſimilia debebit habere omninò promptus, ad manus. Imò ſi quis bene conſideret, videbit habenda

etiam

etiam eſſe ad manus Confeſſori, dum in confeſſionali exercet ſuum triplex officium etenim, circa jam notata, frequentiſſimè peccatur; nec ſunt de iis, quæ Confeſſor poteſt petere tempus à pœnitente, ut conſulantur doctiores, quia neceſſarium eſt eum admonere ſtatim ſuæ obligationis, ut ſe liberet à peccato. Uterque tam examinandus, quam audiens actu confeſſiones, debet etiam habere ad manus propoſitiones prohibitas circa hujuſmodi materiam, quæ ſunt plures: nec eas hic memoravi: nam opto, ut quilibet ſacerdos eas frequenter ſuo loco relegat; Imò laudandi ſunt valdè Sacerdotes, quos ſcio didiciſſe, vel diſcere memoriter propoſitiones omnes in materia morum prohibitas ab Alexandro VII. Innocentio XI., & Alexandro VIII. Hi etiam in eo ſibi conſulunt, quod ſperare poſſunt approbationem ad Parochiales. In harum concurſu Examinatores Apoſtolici ſæpiſſimè tangunt propoſitiones damnatas, & ut plurimum eas (involvunt) aliis terminis, qui non continentur in damnatis. Exemplo ſit caſus noviſſimè propoſitus, in quodam concurſu: *An teneatur ad reſtitutionem, qui alium movet, inducit, aut ſuo exemplo eſt occaſio, ut inferatur grave damnum proximo*. In propoſitione 39. Innocentii XI. exprimuntur movens, & inducens, qui obligantur, utpote peccantes contrà juſtitiam: non exprimitur dans occaſionem; qui non obligatur, quia peccat ſolum contrà charitatem peccato ſcandali. In dicto concurſu, qui ſolùm recordabantur imperfectè propoſitionis prohibitæ, non diſtinxerunt, ſed abſolute damnarunt ad reſtitutionem omnes in caſu expreſſos, pro ratione aſſignantes, quòd propoſitio eſſet damnata: Nonnulli autem memoria callentes ſingulas propoſitiones damnatas, optimè diſtinguentes meruerunt approbari; Adeò poteſt prodeſſe memorialis hæc notitia propoſitionum damnatarum; quarè illam pluris faciat examinandus.

CAPUT LIX.

Recapitulatio peccatorum contrà Juſtitiam commutativam.

1. D. Se ipſum occidens peccatnè contrà hanc virtutem?

M. Utique peccat, quia lædit Rempublicam, ſeu communitatem, cujus ipſe eſt pars.

2. D. Poteſtnè quis occidere ſe ipſum, cognoſcens ſe in gratià, ut acquirat Paradiſum?

M. Non poteſt, ſed inordinatè agit (per conſequens peccat) hoc enim eſt ordinatum, ut Deus ipſe det paradiſum, & homo illum ſibi acquirat per opera meritoria, non phyſicè ſe occidendo.

3. D. Poteſtnè occidere ſe ipſum, ut evadat miſerias vitæ præſentis?

M. Non poteſt, quia ad vitandum minus malum, eligeret majus: etenim mors eſt ultimum terribilium.

4. D. Poteſtnè occidere ſeipſum, ut puniat ita peccatum, quod commiſit.

M. Non poteſt, quia occidere aliquem non licet niſi ex authoritate publicà; quarè aſſumeret pœnitentiam ſibi prohibitam. Ideò neque poteſt mutilare membrum, quo peccavit, quia eſt pœna prohibita particulari; & ſolum poteſt mutilari membrum, quando eſt nocivum toti corpori.

5. D. Carnifex cognoſcit occidendum eſſe innocentem, poteſtnè licitè illum occidere?

M. Si cognoſcit per ſcientiam privatam illum eſſe innocentem, ſed cognoſcit illum ex ſcientià publicà per teſtes juridicos eſſe reum, faciat quantum poteſt pro ſuà parte, ne interficiat; & ſi non poteſt liberare, non peccat interficiens: ſi conſtet carnifici occidendum non apparere reum in judicio, peccat occidens: At ſi non conſtet ſibi de injuſtitia ſententiæ, debet ſupponere juſtam, nec diſcutere ordinem Superioris.

6. D. Quæ dicitur materia gravis ad conſtituendum mortale peccatum furti?

M. Acceptum eſt, quod materia gravis eſt valor unius teſtonis circumcircà.

7. D. Creditor quando poterit occultè ſibi compenſare?

M. Ut liceat mihi occulta compenſatio requiritur primò: quod ſine gravi incommodo non poſſim implorare authoritatem ſuperioris: ſecundò: quod meum creditum ſit omnino liquidum: tertiò: quod mihi grave damnum immineat, ſi peto à debitore: quartò: quod alteri non poſſit imputari occulta ſurreptio: quintò: caveat, ne bis recipiat ſuum creditum.

8. D. Committuntnè peccatum mortale, qui ex irà imprecantur malum grave proximo?

M. Si ira non tollit uſum rationis, & ex animo imprecentur, etiamſi pro illo tantum inſtanti, quo ſunt irati, utique peccant mortaliter.

9. D. Peccatnè, qui petenti pannum Hollandicum, offert pannum Romanum, ut Hollandicum, ſed pretio panni Romani?

M. Si ſciat emptorem omninò velle pannum Hollandicum, utique peccat, nec facit juſtum contractum: Ut enim ſit juſtum, debet intervenire voluntas utriuſque. In noſtro autem caſu deeſt voluntas ementis.

10. D. poſuntnè Caupones vendere vinum aqua dilutum, ut reddatur ſuavius bibenti, quando Caupones vendunt pretio minori pro aqua?

M. Dummodò bibens non ſit invitus, utique poterunt vendere illo minori pretio.

11. D. Quomodò cognoſcetur emptor eſse invitus?

M. Conſiderabit Caupo, an emptor velit vinum ad conſervandum, in tali caſu certum eſt emptorem eſse invitum, quia nemo vult vinum, quod poſtea marceſcat, vel aceſcat. Alia etiam conſiderabit, quæ facilè ſubvenient Confeſsori prudenti, nam in his requiritur prudentia magis, quam ſcientia.

12. D. Quid eſt Uſura?

M. Eſt lucrum proveniens ex mutuo immediatè, ſeu ratione mutui.

13. D. Quare addis illam particulam *immediatè* &c.

M. Quia ſi mutuãs ex mutuo ſentiat lucrum ceſsans, vel damnum emergens, poteſt exigere, ut ſibi reparetur; in quo caſu accipit ultra ſortem, non ratione mutui, ſed ratione lucri ceſsantis, aut damni emergentis, ſemper tamen cum reſtrictionibus prædictis c. 58. à n. 20.

14. D. Quomodò probas mutuantem poſse accipere aliquid ultrà ſortem, ratione lucri ceſsantis, aut damni emergentis?

M. Quia nemo tenetur ſubvenire proximo cum ſui detrimento: quarè poſsum exigere, ut mihi reparetur damnum proveniens, eo quòd alteri ſum beneficus.

15. D. Quæ differentia eſt inter mutuum, & commodatum?

M. Ea eſt differentia, quòd mutuans transfert dominium in mutuatarium; at commodans non transfert, ſed retinet ſibi dominium rei commodatæ.

16. D. Ad quid inſervit hæc differentia Confeſsori?

M. Ad multum inſervit: nam ſi accepi centum mutuò, & equum commodatò: pereatque utrumque ſine ulla mea culpa, Confeſsarius obligabit me ad reddendum mutuum, quia perit mihi domino, & non commodatum, quia periit domino ſuo.

17. D. Quæ res eſse poſsunt materia mutui?

M. Quæ ipſo uſu conſumuntur, ut pecunia, vinum, oleum, triticum, & ſimilia.

18. D. Poſsumnè hodie mutuare decem choros tritici cum hoc, quòd totidem reddantur tempore, quo valebit pluris?

M. Si ſum certus, quòd valebit pluris, non poſsum: in hoc enim caſu do plus, quam accipiam: ſi ſum incertus, tunc licitè poſsum, quia me expono periculo, quod valeat minoris.

19. D. Poſsumnè in mutuo apponere pœnam, v.g. quod ſi non reddat centum infrà menſem, poſteà reddat centum, & duo?

M. Poſsum, ſi verè ſit pœna, quę non infligitur, niſi culpæ, & propterea ſolùm exigere potero, quando ſciam mutuatarium ex culpa non reddidiſse intra menſem.

20. D. Poſsumnè mutuare cum ſpe interna, quod mutuatarius aliquid mihi reddat ex gratitudine?

M. Si motivum principale mutuandi ſit hæc ſpes, erit uſura mentalis, contra illud Chriſti *Mutuum date, nihil inde ſperantes:* At ſi principale motivum ſit facere illum actum charitatis, & minus principale ſit ſpes, non erit uſura.

21. D. Poſsumnè promittere uſuras ei, qui non vult mihi mutuare, ſi non promittam ſolvere uſuras?

M. Diſtinguo: ſi ſum in neceſſitate, non pecco, quia poſsum uti malo alterius in bonum meum, ut facit Deus, qui etiam noſtris jam commiſſis peccatis utitur ad ſui gloriam: ſi peto pecuniam mutuo ad ludendum, vel abſque neceſſitate, pecco, quia cooperor malo alterius.

22. D.

22. D. Quando promiſi, teneorne ſolvere uſuras?

M. Ex juſtitia non teneor; uſuræ enim utpote injuſtæ, non poſsunt eſse materia juſtitiæ.

D. 23. Quid ſi juraſsem ſolvere?

M. Tunc teneor, non ex juſtitia, ſed ex religione propter juramentum, quod ſemper eſt ſervandum, niſi ſit vinculum iniquitatis. Porrò peccatum eſt exigere uſuras; & non eſt peccatum ſolvere.

24. D. Quid faciat, qui juravit ſolvere uſuras; at nunc nollet ſolvere?

M. Hic juxtà Canones debet ſe promptum oſtendere ad ſolvendum: quarè deponet pecuniam juratam: deinde accedet ad ſuperiorem legitimum petens abſolvi à juramento, & abſolutus repetet ſuam pecuniam.

25. D. Mutuans exegi, quod mutuatarius veniret ad meam officinam, quando indigeret pannis, peccavine?

M. Peccaſti, quia exegiſti aliquid ultra ſortem mutuatam: Mutuaſti decem, & exegiſti decem, ac præterea, quod veniret ad tuam officinam, ubi indigeret.

26. D. Exegi, quod Mutuatarius mihi remutuaret, ſi indigerem. In hoc, ut puto, non peccavi; nam, & ex gratitudine, & ex charitate tenetur proximus mihi remutuare, ſi indigeo?

M. Peccaſti: etenim obligare voluiſti, quantum eſt pro parte, Mutuatarium ex juſtitia ad remutuandum, quando hæc remutuatio non poteſt eſſe materia juſtitiæ in tuo mutuo, ſed ſolum poteſt eſſe materia gratitudinis, & charitatis, quos actus tu non potes exigere cum exactio dicat juſtitiam.

27. D. Poſſumnè exigere, ut Mutuatarius me laudet?

M. Neque potes exigere laudes, quia ex juſtitia Mutuatarius non poteſt obligari, niſi ad reddendam ſortem à te acceptam; quidquid ſit, an ex gratitudine teneatur te laudare.

28. D. Poſſumnè mutuans aliquid exigere, quia me obligo ad non repetendum mutuum infra annum?

M. Eſt 24. propoſitio damnata ab Alex. VII. & tene generaliter, quod pro tempore nihil poteſt exposci, quia petis pro re, quæ eſt communis.

29. D. Hæc regula videtur falſa: nam vendens pecunia numerata ordinarie minoris vendit, quam pecunia credità?

M. Poſſum pluris vendere pecunià creditâ: primò: ſi ex dilatione ſolutionis emergat mihi damnum: ſecundò: ſi ceſſet mihi lucrum juxtà dicta c. 57. n. 21. & tertiò: quia ordinariè vendens pecunià creditâ, vendit pretio ſupremo; vendens verò pecunià numeratâ vendit infimo; ſed tempus nullo modo poteſt vendi, quia eſt commune.

CAPUT LX.

Recapitulatio dictorum de actibus Religionis.

1. D. Quid eſt Oratio?

M. Oratio dupliciter accipitur: primò pro elevatione mentis in Deum: ſecundò: pro petitione rerum convenientium à Deo.

2. D. Tenemurnè orare?

M. Tenemur utique; nam primò: aliquoties tenemur elevare mentem in Deum: ſecundò: tenemur petere à Deo, quæ per nos ipſos habere non poſſumus.

3. D. Quando tenemur orare?

M. Elevare mentem in Deum tenemur, quando tenemur elicere actus fidei, ſpei, & charitatis, qui ſunt ipſa elevatio mentis in Deum, & eodem tempore ſaltem virtualiter tenemur petere, quia petere virtualiter eſt conſervare deſiderium charitatis; hoc autem conſervamus eliciendo actus charitatis.

4. D. Poſſumuſnè temporalia petere à Deo?

M. Poſſumus, ubi cognoſcamus, vel ſupponamus illa prodeſſe nobis ad ſalutem ita quòd deſiſtamus à petendo, ſi è contra cognoſcamus obeſſe; Ubi autem non cognoſcimus, virtualiter ſaltem ſubiiciamus nos divinæ voluntati, quando Deus cognoſceret nobis obeſſe.

5. D. Eſtnè certum, quòd oratio noſtra exaudietur?

M. Eſt certum ex promiſſione Chriſti in Evangelio, quòd exaudiemur orantes pro nobis: At non eſt ita certum, quòd exaudiemur orantes pro aliis.

6. D. Exaudiunturnè peccatores?

M. Ex eodem Evangelio eſt certum, quod etiam peccatores exaudiuntur, ſi orent pro ſe cum debitis conditionibus.

7. D. Quæ ſunt iſtæ conditiones?

M. Sunt quotuor: primò: quod homo petat pro ſe: ſecundò: quod petat piè: tertiò: quod petat perſeveranter: quartò: quodpetat neceſſaria ad ſalutem.

8. D. Quid ſignificat *petere piè?*

M Significat petere cum humilitate tali, quæ decet creaturam reſpectu Dei?

9. D. Quantum debeo perſeverare in oratione?

M. Quoad uſque conſequaris effectum: Deus enim eſt perfectus Medicus, qui novit congruentem ſuis temporibus exhibere medicinam, Infirmus quoad uſque Medicus non det medicinam omninò ſanativam, debet ſe diſponere: Chriſtiani autem diſpoſitio eſt oratio.

10. D. Cum oratio debeat eſſe attenta, quid intelligis nomine Attentionis?

M. Intelligo, quod orans debeat habere mentem elevatam in Deum, ita ut non diſtrahatur voluntariè, & ſi advertit in ſe diſtractiones, curet, quantùm poteſt, repellere.

11. D. Quid eſt Votum?

M. Eſt promiſſio facta Deo de meliori bono.

12. D. Poteſtnè matrimonium, vel alia res indifferens cadere ſub voto?

M. Neque res indifferentes, neque matrimonium (alias in ſe bonum) poſſunt per ſe cadere ſub voto, quia non ſunt melius bonum.

13. D. Quare addis illum particulam *per ſe?*

M. Quia per accidens poſſunt eſse melius bonum, & ita cadere ſub voto: v. g. qui patitur tentationes contra caſtitatem, poteſt vovere matrimonium, quia *Melius eſt nubere, quam uri*. Non poſſum vovere quod non tranſibo per talem viam, quia eſt aliquid indifferens; at ſi adſit ibi occaſio proxima peccandi, poſsum vovere, quia tunc non tranſire eſt majus bonum, quam tranſire.

14. D. Quotuplex eſt votum?

M. Eſt duplex, aliud ſimplex, aliud ſolemne. Solemne eſt votum factum in Religione approbata, vel in ſuſceptione ſacri ordinis: Cætera ſunt vota ſimplicia.

15. D. Quæ differentia eſt inter irritationem, diſpenſationem, & commutationem voti?

M. Dicitur commutari votum, quando, loco materiæ promiſsæ, alia ſubſtituitur: dicitur diſpenſari, quando relaxatur quis à tali voto: dicitur irritari, quando alicui tollitur obligatio.

16. D. Requiriturnè aliqua poteſtas, ut irritentur, diſpenſentur, vel commutentur vota?

M. Utique requiritur, ſed ad irritandum ſufficit poteſtas Oeconomica. Ad reliqua requiritur poteſtas Eccleſiaſtica.

17. D. Eccleſia obligatnè ad ullum actum Religionis?

M. In primo præcepto Eccleſia obligat univerſaliter omnes Chriſtianos, ut in die feſto audiant ſacrum, & vacent ab operibus ſervilibus. In tertio ut confiteantur ſemel in anno: in quarto ut communicent in Paſchate: in quinto ut ſolvant decimas juxtà conſuetudinem: in ſexto denique, ut à nuptiis abſtineant temporibus prohibitis.

18. D. Sumere ſacramenta eſtnè actus Religionis?

M. Quodcunque ſacramentum ſumatur, id ſpectat ad virtutem Religionis.

19. D. Quid requiritur ad faciendum validum ſacramentum?

M. Requiruntur materia, & forma determinatæ à Chriſto, nec non intentio actualis, vel virtualis conficiendi ſacramentum.

20. D. Quid requiritur, ut quis licitè recipiat ſacramentum?

M. Requiritur, quod ſit in gratia.

21. D. Quid faciet exiſtens in peccato mortali, & volens recipere ſacramentum?

M. Si tenetur communicare, ſub mortali debet prius confiteri, dummodo poſſit ſine ſcandalo, & habeat copiam Confeſſoris. Ad extremam unctionem recipiendam prærequiritur confeſſio, ex multis capitibus, & præſertim, quia confeſſio obligat jure divino in articulo mortis. Ad reliqua ſacramenta vivorum non requiritur quidem ſub mortali confeſſio: ſufficit enim contritio charitate perfecta, ſed omninò conſulenda eſt confeſſio, quia nunquam poſsumus eſse certi de perfecta contritione.

22. D. Poſsuntnè ſacramenta confici ſub aliqua conditione?

M. Si dum conficitur, apponatur ex cauſa conditio de præterito, vel de præſenti, validè, & licitè conficietur: ſi abſque cauſa validè, ſed illicitè conficietur: ſi apponatur conditio de futuro, nec validè, nec li-

cite

citè conficietur, quia ſacramentum non poteſt manere in ſuſpenſo.

23. D. Qui nam eſt effectus ſacramenti?

M. Effectus communis omni ſacramento eſt gratia ſanctificans, quam primò producunt Baptiſmus, & Pœnitentia (& propterea dicuntur ſacramenta mortuorum) cætera verò augent; & propterea dicuntur ſacramenta vivorum. Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo habent alium effectum, ſcilicet, Characterem. Effectus proprius cujuſque ſacramenti eſt gratia ſacramentalis.

24. D. Quid intelligis nomine gratiæ ſacramentalis?

M. Intelligo auxilia quædam actualia; quæ Deus intuitu ſacramenti olim ſuſcepti ſuo tempore confert, ut homo poſſit conſequi finem, ob quem eſt inſtitutum tale ſacramentum.

25. Circa Religionis actus, hæc, & ſi millia debebit habere præ manibus examinandus ad confeſſiones, uti & Confeſſor, ubi actu exercet ſuum triplex officium. Porrò circa ſacramenta non repeto hìc alia univerſaliora, quæ communiter explicantur in doctrina Chriſtiana; Indigniſſimum eſſet, ſi quis eorum ignarus non modò audiret confeſſiones, verum vel ſi ſe exponeret examini. Debet illa ſcire vel initiandus ad Clericalem Tonſuram; propterea luculenter tradita ſunt in *Inſtruct. pro ordinandis* c. 11. Qui cum fundamentis in illa Inſtructione præjactis gradatim aſcendit ad ordines, illa omnia plenè callebit: ibi enim pluribus oſtendi Examinatores Urbis ad omnem ordinem inquirere ſuper doctrina Chriſtiana, quò ſinguli ordinandi cognoſcerent neceſſitatem callendi rudimenta fiei: quòd ſi opus hoc incidat in manus examinandi ad confeſſiones, qui adhùc prædictæ Inſtructionis notitiam non habuerit, ſciat ſibi maximè neceſſariam fore; cum ego fabricem ſuper fundamentis ibi præjactis; nec repetenda ſint ibi dicta. Propterea, cum etiam peccent plurimum Eccleſiaſtici addicti divino officio, cujus recitatio eſt actus Religionis; Confeſſor ordinarius maximè debet eſſe inſtructus de peccatis; quæ circa officium poſſunt committi. At nihil de illo diſſerui, quia omnia ſufficienter tradita ſunt in prædicta *Inſtruct. pro ordinandis* c. 14. & cap. 30. à num. 7. ad 13. Ibi releganatur; Unicus reſtat actus Religionis, nempè, Juramentum, cujus utique doctrinam recapitulari neceſſe eſt, tùm examinando, quia ferè ſemper Urbis Examinatores interrogant ſuper illo, tum Confeſſori in actuali exercitio ſui triplicis officii, quia frequentiſſimè fidelium vulgus peccat in jurando; veruntamen quæ debet uterque præ manibus habere, aptiùs dabuntur, cum recapitulabitur doctrina de peccatis religioni oppoſitis per defectum.

CAPUT LXI.

Recapitulatur doctrina de peccatis per exceſſum Religioni oppoſitis.

1. D. Quid eſt Superſtitio?

M. Eſt vana Religio tribuens creaturis cultum debitum Deo, vel tribuens Deo cultum indebitum.

2. D. Cum Deo non poſſimus reddere ad æqualitatem, omnis cultus videtur debitus Deo?

M. Ille cultus dicitur indebitus Deo, qui eſt prohibitus ab Eccleſia, ut ſi nunc vellem ſervare legem Moyſi &c.

3. D. Peccone, ſi ad ligandos, v. gr. canes, utor aliquo Pſalmo, præmiſſa proteſtatione, quòd ego nullam volo communicationem cum dœmone?

M. Pecco, & illa eſt proteſtatio contra factum: A primo enim, qui ſecum fecit pactum, operatur dæmon in tali Pſalmo; & experientia oſtendit, quòd non deſinit operari ex mea proteſtatione.

4. D. Aſtrologia judicaria eſtnè licita?

M. Eſt omninò illicita, & graviſſimè prohibitum legere libros, qui de illa tractant.

5. D. Ex conſideratione ſtellarum poſſumus nè cognoſcere fortuitos eventus v. gratia, quòd talis occidetur tali tempore &c.

M. Non poſſumus, quia eventus hujuſmodi non ſubjacent motui ſtellarum, ſed ſoli divinæ voluntati.

6. D. Sed legimus à multis prædictos fuiſſe hujuſmodi eventus, ut quod legitur in exercitu Henrici III. rumorem increbuiſſe, quòd eſſet occidendus à Religioſo?

M. Quando hujuſmodi eventus prædicuntur, dicendum eſt à dæmone futura prævidente (ubi homo prodit ſuos actus extra intellectum; & voluntatem) inſtinctu quodam moveri ad hæc pro mulganda.

7. D.

7. D. Quomodò poteſt dæmon ſe ingerere, quando illum nemo advocat per pactum?

M. Etiamſi nemo illum advocet, dæmon tanta flagrat malitia, ut perdat hominem, quòd ultrò ſe ingerit. Habes exemplum in viris Sanctis; Taliter ſe ingerunt converſioni animarum, etiam non rogati, ut quoquo modo poſſunt, curent proiicere ſemina, unde lucrentur peccatores. Contrario modo ſe ingerit dæmon.

8. D. Sed nemo cogitat dæmonem ſe ingerere hujuſmodi prædictionibus?

M. Hoc provenit ex ſubtiliori malitia dæmonis optimè ſcientis, quòd non crederetur, ſi ſe detegeret; & ita decipitur vulgus; nam docti ſciunt aliter id non poſſe contingere.

9. D. Poſſumuſnè credere ſomniis?

M. Medici poſſunt credere ſomniis quibuſdam, ubi agitur de judicando, quibus humoribus abundet corpus.

10. D. Poſſumuſnè fidere aliis ſomniis?

M. Regula generalis debet eſse, quòd homo neque credat, neque diſcredat ſomniis, quæ contingunt circa proprias operationes: nam de aliis omninò ſunt vana, & futilia.

11. D. Qui ſomniavit ſe ſibi fregiſse crus, dum exiret domo, poteſtnè ſibi præcavere, non exeundo?

M. Poteſt, dummodò alias non teneatur; nam ſi v. gr. teneretur audire ſacrum, præcaveret ſibi plus, quam oportet.

12. D. Sed ſunt plura exempla, quòd contigerunt eventus in ſomniis prævisi?

M. Non per hoc poteſt relinquere illa, ad quæ alias tenetur, quia, etiam in ſomniis ingerit ſe dæmon, ut hominem decipiat, & ſaltem abducat ab illis operibus, ad quæ alias tenetur.

13. D. Quomodò oſtendis non licere uti quibuſdam Pſalmis ad certos effectus ſanitatum &c. aut etiam nominibus Angelorum, adhibendo tot numero cruces, aliquod numiſma argenteum, non aureum, aut alterius metalli &c.

M. Id probo, quia Pſalmi, nomina, numiſmata, cruces &c. non habent virtutem naturalem depellendi tales morbos &c. ut conſtant; ſed neque ſupernaturalem; de hac enim conſtare deberet ex Eccleſia, ſed neque ab Eccleſia ſunt injunctæ contra tales morbos.

14. D. Licetnè appendere ad collum Evangelium S. Joannis &c.

M. Quidquid ab Eccleſia receptum eſt, ut ſanctum, potes appendere ad collum, ſi appendas ex devotione, non ſuperſtitione, non quòd confidas in tali actione, ſcriptura, talibus reliquiis materialibus &c. ſed quod confidas in virtute Evangelii, ſeu verborum à Chriſto prolatorum, in interceſſione Sancti, cujus reliquiam geſtas, & teneas, quòd præſervaberis à malo, non quia geſtas, ſed quia ſtudes obedire Evangelio, & imitari Sanctos.

CAPUT LXII.

Recapitulatio peccatorum per defectum Religioni oppoſitorum.

1. OMne peccatum per defectum Religioni oppoſitum eſt ſacrilegium; & accipiendo ſacrilegium in tota ſua ratione generica, notitiam illius habere neceſsarium eſt, tùm Confeſsori, tùm examinando ad confeſſiones: nam frequentiſſimum eſt hoc peccati genus in multitudine fidelium; quâ propter ſæpiſſimè ſuper illo interrogant Examinatores Urbis, in eo conſtantiſſimi, ut experiantur approbandos, circa populi communiora peccata, veruntamen benè conſiderando quaſlibet ſacrilegiorum ſpecies, videbimus in multitudine fidelium illa duo maximè timeri, poſse, quæ contingunt in ſuſcipiendis duobus ſacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Utinam nunquam contigiſset, quòd adoleſcentuli præ verecundia omittentes in confeſſione peccatum aliquod ex fragilitate commiſſum, frequentaverint ambo hæc ſacramenta per annos, & per luſtra. Idem dic de Religioſis junioribus utriuſque ſexus, qui longo tempore viventes immaculati, & puri, dum creſcit ætas, incaleſcente pariter ſanguine, fragiliter labuntur; ſentiunt verò dolores mortis, detegendo lapſum Confeſſori ordinario, qui olim de illis omnem optimam habebat exiſtimationem, præſertim ſi Confeſsor ſit indiſcretus, & apprehendatur (inaniter tamen) uſurus notitia Confeſſionis in gubernio regulari; Alias ex Conſtitutionibus debent frequentare ſacramenta pluries in menſe, vel etiam in hebdomada. Non omnini Sacerdotes, qui quotidiè celebrant ex malitiâ,

non

non ex verecundia, cum faſcibus peccatorum contra Caſtitatem, Simoniarum &c. nec enim dari crediderim Sacerdotes adeò ſceleſtos. Cum igitur hæc ſacrilegia poſſint eſſe frequentia, per conſequens Confeſſor debeat maximè pro illis medendis eſſe inſtructus, nihil tamen circa illa hic recapitulo, quia quæ ad id ſpectant Parochi docent pueros in doctrina Chriſtiana, & ſufficienter tradita ſunt c. 11. *Inſtruct. pro ordinandis*.

2. Duo ſolum reminiſcenda ſunt; primò; quòd ſacrilegè accipientes hæc ſacramenta in Paſchate, duo peccata committunt, alterum commiſſionis, & eſt ſacrilegium, irreverenter accipiendo ſacramenta; & alterum omiſſionis contra præceptum Eccleſiæ: propterea Confeſſor, ubi non ſe pœnitens explicat, interrogabit, an ſacrilegè ſuſceperit ſacramenta, tempore ſtatuto ab Eccleſia: ſecundò: in his caſibus unicum eſſe remedium hortari pœnitentes ad claram, & diſtinctam confeſſionem generalem, in qua pœnitens admoneatur, ut ſe accuſet de ſacrilegiis quoad ſpeciem, ac numerum, nec non de omiſſionibus præcepti Eccleſiæ. His prælibatis circa hæc ſacrilegia, duò remanent ſpecialiter, circa quæ, utpotè non infrequentia, debet inſtructus comparere examinandus ad confeſſiones: alterum eſt Simonia, & alterum eſt perjurium, cujus occaſione, juxta promiſſa c. 59. n. 25. de Juramento etiam eſt recapitulandum.

3. D. Quid eſt Juramentum.

M. Eſt invocatio divini nominis in teſtimonium alicujus dicti, vel facti.

4. D. Juramentum eſtnè actus licitus?

M. Utique; eſt actus licitus, & actus Religionis, exercitus ab ipſo Deo; nam Pſ. 109. dicitur *Juravit Dominus* &c.

5. D. Quos comites habere debet juramentum, ut ſit actus licitus; ſeù quas conditiones?

M. Debet habere tres conditiones, veritatem, juſtitiam, & judicium.

6. D. In quo conſiſtit judicium juramenti?

M. Conſiſtit in eo, quòd homo juret cum prudentia, ſeù cum aliqua neceſſitate.

7. D. Eritnè peccatum mortale, ſi juramento deſit judicium.

M. Quando hæc ſola conditio deſit, juramentum ex ſuo genere non erit peccatum mortale.

8. D. Quid importat juſtitia juramenti?

M. Importat, ut non juremus de re illicita; & propterea hæc conditio non ingreditur juramentum aſſertorium.

9. D. Quid eſt veritas Juramenti?

M. Juramenti veritas in eo conſiſtit, ut res ſit talis in mente noſtra, qualis affirmatur.

10. D. Eſtnè perjurium, ſi ego credens omninò ut certum, quòd Petrus tranſit per viam, juro Petrum tranſire, dum tranſit Paulus?

M. Non eſt perjurium, licet enim materialiter ſit falſum, quòd Petrus tranſeat, formaliter tamen eſt verum, quia id ita eſt in mente mea, & ita ſentio.

11. D. Quid ſi è contra jurem, quòd Petrus tranſit, qui verè tranſit; & ego tamen credo, quòd tranſeat Paulus?

M. In hoc caſu eſt verè perjurium, & ſacrilegium: quia eſtò materialiter ſit verum tranſire Petrum, tamen formaliter eſt mendacium; affirmo enim contra id, quod in mente ſentio.

12. D. Quid ſi dubitans, an tranſeat Petrus, juro tranſire Petrum; & poſt juramentum, certè cognoſco, quòd ſit Petrus?

M. Etiam in hoc caſu eſt Perjurium; quia affirmo contrarium ei, quod habeo in mente, dum juro. In mente habeo Petrum ſub dubio, & affirmo ut certum.

13. D. Conſuetudo jurandi, de ſe eſtnè peccatum mortale?

M. Conſuetudo eſt circumſtantia actus; nec erit peccatum mortale de ſe, niſi actus de ſe ſit peccaminoſus mortaliter. Igitur conſuetudo jurandi, quando quis advertat ſe ſemper jurare cum veritate, & juſtitia, non erit peccatum mortale, ſed ſolum, quando ex conſuetudine homo ſe exponit periculo jurandi, etiam inadvertenter, falſum.

14. D. Eſtnè peccatum mortale inadvertenter jurare falſum?

M. Poſſum nunc inadvertenter jurare falſum, ſed avertiſſe, ſeù debuiſſe advertere, quòd habeo conſuetudinem inadvertenter jurandi; & in hoc caſu pecco mortaliter, (niſi utar debitis diligentiis ad tollendam hanc conſuetudinem) quoties juro: At ſi factis debitis diligentiis inadvertenter exeo in juramentum tunc nō peccabo mortaliter, quia in hoc caſu neque ad-

vertè

verto ad conſuetudinem, quæ propterea non eſt voluntaria, cum adhibui debitas diligentias operandi contra illam.

15. D. Ex conſuetudine juravi quadrageſies: in examinando conſcientiam reperio mè vigeſies juraſſe verum, vigeſies falſum, quot peccata commiſſi?

M. Peccaſti quadrageſies, quia peccaſti jurando verum, utpotè exponens te periculo jurandi falſum.

16. D. Quotuplex eſt juramentum?

M. Eſt quadruplex: Aſſertorium, Promiſſorium, Comminatorium, & Execratorium.

17. D. Da exemplum in ſingulis?

M. Aſſertorium eſt iſtud: *Per Deum nunc pluit*, *vel*: *Per Deum heri pluit*. Promiſſorium eſt: *Per Deum cras tibi dabo centum*: Comminatorium eſt: *Per Deum volo te occidere*, *niſi haurias aquam*. Execratorium: *Deus te poſſit occidere*, *niſi haurias aquam*.

18. D. In quo conſiſtit veritas ultimorum trium?

M. Prima veritas conſiſtit in intentione, adeò ut verè intendas, quod ſonant verba juramenti. Quòad primam hanc veritatem, tria hæc juramenta æquivalent aſſertorio, adeò ut neque ex levitate materiæ excuſentur à mortali; quare ſi jures te daturum mihi vel unum Milli granum, abſque intentione dandi, peccas mortaliter. Secunda veritas juramenti promiſsorii, & comminatorii eſt executio: debes enim exequi, quod juraſti, ſed in hac ex parvitate materiæ juramentum excuſatur à mortali; quare ſi abſque intentione juraſti te daturum milli granum, peccaſti mortaliter, & ſi cum intentione dandi, cum juraſti, nunc nolis amplius dare, peccas venialiter.

19. D. Ubi conditio juſtitiæ deficit, excuſabiturnè à mortali juramentum ex parvitate materiæ?

M. Juro, v. g., me furto ablaturum acum; ſi non habes intentionem furandi, eſt mortale, quia deficit prima veritas. At ſi habeas intentionem furandi, deficit juſtitia; & erit veniale; quia in conditione juſtitiæ levitas materiæ excuſat à mortali.

20. D. Meus pater juravit ſe daturum quinque Petro: Patre mortuo teneornè ego reddere?

M. Ratione juramenti non teneris, ita quòd negando illa quinque, committas ſacrilegium, quia juramentum eſt actio perſonalis non tranſiens in ſucceſsorem: ſed teneberis ratione virtutis juſtitiæ, aut veracitatis, juxta obligationem, quam pater tibi potuit imponere.

21. D. Juravi latronibus me miſsurum quinquaginta, dum rediero patriam, teneornè mittere?

M. Teneris, quia mittere quinquaginta non eſt peccatum, & juramentum eſt ſervandum, niſi ſit vinculum iniquitatis.

22. D. Juravi pariter dictis latronibus, me non denunciaturum illos Principi, teneornè ſervare hoc juramentum?

M. Non teneris, quia eſt contra bonos mores, præſertim, ubi Principes lege obligant revelare delicta hujuſmodi.

23. D. Vellem ſcire, an ſicut non obligat votum de re indifferenti, ita pariter nullam vim habeat juramentum de re indifferenti?

M. Votum debet eſse de meliori bono; & ideò non obligat votum de re indifferenti. At juramentum, ut obliget, ſufficit, quòd non ſit de re illicita, ideò juramentum de re indifferenti obligat.

24. D. Peccaretnè, qui juraret ſe non intraturum Religionem, vel non profeſſurum caſtitatem?

M. Peccaret contra juſtitiam juramenti: nam eſtò malum non ſit vivere in ſæculo, & nubere, tamen, (niſi fiat ob alium meliorem finem, ut dictum eſt de voto) malum eſt ſe firmare in propoſito non eligendi bonum melius, ut etiam peccaret, qui jurando promitteret, ſe non facturum magnam eleemoſinam, licet poſſit eam non facere.

25. D. Juravi per verba æquivoca, v. gr., me daturum Petro mancipium, ſatisfacionè, ſi dem Petro figuram pictam mei mancipii?

M. Diſtingue: ſi juraſti cum dolo ex tua parte, teneris reddere mancipium verum, ut Petrus intellexit: ſi juraſti ſimpliciter, & dolus fuit ex parte Petri, teneris tantum ad mancipium pictum.

26. D. Poſſumnè juramentum exigere ab eo, quem ſcio juraturum eſse falſum?

M. Si eſt paratus; & ego id exigo ex meo officio, vel ex aliqua neceſſitate poſſum, quia utor jure meo: ſi abſque ulla neceſſitate exigo, tunc pecco, quia cooperor peccato illius.

27. D.

Digitized by Google

27. D. Quid eſt Simonia?

M. Eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, ſeu ſpirituali annexum.

28. D. Eſtnè Simonia, ſi ego dicam, *dabo tibi centum ex gratitudine, ubi obtinueris mihi tale beneficium?*

M. Eſt ſimonia palliata: nam verè do, ut des, licet palliem hanc dationem ſub titulo gratitudinis, quæ ut habeat locum, debet abeſſe quodlibet pactum.

29. D. Poſſuntnè duo invicem permutare ſuum beneficium?

M. Non poteſt hoc fieri abſque periculo ſimoniæ ab ipſis Beneficiatis. At Superior Eccleſiaſticus, qui habet conferri talia beneficia, poterit ex cauſa Eccleſiæ utili, aut neceſſaria, facere talem permutationem.

30. D. Poſſumnè abſque periculo ſimoniæ permutare, v. g. quoſdam Agnus cum aliqua Reliquia &c.

M. Hoc poteſt fieri, quia nulli Canones prohibent hujuſmodi permutationem, dummodo abſit alius quicunque pravus contractus.

31. D. Parochus petit pecuniam, ut baptizet meum infantem morti proximum, poſſumnè dare?

M. Non poſſum, & eſſet ſimonia, ſed in tali caſu, pro infantis baptiſmo, debeo me gerere, ac ſi non eſſet Parochus. Eſt enim regula generalis, quod pro eodem reputatur non habere miniſtrum, & non poſſe illum habere abſque peccato.

32. D. Quid ſi eſſet adultus moribundus, & qui adſiſtit, nollet eum ſine pecunia baptizare?

M. Sine ſimonia non poteſt dare pecuniam, ſed talis moribundus reputet ſe, ac ſi nemo adeſſet curetque ſuam ſalutem baptiſmo flaminis, & deſiderii.

33. D. Quid ſi Parochus vellet vendere aquam pro baptiſmo, poſſemnè tunc emere?

M. Poſſem emere aquam, quia eſt purum elementum corporale, ſed nullatenus poſſum emere ſacramentum, conſiſtens in actione baptizandi.

34. D. Sacerdos accipit eleemoſinam pro miſsa, in qua conficitur ſacramentum Euchariſtiæ?

M. Accipit utique, non tamen ut pretium ſacrificii, aut ſacramenti, ſed ut ſtipendium ſuæ ſuſtentationis.

35. D. Aliquando excommunicatis, dum abſolvuntur, imponitur pœna pecuniaria?

M. Eo ipſo, quod nominas pœnam, apparet non exigi, ut abſolutionis pretium ſed ut pœna peccati, pro quo fuerat excommunicatus.

36. D. Pro matrimonio eſtnè licitum accipere dotem?

M. Eſt licitum accipere dotem pro matrimonio, ut eſt officium naturæ, non ut eſt ſacramentum.

37. D. Poſſumnè meo inimico ſolvere pecuniam, nè impediat me à conſecutione beneficii?

M. Si jam à legitimo Superiore beneficium mihi fuit collatum, pecunia poſſum redimere vexationem, & ſolvere inimico, ut non impediat me à conſecutione; At ſi nondum per collationem Superioris habeo jus, abſque ſimonia non poſſum ſolvere.

38. D. Quomodo ſine ſimonia poſſum erogare eleemoſinam pauperi, ut pro me oret?

M. Hoc faciunt divites communiter, non ut emant ſuffragia pauperum, quia hoc eſſet ſimonia, ſed per eleemoſinam intendunt excitare pauperes, ut pro ſe orent ex charitate.

39. D. Cum Advocati &c. poſſint locare operas ſuas in defenſionem Clientum, cur etiam id facere non poteſt Superior?

M. Quia Superior ex officio tenetur exhibere ſuas operas, non Advocatus; At ſi Advocatus, cui ex officio incumbit defendere pauperes, exigeret aliquid à Clientibus, tunc etiam ipſe peccaret.

40. D. Peccaretnè Parochus, qui vellet pecuniam, ut vices ſui officii committeret alteri, v. g. qui vellet pecuniam, ut alteri Sacerdoti committeret vices adſiſtendi matrimonio?

M. Peccaret, quia hujuſmodi actus, & prædicta adſiſtentia ſunt aliquid ſpirituale.

41. D. Peccaretnè Superior, qui vellet pecuniam, ut corrigeret ſubditum delinquentem?

M. Peccaret ob eandem rationem.

42. D. Peccantnè Superiores deſiſtentes à correctione ſubditorum, qui deferunt illi munera?

M. Peccant peccato ſimoniæ, ac ulterius,

rius, quia fovent prædictum ſubditum in ſuis peccatis.

43. D. Peccantnè Superiores, qui pecuniam exigunt à ſubditis, ut eos viſitent?

M. Et hi peccant, ſi eo fine vel int pecuniam, hoſpitium, vel munera; pro viſitando tamen poſsunt exigere ſuſtentationem, & expenſas neceſsarias itineris &c.

44. D. Peccantnè prædicatores exigentes ſtipendium ſuæ ſuſtentationis, dum prædicant?

M. Peccant, ſi exigant, ut pretium prædicationis; At non peccant, ſi exigant pro ſua ſuſtentatione, quod illis dari ſolet ex conſuetudine approbata.

45. D. Epiſcopus volens ipſe prædicare poteſtnè exigere, quod communitas taxavit pro ſuſtentatione Prædicatorum.

M. Prædicatores ad hoc vocati poſsunt exigere, ſed non Epiſcopi, quando ipſi prædicant: diſparitas eſt, quia Epiſcopi tenentur ex officio; quarè nihil poſsunt exigere pro eo, ad quod ſunt obligati, eſtò dicant ſe petere titulo ſuſtentationis: At reliqui Prædicatores, utpotè non obligati poſsunt exigere ſuſtentationem.

46. D. Licetnè recipere aliquid ab eo, qui ingreſsurus eſt Monaſterium?

M. Poteſt recipi, quando liberaliter dat Novitius. Etiam quando non ſuppetunt opes Monaſterii, poteſt exigi pretium victus pro Religioſo, vel Moniali; Aliter nihil poteſt exigi.

47. D. Poſsuntnè abſque ſimonia vendi vaſa ſacra?

M. Pro utilitate Eccleſiæ poſsunt vendi, dummodò prius frangantur, per quod tollitur illis conſecratio.

48. D. Cui Simoniæ annexa eſt excommunicatio reſervata Papæ?

M. Triplici Simoniæ, ſcilicet, pro receptione Ordinum, pro ſuſceptione beneficiorum, & pro ingreſsu Ordinis.

49. D. Regulares privilegiati poſsuntnè abſolvere ab hac excommunicatione.

M. Nullibi poſsunt abſolvere à Simonia in Ordine, ſed neque intra Italiam, & extrà Urbem à Simonia reali ſcienter contractà, vel Confidentia Beneficiali.

50. D. Simoniacè proviſus de beneficio facitnè illud ſuum.

M. Nullatenus: Ex Regulis Cancellariæ, eſtò per tringinta annos pacificè poſſediſset, ſed ſtatim tenetur reſignare; Imò neque ſuos facit fructus.

51. D. Quid ſi commiſsa eſset ſimonia ab aliis, ignorante id proviſo.

M. In hoc caſu proviſus non peccaret, ſed nullum acquirit jus in beneficium, niſi caſu, quo aliquis, ex odio in proviſum, daret pecuniam, eo fine, ut proviſus non acquireret jus. In hoc caſu ignorans facit beneficium ſuum.

52. Ex virtutibus annexis Juſtitiæ, adhuc ſub mortali de ſe obligant Pietas, Obſervantia, & Obedientia, ſed nihil de illis extat hic ſpecialiter recapitulandum, quod facili negotio ſcire non poſſit, aut debeat Confeſsor, & examinandus ad confeſſiones. Idem dic de ipsa Fortitudine, Virtutibuſque annexis; propterea, quod ſolum ſub gravi obligent in caſibus, qui non ſunt communes; & propterea non eſt omninò neceſsarium, ut illarum doctrina recapituletur approbando ad confeſſiones ordinarias.

C A P U T LXII.

Recapitulatio dictorum de Temperantia.

1. Frequenter peccatur contra tres Temperantiæ ſpecies, nempè, contrà Caſtitatem, Abſtinentiam, & Sobrietatem: quarè tum Confeſsor, tum examinandus ad confeſſiones apprimè debent callere, quæ peccata ordinariè circa illa contingant.

2. D. Peccata Caſtitatis excuſanturnè à mortali ob parvitatem materiæ?

M. Nullatenus excuſantur: Rationem concluſionis paulò ſubtiliorem vide ſuo loco; nunc tibi ſufficiat, quod inclyta Societas Jeſu ſub excommunicatione prohibuerit doceri contrarium.

3. D. In moroſa delectatione contra Caſtitatem, quid teneris explicare?

M. Certum eſt explicandam eſse circumſtantiam ejus, qui delectatur, ut ſi eſt religioſus, maritatus &c. Variant Authores in aſserendo, & an teneamur explicare circumſtantiam objecti, de quo delectatur, ut ſi ſit virgo, nupta &c. Examinatores Urbis juxta praxim conſtantiſſimè ſervatam in examine, neminem adigunt ad particularem opinionem; ubi res hinc inde

Digitized by Google

de probabiliter controvertitur; Et ita poteris reſpondere, quod tibi videbitur probabilius. At certè faciunt optimè, qui ſuadent pœnitentes, ut etiam explicent circumſtantiam objecti.

4. D. Eſtnè explicandum in confeſſione, ſi virgo voluntariè conſentiat?

M. Utique eſt explicandum, quia fit injuria parentibus, & tutoribus habentibus ſub cuſtodia particulari Virginitatem fœminæ.

5. D. Quare ſi duo maritati ſimul peccent, explicandum eſt in confeſſione quod ambo ſint maritati, nec ſufficit cuilibet dicere *Commiſi adulterium*?

M. Utique: quia ſunt duo numero peccata adulterii, cum duæ ſint injuſtitiæ. Idem dic de ſacrilegio, ſi ambo peccantes ſint perſonæ Deo ſacræ.

6. D. Quid eſt Jejunium?

M. Jejunium eſt duplex naturale, & Eccleſiaſticum: naturale eſt abſtinentia cujuslibet cibi, & potus à media nocte uſque ad communionem Euchariſtiæ, in cujus unicè reverentiam Eccleſia præcepit hoc jejunium; propterea ejus obſervantia eſt actus Religionis, & ejus violatio eſt ſacrilegium. Eccleſiaſticum verò jejunium eſt abſtinentia à carnibus cum unica comeſtione.

7. D. Jejunium ab Eccleſia præceptum ad quam virtutem pertinet?

M. Secundum hoc jejunium de ſe pertinet ad virtutem Abſtinentiæ, & ideò peccatum violationis illi oppoſitum eſt peccatum Gulæ.

8. D. Quot peccata committit pluries comedens in die jejunii?

M. Diſtingue: ſi pluries comedat carnes, toties peccat, quoties comedit. At utens cibis quadrageſimalibus, unum peccatum committit, eſtò vigeſies comederet.

9. D. Cur hoc?

M. Quia carnes nobis prohibentur præcepto negativo obligante ſemper, & ad ſemper: Unica comeſtio præcipitur præcepto affirmativo obligantem ſemper, non ad ſemper.

10. D. Si unica comeſtio præcipitur præcepto affirmativo, peccaret, qui nihil toto die comederet?

M. Non peccat: Eccleſia enim ſolum præcipit, quod ſi velimus comedere, comedamus unicà vice.

11. D. In jejunio excuſamurnè à mortali ob parvitatem materiæ?

M. Circa præceptum affirmativum ſemel comedendi excuſat materiæ parvitas.

12. Quod dicitur de carne, valetnè etiam de lacticiniis?

M. Valet etiam de his, quia, & ova, & lacticinia, ubi extat hæc conſuetudo, prohibentur præcepto negativo.

13. D. Accedens ad locum, ubi non jejunatur, teneturne ad jejunium?

M. Tenetur, ſi accedat in fraudem; hoc eſt, ſi eo tantum fine diſcedat à loco jejunii, ut non jejunet: fraus enim nemini ſuffragatur: At ſi non accedat in fraudem, non tenetur.

14. D. Diſcedens à loco non jejunii, & accedens ad locum jejunii, teneturne ad jejunium?

M. Si jejunus accedit, tenetur: ſi accedit non jejunus, tenebitur in tali loco abſtinere à carnibus, eſto alibi carnes comederit, ſed poteſt pluries comedere.

15. D. Cur hoc?

M. Quia carnium abſtinentia eſt ex præcepto negativo obligante ſemper, & ad ſemper: quarè tenetur ad illam, quouſque eſt in loco jejunii, à quo ſi diſcedat, acceſſurus in veſperi ad locum non jejunii, poterit in veſperi comedere carnes: Unica comeſtio cadit ſub præcepto affirmativo; quarè ſi in loco jejunii factus eſt impotens pro tota illa die, non amplius tenetur, quocunque vadat.

26. D. Quid ſi ſummo manè ſemel tantum comediſset in loco non jejunii, teneturnè abſtinere omninò, dum eſt in loco jejunii?

M. Non tenetur, quia in unicà comeſtione præcipitur etiam hora comedendi circa meridiem; quarè ubi factus eſt impotens, ut dicatur comediſſe circà meridiem unica vice, non amplius tenetur.

17. D. Quid eſt Ebrietas?

M. Eſt inordinatus potus voluntarie aſſumptus, & privans perfectè uſu rationis.

18. D. Eſtne peccatum mortale ex ſuo genere?

M. Si voluntariè fiat, de ſua natura eſt peccatum mortale, quia privat uſu rationis, quod eſt maximum bonum.

19. D. Etiam prima vice ſe inebrians peccat mortaliter?

M. E-

M. Etiam hic mortaliter peccat, dummodò prævideat talem eſſe potum, quòd privabit uſu rationis.

20. D. Peccatnè mortaliter, qui ſe inebriat ex hauſtu minimo?

M. Quantumcunque minimus ſit potus, ſi prævidet ſe privandum uſu rationis perfectè, peccat mortaliter ex dicta ratione.

21. D. Peccatnè peccato Ebrietatis, qui præviderer ex calore vini immoderati, accendendam ſibi eſſe febrim.

M. Hic non peccat peccato Ebrietatis contra Sobrietatem, quia Ebrietas reſpicit carentiam uſus rationis; ſed peccabit peccato Gulæ, contra abſtinentiam.

22. D. Peccatnè mortaliter, qui bibit vinum perfectè inebrians, ex conſilio Medici, ut procuret vomitum pro recuperanda ſanitate?

M. S. Th reprobar ut illicitum hoc medicamentum, quia vomitus poteſt procurari potu aquæ tepidæ: quare non eſt neceſſarius iſte vini exceſsus, ut carentia uſus rationis in tali caſu dici poſſit omninò per accidens.

23. Hæc circa Temperantiam ſunt principaliſſima, de quibus omninò eſse debet inſtructus quilibet Confeſsor, & examinandus ad confeſſiones.

CAPUT LXIV.

Recapitulatio doctrinæ de Sacramento Pœnitentiæ, juxta examen S. Caroli.

1. PRæparans ſe ad confeſſiones plurimum fortè ſtupebit, quòd, in gratiam examinandorum, recapitulata doctrina magis neceſſaria virtutum, peccatorumque oppoſitorum, altè ſiluerim de ipſo Pœnitentiæ ſacramento; veruntamen ſciat me data opera ſiluiſſe. Pluries notavi monita S. Caroli circa regimen animarum, ſuſcepta fuiſse à pluribus, iiſque Auguſtiſſimis Eccleſiis; qua propter in id incubui, quantum potui, ut juxtà optimam S. Archiepiſcopi idæam efformarem in hoc opere Confeſſarium. Et ratio dictat ad regulam óptimæ ideæ, curandum eſse, ut præ cæteris extruantur ædificii parte magis neceſsariæ. Ut id mihi contingeret, cogitavi proponere primò verbis S. Caroli ſingula capita, ſuper quorum aliqua indiſcriminatim in ſuis Synodis Provincialibus, decrevit examinandos eſse Confeſſarios; quæ maximè verſantur circa ſacramentum Pœnitentiæ, & ſubjungere ſingulis reſponſionem Theologicam brevem, quæ, ſcilicet, conveniat ſubdito interrogato.

2. *Præter cætera* inquit S. Carolus de Confeſsarii examine, *quæ cum Sacerdotis, & Parochi officio, munereve, conjuncta ipſi ſunt, hæc etiam ſigillatim, atque exploratiori ratione perquirantur.*

3. Duo in hoc articulo S. Carolus præſcribit circa Confeſsores, primò: ut inveſtigetur, an examinandus ad confeſſiones ſciat proprium munus Sacerdotis: ſecundò: an ſciat, quæ Confeſsor habet communia cum Parocho. Et quòad Sacerdotis munus nihil repeto: dicta enim omnia ſunt abundè in *Inſtructione pro ordinandis*, ubi c. 13. compendio redacta ſunt, quæ ſæpius ipſe S. Carolus præſcripſit *de vita, & honeſtate Clericorum*; & c. 38. ex eodem inſerta eſt Inſtructio Sacerdotum, & Canones antiqui Pœnitentiales pro eorundem peccatis. Cæterum, inſpectam habere vitam Sacerdotis approbandi ad confeſſiones, non eſt munus Examinatorum Synodalium; & honeſtæ vitæ ſupponuntur jam probati per antecedentes informationes, ubi comparent coram his Examinatoribus. Confeſsor cum Parocho id ſolum habet commune, quòd cum illo ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrat; quare ubi ſufficienter ſit inſtructus de illis, quæ in hoc opere dicta ſunt, dicetur intelligere ſufficienter, quæ habet communia cum Parocho.

4. *Quare inſtitutum hoc ſacramentum, & à quo inſtitutum?*

Chriſtus Dominus inſtituit hoc ſacramentum, quando Jo. 20. dixit: *Accipite Spiritum Sanctum* &c. Inſtituitque ad reconciliandos peccatores fideles cum Deo.

5. *Quæ hujus ſacramenti materia?*

Materia ſacramenti duplex eſt: alia remota, & alia proxima: Remota eſt peccatum, & ſubdiſtinguitur: Materia neceſſaria ſufficiens eſt peccatum mortale certum, ab homine Chriſtiano poſt baptiſma commiſsum, & nondum ritè confeſsum: Materia ſufficiens non neceſſaria, ſunt venialia, vel etiam mortalia ſemel ritè confeſſa. Peccatum mortale dubium eſt materia neceſſaria non ſufficiens, quia debemus illud confiteri, ſed de illo tantum

non

non poſſumus abſolvi, niſi adjungatur peccato certo, vel in caſu neceſſitatis,& tùnc ſub conditione: Materia proxima ſunt tres actus Pœnitentis, nempè, Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio.

6 *Quæ forma?*

Forma eſſentialis ſacramenti ſunt illa verba *Te abſolvo à peccatis tuis*. Nihilominus juxta Rituale adjunguntur alia verba, & preces, quas Trident. ſeſſ. 14. c. 3. ait laudabiliter adjungi *ex conſuetudine Sanctæ Eccleſiæ*.

7. *Qui illius effectus?*

Ex Trid. ib. ſacramenti hujus effectus eſt reconciliatio hominis cum Deo, quam interdum conſequi ſolet conſcientiæ pax, ac ſerenitas, nec non vehemens conſolatio ſpiritus. Igitur primò tollit omnia peccata mortalia quòad reatum culpæ: ſecundò: quòad eundem culpæ reatum venialia, de quibus ſufficienter dolemus: tertiò: dat primam gratiam ſanctificantem, quam auget, ſi homo illam ante habuerit: quartò: reatum pœnæ æternæ mutat in temporalem: quintò: gratia ſacramentalis propria hujus ſacramenti ſunt auxilia quædam actualia nobis à Deo collata ſuo tempore, ut poſſimus evitare peccata.

8. *Qui miniſter?*

Eſt Sacerdos novæ legis, ordinatus à vero Epiſcopo per manuum impoſitionem, virtute cujus accipit poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, ubi priùs receperit poteſtatem in corpus verum.

9. *Quæ conditiones in eo requirantur?*

Aliæ requiruntur, ut validè abſolvat, & aliæ ulteriùs, ut licitè abſolvat: Ut validè abſolvat, præter characterem ſacerdotalem jam dictum, requiritur juriſdictio, intentio,& quòd proferat formam. Ut licitè abſolvat, quòd ſit in gratia.

10. *Quæ regulæ ad dignoſcendum, & diſtinguendum peccatum mortale à veniali?*

Peccatum mortale eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei: peccatum veniale, eſt dictum, factum, vel concupitum præter legem Dei: Peccata invicem ſpecie diſtinguntur, ſi opponantur diverſis virtutibus, vel eidem virtuti per exceſſum, & defectum. Peccata numero diſtinguuntur, quando ſunt diverſæ moraliter actiones, vel eadem actio tendit in diverſa objecta materialia, ut ſi uno ictu occido quatuor, ſunt quatuor numero peccata.

11. *Quæ ſunt Pœnitentiæ partes?*

Partes materiales hujus ſacramenti ſunt tres jam dictæ n. 5. nempè, *Contritio Confeſſio, & Satisfactio*.

12. *Quæ earum partium ratio?*

Nihil hic in generali reponitur, quia deſcendit Sanctus Arpiepiſc. ad inquirendam in particulari cujuſque partis rationem.

13. *Quid Contritio?*

Eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

14. *Quæ ad veram contritionem ſint neceſſaria?*

Ad contritionem eſt neceſſarium ceſſare à peccato, proponere, & inchoare novam vitam, nec non odio habere veterem.

15. *Qui Contritionis fructus, & utilitas?*

Si ſit charitate perfecta, ſtatim reconciliat hominem cum Deo, ante actualem ſacramenti ſuſceptionem, virtute tamen ſacramenti voto concepit: At ſi non charitate perfecta, ſed voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, præparat hominem ad impetrandam in ſacramento Pœnitentiæ gratiam.

15. *Qua quiſquam ratione ſe ad contritionem exercere poſſit?*

Sequentibus modis ex Catechiſmo part. 2. cap. 5. num. 36. ſi diſcutientes noſtram conſcientiam per diligens examen. ubi noverimus nos reos, primò doleamus: ſecundò veniam petamus: tertiò tempus confitendi, & ſatisfaciendi poſcamus: quartò auxilium Dei ad non amplius peccandum imploremus.

16. *Quæ ſigna veræ Contritionis?*

Ex eodem Catechiſmo n. 33. & 34. primò: ſi reſtituamus malè ablata: ſecundò: ſi remittamus injurias nobis illatas: tertiò: ſi tollamus conſuetudinem, & omne periculum imminens relabendi.

17. *Perquiratur item, quæ confeſſionis, quæ ſecunda pars Pœnitentiæ eſt, natura ſit, atque ſubſtantia?*

Ex eodem Catechiſmo n. 39. eſt accuſatio noſtrorum peccatorum eò ſuſcepta, ut Clavium virtute veniam impetremus.

18. *An diligenter inquirere ſciat. & Peccatoris circumſtantias, & peccati item?*

19. *Quæ mutent ſpeciem peccati, & quæ in confeſſione explicandæ ſint.*

Circumſtantiæ peccatorum continentur illo carmine.

Quis, quid ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando;

In quarum prima continetur etiam circumſtantia peccatoris, ſeu quis peccet. Porrò circumſtantiæ tunc mutant ſpeciem peccati, quando illa circumſtantia opponitur alteri virtuti, vel eidem virtuti per exceſſum, & defectum, vel alteram addit injuriam; Illæ autem circumſtantiæ ſunt particulariter explicandæ in confeſſione, quæ mutant ſpeciem, vel quæ notabiliter variant judicium Confeſſoris.

20. *Quæ reſtitutionem expoſtulent; quæ radices, cauſævè reſtitutionis?*

De his, quæ ſibi compendioſè debeat memoriæ figere Confeſſor, & examinandus ad confeſſiones, poſita ſunt c. 57. nihil ulterius repetendum.

21. *An dubios ſuſpectoſve contraxerint, aut ſaltem de iis dubitationes, & quæſtiones inſtituere, intreve ſciant?*

Prudens Confeſſor, qui memoriæ habeat compendioſè dicta de Juſtitia c. 8. & de peccatis Juſtitiæ oppoſitis in genere cap. 58. cum parva reflexione, ubi proponantur caſus particulares, poterit ita dubitare, quod à Pœnitente petet tempus, vel ſtudendi dicta c. 21. vel legendi Claſſicos Authores, qui de talibus contractibus fuſius in ſpecie ſunt locuti, vel ſaltem conſulendi peritiores.

22. *Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ?*

Ut de hoc ſaltem dubitare ſciat Confeſſor videat p. 1. c. 19. & 20.

23. *An item illarum peritiam, & vim teneant.*

Hanc facillime quilibet obtinebit ex ſola, ſed attenta lectione prædicti Alphabeti, ſeu Catalogi.

24. *An caſus, in quibus irregularitatis macula contrahitur?*

Omnes pariter caſus, in quibus irregularitas contrahitur, habes in eodem Alphabeto.

25. *An ſaltem in iis omnibus, & aliis, quæ ad verum, perfectumve hujus Sacramenti Penitentiæ Miniſtrum pertinent, ſciant dubitare, & noverint conſulere peritos; quomodo agendum ſit id, de quo in dubitationem adducunt.*

De hoc dari nequeunt regulæ generales, quia pertinent ad praxim. Ut juxta hoc S. Caroli monitum procedant Examinatores Urbis, in examine proponunt caſus particulares, quo cognoſcant; an examinandus ad confeſſiones, ubi caſus exegerit, ſciat exequi monitum Sancti Paſtoris; & ad hoc in ſequentibus, inſtruemus etiam Sacerdotes in praxi.

26. *Qui item Ritus, & Sacræ Cæremoniæ Confeſſionis?*

Ritus à Pœnitente ſervandos, ubi ad hoc ſacramentum accedit, habes part. 1. cap. 11. inter monita S. Caroli, §. 12. & cap. 7. ex Rituali num. 14. & 18. Illa ſæpius relege.

27. *Quæ conditiones ad confeſſionem verè pænitentis neceſſariæ?*

Quinque conditiones omninò ſunt neceſſariæ ad confeſſionem verè pœnitentis: diligens examen conſcientiæ: ſecundò: dolor ſuper omnia de peccatis commiſſis: tertiò: propoſitum non ampliùs peccandi: quartò: nuda confeſſio peccatorum: quintò: propoſitum ſatisfaciendi pœnitentiæ, quam Confeſſor, ut Judex, injunget.

28. *Qui ordo confitendi, quando quis ſtatim confiteri debeat, quando item confeſſionem iterare?*

Quoad ordinem confitendi Rituale ſatis apertè loquitur; Nihil eſt ulterius addendum: ſed frequenter Confeſſori legenda, quæ ibi præſcribuntur; quoad tempus confitendi, non debemus differre confeſſionem ultra annum; quòd ſi quis ultimo anni die peccet, ex præcepto Eccleſiæ tenebitur eodem die confiteri. Conſuetudo autem Eccleſiæ interpretata eſt, ut currat hoc præceptum à Paſchate ad Paſcha. Debet item homo confiteri ſtatim ac infirmatur; Ubi vero ſit homo conſtitutus in articulo mortis, tenetur ad ſtatim confitendum ex jure divino. Quoad iterandam confeſſionem, fieri debet, ubi unum defecerit ex illis quinque poſitis n. 27.

29. *De Satisfactione, quæ tertia pars Pœnitentiæ eſt, quæratur?*

30. *Quæ Satisfactionis partes?*

Sunt tres, nempè, Jejunium, Eleemoſinam, & Oratio: nomine Jejunii venit omnis mortificatio carnis voluntariè aſſumpta, vel etiam à Deo immiſſa, & patienter tolerata propter Deum: Sub eleemoſina veniunt quatuordecim opera Miſericordiæ: Sub Oratione venit omnis elevatio mentis in Deum.

31. *Quis*

31. *Quis ſatisfactionis finis?*

Ex Tridentino ſeſs. 14 c. 8. finis ſatisfactionis eſt remedium novæ vitæ, medicamentum infirmitatis humanæ, nec non caſtigatio præteritorum peccatorum.

32. *Qui fructus, quæve utilitates Satisfactionis?*

Ex eodem, Satisfactionis utilitas eſt revocare à peccato, pęnitentem efficere cautiorem in futurum, mederi reliquiis peccatorum, tollere vitioſos habitus, & præcipue Deo ſatisfacere pro pœna temporali, quam deberemus luere in Purgatorio.

33. *Quæ in Satisfactione requirantur?*

Ex Catechiſmo p. 1. c. 5. n. 74. requiruntur duo, ut opus habeat veram vim ſatisfaciendi: primò: quod in gratia ſit, qui ſat sfacit: ſecundò: quod actio ſuſcepta ad ſatisfaciendum ſit de ſe aliqualiter moleſta. Porrò ne in his duobus requiſitis erret præparans ſe ad confeſſiones, circa primum, ſciat exiſtentem in peccato mortali. ſi faciat pęnitentiam à Confeſſore in unctam, non ſatisfacere Deo pro pœna temporali peccatorum, quæ præcedenter fuerat confeſſus. At ſatisfacit ſuæ obligationi, quam contraxerat erga Confeſſorem, qui, ut Judex, impoſuerat talem pęnitentiam: querè non eſt reus omiſſæ pœnitentiæ, nec peccat mortaliter, ſed imò facit opus meritorium de congruo, licet non de condigno, & per conſequens neque ſatisfactorium. Circà ſecundam, ſciat opera ſatisfactoria dici moleſta de ſe corpori, licèt alias in eorum exercitio poſſit ſentire maximam delectationem in anima; Et ita Sancti maximè ſatisfaciunt Deo per orationem mentalem, imò & per actus internos amoris heroici, licèt actus iſti poſſint eſſe fructus Spiritus Sancti, hoc eſt, eliciti cum ſuavitate; imò & Beatitudines; nihilominus & fructus, & Beatitudines de ſe ſunt maxime moleſti corpori; & ideò ſatisfit Deo etiam per illos.

34. *Qualis, & quanta pęnitentia pęnitenti imponi debeat?*

Ex Tridentino ſeſs. 14. c. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pęnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere; ne ſi fortè peccatis conniveant; & indulgentius, cum pęnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Ita Tridentinum.

35 *An ſalutares, & convenientes ſatisfactiones, pro gravitate criminum, & pęnitentium facultate ſciant injungere?*

36. *An item ex Innocentii Tertii præſcripto, more periti Medici. ſciant infundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati, ac quale debeant præbere remedium, aut conſilium.*

Super his duobus articulis nihil in generali poteſt notari pro examinando ad confeſſiones, quia remedium, conſilium, & ſatisfactio conveniens debent conſiderari particulariter.

37. *An præterea Canones pęnitentiales recte teneant?*

Lugendum eſt, quod noſtris temporibus, Canonum pænitentialium antiquorum omnis pęnè memoria eſt obſoleta, non modò apud Confeſſores ordinarios, verum & apud primos Caſuum Scriptores. At S. Carolus eorum in ſuis Synodis epitomen colligit & zelum Sancti Paſtoris imitatus Canonicus Nicolaus Antonius Cuggiò, pro Confeſſoribus Urbis reimprimi curavit in noviſſima editione an. 1703. operis toties laudati, & inſcripti *Auvertimenti di S. Carlo*. Canones Pœnitentiales dati ſunt p. 1. cap, 15.

38 *Quę differentia ſit ſatisfactionum, pęnitentiarum &c.?*

Ex Catechiſmo p. 2. c. 5. n. 63. 64. & 65. nomine ſatisfactionis venit omne opus quo ſatisfacimus Deo, pro pęna peccatis noſtris debita. Nunc verò ex communi, & vulgari ſermone, intelligimus nomine Penitentiæ ſatisfactionem illam, quæ in actu ſacramentalis confeſſionis à Confeſſore injungitur pro peccatis confeſſis.

29. *De abſolutione indagetur?*

De hac dictum eſt ſufficienter n. 6. ubi propoſita eſt forma ſacramenti, quæ conſiſtit in abſolutione Sacerdotis.

40 *Quę verborum formula requiratur?*

41. *Quæ preces, orationeſve pręterea adhibeantur?*

42. *Qui ordo ſervandus in abſolvendo tam à peccatis, quam ab excommunicatione, ſuſpenſioneve?*

Hæc omnia facile habentur ex ſola Ritualis Romani lectione, cui ſemper ad unguem ſe conformabit Sacerdos. Porrò examinandus ad confeſſiones, curet ante hujus ſacroſancti miniſterii exerci-

Digitized by Google

tium, memoriæ habere tum formam, tum ordinem abſolvendi, tum preces ab Eccleſia laudabiliter adjunctas, ut promptè reſpondeat, ſi quando ſuper illis Examinatores interrogent.

43. *De ſigillo item confeſſionis plura quærantur, ac præſertim, quę vis, & quanta ſigilli?*

Sigillum confeſſionis tale eſt, ut ex vi illius, jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico nihil unquam poſſimus revelare illorum, quæ cadunt ſub hoc ſigillo, quanquam ageretur de ſalute totius mundi, quia majus bonum eſt bonum hujus ſacramenti, quam cætera omnia.

44 *Quæ ſub illud cadunt?*

Sit regula generalis, quod ſigillum nos obligat cælare, quidquid auditur in confeſſione; quod ſi ſciretur poſſe revelari, redderet odioſam confeſſionem: quarè ſub illud cadunt omnia peccata, & defectus etiam naturales; & vide ſuper hoc ſigillo duas propoſitiones prohibitas à S. Inquiſitione.

45. *Ex Sanctionibus Eccleſiaſticis, concilio Tridentino, Synodis tum Provincialibus, tum etiam Diæceſanis indagetur, quæ in illis conſtituta, ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent; quæque de Cleri, & populi diſciplina, & moribus conſtituta ſunt?*

Et verò principaliora, & magis neceſſaria ſanctionum Eccleſiaſticarum circa ſacramentum Pœnitentiæ collecta ſunt in p. 1. hujus operis per diverſa capita; quæ firmavit Trid. habentur cap. 4. & 5. Quæ pro Diæceſibus particularibus decreverunt Synodi Provinciales, & Diæceſanæ, hic non poſſunt colligi, ſed in ſingulis Diæceſibus curabit Confeſſor ſervare præſcriptum Ritualis adducti c. 7. n. 8. In Urbe ſi quæ prodibunt particulares ordinationes à Romanis Pontificibus, vel eorum Eminentiſſimis Vicariis, circa rectam ſacramenti hujus adminiſtrationem, erunt habendæ ſemper ante oculos; & quia ad id prodiit liber ille *Avvertimenti di S. Carlo* &c. aſſiduè illum evolvent Confeſſores; Ut autem videant, quantum commendetur hujuſmodi lectio, notent inter regulas exercitiorum pro Parochis, & Confeſſoribus eſſe debere materiam collationis, ſeu conferentiæ veſpertinæ.

46. In eodem articulo commendat S. Carolus, ut examinandorum ad confeſſiones experimentum ſumatur de conſtitutis in eiſdem ſanctionibus circa Cleri, & populi diſciplinam. Quæ ad Clerum ſpectant, tradita ſunt ſufficienter in *Instruct. pro ordinandis* hauſta ex Trid., Catechiſmo, & Pontificali Romanis, nec non ex ordinationibus noſtri Sancti Paſtoris. Ad populi diſciplinam ex Trid. ſeſſ. 11. cap. 7. maximè ſpectat reſervatio caſuum. Igitur approbandi ad confeſſiones in Urbe, & Confeſſores ipſi habebunt ſaltem in confuſo, unde ſciant caſus reſervatos Papæ. In Diæceſibus verò etiam, quos Epiſcopi ſibi reſervant in Synodis, notantes, quod Bullam Cœnæ quilibet Confeſſor debet habere *penes ſe, eaſq; diligenter legere, & percipere* Ad eandem populi diſciplinam reſpiciunt propoſitiones prohibitæ, edicta, quibus Chriſtiani præcipiuntur Sanctæ Inquiſitioni revelare quædam atrociora crimina. In Urbe etiam Bulla, quæ dicitur de *Datis, & acceptis* &c. ſed maximè conferet nova declaratio Sanctiſſimi D. N. Clement. XI. circa jejunium: quod enim huc uſque ſcripſerint fere omnes Caſuiſtæ deobligatos in quadrageſima ab abſtinentia carnium, poſſe indifferenter comedere quamcumque carnem, Sua Sanctitas declaravit hujuſmodi licentiam ſuffragari ſolum pro carnibus ſalubribus: quarè niſi hanc declarationem præ oculis habeat Confeſſor, facili negotio errabit. Porrò illa extat c. 47 à n. 16.

47. Maximè ſuper prædictis articulis, ex præſcripto S. Caroli, debet indifferenter verſari examen approbandorum ad confeſſiones; & propterea quilibet examinandus curabit ſe inſtruere ſpecialiter ſuper prædictis, quæ competunt cuilibet etiam ordinario Confeſſori.

CAPUT LXV.

Eadem, quæ præcedenti capite, proponuntur magis in particulari.

1. Articuli à S. Carolo propoſiti circa examen approbandorũ ad confeſſiones, ut quilibet notare poterit, ſunt ſatis generales; & S. Paſtoris mens certe fuit, ut ſuper illorum ſingulis Examinatores interrogarent approbandos, ſi quid magis in particulari neceſſarium eſſet pro directione conſcientiarum, maximè, quia plurium eſt habere pricipia generaliora, ſed non omnes

eque

æque ſciunt contenta ſub regulis generalibus enodare particulariter; & in hoc requiritur prudentia Examinatoris, ſed, & Sacerdotis ipſius, qui vult audire confeſſiones: etenim Examinator non poteſt interrogare de omnibus, quæ ſunt magis neceſsaria, ſed modo tangit unam, modò aliam materiam, arguens examinandi ſufficientiam ad omnia ex paucis. At verò Sacerdos ipſe, niſi cognoſcat ſe ſufficientem ad omnia, quæ ordinariè poſſunt contingere in actuali exercitio, cum maximo ſuæ conſcientiæ detrimento ſe exponit audiendis confeſſionibus, peccans contrà illud Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris.* Igitur eſtò in examine ſuper paucis interrogetur, ſcire tamen debet articulos à S. Carolo propoſitos, non ſolum generaliter, ſed etiam quoad caſus particulares in iis contentos, & magis neceſsarios. Porrò ut eos facile redigat memoriæ, de ſacramento Pœnitentiæ recapitulo ſequentia.

2. Ut vidiſti, totum S. Caroli examen reſtringitur ad ſacramentum Pęnitentiæ, primò in ſeipſo, & ſecundò in ſuis partibus. Non habeo, quid addam circa Sacramentum Pęnitentiæ in ſe ipſo, ſed ſolum circa partes, Miniſtrum, & effectus.

3. D. N. 7. petenti S. Carolo dediſti effectum hujus ſacramenti, quæro, an conſequatur hujuſmodi effectus, qui bona fide putans ſe habere dolorem, ſed re verà non habens, accederet ad hoc ſacramentum?

M. Iſte non peccaret, utpote qui accedit bona fide, ſed tamen neque reciperet effectum. Ratio eſt, quia effectus conſequitur ad ipſum ſacramentum, quod nunquam fit, niſi adſint partes inſtitutæ à Chriſto Domino. Nec bona fides facit, ut ſit inſtitutum à Chriſto, quod re vera non eſt inſtitutum. Hic Scholaſtici quærunt, an dari poſſit ſacramentum Pęnitentiæ validum, & informe, ſed hæc quæſtio nihil prodeſt Confeſsori ordinario.

4. D. N. 8. dixiſti de Miniſtro; & pro praxi quæro, an Confeſsor excommunicatus validè abſolvat?

M. Diſtingue: ſi eſt excommunicatus denuntiatus, aut publicus Clerici percuſſor, qui ſoli ſunt vitandi, invalidè abſolvit eſtò ignorem invincibiliter cenſuram, quæ tollit juriſdictionem, quam mea ignorantia non confert, ſed ſuperioris authoritas. Si non ſit vitandus, ſubdiſtingue; ſi cum neceſſitate, vel ex officio, tenetur mihi ſubminiſtrare ſacramentum, in hoc caſu validè abſolvit in neceſſitate: ſi abſque ulla neceſſitate, tunc invalidè abſolvit, non quidem ex defectu juriſdictionis, quam habet, quouſque non ſit vitandus, ſed ex defectu diſpoſitionis in pænitente, qui peccat, ut cooperans peccato, quod committit Confeſsor abſolvens in peccato mortali, & ſub gravi ab Eccleſia prohibitus adminiſtrare ſacramenta.

5. D. N. 13. dixiſti de contritione, quęro an debeat eſse dolor ſuper omnia.

M. Debet eſse dolor ſuper omnia appretiative, non intenſivè. Fœmina plorans, & ejulans de morte viri, non ejulans, neque plorans de peccato mortali à ſe commiſso, oſtendit majorem dolorem de amiſſione viri, quam de offenſa Dei, ſed eſt dolor major intenſive; nam appretiative magis appretiat, & æſtimat Deum, quam virum; quia Deum reſpicit, ut finem ultimum; At virum ad ſummum reſpicit ut finem proximum; proptera reſpicit ſubordinatè ad Deum; ideòque ſi conſtitueretur ita, quod vel Deum deberet offendere, vel perdere virum, eligeret potius perdere quinquaginta viros, quam peccare mortaliter.

6. D. Quotuplex eſt dolor ſufficiens ad confeſſionem?

M. Dolor peccatorum, qui debet præcedere confeſſionem, ut eſt ſecunda pars materialis ſacramenti Pœnitentiæ, eſt duplex, ſcilicet, Contritio, & Attritio: Contritio eſt dolor de offenſa Dei, ut eſt ſummum bonum: Attritio autem eſt dolor de offenſa Dei, ortus ex timore pęnarum gehennæ, vel omiſſionis gloriæ, vel turpitudinis peccati. Porrò noſtris temporibus acerrimè diſputatur, an hæc Attritio præcedens confeſſionem, debeat eſse conjuncta cum initiali amore Dei, propter ſe dilecti, & ex benevolentia. Hic ego nolim decidere quæſtionem, quam neque decidunt Examinatores Urbis, obedientes decreto ſuper hoc emanato ab Alex. VII. Tamen exigunt, quòd Attritio habeat reſpectum ad Deum; & omninò reiiceretur, qui reſponderet ſufficere Attritionem abſque iſto reſpectu. An hic reſpectus importet amorem benevolentiæ, viderint alii. Juxtà intelligentiam hanc Examinatorum reſpondeant examinandi. Quid ego ſen-

Digitized by Google

ſentiam erui poteſt tum ex hoc, tum ex aliis meis operibus. In *Inſtruct. pro ordinandis* c. 8. n. 19. habes utrumque actum, & curabis habere memoriter, quia ſæpius illum exigunt Examinatores Urbis, etiam ab approbandis pro confeſſione. In eo loco nominavi Attritionem, uti dolorem imperfectum conſueverunt appellare Scholaſtici antiquiores; nec propoſui, nec verò debui proponere initiandis primâ Tonſurâ, utrum includeret amorem benevolentiæ, ſicuti nec expreſſerunt apertè Scholaſtici.

7. D. Si Pœnitens diceret: *Doleo, quia promervi infernum, ſed ſi non eſſet infernus, utique peccarem*, iſte dolor præpararetnè ad ſacramentum Pœnitentiæ?

M. Non præpararet, quia ex Trid. ſeſſ. 14. c. 4. timor præparans ad impetrandum in ſacramento Pœnitentiæ gratiam, cum ſpe veniæ debet excludere voluntatem peccandi; Talis verò Pęnitens cum tali dolore conjungit propoſitum peccandi.

8. D. Dolor uterque, ut neceſſarius ad confeſſionem debetnè eſſe ſupernaturalis?

M. Tam Attritio, quàm Contritio ad ſacramentum debent eſſe ſupernaturales. Contrarium damnavit Innocentius XI. prop. 57.

9. D. Quomodò cognoſcere poterit Confeſſor, an dolor in pęnitente ſit ſupernaturalis?

M. Cognoſcere poterit id, quia ut ſit ſupernaturalis, debet eſſe regulatus lumine fidei: nam hoc lumen eſt principium ſupernaturalitatis.

10. D. Sufficitnè; ſi doleam me offendiſſe Deum, quia timeo puniri ab ipſo malis temporalibus?

M. Non ſufficit, quia iſte dolor non eſt regulatus lumine fidei: nec enim fides docet peccanti imminere mala temporalia, ſed æterna.

11. D. Optime dixiſti n. 6. ex Trid. Attritionem poſse oriri ex turpitudine peccati; At hanc naturaliter cognoſcimus?

M. Id utique dixi, ſed tunc debet oriri ex conſideratione turpitudinis peccati revelatæ à Deo.

12. D. A n. 17. S. Carolus vult interrogari approbandum, circa confeſſionem, quæ eſt ſecunda pars materialis Pęnitentię ſacramenti, preexigens examen conſcientiæ; ſuper hoc peto, ad quid requiratur examen?

M. Requiritur ad hoc, nè quis exponat ſe periculo tacendi aliquod peccatum in confeſſione.

13. D. Qui paulò ante confeſsus, eſſet certus moraliter, ſe non habere, niſi unum peccatum, teneretur nè ad examen?

M. Non teneretur, quia non ſe exponit periculo alia omittendi: cæterum nemo eſt; qui ante confeſſionem, omittat conſiderare ſuam conſcientiam.

14. D. Qui omiſsa per annum confeſſione, poſteà ſine ullo examine, diceret omnia peccata, eò quia caſu omnia memoriæ obvenerunt, confiteturnè valide?

M. Invalidè confitetur, imò ſacrilegium committit: verè enim ſe periculo exponit: de rebus enim judicamus, non ut caſu contingunt; ſed ut per ſe ſequuntur.

15 D. Quantum temporis homo debet inſumere in examinanda conſcientia?

M. Quantum temporis inſumunt prudentes in conſiderando gravi aliquo negotio; quale eſt ſalus animæ. Porrò alii plus, alii minus temporis inſumunt, juxta cujuſque capacitatem.

16. D. Confeſſio debetnè eſse integra?

M. Utique debet eſse integra; & quidem homo debet curare, quantum poteſt, ut ſit integra materialiter; ſed ſi ex aliis cauſis ſufficientibus non poſſit id contingere, debebit eſse integra ſaltem formaliter.

17. D. In quo conſiſtit confeſſionis integritas materialis, & formalis?

M. Confeſſio dicitur integra materialiter, quando pęnitens confitetur omnia peccata; quæ verè commiſit, explicans ſpeciem, numerum, & circumſtantias neceſſarias: Dicitur verò integra formaliter confeſſio, quando dicit omnia peccata, quæ poteſt phyſicè, aut ſaltem moraliter, cum animo dicendi cętera ſuo tempore, & cum dolore univerſali: Utramque integritatem debet habere confeſſio, ſed ſi prima non poteſt eſse, ſaltem ſit ſecunda.

18. D. Poteſtnè invalida eſse confeſſio materialiter Integra?

M. Utique poteſt eſse invalida, ſi deficiat aliquod ex requiſitis eſsentialibus ad validam confeſſionem, v. g. dolor &c.

19. D.

19. D. Eſtnè invalida omnis confeſſio deficiens in examine debito?

M. Si debeat fieri, & poſſit fieri, certè invalida eſt confeſſio; ſed ſi non poſſit fieri, ut accidit oppreſſo ſubita apoplexia, tunc, ſi faciat, quantum poteſt, erit valida. Ratio eſt, quia ut peccemus in omittendo noſtrum debitum, requiritur, quod non ſolum debeamus, ſed etiam poſſimus ſolvere.

20. D. Eſtnè integra confeſſio, in qua feci examen conſcientiæ, ſed non quantum debui, & potui?

M. Non eſt integra, quia pecco, ſi omitto, quod debeo, & poſſum facere?

21. D. Poteſtnè invalida eſſe confeſſio formaliter integra?

M. Non poteſt eſſe invalida, quia recipio ſacramentum, ubi dico peccata, quæ poſſum, habeo animum dicendi cætera ſuo tempore, & dolorem univerſalem omnium ſufficientem, quæ conſtituunt confeſſionem formaliter integram.

22. D. Quid excuſat nos à facienda confeſſione materialiter integra?

M. Impedimentum aliquod, vel phyſicum, vel morale: phyſicum eſt in eo, qui, facto examine debito, in vincibiliter obliviſcitur, vel qui non poteſt loqui &c. Morale in eo, qui recordans peccati teneretur reveiare complicem, v.g. ſi cognatus Parochi abuſus fuiſſet ſua uxore, Parochus autem audiens hoc veniret in cognitionem, quod ſua ſoror peccaſſet hoc grande peccatum: In hoc caſu Cognatus tenetur adire alium Confeſſorem; ſed ſi non commodè poteſt, dicitur habere impedimentum morale ad faciendam confeſſionem materialiter integram. Caſus alios ſimiles facilè tibi potes efformare.

23. D. Poteſtnè dimidiare confeſſionem, qui timet, ne Parochus perdat exiſtimationem, quam prius habebat de ſe ipſo?

M. Hoc non eſt ſufficiens motivum, quia Chriſtus imò inſtituit hoc ſacramentum, ut nos detegeremur peccatores coram Confeſſore, qui tenet locum Dei.

24. Eſtnè ſufficiens motivum, ſi timerem, quòd Confeſſor aliis revelaret mea peccata; unde apud alios perderem exiſtimationem?

M. Hoc eſt ſufficiens motivum: quia Chriſtus Dominus præcipiendo confeſſionem, voluit ſolum nos cedere juri famæ in ordine ac ipſum Confeſſorem; at in reliquis voluit ſervari jus naturale ad propriam famam.

25. D. Quia dixiſti num. 17. ad integritatem formalem confeſſionis requiri dolorem univerſalem, propono ſequentem caſum: *Petrus, facto examine debito conſcientiæ, ex duodecim peccatis invincibiliter obliviſcitur duo, & de illis decem habet dolorem particularem*: peto, à quibus abſolvatur?

M. A nullis abſolvitur, non à duobus invincibiliter oblitis, quia de illis nullum habet dolorem, nec poteſt abſolvi à peccatis, quæ non retractat: ſed nec à decem confeſſis, quia nemo ſperare poteſt à Deo dimidiatam veniam; ſed mortalia, vel omnia remittuntur, vel nulla.

26. D. Cur non poteſt dici, quòd decem remittantur directè, & indirectè illa duo?

M. Quia, ut peccata remittantur indirectè, debemus de illis dolere ſaltem in univerſali.

27. D. Igitur invalida eſſet confeſſio, ſi Petrus illa decem confitens diceret: *Doleo de his decem, quia per hæc decem offendi Deum ſummè bonum, vel quia per illa decem promervi gehennam?*

M. In hoc caſu validè confiteretur, quia dolor eſt univerſalis: etenim eſtò deſignet materialiter illa decem in particulari, tamen formaliter dolor eſt univerſalis, quia ratio formalis, ſub qua doleo, ſe extendit ad omnia peccata mortalia.

28. D. Quid ſi illa decem, quæ Petrus confitetur, eſſent contra juſtitiam, & duo, quæ invincibiliter obliviſcitur, eſſent contra Caſtitatem; diceretque. *Doleo de peccatis confeſſis, quia ſunt contra pulchritudinem juſtitiæ revelatam à Deo?*

M. In hoc caſu invalidè confitetur, quia dolor etiam in ſuo motivo eſt particularis, non deſtruens omnia mortalia, ſed tantum mortalia, quæ ſunt contrà juſtitiam. Porrò ut hæc omnia evitentur. Confeſſor curabit ſemper inducere pœnitentem, ut doleat de omnibus peccatis vitæ ſuæ, ſpecificando, quod etiam dolet de oblitis, & curabit, quòd doleat ex motivo univerſali ſufficiente, ex ſe deſtruere omne peccatum, ut quod offendit Deum quia ſummè bonum &c.

29. Mendacium in confeſſione redditnè illam invalidam, & ſacrilegam?

M. Si in ordine ad confeſſionem, grave ſit mendacium, erit utique ſacrilega, & invalida: ſi ſit leve, in ſe, ſed materia totalis, erit etiam ſacrilega, & invalida, eò quia eſt grave peccatum apponere pro materia remota confeſſionis, quod non poteſt eſſe: At ſi non ſit materia totalis, non erit ſacrilega, neque invalida.

30. D. S. Carolus præcipit num. 29. approbandos ad confeſſiones interrogari ſuper tertia materiali parte hujus ſacramenti, quarè peto an ſub mortali Pœnitens teneatur adimplere pœnitentiam ſibi à Confeſſore injunctam?

M. Sub mortali tenebitur, ſi pœnitentia ſit gravis; At ſub veniali tantum, ſi pœnitentia ſit levis.

31. D. Quanto tempore poteſt ſine mortali peccato differri adimplementum Pęnitentiæ?

M. Non eſt determinatum tempus, in quo ſub mortali teneamur adimplere pœnitentiam; certum eſt quòd tenentur adimplere opportuno tempore, ubi commodè heri poteſt. Ex Rituali adducto part. 1. c. 7. n. 15. Confeſſor ante omnia debet interrogare pęnitentem, *an impoſitam pęnitentiam adimplevèrit*, & ubi videt elapſum fuiſſe congruum tempus, in quo commodè poterat adimplere, niſi aliud ſuadeat urgens neceſſitas, non audiat, niſi prius adimpleat; Adimpleta autem, inducat, quod ſe accuſet illam diſtuliſſe per tantum tempus; nam ita ſe accuſans, confitebitur, ſi peccavit mortaliter in omittendo.

32. D. Confeſſor impoſuit mihi jejunium in vigilia S. Antonii, non jujunavi, teneorne jejunare alia die?

M. Teneris, quia principaliter impoſuit tibi jejunium ad ſatisfaciendum pro peccatis, & huic ſatisfactioni (ſed minùs principaliter) voluit adjungi actum Religionis, referendo in honorem Sancti: quarè peccaſti mortaliter non ponendo hunc actum Religionis, & quia remoto minus principali, adhuc remanet magis principale, teneris ſubſtituere aliam diem.

33. D. Teneturne Pœnitens acceptare pœnitentiam à Confeſſore injunctam; an poteſt recuſare, dicendo, quod vult agere pœnitentiam in Purgatorio?

M. Ita docuerunt aliqui, ſed tu cave ab iſta doctrina, ob motiva, quę hic non convenit proponere. Tridentinum ſeſſ. 14. c. 8. ait, quod Sacerdotes *debent injungere ſatisfactiones*, & quod claves conceſſæ ſunt *ad ligandum etiam* per impoſitionem pęnitētiæ: Confeſſor eſt Judex, & nemo poteſt recuſare pęnam ſibi à Judice inflictam.

34. D. *N.* 3. præcipit S. Carolus approbandum examinari ſuper ſigillo confeſſionis; quarè peto, an violetur, ſi Petro interroganti me, quid confeſſus fuerit Paulus, reſpondeam, *Paulus confeſſus fuit ſua peccata*.

M. Si Petrus vidit Paulum confitentem, & quærat, quid confeſſus fuerit, non violas ſigillum dicendo, *Confeſſus eſt peccata*: etenim omnes ſciunt, quod materia confeſſionis ſunt peccata, quarè nihil revelas, eo ipſo, quod non dicis peccatum particulare: Si verò Petrus neſciat Paulum fuiſſe confeſſum, requiritur tunc magna prudentia: etenim aliquando ex cauſis juſtiſſimis homo vult neſciri, quod confeſſus fuerit, & tunc male agis dicendo, *Talis vir acceſſit, ut illum audirem in confeſſione*. Aliquando non ſolum eſt neceſſarium dicere, ſed etiam in ſcriptis teſtari, ut in Urbe contingit reſpectu infirmorum ex p. 1. c. 10. n. 8. & plures viri nobiles, volunt quolibet menſe fidem in ſcriptis, quod familia acceſſerit ad hoc ſacramentum: Confeſſor videat circumſtantias, & curet prudenter operari.

35. D. Quomodo dignoſcam, quòd Pœnitens nolit detegi ſe fuiſſe confeſſum?

M. De hoc non poſſunt produci regulæ generales, quia pendet ex mille circumſtantiis; attamen ſi videas pœnitentem venire ad te in occultò, de nocte, habitu ementito &c. tunc certò judicabis, quod non vult detegi.

36. D. Violone ſigillum, ſi dico: *Petrus eſt adeo purus, ut in confeſſione confeſſus fuerit tale verbum otioſum?*

M. Nunc certe violas: quod alii ex natura ſacramenti ſcire nequeunt, tu jam in particulari publicas, ſolum habens ex confeſſione ſacramentali?

37. D. Quid facere debeo, cum à me fidem confeſſionis petit, qui non fuit abſolutus ob ſuam indiſpoſitionem?

M. Nō potes dicere, quod abſolviſti, quia mentireris: ergo teſtaberis, quod ille apud te fuit confeſſus, quia hoc eſt verum.

38. D. Sed jam ſuſpicabitur me non abſolviſse, qui comparabit meam hanc fidem

cum

cum aliis pluribus, in quibus teſtatus fui me cæteros abſolviſſe?

M. Hoc eſt veriſſimum: quare nunquam facies fidem, quòd abſolveris, ſed ſemper ſcribes, quòd audieris confeſſionem talis, vel talis &c.

39. D. Parochus in confeſſione ſcit impedimentum dirimens, cum quo tamen, finita confeſſione, volunt contrahere, poteſtné aſſiſtere matrimonio?

M. Non ſolùm poteſt, ſed tenetur aſſiſtere, nam extra confeſſionem debet ita ſe gerere, ac ſi nunquam ſciviſſet: neque enim ſcivit, ut homo, ſed ut Deus.

40. D. Ex confeſſione ſcio Petrum eſſe indiſpoſitum ad ſacramentum Euchariſtię, quòd tamen poſtea petit inter me, & ipſum ſolum, teneorné adminiſtrare?

M. Teneris, quia non potes uti ſcientia ex confeſſione acquiſita, etiam cum ipſo pœnitente extra confeſſionem; imò neque in ſequenti confeſſione potes loqui de præcedenti, niſi pœnitens ipſe concedat formaliter, vel virtualiter, ut in caſu, quòd ipſe memoraret aliquid, ut dictum in præcedenti.

41. D. Sed quid ſi non obligavi Petrum ad reſtituendum, & fini a confeſſione, recordor obligationis?

M. In hoc caſu debes petere priùs licentiam à Pœnitente, quem admonebis, ubi concedat; ſi verò neget, ſatisfeciſti tu ſufficienter muneri tuo.

42. D. Quid faciam, ubi ad me accedit Hebræus, qui ſimulat ſe Chriſtianum, & in confeſſione fatetur ſe Hæbræum, & etiam aliqua furta: deprecatur autem, ut ſaltem illum benedicam, quò poſſit accedere ad Euchariſtiam in Paſchate, ne detegatur Hæbræus, & cum tota familia comburatur?

H. Hæbræus duo in hoc caſu exponit: primò furtum, quod eſt contra bonum privatum: ſecundò ſimulationem Religionis Chiſtianæ: quod eſt contra bonum publicum: primum teneris cælare ex ſigillo naturali: neutrum teneris cælare ex confeſſione: quia ſigillum ejus obligat, quando eſt animus confitendi, licet alias ſacrilega ſit confeſſio: At ſi non adſit confeſſio, ſed ſola ſimulatio confeſſionis, tunc non teneris ex ſigillo; ſed imò ſtatim denunciare teneris Sanctæ Inquiſitioni, & generaliter, ubi accedit infidelis abſque Baptiſmo non eſt confeſſio, quia baptiſmus eſt janua ſacramentorum?

43. D. Dicendumné eſt idem, ſi confeſſionem ſimulans accedat ad me, ut hac via me inducat ad rebellionem contra Principem.

M. In hoc caſu non valet ſecunda ratio, quia eſt Chriſtianus; ſed valet prima: nam ſigillum obligat, quando eſt confeſſio, non ſimulatio confeſſionis.

44. D. In capitulo ſumus octo, & diviſi; nam quatuor inclinant in Paulum; & ego cum aliis tribus inclinamus in Petrum, quem ex confeſſione agnoſco eſſe Hæreticum, & ambire Epiſcopatum, ut inficiat totam Diœceſim, poſſumné ex auditis in confeſſione, Petro denegare meum ſuffragium, præſertim quod hæc ſuffragia, & vota dantur ſecreta, ita quòd nunquam ſcietur me denegaſſe?

M. Non poteſt hoc fieri, & id prohibuit Sancta Inquiſitio. Vide p. 1. c. 13 n. 5. ratio eſt, quia de auditis in confeſſione debeo ita me gerere, ac ſi nullatenus unquam ſciviſſem.

45. D. Hæc circa articulos, ſuper quibus S. Carolus vult interrogari, approbandos ad confeſſiones, habebit in promptu, & ut dici ſolet ad manus, ſtrictè, & ad propoſitum, reſpondens interrogationi factæ: in quo plurimum erratur: nam alii divertunt ad caſum nullatènùs petitum juxta illud: *Quo vadis*; *Servio Fratribus*; nec enim peto, cui inſervias, ſed quò vadas; Alii reſpondere ſemper volunt conditionatè. Alii proponunt adeſſe Authores, qui caſum taliter, aut taliter decidant; Examinandi notent hæc omnia, ſciantque prudentem virum ſe accomodare conſuetudini regionis, in qua vivit, præſertìm ſi conſuetudo ſit rationabilis.

46. Vidiſti S. Carolum nihil inſinuaſſe quærendum circa Indulgentias, per quas Deo curamus ſatisfacere pro pęnis; quæ nobis ſolvendæ ſuperſunt in Purgatorio. Earum ſanè intelligentia non eſt omnimodè neceſſaria Confeſſori ordinario, nihilominùs Examinatores Urbis, præſertim in ſolemnioribus Indulgentiis, conſueverunt interrogare approbandum ad confeſſiones ſuper generali notitia Indulgentiarum; propterea tacta ſunt p. 1. c. 23. quædam univerſaliora circa illas; nec erit ingratum Lectori, ſi noſtram methodum ſequentes, aliquid compendio repetamus. Igitur.

47. D. Quid eſt Idulgentia?

M. In-

Digitized by Google

M. Indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ peccatis, quorum reatum diluimus jam, ſaltem per ſufficientem dolorem, facta vi clavium, juxta conditiones impoſitas ab habente poteſtatem concedendi Indulgentias.

48. D. Quid applicatur nobis per Indulgentias?

M. Nobis applicantur ſatisfactiones Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, & Sanctorum. Quia opus omne meritorium, eſt etiam ſatisfactorium, nec Chriſtus, & B. Virgo habuerunt ſatisfacere pro peccatis propriis, & Sancti complures, magis paſſi ſunt, quam mererentur eorum peccata, horum omnium ſatisfactiones repoſitæ ſunt in theſauro Eccleſiæ indeficienti; & ſicuti reliqui Reipublicæ theſauri diſtribuuntur civibus ab habente poteſtatem, ita hic ſatisfactionum theſaurus.

49. D. Quæ differentia eſt inter Indulgentiam plenariam, & Jubilæum?

M. Utrumque remittit omnem pœnam; ſed in Jubilæo conceditur amplior facultas abſolvendi.

50. D. Quæ facultas abſolvendi conceditur in Jubilæis?

M. Non poteſt hic particulariter aſſignari, quia hoc dependet à voluntate Papæ: in facti contingentia prudens Confeſſor prius legat formam Jubilæi, & ad illius amuſſim curabit, ut pœnitentes exequantur opera injuncta, quò ſecurius lucrari poſſint Jubilæum.

51. D. Poteritnè Confeſſor abſolvere ab hæreſi, quando forma Jubilæi dicit poſſe Confeſſorem abſolvere ab omnibus caſibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ?

M. Niſi ſpecialiter concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi, non intelligitur conceſſa in illa formula, quamvis ampliſſima; nam ita declaravit Alexander VII.

52. D. Tenemurnè confiteri peccata, de quibus lucrari volumus Indulgentiam?

M. Hoc totum dependet à voluntate Pontificis expreſſa in formula Indulgentiæ: propterea ubi exigitur confeſſio, illorum peccatorum pœnæ tantum remittentur, quæ confeſſi fuimus.

53. D. Requiriturnè dolor de peccatis?

M. Semper dolor iſte requiritur; quia non poteſt remitti reatus pænæ, niſi primum ſit remiſſus culpæ reatus.

54. D. Hinc ſequitur, quòd pauciſſimi lucrentur Indulgentiam plenariam de peccatis venialibus, quia pauciſſimi habent dolorem ita perfectum, qui delere valeat reatum omnis culpæ venialis?

M. Hoc eſt veriſſimum; ſed tantum lucramur Indulgentiam de illis peccatis, de quibus dolemus; & de his ſanè plenariam, ita ut ſi primum deleamus reatum culpæ, nobis remittatur omnis pœna, quam deberemus luere in Purgatorio pro illis peccatis.

55. D. Lucraturnè Indulgentiam, qui quidem viſitat Eccleſiam, ſed ſine intentione lucrandi?

M. Hic non lucratur; nam viſitatio eſt indeterminata ad talem effectum; & ſolum determinatur ex intentione viſitantis. Vide rationem hanc univerſalem ex S. Th. p. 1. c. 12. n. 7.

CAPUT LXVI.

Recapitulantur dicta de Excommunicatione, & inſeruntur quædam magis generalia de Suſpenſione, Interdicto, & Irregularitate.

1. SAnctus Carolus ex c. 72. n. 22. & 23. vult ab examinando ad confeſſiones experimentum ſumi, an ſciat, *quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ: An item illarum peritiam, & vim teneant: An caſus, in quibus irregularitatis macula contrahitur*: & quidem caſus, in quibus, & Irregularitas, & Cenſuræ contrahuntur, habes in Alphabeto p. 1. c. 20. Solum igitur earum vis eſt hic recapitulanda, in confuſo tamen, & in generali, quantum ſufficit Confeſſori ordinario.

2. Quot ſunt genera pœnarum Canonicarum.

M. Sunt plura: nam Eccleſia privat ſuos fructibus beneficiorum, inhabilitat ad beneficia, privat voce activa, paſſiva &c. ſed tamen principaliores pœnæ Canonicæ ſunt tres, illæ, ſcilicet, quas forma abſolutionis ex Rituali exprimit, *Suſpenſio*, *Interdictum*, & *Excommunicatio*. De his notitiam ſpecialiter exigit S. Carolus in approbando ad confeſſiones.

3. D. Quid eſt Suſpenſio.

M. Eſt cenſura Eccleſiaſtica, privans uſu Eccleſiaſtici officii, vel Beneficii, vel ordinis, in totum, vel in partem.

4. D. Quomodò ſciri poterit, ſi

privet

privet in totum, vel in partem?

M. Legendo decretum Superioris, in quo talis cenſura imponitur; & ſi nihil exprimatur, id explicabit Judex.

5. D. Peccatnè mortaliter exercens id, à quo eſt ſuſpenſus?

M. Utique peccat mortaliter, & ſi ſuſpenſus ab executione Ordinum, illos exerceat, fit irregularis.

6. D. Ut plus incurrat pœnam ſuſpenſionis, requiriturnè peccatum mortale?

M. Non ſemper requiritur, ſed incurri poteſt etiam propter peccatum veniale.

7. D. Incurritnè illam homo, quoties faciet opus, cui eſt annexa ſuſpenſio?

M. Ut quis incurrat ſuſpenſionem operi annexam, debet ſcire hanc ſuſpenſionem, & ignorantia, etiam probabilis, dummodò non ſit ſupina, & craſſa, excuſat ab incurſu. Ita ex c *Ut animarum* de conſt. in 6. Confeſſor tamen ex ſe ipſo non judicet, an hìc, & nunc ignorantia talis fuerit, ſed relinquat Superiori judicium, præſertim in iſtis materiis, quæ, ut plurimum, ſunt fori exterioris. Cæterum hæc de ſuſpenſione ſufficiunt Confeſſiori ordinario, qui ab illa non poteſt abſolvere, ſed debet remittere pœnitentem ad ſuum legitimum Superiorem.

8. D. In Jubilæo poteritnè ab illa ſimplex Confeſſor abſolvere?

M. Conſule ſemper Jubilæi formam prius; & juxta illam age. Idem dic de Regularibus, qui debent conſulere ſua privilegia; & quando ad hoc extendantur, debebunt ſe gerere, ſicut ſe gerunt circa excommunicationem ex Bulla Clem. X. adducta p.1.c.9.n.5.

9. D. Quid eſt Interdictum?

M. Eſt cenſura Eccleſiaſtica prohibens uſum quarundam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenùs talis eſt.

10. D. Quotuplex eſt Interdictum?

M. Cum plures aſſignentur diviſiones, videbit eas Confeſſor ordinarius apud Authores. Illi ſufficiat principalem diviſioſionem in Interdictum locale, & perſonale: primum eſt, quando interdicitur locus, nè in eo celebrentur divina: ſeundum quandò interdicitur perſonæ aſſiſtere divinis.

11. D. Poteſtnè homo tempore interdicti aſſiſtere divinis.

M. Diſtingue ſi perſonale ſit interdictum, non poterit, quouſque durat interdictum: ſi autem ſit locale, homo, qui non fuit cauſa interdicti, accedens ad locum non interdictum, poterit aſſiſtere.

12. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut homo incurrat interdictum?

M. Generale interdictum nullis divinis aſſiſtendi, vel ſit locale, vel perſonale, ſemper eſt graviſſima pœna; quare non incurritur, niſi ob peccatum mortale conjunctum contumaciæ, quando tamen eſt locale, non debet eſse peccatum illorum omnium, quibus divina interdicuntur, ſed ſufficit, quòd peccaverit caput, ſeù Princeps, eſto ſubditus ſit innocentiſſimus.

13. D. Tempore Interdicti poſſuntnè conferri aliqua ſacramenta, vel celebrari aliqua divina?

M. Circa hoc multa videbis apud Authores: multa etiam indulgent Sacri Canones, quæ tamen non eſt neceſse hìc colligere pro Confeſsoribus ordinariis: primò quia noſtris temporibus rara ſunt admodum interdicta, præſertim in noſtris partibus, quarum Confeſsarii hæc ſcribuntur; & debent ſcire tantum ordinariè contingentia: ſecundò: quia Confeſsor ordinarius, ſi caſus contingat, debet recurrere ad Epiſcopum, ut ex illo diſcat, quam latum ſit interdictum, & quomodò debeat ſe gererere circa quælibet ſacramenta, nec non adminiſtrationem ſingulorum divinorum.

14. D. Quid eſt Excommunicatio?

M. Eſt cenſura Eccleſiaſtica privans hominem Chriſtianum aliquibus bonis Eccleſiæ.

15. D. Quotuplex eſt Excommunicatio?

M. Eſt duplex: Alia minor, alia major. Excommunicatio minor privat ſuſceptione paſſiva ſacramentorum. Major privat uſu activo, & paſſivo ſacramentorum, ita ut neque poſſit recipere, neque conferre ſacramenta. Quòd ſi excommunicatus ſit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percuſsor, tùnc etiam privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, juriſdictione Eccleſiaſtica, & communicatione civili cum cæteris fidelibus.

16. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut incurratur excommunicatio minor?

M. Non requiritur, ſed ſufficit veniale; nam ſalutando excommunicatum denuntiatum, vel publicum Clerici percuſſorem, incido in excommunicationem mino-

minorem, & tamen talis ſalutatio, ex communi Doctorum, non eſt mortale peccatū.

17. D. Peccatnè mortaliter, qui excommunicatus minori excommuniatione ſuſcipit ſacramenta?

M. Suſcipiens peccat mortaliter, ſed non adminiſtrans, quia prohibitus eſt ſuſcipere, non conferre.

18. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut incurratur excommunicatio major?

M. Requiritur peccatum mortale, quia eſt pœna graviſſima, & qua majorem non habet Eccleſia..

19. D. Excommunicatio major invenitur annexa quibuſdam actionibus, quæ non videntur eſſe poſſe peccata mortalia, ut eſt ſumere Tabacum in Eccleſia S. Petri?

M. Hujuſmodi actiones de ſe quidem ſunt indifferentes; At ſit regula generalis: Hoc ipſo, quòd Eccleſia prohibet aliquid ſub excommunicatione majori, intelligitur illud prohibere ſub mortali.

20. D. Ignorantia excuſatnè ab incurſu excommunicationis majoris?

M. Ex c. *Ut animarum* de conſt. in 6. excuſat ignorantia, quæ non ſit ſupina, & craſſa. Vide tamen dicta n. 7. nam quia excommunicatio ex n. 18. eſt graviſſima pœna, requiritur contumacia.

21. D. Cujus eſt abſolvere ab excommunicatione?

M. Si excommnnicatio eſt lata ab homine, debet abſolvere, qui excommunicavit, vel ejus Superior; Si lata à jure, quando non exprimitur eam reſervari, quilibet Confeſſor poterit abſolvere.

22. D. Quoties imponitur pœna excommunicationis, incurriturnè ſtatim poſt patratum delictum?

M. Si prohibeatur aliquid *ſub pœna excommunicationis*, & addatur *ipſo facto incurrenda*, vel verbum æquipollens, immediatè poſt patratum delictum eſt excommunicatus, licet non ſit vitandus, niſi denuncietur &c. Sed ſi non addatur illa particula, ut ſit excommunicatus, requiritur ſententia Judicis: quare ubi agitur de excommunicationibus, Confeſſor cautè procedat, & primùm videat, num talis particula ſit inſerta, ob plura peccata, & pœnas, quæ conſequuntur inde: nam ſi prohibeatur aliquid Sacerdoti, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, & poſteà celebravit, totiès mortaliter peccat, quoties celebrat, & ulterius ſit irregularis: quòd non contingit, ſi talis particula deſit. Quarè in his caſibus, Confeſſor accipiat ſemper tempus, ut conſulat decretum excommunicationis, alioſque doctiores.

23. D. Aliquando non poteſt petere tempus à Pœnitente, v. g. ſi accedat ultimo die Paſchatis?

M. Etiam in ultimo die Paſchatis poteſt accipere tempus; nam in c. *Omnis utriuſque* relinquitur prudenti judicio Confeſſoris differre communionem pænitenti.

24. D. Sed quid, ſi talis excommunicatus eſſet in articulo mortis, in quo nequit differri communio?

M. In hoc caſu juxta doctrinam S. Th. traditam c. 18. nu. 8. ad dandum efficacius remedium, curabis, ut ; ille pænitens ſe accuſet, quaſi facto ipſo incurrerit excommunicationem, & quaſi ſemper peccaverit mortaliter in celebrando &c. ſic tamen ut addat peccata certa reliquæ ſuæ vitæ.

25. D. Quid eſt Irregularitas?

M. Eſt impedimentum canonicum, quo quis prohibetur ſuſcipere Ordines, vel exercere ſuſceptos.

26. D. Requiriturnè peccatum mortale, ut contrahatur Irregularitas?

M. Non requiritur, ſed imò ſæpè contrahitur ex actione etiam virtuoſa: nam Judex (qui tenetur damnare morti reum, meretur per tale judicium, imò peccaret, ſi non addiceret morti) ſit Irregularis, dum ex ſua ſententia ſequitur mors.

27. D. Scio adeſſe irregularitatem ex defectu, & ex delicto, ſed exiſtimo non contrahi hanc ſecundam; ubi homo ignorat hanc irregularitatem; & ita qui procurat abortum animatum, neſciens homicidio annecti irregularitatem, poterit promoveri, quia talis irregularitas eſt pæna, & pænam ignorantes non incurrunt?

M. Irregularitas eſt introducta principaliter ob reverentiam ſacramenti, & ob hoc motivum non eſt pęna, quidquid ſit, an minus principaliter, ut eſt ex delicto, debeat reſpici ut pæna; & propterea etiam ignorans incurrit hanc irregularitatem.

28. Quis fortè mirabitur S. Carolum nihil exegiſſe ab examinandis circa Conſuetudinarios; Idem dic de conſtitutis in periculo proximo, de Recidivis &c. de quibus dictum eſt p. 1. c. 22. ſed jam circa primos, ejuſdem S. Paſtoris adſunt copioſa monita p. 1. c. 11. à n. 18. quæ priuſquam ſe præſentet examini approbandus, releget plu-

ries;

ries; illaque proponens erit gratus Examinatoribus; At gratior Deo illa reducens ad praxim, ubi confeſſiones audiet. Porrò conſtitutus in periculo proximo eſt æquè tractandus, ac conſtitutus in occaſione proxima, ut nihil propterea ſuperſit addendum. Pariter circa Recidivos nihil recapitulo, quia dirigendi ſunt magis prudentia in factis particularibus, quàm per regulas generales: etenim ſi cognoſcatur frequentia ſacramenti prodeſſe, quò abſtineant, abſolutio non erit differenda; ſed ſi frequentia cognoſcatur generare contemptum, nec diminuere peccata, ut ſæpè contingit in hominibus alioqui piis, eadem ſemper peccata venialia accuſantibus in ſacramento, tunc certè, quò ſint cautiores, differri debebit ad tempus abſolutio.

CAPUT LXVII.

Inſtruitur Confeſſor in praxi circà ſuum miniſterium.

1. MUlta huc uſque diximus pro inſtructione Confeſſorum, & certè non inutilia in iis, quæ accepi ab Angelico Magiſtro; ſed, ſi licet hic Evangelii textum applicare, poſt tot dicta, non adhuc doctus erit Confeſſor. Matth. 13. dicitur: *Omnis Scriba* (quo nomine venit etiam Confeſſor) *doctus in regno cœlorum ſimilis eſt homini Patri familias, qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera.* Regulæ generales, & ſcientia Theologiæ Moralis dici poſſunt *vetera*; & *nova* dici poſſunt ipſa praxis exercendi triplex munus Confeſſoris; quare in regno cœlorum, *quæ præſentis temporis Eccleſia dicitur*; ille ſolus eſt Confeſſor doctus, qui conjungit ſcientiam prudenti praxi, & propterea Rituale adductum p. 1. c. 7. num. 7. exigit ambo hæc, nec qualitercumque, ſed *quantam poteſt maximam ſcientiam, atque prudentiam*. Amborum neceſſitatem noverunt in Urbe Patres Societatis Jeſu, qua propter pro zelo animarum, quo fervent, aperuere jam à pluribus annis, quam vocant Academiam Caſuum Conſcientiæ quolibet die Mercurii; & in ea primò provident ſcientiæ: nam Religioſus ad id deputatus, auditis primò confluentium opinionibus ſuper nonnullis caſibus propoſitis, decidit omnes in favorem veritatis, & firmat efficacibus rationibus: ſecundò conſulunt Prudentiæ: nam aliquo Sacerdote Pœnitentis officium gerente, alter gerit officium Confeſſoris; & Pater deputatus pro ſua prudentia dirigit ambos, quò quilibet in praxi doceatur gerere ſuum officium: Utiliſſimum ſanè foret, ſi plures in ſingulis Urbibus aperirentur hujuſmodi Academiæ.

2. Sed mirabiliter promovit hanc ſcientiam prudentiæ junctam Reverendiſſimus P. Jacobus Riccius, dignus frater clar. mem. Michaelis Angeli Cardinalis Riccii, Procurator Generalis totius Ordinis Prædicatorum, Lector publicus in Archigymnaſio Sapientiæ, nec non Cleri Apoſtolicus Examinator in Urbe, qui hanc methodum invexit, ut in examine circà utramque ſumeretur experimentum ab approbandis ad confeſſiones; & eo quidem fructu, ut omnes fateantur hanc eſſe veram examinis methodum; licet primo aſpectu terreat, præſertim doctiores, nullibi aſſuetos hanc viam calcare, ſed ubique, imò ſcholaſticè reſpondere. Quo igitur in poſterum nemini videatur aſpera, pro coronide totius operis, placuit illam hic breviter elucidare: Non omnia proponi poſſunt, quia caſus in praxi ſunt infiniti, & infinitè variabiles; attamen ex pede poterit cognoſci Gigas, & approbandus ad confeſſiones, dummodò prudentiæ aliquod in ſe ſemen habeat, ex pluribus, qui proponentur, caſibus, faciliſſimè poterit dignoſcere, qualiter in aliis infinitis, & ſimilibus, interrogandi, & tractandi ſint pœnitentes. Et quo facilior evadat, inducentur hic tres perſonæ, Pœnitens alloquens, & reſpondens Confeſſori; Confeſſor alloquens, aut interrogans Pœnitentem, & Doctor, qui doceat Confeſſorem interrogare prudenter nonnulla, quæ imprudentes Confeſſarii non interrogant.

3. P. Pater, ego ſum paratus, ſi V. Pat. me interroget accuſare mea quælibet peccata, ſed ex me ipſo nihil volo dicere, præ erubeſcentia tot criminum, eorumque graviſſimorum, quibus Deum ingratiſſimè offendi?

M. Caſus ordinariè poteſt contingere; videtque Confeſſor pœnitentem eſſe indiſpoſitum ad ſacramentum, quia confeſſio debet eſſe accuſatio voluntaria propriorum criminum: Equidem ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 18. Sacerdos debet adjuvare Pœnitentem, *quotieſcumque opus fuerit*;

rit; ſed aliud eſt adjuvare impotentem, ſive ignorantem, aliud adjuvare diſpoſitum nihil dicere ex ſe ipſo, quarè.

C. Non poſſum te audire, nec es diſpoſitus ad ſacramentum, qui propoſitum habes non ſatisfaciendi tuo muneri, pro quanto ex te ipſo potes.

4. D.P. Volo jam, Pater, confiteri mea peccata, & ſignatum ſigno Crucis, ſi aliquid habes interrogare, interroga?

M. Ex Rituali adducto p. 1. c. 7. num. 15. niſi aliter notus fuerit Pœnitens, debet primum interrogari, quàm pridem fuerit confeſſus: quare.

C. A quanto tempore non fuiſti confeſſus?

5. D. Ab aliquo tempore.

M. Reſponſio iſta eſt captioſa, & data ad eludendum Confeſſorem: nam poteſt continere longum, vel parvum tempus; & niſi ſe ſpecialius explicet Pœnitens, non poterit Confeſſor dignoſcere, primò, an peccaverit mortaliter differendo pœnitentiam, quia certum eſt peccaſſe mortaliter, ſi per annum diſtulit, quam commodè quotidiè poterat adimplere: ſecundò, nequit ſcire ſtatum pœnitentis: etenim ſi à quindecim diebus fuit confeſſus, poſteà, v. g. ſexies fornicatus, debet Confeſſor ſuſpicari, quòd peccet ex habitu, vel conſuetudine: non verò ſi ſexies fuit fornicatus in anno: quarè.

C. Dic præcisè à quanto tempore circumcirca non fuiſti confeſsus?

6. D. A decem menſibus.

M. Rituale adductum ubi ſuprà, præcipit ſecundo loco inquiri de adimplemento Pœnitentiæ: quarè:

C. Adimpleſti Pœnitentiam?

7. D. Totam, Pater, neutiquam adimplevi?

M. Hìc in examine aliqui deficiunt, reſpondentes ſtatim illum eſse reum peccati mortalis, cujus tamen damnandus non eſt, niſi primò ſciatur cauſa: potuit enim eſse pœnitentia ad annum, vel de illa oblitus pœnitens: quarè.

C. Cur adhuc totam non impleſti, vel quam tibi pœnitentiam impoſuerat?

8. P. Injunxerat bis recitare Coronam B. Virginis; & ſemel recitata, neglexi recitare ſecundò; ſed tamen peracta confeſſione ſtatim omninò ſatisfaciam.

C. Vade priùs adimplere, ac redi; nam hìc te expecto: nec enim te audiam, niſi priùs totam adimpleveris.

M. Quis neget maximam fuiſſe Pœnitentis negligentiam; & tamen frequenter contingit differri ad Paſcha. Porrò incredibile eſt, quanta promittant, ut abſolvantur ante adimplementum; Confeſſor nullatenus credat verbis; & quidem ſuaviter, ſed ſimul fortiter neget audire, niſi priùs adimpleverint hujuſmodi leves, ac faciles pœnitentias.

9. P. Ego, Pater, ille ſum, qui paulò ante, neglecta pœnitentia compareram: ea nunc peracta redeo; & me accuſo, quòd aliquoties fuerim leviter mentitus, &c. peto abſolvi?

M. Ita ſe accuſant plerumque tacentes ſe accuſare de negligentia in adimplenda pœnitentia, quam vidiſti fuiſſe notabilem, & quòd pejus eſt, Confeſſores non admonent, ut ſe accuſet: quarè.

C. Cur tantùm memoras leviora peccata venialia, & non accuſas negligentiam in adimplenda pœnitentia?

10. P. Multi Doctores ſcribunt pœnitentiam protrahi poſſe per annum, quare non peccavi, differens per decem menſes.

M. Niſi Confeſſor ſit cautus, inveniet etiam ex plebe, qui renuant eſſe diſcipuli, & in confeſſione ſibi uſurpent officium Doctoris, ex quibuſdam caſu auditis à Parocho, vel Concionatore, proponentibus al quando generalem doctrinam, quæ non eſt applicanda caſibus, ubi quis commodè poteſt ſatisfacere. Igitur, quidquid ſit, an ex cauſa rationabili ad tantum tempus differri poſſit adimpletio pœnitentiæ

C. Debes te accuſare de tanta negligentia; Nolim ego decidere, an peccaveris mortaliter; quia non eſt determinatum tempus ſatisfaciendi; ſed fortè peccaſti mortaliter; & certè fuit grave peccatum veniale. Porrò quia volo, quantum poſſum mederi tuæ conſcientiæ, accuſa negligentiam hujuſmodi, ut ſi fuit mortalis, invalidum non ſit ſacramentum, ſi verò tantùm venialis fuerit, in poſterum vivas cautior.

11. P. Ego, Pater, ſum valdè rudis circà ea præſertim, quæ pertinent ad ſalutem hominis. Porrò Concionator heri prædicans, innuit in confeſſionali Confeſſorem exercere officium Doctoris; quarè peto à te inſtrui?

M. Rituale adductum p. 1. c. 7. num. 17. præ-

præcipit hunc eſſe inſtruendum, ſi tempus ſuppetat, & corripiendam illius ignorantiam; quarè videbit diſtinctè, an ignoret ſymbolum, quòd pertinet ad fidem, an orationem Dominicam, quæ tangit actus Spei; An præcepta Decalogi, vel Eccleſiæ, quæ tangunt actus charitatis; Et ut illum plenè inſtruat circà primum, habebit in promptu dicta in *Inſtruct. pro ordinandis* c. 8. Circà ſecundum dicta cap. 9. Circà tertium dicta c. 10.

C. Quid particulariter, & principalius ignoras?

12. P. Vellem ſcire, an ignorare omnia hæc, ſit de ſe peccatum mortale?

C. Utique, & graviſſimum quia ſine horum notitia nequis elicere actus Fidei, Spei & Charitatis ad quos Chriſtiani tenentur.

13. P. Ego heri, Pater, audivi, neceſſitate medii credenda eſſe tria myſteria, ſcilicet, Dei *Unitatem*, *& Trinitatem*, *Deum Remuneratorem*, nec non quòd *ſecunda perſona*, ſcilicet, *Filius fuerit incarnatus*, *mortuus*, *& reſurrexerit*. Fateor me nunquam hæc explicitè credidiſſe, ſed tamen quotidie elicui hunc actum: *Credo quidquid Sancta Romana Eccleſia credit, & paratus ſum pro his dare vitam?*

C. Non ſatisfeciſti tuę obligationi: nam illa tria explicitè credere neceſſarium eſt neceſſitate medii, ideſt, non poſſumus ſalvari, niſi explicitè ſingula credantur; nec ſufficit implicitè credere in actu ſubjuncto. Cum hac ignorantia alicujus ex dictis myſteriis, confeſſus nè unquam fuiſti; nam ſi hoc contigit, invalidè omninò fuiſti confeſſus?

14. P. Sexies v. g. fui confeſſus; at non capio, quòd invalidæ fuerint prædictæ confeſſiones: etenim fuit ignorantia omninò invincibilis?

M. Hæc frequenter congerunt Pęnitentes, ut ſe juſtificent coram Confeſſore, qui niſi cautè procedat; facilè inducetur in graves errores: quarè

C. Eſto ignorantia tua fuiſſet invincibilis, invalidæ fuiſſent confeſſiones, quia ſi non potes glorificari ſine illorum fide, nec potes juſtificari. Solum id tibi concedo, quod ſi fuit ignorantia invincibilis, non commiſiſti ſacrilegium: A peccato enim hæc utique ignorantia excuſat, ſed non ſupplet diſpoſitiones à Chriſto exactas pro ſuſceptione ſacramentorum. Adde, me ſtatim non debere credere, quod ignorantia de myſteriis adeo communibus in te fuerit invincibilis: Utique admitto de rebus ſupernaturalibus dari poſſe hanc ignorantiam, quæ inſuper in omni caſu excuſat à peccato juxta quod docuit Alex. VII. damnans ſecundam ex triginta una propoſitionibus adductis p. 1 cap. 28. Ut igitur videamus, an tua hæc ignorantia fuerit vincibilis, nec ne, dic: Audiſti à patre, & matre ſymbolum Apoſtolorum, ita quod hortati fuerint te illud addiſcere: frequentaſti ne doctrinam Chriſtianam in diebus feſtis, quam Parochus explicat &c.?

M. In hoc toto Confeſſoris diſcurſu, multa ſunt inſerta doctrinalia, quæ rudioribus non indigitabit Confeſſor, ſed inſinuata ſunt, ut ipſe percipiat veras dictorum rationes. Etiam multa ſunt ſimul congeſta, quæ tamen omnia diſtinctè, non uno ictu interrogabit Confeſſor: etenim ſi omnia ſimul, & confuſè proponat, veluti ſuffocabit Pęnitentem, qui omiſſis prioribus, unicè reſpondebit ad ultimam interrogationem. Igitur procedat cum omni prudentia, & charitate paternà, juxta Rituale adductum p. 1. c. 7 21. faciens ſe doctum cum doctis, & rudem cum rudibus, imponenſque ovē perditā in humeros ſuos.

15. P. Ego, Pater, parentibus deſtitutus, vivo in ſylvis ductor ovium; vix quolibet menſe poſſum ſemel Eccleſiam adire ut ſacrum audiam, obligatus à Superioribus in reliquis adſiſtere gregi. A' Parocho nihil audivi de myſteriis fidei; ſed tamen pluries monuit, ut ignorantes hæc myſteria, die ſibi commodiore pro inſtructione accederent ad ſe.

C. Hoc ipſo convincitur ignorantia fuiſſe vincibilis: etenim poteras, & debebas adhibere diligentiam, ut tempore opportuno te præſentares Parocho, qui promiſerat inſtruere comparentes. quare confeſſiones tuæ fuerunt invalidæ, ſed & ſacrilegę, ſi ex defectu examinis non te accuſaſti de hac negligentia mortaliter peccaminoſa, vel ex alio capite non potes excuſari.

16. P. Quid igitur faciam in hoc miſerabili ſtatu?

C Inſtituenda tibi eſt confeſſio generalis, per quam accuſes omnem ſpeciem, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias præteritorum criminum?

M. Porrò ubi detexerit peccata præterita, meminerit Confeſſor interrogare, ut ſe accuſet de ſacrilegiis in confeſſione com-

commiſſis, quæ ex n. 15. fuerunt ſex; & inducat ut explicet numerum, quia & ſpecies, & numerus peccatorum eſt explicandus.

C. Quoties in anno fuiſti confeſſus?

17. P. Tantum ſemel in anno, ſed cum Rituale adductum p. 1. c. 7. num. 20. prohibeat inutiles interrogationes, credo V.P. in hoc directè peccaſſe contra Rituale.

C. Non eſt inutilis, imò neceſſaria omninò hæc interogatio, ut poſſim ſcire numerum peccatorum: quia ſemel in anno fuiſti confeſſus per ſexennium, commiſiſti duodecim peccata, quorum ſex fuere ſacrilegia: ſex verò contra præceptum Eccleſiæ, de confitendo ſemel in anno.

M. Confeſſor à Pœnitente non ſolùm debet inquirere ſuper peccatis, quæ accuſat; ſed inſuper ſi quæ ordinariè ſolent oriri ab illis: quare:

C. Etiamne communicaſti?

18. P. Ex ratione dicta video etiam eſſe neceſſarium, quòd exprimam me pariter communicaſſe quolibet anno. Sed vellem ſcire, an alia peccata commiſerim extra jam dicta, de quibus me debeam accuſare?

C. Quoniam ſcire cupis, quot peccata commiſeris, vide primò, te quinquies, vel ſexies in anno peccaſſe, omittendo actum Fidei; Totidem vicibus omittendo actum Spei, & totidem, omittendo actus Charitatis: Inſuper toties circumcirca peccaſti non adeundo Parochum, ut inſtruereris circa doctrinam Chriſtianam.

19. P. Nullus alius Confeſſor fuit adeò exactus in diſcutienda mea conſcientia: quare ſcrupuloſior, quam par ſit, mihi videtur V. P. fateor nihilominus, quòd hæc diligentia multum mihi conſulit?

C. Non ſum certè ſcrupuloſus, quandoquidem aliundè conſtat obligatio ſub mortali eliciendi actus Fidei, Spei, Charitatis ex vi talium virtutum; & aliundè conſtat etiam obligatio ſub mortali ad expellendam ignorantiam myſteriorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii. Quod addis alios Confeſſores, hæc omiſiſſe, non eſt meum de illis judicare: ſed ſatisfacere proprio muneri Judicis, Medici, & Doctoris. Ipſi conſulant ſibi, ut rationem Deo reddituri ſuæ villicationis.

20. P. Quia jam accuſavi mea peccata, dignetur V. P. me ab illis abſolvere?

C. Non adhuc potes abſolvi, debeo enim te prius inſtruere circa prædictos fidei articulos; videre, num ſcias elicere actus virtutum Theologalium.

21. P. Hoc non videtur omnimodè neceſſarium, quia Rituale adductum p. 1. c. 7. num. 17. pœnitentem præcipit inſtrui, *ſi tempus ſuppetat*. Porrò præterquam quòd V. P. circumdant multi pœnitentes, quibus in hoc ſolemni die Paſchatis, non poterit ſatisfacere, ſi tantum temporis inſumat mecum, debeo redire quam primum ad gregem.

C. Pœnitentes, quorum non incæpi judicium, non teneor audire cum detrimento animæ meæ, & ejus, cujus jam incæptum eſt judicium. Rituale loquitur de articulis ſolùm neceſſariis neceſſitate præcepti, & ſi tempus non ſuppetat, poſſum te remittere ad proprium Parochum, juxta tamen S. Caroli monita p. 1. c. 11. n. 20. At circa neceſſarios neceſſitate medii, abſolverem, invalidè, ſi te non inſtructum plenè, dimitterem.

M. Confeſſor jam inſtruet, ut addiſcat, quot ſint prædicti articuli, ſed inſuper ut ſciat elicere actus virtutum Theologalium; eritque optimum, ſi eliciat ipſe jubens Pœnitentem repetere verba prædictorum actuum. Hic illos non appono, quia habes inſertos in *Inſtruct. pro ordinandis* c. 8. n. 19. In id incumbet Confeſſor, ut Pœnitens tangat rationem formalem actuum, quò verè ſint virtutum Theologalium, ita ut in fide tangatur revelatio Dei facta Eccleſiæ Catholicæ, & nobis propoſita per hanc, ut inſtrumentum Dei nos alloquentis. In ſpe tangatur Omnipotentia, & Miſericordia Dei, cum ejus gratia, & noſtris bonis operibus per eandem gratiam factis: in propoſito ſaltem, quæ gratia, & opera ſunt inſtrumenta, ſeù media conſequendi vitam æternam. In *Charitate* verò tangatur, ut ratio motiva, Dei ſumma bonitas. His ita peractis dimittet hunc pœnitentem.

22. P. Ego, Pater, habeo rem alienam: quæſo, in me faciat officium ſuum, ut ritè confitear?

M. Innumeri labuntur: nam alii ſtatim divertunt ad obligationem reſtituendi; Alii ſtatim damnant peccati mortalis, cum id non importent termini accuſationis: etenim res aliena poteſt poſſideri bona, & mala fide. Nulli eorum conſulunt pœnitenti, qui vult exerceri circa ſe Confeſſo-

ris

ris officium, quarè ut directè procedatur, nihil ſuopponi debet, ſed ordinatim de omnibus interrogari Pœnitens. Igitur.

C. Rem hanc alienam quomodò habes, bonà nè an mala fide?

23. P. Rem hanc alienam poſſideo partim bona partim malà fide?

M. Quandoquidem Pœnitens reſpondet per extrema omninò diverſa in genere moris, caveat Confeſſor, nè circà utrumque ſimul interroget, ſed quærat diſparatè de ſingulis, & primò.

C. Quid bona fide poſſides, & quomodo?

24. P. Bonà fide plura obtinui; & cum circà reſtitutionem pluribus angar ſcrupulis, hodie vellem mihi à V. P. ſedari omninò conſcientiam meam. Igitur primò invitatus ad prandium, bona fide comedi cibos delicatos, & pretioſos, quos tamen, finito prandio, cognovi eſſe furto ablatos, quid teneor reſtituere vero domino?

M. Facilè multi ſciunt regulam generalem, quod *poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere rem, ſi extat: ſi non extat id, in quo factus eſt ditior*. Hoc eſt habere ſcientiam à Rituali requiſitam, ſed non prudentiam, quæ hìc, & nunc determinat, quantum præcisè tenear reſtituere; nèc ſatisfit Pœnitenti, præſertim Idiotæ, qui à Confeſſore cupit explicari: *Tantum determinatè obligaris reſtituere*. Id apparet ex interrogatione. Igitur ut in omnibus directè conſulatur Pœnitenti.

C. Non curo, an cibi fuerint pretioſi, ſed ſolùm, dic, quid imſumpſiſſes domi tuæ pro prandio, & an illud verè conſumpſeris?

25. P. Equidem ordinariè domi meæ conſumo valorem Julii; quod etiam inſumpſi; nam invitatus fui fortuitò, jam præparatis cibis, quos familia conſumpſit in mea abſentia.

C. Quia ex ſumptibus tuis ordinariis, nihil tibi ſuperfuit; in nihilo factus es ditior, & per conſequens nihil teneris reſtituere.

M. Si verò ex ſumptibus ordinariis, aliquid ſibi ſuperfuiſſet, quia in hoc factus eſſet ditior, teneretur hoc reſtituere.

26. P. Secundò: emi bona fide tria pallia, quorum alterum adhuc intactum ſervo; alterum omninò conſumſi; & tertium pro medietate. Hæc agnoſco eſſe furto ablata, quid reſtituam?

M. Regula generalis de poſſeſſore bonæ fidei valet in omni caſu; & hęc pertinet ad ſcientiam; requiritur ſolùm prudentia, ut hìc, & nunc conſulatur pœnitenti juxta ſuum quæſitum: quarè.

C. Conſuevìſtinè tu palliatus incedere?

27. P. Utique, Pater, & ideò emi credens omninò venditorem eſſe verum dominum, in hoc, ut agnovi nudius tertiùs, fui deceptus.

C. Quod adhuc ſervas intactum, omninò reſtitue: nam res extans eſt reſtituenda illamque verus dominus, etiam de altari poteſt repetere: quòad reliqua duo, quanti emiſti, & quanti emiſſes, ſi ejuſdem qualitatis pallia debuiſſes emere?

28. P. Emi decem ſcutis; & alias emiſſem duodecim ex officina veri domini?

C. Quoad pallium omninò conſumptum, quia tibi duo ſcuta ſuperfuerunt ab eo, quod ordinarie ſoles inſumere, in his factus es ditior; & teneris hæc duo reſtituere: quoad conſumptum pro medietate, teneris reſtituere pallium, ut extat, & ulterius, quia pro medietate conſumpta, unum tibi ſcutum ſuperfuit, teneris hoc reſtituere, nam ubi hodie conſumpſiſti valorem quinque ſcutorum, ex pallio in officinà empto, ſcutorum ſex valorem conſumpſiſſes.

29. P. Tertiò: bona fide librum accepi dono mihi traditum à Petro, quem redonavi Paulo; nunc autem cognoſco Petrum furto abſtuliſſe. Ad quid teneor?

C. Teneris, adhibere omnem diligentiam, ut Paulus reſtituat vero domino.

30. P. At Paulus abiit in longinquiſſimas regiones, adeò ut impoſſibile mihi ſit illum admonere.

C. Semper inſiſtendo regulæ generali, quæ ubi res non extat, obligat reſtituere id quo factus eſt ditior, dic, an aliud quicquam abeunti Paulo donaſſes

31. P. Ego ſanè, ob varia mihi à Paulo collata beneficia, gratitudinis ergò, munuſcula, ſed viliora donare propoſueram: quia verò mihi liber erat inutilis, & illi valde proficuus, dipoſui parcere pretio dictorum munuſculorum?

C. Sanè quia pepercisti huic expenſæ, in hoc factus es ditior: quarè hanc teneris reſtituere: quòd ſi alias nihil donaſſes, nihil Petro redderes; & ſi pepercisſes expenſis æquivalentibus pretio libri, tenereris has reſtituere.

32. P. Quartò: per decennium poſſedi villam bona fide, quam nunc ex tua generali regula video me obligari ad reſtituendam, quia res extat?

C. Hoc utique verum eſt; ſed non ſufficit reſtituere villam; teneris etiam ad fructus, quando in illis factus eſſes ditior; Porrò, quia id ex me non poſſum ſcire, dic, an villa reddat fructus naturales, an mixtos?

33. P. Reddit, & naturales, & mixtos; naturales, quia in illa oritur fœnum, quod tamen fuit pabulum mei equi, & reddit copioſè vinum, quod inſerviit familiæ?

C. Hoc non ſufficit, ulterius adde, an quid de tuo percepiſti pro expenſis equi, & pro expenſis vini in familia?

34. P. Fateor, Pater, Alui equum ob opportunitatem fœni naſcentis in villa, quam omninò credidi meam, nec alias aluiſſem: familia verò bibiſſet utique vinum ſed multò debilius, ſi villa non extaſſet.

C. Eſtò fœnum ſit fructus naturalis, quia tamen illo carens, non feciſſes de tuo alias expenſas, nihil teneris reſtituere, ſed tenereris; ſi adhuc aluiſſes equum, ad illud, in quo ditior eſſes factus. Vinum verò, quia eſt fructus mixtus, debes deducere primò expenſas factas in cultura vineæ; ſecundò debes computare vinum ad pretium quanti valeret vinum, quod familia bibiſſet, & ſi conſideratis omnibus his; in aliquo factus es ditior, id unà cum vinea reſtitue.

35. P. Memini me pridie ex dolio vini, ludo fuiſſe lucratum decem dolia, quæ nunc ſuperſunt, teneorne iſta reſtituere?

C. Non teneris hec reſtituere, quia pertinent ad fructus induſtriales; quos neque poſſeſſor bonæ fidei, neque poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere.

36. P. Quintò poſſedi domum, de qua ſemper dubitavi, an mihi legitimè potuerit obvenire, adhibitiſque diligentiis debitis pro indaganda veritate, adhuc remaneo dubius?

C. Quandonè incæpiſti dubitare?

37. P. Sanè ab ipſo inſtanti, quo cæpi poſſeſſionem prædictæ domus?

C. Si dubium fuiſſet ortum, poſtquam poſſidebas, tunc quia debitas diligentias adhibuiſti, poſſes tutò retinere, ſed quia dubium fuit ab initio, teneris reſtituere.

38. P. Agnoſco nunc verè, Pater, quod ſis nimium ſcrupuloſus: etenim eſt axioma commune Theologorum, & Juriſtarum, quod *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*. Igitur cum ego ſim adhuc dubius quarè teneor reſtituere?

C. Illud axioma favet ſolum poſſeſſori bonæ, non malæ fidei; & dicitur malæ fidei poſſeſſor, qui dum accipit rem, peccat & quidem tu peccaſti accipiens domum, dubitans, an tibi legitimè poſſet obvenire: quarè teneris ad reſtitutionem.

39. P. Sed fac me hodiè certioratum, quod legitimè domus mihi obvenerit, teneborne ad reſtitutionem?

C. Sit tibi pro regula generali, quod accipiens hodie rem propriam, quam nihilominus ex conſcientia dubia, vel etiam erronea, non credit ſuam, peccat, & peccat contrà juſtitiam, quia peccatum procedens ex his conſcientiis opponitur eidem virtuti, cui opponitur peccatum procedens ex conſcientia recta; nihilominus ubi detexiſti proximum in rei veritate non fuiſſe læſum, non teneris reſtituere, quia reſtitutio non ſequitur ad quodcunque peccatum contra Juſtitiam, ſed oritur ex verà, & reali retentione rei alienæ, ſive peccaverim, ſive non peccaverim in accipiendo; Licèt igitur peccaveris, accipiens domum, quia hodiè cognoſcis eſſe tuam, non teneris reſtituere.

40. P. Nihil amplius habeo dicere circà ea, quæ poſſedi aliorum bona fide, reſtat, ut conſcientiam exonerem circà ea, quæ poſſideo malà fide. Ac primò me accuſo, quod conſului amicum, ut inferret damnum proximo ſuo.

M. Ita plerumque in praxi accuſant, Idiotæ quidem ex ignorantia; complures alii, quia nolunt, ut debent, reflectere ad neceſſitatem explicandi diſtinctè ſpeciem, numerum, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias. Noſter Penitens multò magis deficit, qui neque peccata explicat, quia non exprimit, an leve ſit damnum (unde peccatum eſſet veniale) an grave (unde peccatum eſſet mortale) Portet illum Confeſſor humeris ſuæ Chriſtianæ patientiæ. Igitur.

C. Conſuluiſtinè damnum grave, an leve; nam primò debes explicare genus peccati, ut inde cognoſcam, quid mihi incumbat interrogare ſuper ſpecies?

41. P. Conſului damnum grave.

C. Habeo genus peccati, quod ſit mortale;

tale; nunc interrogo ulteriùs, quod nam conſulueris damnum?

42. P. Nunc verè agnoſco, te ſcrupuloſum in omnibus: etenim apud alios Confeſſores accuſantem me ſæpius de damno illato, ſtatim, nulla alia interrogatione facta; & ore promiſſa reſtitutione, immediatè abſolverunt.

C. Quidquid ſit de aliis: tu prævertis ordinem ſacramenti; in quo Confeſſor Doctoris munus exercet, pœnitenſque munus diſcipuli, qui nunquam poteſt eſse ſuper Magiſtrum: Tu autem vis docere Magiſtrum; imò in æternum mei, & tui damnum, vis abſolvi: quod ſanè contingeret, damni genere ignorato. Eidem juſtitiæ plura opponuntur peccata ſpecie diverſa ex diverſitate materiæ, quatenus damnum illatum excedit, vel deficit, ſeu eſt inferioris, vel ſuperioris ordinis: quarè debes explicare, cujus ordinis damnum conſulueris; utrum conſulueris lædere proximum in bonis vitæ, an in bono, quod habet in corpus uxoris, an in bonis famæ, an in juriſdictione; & hic etiam eſt explicandum, an fuerit Juriſdictio Eccleſiaſtica, vel Laicalis &c. Hæc & ſimilia conſtituunt diverſam ſpeciem peccati contra juſtitiam; & Confeſſor obligatus accipere ſpeciem peccati à Pœnitente, quando hic non ſe explicat, debet interrogare. Abſit à me ut curioſis, & inutilibus te detineam, ſed ubi tu deficis ex ignorantia, & inadvertentia, meum eſt ſupplere.

43. P. Certè volui ſapere, pluſquam oporteat ſapere pœnitentem Video quam recta procedat V.P. juxtà ſui muneris obligationem: promitto emendam; & interim fateor, me conſuluiſse Petro, ut furaretur decem ſcuta.

C. Verè ne Petrus abſtulit?

44. P. Utique abſtulit; ſed dubito valdè, num abſtulerit ex meo conſilio. Adhibui diligentias interrogando Petrum ipſum; ex cujus tamen reſponſione, nihil certi potuit deduci. Ad quid teneor ita dubitans?

C. Ubi Petrus non reſtituit, teneris reſtituere tu. Vide dicta n. 38.

45. P. Ego ipſe poſtea occultè abſtuli rem alienam in materia gravi?

C. Equidem explicando materiam gravem, explicaſti genus peccati; & intelligo; quod fuerit mortale: ſed nondum habeo ſpeciam omnem peccati: potuit enim eſse ſacrilegium: quarè ulterius id explica?

46. P. Dic, Pater, quandonè furtum erit ſimul in duplici ſpecie, ut ſit contrà juſtitiam, & ulteriùs ſacrilegium contra virtutem Religionis?

C. Furtum in triplici caſu evadit ſacrilegium: primò: ſi accipiatur res ſacra de loco ſacro; & tunc eſt duplex numero ſacrilegium, ut ſi accipiam in Eccleſia calicem, quia violo Religionem, ratione loci ſacri, & ratione rei ſacræ: ſecundò ſi accipiatur res ſacra de loco non ſacro: tertiò: ſi res non ſacra accipiatur de loco ſacro.

47 P. Ego Pater, accepi furto in Eccleſia: primò calicem, ſecundò vas argenteum Eccleſiæ commodatum pro ſolemnitate: tertiò gemmam ab homine prædivite, qui audiebat miſsam, vellem ſcire, qualiter peccaverim?

C. In primo caſu, præter furtum, commiſiſti duo ſacrilegia: in ſecundo commiſiſti ſacrilegium: in tertio peccaſti tantùm peccato furti, non ſacrilegii, eſtò abſtuleris in Eccleſia: nam eſt per accidens ibi, quarè non facio injuriam Eccleſiæ.

48. P. Cur in ſecundo caſu committo ſacrilegium; quandoquidem res non eſt ipſius Eccleſiæ?

C. Si tu in mea domo furaris alicui, qui per accidens ibi reperitur, non facis injuriam mihi; ſed ſi res in domo mea ſit depoſita, vel deputata meo ſervitio, licet ad horam, facis injuriam mihi, furando illam, pro tempore, quo eſt deputata meo ſervitio. Idem dic de Eccleſia.

49. P. Ego, Pater, abſtuli furto, à meo domino materiam gravem.

M. Hic debet Confeſsor eſse cautus, ut quia ſpeciem peccati Pœnitens explicuit, etiam explicet numerum, & circumſtantias furti notabiliter aggrevantes: quarè.

C. Quanti valoris circumcircà eſse poteſt res furto ablata?

50. P. Non teneor explicare: quantitas furti eſt circumſtantia ſolum aggravans circa eandem ſpeciem; & plurimi Doctores probabiliſſime ſuſtinent non neceſsariò explicandas eſse circumſtantias, & etiam notabiliter agggravantes?

C. Scio innumeros ita opinari; & veneror hujuſmodi Doctores. At apud me pluris valet authoritas Catechiſmi p. 2. c. 5. n. 48., quæ vult omninò explicandam furti

Digitized by Google

quantitatem. Innocentius etiam XI. voluit explicari conſuetudinem, eſtò eſſet circumſtantia notabiliter aggravans; ex quibus p. 1. c. 34. n. 20. deducta eſt regula generalis ibi tradita. Debeo igitur ſcire quantitatem furti, vel aliàs te dimitto?

50. P. Abſtuli pro valore viginti ſcutorum?

C. Abſtuliſtinè unicà tantum vice, vel iteratis vicibus?

51. P. Abſtuli vicibus iteratis?

C. Quoties, & quantum abſtuliſti qualibet vice: hoc enim mihi eſt neceſsarium ſcire, ut poſſim diſcernere, quot numero commiſeris peccata mortalia?

52. P. Abſtuli quadraginta vicibus; at primis decem abſtuli valorem Julii. Peccavinè ſemper mortaliter, etiam primà & ſecundà vice?

C. Non poſsum de primà, & ſecundà vice, & id adhuc judicare, niſi ulterius explices, an primis duabus illis vicibus habueris intentionem furandi plura, vel proſequendi: nam ſi cum hac intentione proceſſiſti, etiam tunc peccaſti mortaliter. At ſi defuit hæc intentio, peccatum incæpit eſse mortale, quando incæpiſti retinere alienum in materia gravi.

53. P. Scio equidem me mortaliter peccaſse tertià vice: ſed quid ſi quartà vice accepiſsem unicum quadrantem, fuiſsetnè peccatum mortale?

C. In hac materia furti habe pro regula generali, quod primò pertingens ad materiam gravem, in ſubſequentibus peccat ſemper mortaliter, eſtò accipiat unicum quadrantem, (dummodò faciat unum morale cum præcedentibus furtis: quod maximè judicabis, ſi furans unum quadrantem, advertas, vel advertere debeas, quod antea ſuſtuleras materiam gravem)

54. P. Quomodo furans unicum quadrantem, abſque intentione plura furandi, poſsum peccare mortaliter?

C. Eſtò nunc accipias unum quadrantem, nihilominus advertis te præcedenter accepiſse materiam gravem, & cum illa advertentia, nunc renovas furtum, quod eſt virtualis voluntaria retentio rei alienæ in materia gravi; Et ita peccas mortaliter non ratione ejus, quod accipis, ſed ratione ejus, quod retines, reiterando in acceptione actum retinendi. Porrò cum ſufficienter ex his habeam tuæ conſcientiæ ſtatum, circà ſpeciem, numerum, & circumſtantias furti explicatu neceſsarias: memento, quòd non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

54. P. Utique, Pater, ego reſtituam?

C. Iam currunt viginti, & ampliùs anni, quod aſſiduus in Eccleſia Dei (licèt indigne) officium Confeſsoris exerceo. Intra hoc tempus; neminem inveni, qui à me juſsus reſtituere, aut tollere occaſionem proximam, non promiſerit ſe reſtiturum, aut vitaturum, ſed hoc, non ſufficit Sedi Apoſtolicæ: nam Innocentius XI. damnat prop. 60. aſserentes; quod peccator ſit abſolvendus, *dummodò ore profeſſat ſe dolere, & proponere emendationem*. Igitur promiſiſtinè alias Confeſsoribus, quod reſtitues?

55. P. Verè nimis rigida videtur illa prohibitio. nam ſolus Deus intuetur cor, non Confeſsor, qui ſtare debet dicto Pœnitentis, tam pro ſe, quam contra ſe; ſed quoniam ita declaravit Pontifex, fateor me pluries promiſiſse Confeſsori, & neglexiſſe: nunc autem toto corde promitto reſtituere, ſtatim ac exibo à facie P. V.

C. Multum tibi cavendum eſt à pœnis, quas Innocentius XI. inflixit contra non ſuſcipientes, ut par eſt, damnationem talium propoſitionum: Ad hoc relege Bullam. Confeſsor utique non intuetur cor; & propterea ſolus Deus poteſt judicare, an tuum hocce propoſitum ſit hic, & nunc efficax. Homo poteſt id judicare tantum ex annexis, & connexis: Ubi nihil habet in contrarium, debet ſtare dicto Pœnitentis, debetque ſupponere, quod accedit ad ſacramentum cum propoſito efficaci, quale requiritur ad effectum ſacramenti, & ſine quo exponit ſe periculo ſacrilegii. Quia igitur promiſiſti pluries, & neglexiſti ſemper exequi, ex operibus tuis arguo tibi deeſse propoſitum efficax; quarè nullatenus volo te abſolvere; præſertim quia facillimè poteras, nec voluiſti.

56. P. Equidem facillimè poteram, & me accuſo, quod poſitivè noluerim reſtituere: ſed quæſo, inabſolutum nè me dimittas. Hodie mihi currit peremptoria obligatio implendi Paſchale præceptum.

M. Sane mirum eſt, quot viis, & artibus abſolutionem conentur extorquere hujuſmodi parum firmi in propoſito, vel Conſuetudinarii, adeò ut cum periculo animæ,

animæ, Confeſſor ſit flectendus, niſi conſtanter ſubeat ſuum officium.

C. Multò magis inducor ad differendam abſolutionem: videris enim accedere ad ſacramentum, unicè, ut evites mala temporalia: etenim non diſtuliſſes confeſſionem ad ultimum diem; Poſſum tibi prorogare tempus. Incipe ſaltem reſtituere in parte.

57. P. Si differam, inſtat grande ſcandalum; & ad evitandum ſcandalum, ſcio permitti ordinario Confeſſori, quod abſolvat etiam à reſervatis: in quo caſu Theologi dicunt indirectè abſolvi pœnitentem à reſervatis, & directè à non reſervatis. Multò magis ergo abſolvi potero, cujus peccata non ſunt reſervata.

C. Utique, ſi haberes reſervata, & viderem inſtare ſcandalum, ſi te dimitterem inabſolutum, uterer ſecuriore via, quę eſt, ut tu confitearis omnia peccata reſervata, & non reſervata, deinde abſolverem te cum onere, quam primum comparendi coram Superiore. Porrò ex vi abſolutionis meæ remaneres directè abſolutus à non reſervatis, & indirectè à reſervatis, ad differentiam conſtituti in articulo mortis, qui directè ab omnibus abſolvitur; etenim pro illo articulo nulla extat reſervatio. Quicunque tamen abſolvitur, oſtendere ſemper debet Confeſſori propoſitum efficax dimittendi peccatum, quod tu nunquam oſtendes, niſi reſtituere incipias; uti conſtitutus in occaſione proximà, niſi dimittat, & Conſuetudinarius, niſi curet tollere habitum.

58. P. Suppone, Pater, adeſſe ſcandalum grande, niſi communicem, an me dimittes inabſolutum, & quid tunc faciam?

C. Utique, nàm ſacrilegè pecco, ſi abſolvo, ubi prudenter dubito de propoſito. Cæterum conſule tu conſcientiam in gravi ſcandalo, quod expoſuiſti, & verè fateor adeſſe, nam ſi cognoſcis coram Deo te habere propoſitum efficax (cujus tamen contrarium mihi apparet) elice actum Contritionis perfectæ, cum qua poteris communicare, quaſi deſtitutus copia Confeſſoris: At conſule tibi: Deus non illuditur.

CAPUT LXVIII.

Sequitur eadem materia Praxis.

1. P. Ego pluries habui cogitationes inhoneſtas; & iis fui vexatus per longum tempus?

M. Confeſſor adhuc ignorat, an Pœnitens peccaverit: quia etiam Sancti patiuntur hujuſmodi cogitationes: Igitur non ſit velox, ut interroget numerum, antequam cognoſcat ſpeciem: nec abſolutè quærat aſſenſum ad opus, cum potuerit peccare per delectationem moroſam: unde poterit reſpondere Pœnitens ſe paratum potius mori, quam perdere honorem. Et ita contingit inter perſonas honoratas, quod moroſè delectantur, ſed abſque ullo deſiderio. Igitur.

C. Voluntariè nè fuiſti immoratus in hujuſmodi cogitationibus inhoneſtis?

2. P. Equidem aliquoties repuli, aliquoties fui negligentior in repellendis; At non ita, quod adverter voluerim: Aliquoties autem voluntariè immoratus fui.

M. Semper Confeſſor ante numerum, inquirat ſpeciem: Pœnitens huc uſque ſolum genus explicuit: quare.

C. Peccaſtinè per delectationem moroſam, vel per deſiderium, vel per intentionem, vel ulterius eligendo media, per quæ pervenires ad fœminam intentam?

M. Omnes hæ interrogationes hic ſimul ponuntur gratia brevitatis: cæterum in praxi, juxta Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 20. cavebit; nè inutilibus interrogationibus doceat Pœnitentem peccare, præſertim Virgines, & adoleſcentes.

3. P. In qualibet harum ſpecie aliquoties peccavi, & primò quidem, ut pervenirem ad quandam Virginem, uſus fui medio alterius fœminæ: nec per me, nec per hanc ſleti, ut complerem deſignata.

C. Quoties uſus fuiſti, & quænam erat fœmina hæc, qua uſus fuiſti, libera, vel maritata &c. Si enim erat maritata, concurriſti cum illa ad peccatum in ratione adulterii. Idem dicendum in reliquis &c.

4. P. Erat vetula libera; bis ipſa ſollicitavit Virginem; ego autem quater induxi ad ſollicitandum. Quater intendi fœminam

minam liberam, proponendo adhibere media, ut aſſequerer, licet nulla determinaverim in particulari: quater deſideravi aliam ſimpliciter, æquè liberam. Porrò ſexies fui moroſè delectatus de fœminis per ſimplicem complacentiam abſque ullo ordine ad opus, imò, & abſque ullo periculo, vellem ſcire, an peccaverim.

C. Eſt regula generalis, quod delectatio ſequitur naturam actus; quarè cum actus ſit peccaminoſus, erit etiam peccaminoſa talis delectatio, quanquam ſit abſque ullo ulteriori periculo; & ſicut actus non excuſatur à mortali ex parvitate materiæ, ita neque delectatio.

5. P. Eſtné peccatum mortale, omnis delectactio de actu mortaliter peccaminoſo?

C. Theologi diſtinguunt: eſt peccatum mortale: ſi actus ab intrinſeco ſit malus, & ut dicunt; ſit prohibitus, quia malus: At ſi ſit malus, quia prohibitus, non eſt peccatum mortale; Hinc delectari de furto, de homicidio &c. eſt peccatum mortale; At in die Veneris delectari de carnium comeſtione, non eſt mortale, quia primum, non hoc ſecundum, eſt intrinſecè malum, niſi delectarer, ut in die prohibito: etenim tunc importaret contemptum præcepti, qui contemptus eſt ab intrinſeco malus. Hæc pro tua inſtructione, interim dic ſtatum tuum, & ſtatum fœminarum, de quibus fuiſti moroſè delectatus?

6. P. Dicam libenter, & me, & fœminas fore liberas; quod dico ad ſuperabundantiam; ſcio enim me non teneri ad hujuſmodi circumſtantias explicandas in delectatione moroſa.

C. Deciperis ponendo regulam hanc generalem: Theologi quidam utique docent non explicandam eſſe neceſſariò circumſtantiam objecti, ſed omnes fatentur explicandam circumſtantiam ſubjecti. Juxta illos (quos ego nullatenus ſequor juxta dicta p. 1. c. 31. n. 7.) non teneris explicare ſtatum fœminæ, quę eſt objectum delectationis: At teneris explicare tuum, qui es ſubjectum delectationis: Hæc quoad generalia principia: cæterum ego nulli ſententiæ præjudicando, velim amplecti opinionem, quæ favorabilior eſt tuæ ſecuritati.

7. P. Hic mihi ulterius V. P. explicet ſpecies peccatorum contra Caſtitatem ex parte objecti.

C. Primà ſpecies dicitur ſimplex fornicatio; & eſt unicum peccatum contra Caſtitatem: ſecundà dicitur Adulterium: & eſt duplex peccatum: alterum contra Caſtitatem; alterum contra Juſtitiam: Tertià dicitur Stuprum, etiam duplex peccatum, & contra Caſtitatem, & contra Juſtitiam, ad minus contra Cuſtodes virginitatis. Quartà dicitur Incæſtus; & eſt etiam duplex peccatum: alterum contra Caſtitatem: alterum contra Pietatem. Quinta dicitur Sacrilegium, quod pariter eſt duplex: alterum contra Caſtitatem, alterum contra Religionem. Species peccati contra naturam vide alibi.

8. P. Sum Sacerdos, & heri confeſſus fui. Porrò hac nocte peccavi ſemel cum fœmina libera.

M. Utinam non contingeret, quod in ſacris conſtituti frequentarent ſacramenta, ſicuti frequentant peccata: quarè neceſſarium eſt, niſi aliud ſuadeat notitia Pœnitentis, & circumſtantiæ, quod Confeſſor interroget, num alias peccaverit cum hac fœmina. Igitur.

C. Peccaſtiné aliàs cum hac fœmina?

9. P. Utique jam aliàs peccavi, ſed jam elapſi ſunt tres menſes. Hoc autem fateor ſtatim, quia ſcio ex prop. 57. Innocentii XI. me teneri reſpondere Confeſſori interroganti circà conſuetudinem; quæ tamen non videtur eſſe in hoc caſu, quando elapſi ſunt tres menſes ab ultimo peccato.

C. Nimis facilè proponis regulas omninò univerſales abſque ulla exceptione. Poteſt eſſe occaſio proxima, etiam ſi à ſex menſibus non peccaſſes: finge tibi eſſe fœminam ruri, cum qua tunc peccas eſt certe iſta occaſio proxima, quando illam ruri ſuſtentas, vel extat in tui diſpoſitione, quando ibi moraris. Igitur dic, quarè non peccaſti hoc tempore. An quia illam non potuiſti habere?

10. P. Fateri debeo me non peccaſſe, quod longe abeſſet: cęterum ubi erat in Urbe, ſemel in hebdomadà viſitabam, non tamen ſemper peccabam, ſed duodecim vicibus ex viginti; quare non erat occaſio proxima.

C. Falleris etiam in hoc, credens, quod occaſio proxima ſit illa, in qua homo poſitus ſemper peccat; quando è contra occaſio proxima eſt, in qua homo poſitus ſæpe peccat. Si una, vel altera vice tantum, aut circumcircà peccaſſes, non di-

cceretur

ceretur occaſio proxima; ſed in noſtro caſu verè ſæpiùs peccaſti. Ergo ſi tantum ſemel peccaſſes, utique abſolverem te; ſed juxta Rubricas Miſſalis, conſulerem, ut abſtineres à celebrando, niſi eſſet neceſſitas. At quoniam eſt occaſio proxima, non poſſum abſolvere, niſi primùm omninò familiaritati fœminæ renuncies.

11. P. Renunciare, Pater, non poſſum ſine magna fœminæ infamia, quæ moratur ad ſervitium meæ matris, credita domi Virgo honeſtiſſima; & ſi vellem ſuadere, ut dimitteretur, domus tota ſuſpicaretur grande malum.

C. Scito, quòd proxima occaſio alia eſt voluntaria, & alia involuntaria; Quæ non poteſt dimitti ſine ſcandalo, vel generaliter ſine peccato, dicitur involuntaria; ſed tu debes facere, quantum in te eſt, nempè, Deo te ſpecialiter commendare, ac præcipuè non loqui ſolus cum ſola; nam in hoc diceretur voluntaria, quòd poſſis evitare id abſque omni peccato, & infamia fœminæ.

12. P. Diceretur ne pariter involuntaria, ſi eſſet mihi utilis pro ſervitio domi, vel ſi peccem circa illam actibus internis, dùm inſervit in menſa mihi, cæteriſque domeſticis?

M. Pro primo caſu vide propoſitionem 41. Alexandri VII., per quam dicenda eſt occaſio proxima voluntaria; nam potes illam dimittere abſque peccato. Equidem nequis dimittere abſque aliquo damno rerum temporalium, ſed hoc eſt ſubeundum, ubi agitur de Anima. In ſecundo caſu, ſi abſque ſcandalo, nequit dimitti, adhuc remanet aliquid voluntarium, quòd teneris evitare, cum facilè poſſis oculos dejicere in terram.

13. P. Ego, Pater, ſum honeſta Virgo quæ tamen ago cum Juvene; ſed hoc ad affectum nubendi?

C. Interceduntne in tali colloquio actus aliqui, vel verba inhoneſta?

14. P. Abſit, Pater: nec in actus, nec in verba prorupi minùs decentia meæ Virginitati; ſed nec in hujuſmodi prorupit unquam Juvenis, imò ex parte mea nunquam in cogitationes minùs honeſtas.

C. Hoc non ſufficit. Ulteriùs videndum eſt, an tuo colloquio coopereris peccato juvenis; quod tunc eſſet, ſi probabiliter judicares ex tali colloquio illum incidere in cogitationes inhoneſtas voluntariè: tenereris enim tunc ex charitate id evitare.

15. P. Libenter prius, Pater, intelligerem, ſi peccatum ſit voluntariè cogitare turpia?

C. Turpium cogitatio, ut eſt in intellectu, de ſe non eſt peccatum, & per conſequens peccatum de ſe eſt voluntariè applicare intellectum ad cogitandum turpia; ſed ordinariè eſt peccatum ob periculum imminens, nè dum delectaris de ipſa cogitatione, delecteris etiam de objecto cogitato, in quo conſiſtit peccatum; quare ſi abſque neceſſitate homo cogitat, peccat ſe exponens periculo; ſi cum neceſſitate, non peccat, dummodò abſit periculum delectandi de objecto. Neceſſitas autem eſt Prædicatori, aut Confeſſori, qui debent ſtudere hujuſmodi materiis: hoc enim eſt ſtudere, quod cogitare.

16. P. Ex his, quæ conjicio prudenter, nullum peccati extat periculum ex parte Juvenis; quare poſſim frequentare illum abſque ſcrupulo?

C. Tu ſolum conſideras peccatum contra Caſtitatem, ſed latiùs debet proſpicere Confeſſor, nec ſolum inquirere debitum Pœnitentis pro una virtute, ſed pro omnibus. Tu æque teneris ad Caſtitatem, & ad obedientiam parentibus, abſque quorum participatione nequis agere cum aliquo de matrimonio. Igitur adeſtne conſenſus parentum, ut alloquaris prædictum Juvenem?

17. P. Ego, jam patre omiſſo ab annis, vivo ſub tutela matris, quæ imò unicè deſiderat hoc matrimonium; quandoquidem ego ſum pauper, ille autem nobiliſſimus, & ditiſſimus.

C. Equidem erat mei muneris poſt prædicta, ultimò inquirere, an Juvenis eſſet paris conditionis: quia hoc totum in praxi debet ſcire Confeſſor ad formandum judicium prudens, quòd talis actus ſit licitus, vel illicitus; quoniam verò ex te ipſa denunciaſti excellentiam viri, nullatenùs poſſum approbare hujuſmodi colloquia. Talis enim vir verè non accedit, niſi animo te decipiendi.

18. P. Ego, Pater, ab hero, ſæpius mittor cum epiſtolis ad concubinam: Non poſſum jurare, quòd epiſtolæ ſint turpes; imò nec ſcio, quid contineant, licet re vera malum ſuſpicer: Illum comitor, dum

vadit ad concubinam, cujus pulſo januam, & ad hanc expecto herum, quouſque egrediatur. Libentiſſimè dimitterem, ſi haberem, Pater, alium melioris conditionis. At nullum reperio, & ſum gravatus familiâ, quæ tota ſuſtentatur ex meâ mercede, redigenda in extremam neceſſitatem: ideò crediderim me non peccare in his omnibus actionibus: etenim aliquid indifferens eſt ferre litteras, pulſare januam, & ibi herum expectare. Quid enim mali eſt in his, quando maximè omninò ſum alienus ab omni peccato, & aliàs me conſtituerem in extremâ neceſſitate cum totâ familiâ?

C. Hæc omnia non ita ſunt indifferentia, ut ſupponis tu, qui rem conſideras in abſtracto. Certè ita conſiderando, poſſes etiam furtum dicere aliquid indifferens: talia enim ſunt in abſtracto, extendere manum, contrectare pecuniam, & illam reponere in marſupio. Hæc omnia ſunt media, quæ induunt rationem boni, vel mali ex fine; ſicut intrinſecè malum eſt furari; ita intrinſecè malum eſt extendere manum ad furandum; Ferre litteras non eſt malum, ſed ferre litteras amatorias eſt intrinſecè malum, quia cooperaris peccato mittentis. Pulſare januam (eſtò meretricis) non eſt malum, quia & illam pulſat Parochus; At pulſare januam, ut aperiatur volenti peccare, eſt intrinſecè malum, quia cooperaris peccato, quare nequis hæc agere, eſtò ſis in extrema neceſſitate. At herum expectare ad januam, non eſt peccatum, niſi caſu, quo herus nollet peccare, ſi abeſſes.

19. P. Ego, Pater, à decem menſibus non confeſſa, & à ſex nupta, ſemel in hoc tempore peccavi cum fratre ſponſi?

C. Peccaſtinè ante, vel poſt matrimonium; hoc eſt neceſſarium ſcire: nam, ſi peccaſti poſt matrimonium, fuit inceſtus, & in pœnam privaris jure petendi debitum: ſi verò peccaſti ante matrimonium, ex tali peccato contraxiſti impedimentum dirimens in primo gradu cum fratribus Amaſii, quem cognoviſti.

20. P. Equidem; Pater, peccavi ante matrimonium, quod deinde contraxi bonâ fide, invincibiliter ignorans omnem attinentiam, quam ſi noviſſem, nullàtenus contraxiſſem, fixa potius mori, quàm committere ſacrilegium, & contrahere ſacramentum omninò irritum.

C. Hæc ignorantia excuſat utique à ſacrilegio, ſed non validat ſacramentum: nec enim bona fides in hoc contractu ſupplet, quod Eccleſia requirit pro ſubſtantiâ. Teneris nùnc omnia facere, ut matrimonium revalidetur, quod quidem eſt poſſibile, recurrendo ad Sacram Pœnitentiariam. Hæc habet authoritatem Pontificiam diſpenſandi in quibuslibet impedimentis jure humano conſtitutis, etiam occulato nomine pœnitentium, ubi agitur de foro tantum interno. Et verè diſpenſabit, cum agatur de matrimonio jam contracto in facie Eccleſiæ.

21. P. Sanè ſi poſſem abſque peccato, me ſeparare ab hoc viro, libenter me ſepararem, cum ſit naturæ beſtialis: At quia fieri hoc non poteſt abſque peccato, & maximo meæ famæ detrimento ex Dei manibus accipiam hanc crucem: Quò magis occultum remaneat meum peccatum, V. P. obtineat pro me diſpenſationem à Sacrâ Pænitentiariâ, quouſque tamen expediatur Breve, quomodò me geram cum hoc viro pœnitus beſtiali? An poſſim petere debitum, ubi me ſenſero agitatam vehementi ſtimulo carnis, aut ſaltem reddere, ubi petat ipſe homo ſuſpicioſiſſimus, & cui negans ego debitum; me expono evidenti mortis periculo?

C. Quia matrimonium fuit invalidum, quælibet copula, quam petas, vel reddas, eſt fornicaria, nec ullàtenus poteſt honeſtari à quocunque mortis periculo, etiã evidentiſſimo. Es equidem in magno labyrintho, ſed cum Dei auxilio, & prudentiâ tuâ liberaberis. Melius eſt mori, quàm fœdari. Debitum ubi rogeris, tuum erit effugia quærere, non quidem mendacils; hæc enim nequit conſulere Confeſſor, neque pro totiùs mundi ſalute, ſed viis prudentibus, ut quòd hodie tibi nimis eſſet moleſta redditio debiti &c. Interim pro meâ parte ſollicitabo diſpenſationem, quò citiùs eruaris à tantis periculis. Redi feſto ſequenti; nàm ſpero per hos dies omninò me obtenturum.

22. P. Ego, Pater, ſum fœmina, quam feſto præcedente juſſiſti redire ad te hodie pro diſpenſatione Apoſtolicâ, & video in manibus V. P. Breve. Igitur ſum diſpenſata; & nùnc abſolutè poſſum petere, ac reddere?

C. Utique es diſpenſata, ſed, antequam petas, vel reddas, renovandus eſt conſen-

ſus

ſus matrimonialis, ſine quo adhùc copula eſſet fornicaria. Non tamen opus eſt illum renovare coram Parocho, & teſtibus; nam quia occultum omninò fuit impedimentum in facie Eccleſiæ matrimonium remanet ſufficienter probatum; Renovabis igitur conſenſum inter te, & ipſum ſolum; Nec eſt neceſſe, quòd moneas virum impedimenti præcedentis, & diſpenſationis ſubſecutæ. Imò teneris nihil revelare circa hoc, quia teneris conſulere propriæ famæ. Igitur antequam reddas debitum, poteris petere, an amet te vero affectu maritali, vel verbis æquipollentibus uti; Et ubi reſpondeat affirmativè, jam renovatus eſt conſenſus ex utraque parte: ſi verò negaret, jam habes, unde neges juſtè volenti debitum affectu fornicario.

CAPUT LXIX.

Sequitur eadem materia Praxis circa primum, & ſecundum Decalogi præceptum.

1. PRocedo inordinatè, quia varietas acuit curioſitatem, & hæc attentionem. Plura c. 66. dicta ſunt circa primum Decalogi præceptum, ſed omnia reſpiciunt eò, ut Confeſſor inſtruatur circa praxim eorum, quæ audiuntur ordinariè in confeſſionali, peccatorum contra præceptum affirmativum eliciendi actus Fidei &c. aut illorum ſcientiam habendi; nùnc verò ponemus praxim peccatorum, quæ ſunt contra præceptum negativum, & præcipuè hæreſis; & tangemus etiam pro praxi primum Canonem Bullæ Cœnæ adjungentes, quæ ſpectant ad ſecundum Decalogi præceptum, ſcilicet, circa perjurium, blaſphemiam, quæ ſunt peccata, & ordinaria, & frequentia. Igitur.

2. P. Ego, Pater, pluries blaſphemavi.

C. Tu non accuſas numerum determinatum, imò nec ſpeciem peccatorum: blaſphemia enim eſt genus continens ſub ſe blaſphemiam ſimplicem, & hæreticalem: prima quarum eſt contra Religionem: ſecunda verò contra virtutem fidei, quòad ſuum actum externum. Dic igitur primò quas blaſphemias protuleris?

3. P. Ego, Pater, protuli ſemel *Deus ſit maledictus*, & alias etiam ſemel *Deus eſt maledictus*. Vellem ſcire, in quo caſu gravius peccaverim?

C. Peccaſti gravius in ſecundo: nam prima fuit blaſphemia ſimplex, utpotè prolata ſolum per modum optantis: altera verò fuit hæreticalis: affirmaſti enim aliquid contrarium articulis fidei: Et quidem hic in Urbe potes abſolvi, ordinariè loquendo, quia non eſt reſervata, è contra reſervatur, ordinariè loquendo in aliis Diœceſibus ab Epiſcopis.

4. P. Dixiſti *ordinariè loquendo* non eſſe reſervatam in Urbe: propterea innuis aliquando in Urbe non poſſe abſolvi. Hoc non intelligo; V.P. clarius id explicet.

C. Si hanc blaſphemiam protuliſſes Tuſculi, ubi reſervatur; & Romam acceſſiſſes eo fine tantum, ut abſolvereris, nolens comparere coram tuo Superiore Tuſculano, tunc veniſſes in fraudem; nec ego te poſſem abſolvere, juxta conſtitutionem Clementis X. adductam p. 1. c. 9. n. 5. ſed tenereris, vel redire ad tuum Superiorem Tuſculi, vel adire Pænitentiarios trium Baſilicarum.

5. P. Cur in iſto caſu de ſe non reſervato Romæ, tu non potes; & illi poſſunt abſolvere?

C. Quia ego abſolvo per juriſdictionem mihi collatam à Cardinali Vicario, etiamſi ſim Parochus. Equidem Cardinalis confert juriſdictionem, ut Vicarius Papæ, & ejus nomine, ſed Papa Vicarium nominat, ut Epiſcopus Urbis, & per conſequens ut cæteris Epiſcopis par, & par in parem non habet poteſtatem: At Pænitentiarios deputat, ut Papa totius orbis, & per conſequens, ut Superior omnibus Epiſcopis. quarè ſi adis Pænitentiarios pro abſolutione, adis legitimum Superiorem tui etiam Epiſcopi.

6. P. Ego, Pater, hic in Urbe protuli utramque blaſphemiam, & ſuper omnia dolens mei peccati, peto ſtatim abſolvi?

C. De ſimplici blaſphemia poſſem te ſtatim abſolvere, quia explicaſti ſpeciem, & numerum. At ſuper hæreticali nondum habeo ſpeciem, quia potes commiſiſſe peccatum hæreſis reſervatum in canone primo Bullæ Cœnæ. Dic igitur, an proferens illam blaſphemiam, credideris in tuo intellectu verè Deum eſſe maledictum?

7. P. Fateor me, Pater, crediſiſſe; at pro illo inſtanti, quo protuli: tamen ſtatim

ſtatim valdè pœnitui, & profeſsus ſum me paratum mori potius, quàm diſcredere vel minimum articulum fidei. Porrò in hoc non mihi videor fuiſse formalis hæreticus, ſed tantùm materialis: Ad hæreſim formalem duo ſimul juncta requiruntur indiſpenſabiliter, & error in intellectu contra fidem, & pertinacia in voluntate; Hac pertinacia deficiente, homo habens errorem in intellectu eſt ſolùm materialiter hæreticus.

C. Primò ſcias, quòd ſi protuliſses dictam blaſphemiam animo formali etiam contemnendi, & injuriandi Deum, peccaſses quidem graviſſimè, ac peccato pænè diabolico, ſed ſi per intellectum non crediſiſses, nunquam fuiſset peccatum hæreſis: nam optimè notaſti ad hæreſim formalem requiri duo illa indiſpenſabiliter, adeò ut non ſufficiat error ſine pertinacia, neque pertinacia ſine errore. Quoniam autem crediſiſti, pro illo inſtanti verè fuiſti hæreticus. Pertinacia non eſt, ut credis, perſeverare in errore, ſed dicitur pertinax, qui ſciens Eccleſiam definiviſse aliquid, vult tenere contrarium, & hoc etiam pro uno inſtanti, nam hæreſis, ut alia peccata, incurri poteſt in uno inſtanti. Dicitur autem hæreticus materialis, qui habet errorem in intellectu; ſed quoniam adhùc ignorat contrarium eſse definitum ab Eccleſia, paratus eſt huic ſe ſubiicere in omnibus; Et quia tu pro illo inſtanti crediſiſti ſciens contrarium ab Eccleſia definitum, non poſſum te, utpotè hæreticum abſolvere.

8. P. Ego, Pater protuli, hanc hæreſim, in meo cubiculo, nemine audiente, nec potente audire. Cum igitur aliquam hæreſim poſſit abſolvere Confeſsor ordinarius, maximè poterit iſtam?

C. Video te in aliquibus inſtructum, ſed omninò confusè. Poſset contingere, quòd aliquando cum hac inſtructione, velles promoveri ad ſacerdotium, & in illo exercere officium Confeſsoris; quare volo te clarè, ac totaliter inſtruere in hac materia: nam ſi ita confusè procedes, id continget cum maximo tui, animarumque tibi confitentium periculo. Igitur ſcias hæreſim merè internam poſse abſolvi à quocunque; ſed interna dicitur, quæ tantum eſt in mente; Si ſemel ore protuliſti, eſtò ſolus, imò etiamſi vix te ipſum audieris, etiamſi ſolùm feceris aliquod ſignum externum, vi cujus hæreſis aliqualiter externè prodierit, dummodò fuerit ſignum ſufficienter expreſſivum tui erroris interni. Hæc hæreſis, eſtò ſit occultiſſima, verè tamen dicitur externa, nec ullatenus poteſt abſolvi, etiam in Jubilæo ampliſſimo, niſi ſpecialiter id concedat Pontifex:

9. P. Ego, Pater, pluries, & coram pluribus videns fœminam publicam valdè divitem dixi: *Ecca fæmina, quæ adeò peccat, & tot nihilominùs bonis illam Deus replet*: Addidi aliquotiès: *Neceſſe eſt in hoc mundo facere mala, ut habeamus bona*; & quoad primum credidi verè talem fæminam habere etiam plura bona, cum id communiter in Urbe teneatur: quòad ſecundum dixi animo deliberato injurandi Deum, ſed verè non credidi.

C. Quòad primum eſtò credideris prædictam fæminam, eſtò malam, eſse divitem, non fuiſti hæreticus, quia fides non obligat nos, ut credamus malos eſse pauperes. Quòad ſecundum ex n. 3. peccaſti graviſſimè, ſed non fuiſti hæreticus, quia, ut aſseris, non crediſiſti. Accuſa ergo te de numero, ſcilicet, quoties protuleris, & inſuper coram quot protuleris?

10. P. Fateor me protuliſse decies, quia ſcio explicandum eſse numerum peccatorum, & fateor me dixiſse coram ſex perſonis. Cæterum hoc non debebas petere, ſed volui tibi ſatisfacere, ut ſtatim me abſolveres.

C. Numerus peccatorum deſumitur ex diverſis vicibus, in quibus peccaſti, & etiam ex diverſitate objecti materialis. In prolatione talis blaſphemiæ peccaſti primò cõtra Religionem, & ſecundò contra charitatem peccato ſcandali, & tot numero ſunt ſcandala, quot numero ſcandalixati (ſaltem virtualiter, quod ſufficit, ut tenearis aperire) quia injuria eſt in injuriato. Cum blaſphemia hæreticalis ex n. 3. in Urbe non ſit reſervata, poſsum, & volo te abſolvere; ſed ex Rituali adducto p. 1. c. 7. n. 21. Confeſsor abſolutioni *paterna charitate*, debet præmittere opportunas monitiones. Paterna charitas mihi deeſset, ſi non curarem te liberare à gravibus pœnis, quas potes incurrere. Ex c. 6. n. 11. qui audierunt te blaſphemantem hæreticaliter, tenentur te denunciare Inquiſitioni infra menſem, niſi velint eſse ipſo facto excommunicati. Sanctum verò Tribunal procedet contra te graviter ad pœnas à Jure ſtatutas,

tutas, niſi prævenias Delatores, comparendo ſpontaneè. Non teneris quidem ſub præcepto te præſentare; ſed unicum medium ad evadendas pœnas, eſt prævenire denunciationes juridicas Auditorum, quæ, ubi ſpontaneè compareas, nullius momenti erunt contra te omni tempore. Conſilium meum tibi placeat, & blaſphemias tuas redime humili hac denunciatione.

11. P. Ego, Pater, ex odio in Titium Sacerdotem, inductus fui abſque ullo fundamento ad credendum, quòd Chriſtus non eſset ſub hoſtià, ſuper quam proferebat verba conſecrationis; judicans illum habere intentionem conſecrandi, fuinè hæreticus?

C. Ex c. 1. n. 11. formalis ratio, ſub qua credimus fide Theologica, eſt, *quia Deus revelavit Eccleſiæ Catholicæ*. Et Deus quidem revelavit in hoſtia ritè conſecrata contineri verum corpus Chriſti, ſed non revelavit hanc in particulari hoſtiam eſse ritè conſecratam: quare non es hæreticus, credendo hanc hoſtiam non eſſe conſecratam; ſed graviſſimè peccas, judicando temerè tam grande malum, abſque fundamento de Sacerdote Catholico.

12. P. Teneorne in confeſſione explicare, quòd blaſphemiarum aliæ fuerint in Sanctos, aliæ in B. Virginem, aliæ in Deum?

C. Ex c. 4. n. 8. S. Thomas ponit omnes blaſphemias, ut ejuſdem ſpeciei; ſed tamen ſuaviter diſponat Confeſsor pœnitentem, ut explicet illam diverſitatem, quia poteſt variare notabiliter judicium Confeſsoris.

13. P. Ego, Pater, ſæpius juravi: nam conſuevi ad omne verbum addere, *Per Deum*, *Per Virginem Mariam* &c.

C. Hac tua confeſſione confundis juramentum, quod eſt actus Religionis, perjurium, & nominationem Dei in vanum, quæ ſit tantum veniale peccatum. Si profers verba illa, ſed ſimul non affirmas, aut negas aliquid, ad quòd confirmandum adducatur in teſtimonium Dei nomen, tunc fit vana Dei nominatio, & fuit peccatum veniale, quia ſecundum Decalogi præceptum ſub mortali tantum prohibet perjurium, blaſphemias, & violationem votorum.

14. P. Utique pluries eo modo nominavi Deum, ſed etiã pluries juravi: quæro an iſta conſuetudo jurandi ſit mortale peccatum?

C. Sit regula generalis, quòd conſuetudo de ſe non eſt peccaminoſa, niſi peccatum ſit actus: nam conſuetudo eſt circumſtantia, ſeù accidens, quòd non eſt peccatum, niſi mala ſit ſubſtantia, ſeù ſpecies rei. Conſuetudo id mali dicit, quòd aſſuetus jurare ſe exponit periculo pejerandi, & propterea peccat toties, quoties; at etiam peccaret, ſi unico actu ſe exponeret periculo. Cæterum ſi quis haberet conſuetudinem jurandi ſolùm in re vera, & juſta, non peccaret mortaliter. Dic igitur, quæ ſit iſta conſuetudo?

15. P. Fateor me jurare tum in vero, tùm in falſo: nam juro quidquid in buccam venit.

C. Hoc modo jurans, peccas, & jurando verum, & jurando falſum: quia jurando verum exponis te periculo jurandi falſum, & ita debes explicare quoties juraſti verum, & quoties juraſti falſum. At prius dic ſpeciem peccati.

16. P. Darinè poſſunt circa juramentum plura peccata ſpecie diſtincta?

C. Utiq; poſſunt dari: nam primò quatuor ſunt ſpecies juramenti, aſſertoriũ, promiſſorium, comminatorium, & execratorium. Ulterius conſiderandæ ſunt conditiones juramenti, nempè, Judicium, Juſtitia, & Veritas. Judicium conſiſtit in eo, quòd juretur cum Prudentia; ſed conditionem hanc omitto, quia defectus illius de ſe tantùm conſtituit veniale peccatum. Juſtitia eſt, quòd juretur de re non illicita: Veritas, quòd juretur res, qualis eſt in mente.

17. P. Juravi me daturum obolum, quod tamen poſtea non dedi, peccavine mortaliter?

C. Diſtinguendum eſt: ſi jurans habuiſti intentionem jurandi, & dandi, ſed deinde ex alio motivo non dediſti: Tale juramentum dicitur habere primam veritatem; quæ conſiſtit in intentione, dum juras, & carere ſecunda: In hac autem juramentum excuſatur à mortali ex parvitatè materiæ. At ſi deficiebat prima veritas, peccaſti mortaliter; nec ullatenus materiæ parvitas excuſat.

18. P. Juravi me dicturum leve mendacium, dic mihi, an peccaverim mortaliter in hoc juramento?

C. Si deficiebat intentio dicendi, utique peccaſti mortaliter; ſi habebas intentionem dicendi, tunc erit veniale: nam

circa

circà juſtitiam, materiæ parvitas excuſat à mortali.

19. P. Juravi bis me occiſurum filios, ſemel abſque intentione, ſemel cum intentione, quando peccavi gravius?

C. Ubi abſque intentione juraſti, fuiſti ſacrilegus, & perjurus contra veritatem juramento debitam: Ubi cum intentione juraſti: primò violaſti juſtitiam juramenti, jurans de re illicita; & in hoc pariter fuiſti ſacrilegus contra Religionem: ſecundò: violaſti virtutem Juſtitiæ intendens inferre mortem proximo: tertiò violaſti virtutem Pietatis intendens inferre mortem filiis. Porrò in qualibet harum ſpecierum tot numero peccata commiſiſti, quot ſunt numero filii.

20. P. Ego, Pater, plures dubitationes habui contra fidem; & aliquando voluntariè dubitavi, non quidem credendo contrarium definitis ab Eccleſia, ſed tantùm ea revocans in dubium?

C. Optimè feciſti, diſtinguendo dubitationes voluntarias ab involuntariis: involuntariæ ſunt tentationes dæmonum, quas etiam paſſi ſunt Sancti. At voluntariæ ſunt vera peccata infidelitatis: nam dubius in fide eſt infidelis: habuiſti errorem in intellectu, quia poſitivè dubitare de re certa, eſt error. Quoad ſpeciem igitur ulterius explica, num fuerit Paganiſmus, num Hebraiſmus; num Hæreſis: num internè tantùm fuerit dubium, vel externè prolatum, ut videam, ſi à me poſſis abſolvi. Etiam explica numerum.

21. P. Semel legi librum prohibitum?

C. Si paucas tantùm lineas legiſti, venialiter peccaſti ex parvitate materiæ: ſi plura legiſti, mortaliter peccaſti, & quia reflecto ad primum Canonem Bullæ Cœnæ, ut videam, an poſſis à me abſolvi, explica ulterius, an liber ſit hæretici, & quando ſit talis Authoris, an contineat hæreſim, vel ſaltem tractet de Religione?

22. P. Utique liber erat Authoris jam ab Eccleſia damnati, ut Hæretici, verumtamen agebat unicè de myſterio Trinitatis, illud mirabiliter explicans, abſque ullo errore contra Fidem?

C. Qui legit librum Hæretici, ſive contineat hæreſim, ſive ſolùm de Religione agat abſque ullo errore, ſi ſcienter id faciat, & ſine licentia, ipſo facto incidit in excommunicationem primi Canonis Bullæ Cœnæ.

23. P. Incidine in eundem Canonem ego, qui bis receptavi, & occultavi Hæreticum: ſemel, dum à ſuo Principe quærebatur ad necem ob homicidium ab illo patratum; & ſemel, dum petebatur à Sancta Inquiſitione ad triremes ob hæreſim à ſe evulgatam.

C. In primo caſu non incidiſti, quia receptaſti materialiter, Hæreticum: At in ſecundo caſu incidiſti, quia receptaſti Hæreticum, ut talem ab Inquiſitione petitum.

CAPUT LXX.

Sequitur eadem materia Praxis, circa quintum Decalogi Præceptum.

1. UT habes in *Inſtruct. pro ordinandis* c. 10. num. 2. quodlibet Decalogi præceptum continet in ſe duo præcepta: alterum negativum; & alterum affirmativum. Porrò ex num. 33. affirmativum contentum in quinto Decalogi præcepto, eſt Charitas proximi. De utroque igitur præcepto, & negativo, & affirmativo aliqua ponemus, quæ conducant ad praxim.

2. P. Odio ſemel habui, Pater, quoſdam meos inimicos, & quoniam agnoſco experientia doctus, Confeſſorem in hac odii materia exquirere tempus, utpotè circumſtantiam, quæ ſolùm aggravat, ſed notabiliter poteſt variare judicium Confeſſoris; ideò me accuſo, quòd per mediam horam duraverit tale odium, & quia ſcio interruptionem moralem conſtituere diverſitatem numericam juxta dicta p. 1. c. 34. n. 9. fateor hoc odium fuiſſe unicum moraliter actum toto eo tempore; quo finito, poſitivè oravi ſemper Deum in poſterum pro ſalute illorum, & nùnc inſuper maximè dolens de hoc peccato, peto abſolvi?

C. Primò debes explicare, an odium fuerit leve, an grave; ſecundò ſi dicatur grave, debes ulterius te explicare: nam odire eſt velle malum, & poteſt eſse in triplici ſpecie: ſi primò triſtari de bono proximi: ſecundò complaceas, vel gaudeas de malo proximi; nam odii peccato peccas, ſi audita morte proximi gaudes: tertiò ſi deſideres malum proximo.

3. P. Meum odium fuit in ſecunda ſpecie; complacui enim, audito gravi

damno

Digitized by Google

damno inimicorum, per epiſtolam amici.

C. Nondum ſufficienter explicaſti ſpeciem infimam peccati; ſicut enim inferens actu damnum grave proximo, debet explicare in qua materia intulerit, ſi in vita, in fama, in bonis temporalibus, aut ſpiritualibus &c. juxta diverſitatem ſpecificam peccatorum, quæ ſuo loco ex Angelico dicta ſunt militare contra juſtitiam commutativam, ita eædem differentiæ ſunt explicandæ in interno actu odii, ſive odium ſit triſtitia de bono, ſive complacentia, ſeù deſiderium de malo. Tandem ut poſſim habere numerum peccatorum, debebis explicare, quot numero fuerint hoſtes.

4. P. Mihi ut omninò novum accidit, quod triſtitia de bono ſit peccatum odii: putabam, quòd omnis triſtitia de bono proximi eſset Invidia; & ſub hac ſpecie volebam confiteri triſtitiam ſemel conceptam, quòd Petrus fuerit promotus ad beneficium?

C. Hæc tua opinio erat erronea ex multiplici capite: primò: falſum eſt, quòd omnis triſtitia ſit peccatum Invidiæ. Triſtitia in appetitu ſenſitivo eſt paſſio, quæ poteſt eſse bona, vel mala: in voluntate verò eſt actus indifferens; Utraque propterea ut judicetur bona, vel mala: dic, ſi triſtatus fuiſti de promotione Petri ad beneficium, quia fundatiſſimè times damnum ſpirituale ſubditis, nam tunc fuit bona triſtitia: ſi doluiſti, quia Petrus eſt indignus bonorum temporalium beneficio annexorum, fuit æmulatio, quæ ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. Si doluiſti, quia nolles Petrum habere tale bonum; hoc eſt formale odium. Si doluiſti (nota bene) quòd Petrus habuerit beneficium, quia nolles Petrum habere plus quam te; hoc eſt Jnvidia ex ſuo genere peccatum mortale, quia contra charitatem. Igitur ut habeam peccati ſpeciem, explica id totum magis in particulari?

5. P. Hæc diſtincta explicatio ſummoperè mihi placet: Ut igitur ſcias meum peccatum, dico me etiam prætendiſse dictum beneficium, pro quo habebam requiſita non ſpernenda: Ut autem vidi collatum Petro, dolui de meo infortunio.

C. Laudas, quòd ego explicem clarè omnia, ſed tu ſemper obſcurius loqueris, veruntamen ignoſco tibi: nec enim teneminì vos Pœnitentes eſſe Theologi; ſed ego peccarem graviſſimè contra meum officium, ſi neſcirem diſcernere lepram à lepra, odium ab invidia, & peccatum ab actione, in qua non eſt peccatum, quod ultimum videri confundere in ultima reſponſione tua. Igitur explica ulteriùs, an tantùm dolueris de tuo infortunio. An verò huic dolori addideris alium dolorem de fortuna Petri. Si tantùm doluiſti de tuo infortunio præſcindens ab eo, quòd Petrus habuerit beneficium; non peccaſti, quia doluiſti de tuo malo; & hoc non eſt contra charitatem, ſed juxta charitatem, quę incipit à ſe ipſo. Si dolori de tuo infortunio addidiſti alium dolorem de fortuna Petri, tùnc peccaſti, non in primo dolore, ſed in ſecundo, & videndum, an dolueris, quia erat bonum Petri: tùnc enim fuiſſet odium: vel an dolueris, quia nolles Petrum habere plus, quam te: nam tùnc apprehendiſti bonum Petri, ut diminutivum tuæ excellentiæ: quarè fuit Invidia.

6. P. Ego, Pater, verè dolui; quòd Petrus obtinuerit, ex eo tantùm motivo, quia vellem non eſse inferior Petro. Addantur illi alia complura, imò Cardinalatus, ipſe; dolerem unicè, quòd ille eſset Cardinalis, quando ego non ſim.

C. Dixi jam: ſi doles tantùm te non habere, quòd habet Petrus, non peccas. At ſi doles Petrum habere, quod tu non habes, etiam ſi non doleres, quando haberes & tu, peccaſti peccato Invidiæ.

7. P. Quoties, Pater, video meum hoſtem, toties mihi congelatur ſanguis in venis; etenim nimis injuſtè ſemper vexat.

C. Nondum te ſufficienter explicaſti: nam effectus iſte poteſt eſse naturalis; Ut pedetentim te ducam ab bonam confeſſionem, primò explica, nùm videns hoſtem, feceris actus voluntatis contrariè oppoſitos charitati, odiendo illum, vel per triſtitiam de ſuis bonis, vel per complacentiam, aut deſiderium de malo; & item de quo bono triſtatus fuiſti, vel de quo malo complacuiſti, aut deſideraſti. Explicatis ita peccatis contrariè oppoſitis charitati, ulterius explica, ſi peccaſti omittendo actus charitatis eidem ex præcepto debitos?

8. P. Scio, Pater, me teneri ad ſubveniendum hoſti poſito in extrema neceſſitate, in qua ille nunquam fuit; & ſcio

me

me teneri ad ſubveniendum proximo in graviori, in gravi, & in communi neceſſitate; ſed cum ille ſit multò me ditior, nunquam me credidi obligatum eidem ſubvenire de meis ſuperfluis?

C. Huc uſque meminiſti ſpeciales effectus charitatis, quos tenemur exhibere proximo in caſu &c. ſunt etiam ſigna communia amicitiæ, quæ ſub mortali tenemur exhibere omnibus, ut orare pro inimicis, vel ſalutare, quando in civitate ſalutatio habetur, ut ſignum commune, quod indifferenter omnibus tribui ſolet. Igitur ut poſſim ſcire tua peccata, mihi particulariter explicà, nùm defeceris in iſtis?

9. P. Quòad orationem mihi videor non teneri ſub mortali ad orandum particulariter pro inimicis: & quòad ſalutationem fateor in meà patria, ſalutari omnes indifferenter; propterea coram aliis, ſaluto meum hoſtem, nè ſim ſcandalo videntibus: At inter me, & ipſum ſolum non ſaluto.

C. In *Inſtruct. pro ordinandis c.* 8. n. 47. habes, quòd orationum alius eſt fructus generalis, & alius particularis. Igitur non peccas mortaliter, quando prætermittis applicare particulariter orationes pro tuo inimico: ſed ſi non communicares fructum generalem, in quo juſti omnes totius orbis communicant, peccares tùnc mortaliter. Miſſa etiam tres fructus producit: primus eſt generalis pro quocunque juſto: ſecundus ſpecialis, pro aſſiſtentibus: tertius ſpecialiſſimus, pro quo offertur: Hunc ultimum in miſſa, & in orationibus non teneris offerre pro tuo inimico, ſed peccares mortaliter, ſi orans in tuo cubiculo, nolles, quod hoſtis tuus communicaret in fructu generali tuarum precum. Idem dic, ſi nolles eum communicare in primo fructu miſſæ, vel etiam in ſecundo, ubi adſiſtit. Porrò nè angaris in hoc ſcrupulis, adverte non eſſe neceſſarium, quòd habeas poſitivam, & formalem intentionem communicandi hunc fructum; quare è contrà, ut pecces, requiritur te habere formalem, & poſitivam intentionem excludendi hoſtem a generali fructu. Quòad ſalutationem, quia illam dicis in patria eſſe ſignum commune, peccaſti mortaliter contra charitatem peccato omiſſionis, quoties non ſalutaſti (dummodò tu eſſes inferior, & ad te ſpectaret ſalutare primum; ſi enim hoc ſpectabat ad ipſum, non peccaſti tu non reſalutans, ſed ille peccavit non ſalutans) etiamſi nullus adeſſet: quòd ſi adfuiſſent alii, tùnc præter peccatum omiſſionis in non ſalutando, peccaſſes etiam peccato commiſſionis per ſcandalum contrà eandem charitatem; & explicare deberes, quot numero perſonas affeciſti ſcandalo.

10. P. Accedens ego, Pater, ad Urbem, cum alio Peregrino per viam rixati fuimus; & tandem percuſſi ſocium.

C. Hic ſimul refers duo peccata ſpecie diverſa, rixam, & percuſſionem. Ut fungar meo munere, debes diſtinctè quodlibet explicare. Ordinariè rixa incipit per verba dehonorativa. Dic ergo quas injurias protuleris in ſocium?

11. P. Injurias graves protuli coram ſex (quandoquidem ſemper vis ſcire numerum) & illum dixi furem, adulterum, & homicidam?

C. Tres injurias protuliſti ſpecie diſtinctas, omneſque graves, nondum tamen habeo ſpeciem tui peccati. Explicà ergo ulterius an verum, vel falſum fuerit, quod exprobraſti ſocio; & an publicum, vel occultum.

12. P. Fateor, Pater, publicum erat, & notum omnibus audientibus, quòd ſocius erat Adulter; Verum erat, quòd eſſet fur, nam meis oculis vidi furantem, ſed ſolus ego ſciebam: Falſum erat, quòd eſſet homicida: Unum peto pro meà inſtructione in poſterum, ut dicas, an verè neceſſarium ſit hæc omnia explicare in confeſſione, an potiùs id facias ad majorem tui cautelam, & mei ſecuritatem.

C. Id omnino neceſſarium eſt: nam exprobrans adulterium, quod eſt verum, & publicum, peccaſti ſolùm contrà charitatem: nec enim læſiſti juſtitiam, (quæ ſola obligat ad reſtitutionem) quia ſocius non habet jus ad famam in hoc. Exprobrans furtum, eſtò verum, ſed occultum, peccaſti contrà juſtitiam, quia ſocius, quamquam verè fur, habet jus, ut non publicetur talis; quare tu teneris reſtituere famam, ita tamen, quod non mentiaris, dicendo iis, qui audierunt, te locutum ex paſſione, laudando illum in hoc genere &c. Exprobrans homicidium peccaſti etiam contra juſtitiam, taliter excedens, quod exceſſus iſte conſtituit peccatum in alià ſpecie; teneriſque multò magis ad reſtitutionem, adeò, quòd, etiam,

ſi opporteat, dicas te fuiſſe mentitum. Et quia potes addere, quòd illi non deponent judicium factum de Petro, quòd ſit homicida, dico, quòd in tali caſu etiam debes addere juramentum, ut medium ultimum à Deo inſtitutum pro confirmandâ veritate. Et hæc circà Rixam. Adde jam circà percuſſionem; & primò explicà, num ſocius iſte fuerit Clericus; etenim tunc incidiſſes in excommunicationem Papæ reſervatam inflictam in c. *Si quis ſuadente*. Ulteriùs quia innuiſti vos fuiſſe Romipetas; explica, num percuſſeris animo impediendi acceſſum ad Urbem: tunc enim incidiſſes in aliam excommunicationem Papæ reſervatam can. 10. Bullæ Cœnæ, quam non incurris, ubi percuſſiſſes abſque illo animo: nam Romipeta in tali Bulla formaliter accipitur, non materialiter, ita ut ſit excommunicatus, qui moleſtat, ut ibi aſſeritur, Romipetam, quia Romam petit.

13. P. Eidem etiam pluries maledixi, ut & mihi, ſed in ira, & deſiderans utrique mortem, pro illo tantum inſtanti, quo elapſo, ſtatim ceſſavit malum omne deſiderium, erga me præſertim.

C. Non ideò, quòd in ira deſideraveris mortem, peccaſti minus, quam mortaliter, ſi ex animo verè deſideraſti; nam ira non aufert uſum rationis. Et cum maledicere ſit idem, ac malum dicere, ſi ex animo dixiſti, quanquam in uno inſtanti, explica quot vicibus maledixeris tùm illi, tùm tibi ſpecialiter; nam hoc eſt peccatum omninò gravius.

14. P. Eſtne peccatum ſibi mortem apprecari ad fugiendas afflictiones hujus vitæ?

C. Eſt utique peccatum mortale: nam eſt velle majus malum ad fugiendum minus: Paupertas, exilium, perſecutiones, infamia, & omnia, uno verbo, mala præſentis vitæ ſunt minora mortis. Mors autem eſt minus malum peccato quolibet, etiam veniali: quare non peccas deſiderando mori potius, quam peccare, vel venialiter.

15. P. Ego ſemel movi, ſemel induxi, & meo exemplo ſemel fui occaſio, ut occiderentur alii, peto, an tenear reſtituere?

C. Quando fuiſti movens, & inducens, teneris reſtituere; & 39 propoſitio contrarium docens damnata fuit ab Innocentio XI. & rectè; nam ambo, utpotè cauſa moralis, influunt in violatione juſtitiæ. Ubi fuiſti tantum occaſio, violaſti charitatem peccato ſcandali, non juſtitiam, quæ ſola obligat reſtituere.

CAPUT LXXI.

Requiritur eadem materia Praxi pro vitiis capitalibus.

1. QUotidiè accuſant ſe fœminæ in generali de vitiis capitalibus. Porrò Confeſſor debet habere modum interrogandi (niſi alias pœnitens ita ſit notus, ut Confeſſori moraliter conſtet ipſum in prædictis vitiis non peccaſſe mortaliter) ut ex una parte non gravet pœnitentem; ex alia eliciat, ſi quando mortaliter peccaverit.

2. P. Ego, Pater, ſum ſuperba, ſum avara, ſum Invida, ſum Guloſa, ſum Acidioſa.

C. Pedetentim procedamus in quolibet horum peccatorum; & primò dic, an verè cognoſcas, quid ſit Superbia?

3. P. Utique, Pater; audivi enim pluries, quòd Superbia eſt *appetitus propriæ excellentiæ inordinatus*.

C. Tu ſanè diebus Dominicis non frequentas doctrinam Chriſtianam in tua Parœcia: nam te Parochus docuiſſet, quòd *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ* ſit inanis Gloria; & quòd Superbia eſt *appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ut non vult homo ſubjici ſuo Superiori*: & eſt ex ſuo genere peccatum mortale.

4. P. Hoc eſt peccatum meum, quæ volo dominari, non ſubeſſe marito: Cibos illi non præparo, domum non curo, quòd nolim illi ſubeſſe, ſed imò præeſſe. Memini etiam, quòd ſemel juſſa levare feſtucam è terra, reſpondi me nihili facere ſua mandata.

C. Semper peccaſti mortaliter peccato Superbiæ in ultimo etiam caſu. In primis caſibus ex te vides gravem eſſe hujuſmodi inordinationem; unde non potes excuſari à mortali ex parvitate materiæ, licet ex hac excuſetur Superbia, quando levis eſt inordinatio. In ultimo caſu nolle ſubjici marito in levando feſtucam è terra, eſſet utique levis, inordinatio, & per conſequens veniale peccatum, niſi per rationem formalem tui motivi contempſiſſes totam mariti authoritatem; & graviſſimus contemptus eſt totam contemnere. Igitur circà primum explica numerum, & quoties id feceris; quo explicato, procede ad ſecundum tuæ confeſſionis caput, nempè, Avaritiam; In hac enim videre debeo, utrùm etiam peccaveris mortaliter?

5. P.

Digitized by Google

5. P. Quomodò in avaritià poſſum peccare mortaliter, ſi ex genere ſuo illa non eſt peccatum mortale?

C. Ego non te ſpecialiùs interrogarem, niſi vidiſſem, quòd ſub illà generali accuſatione ſuperbiæ involuiſſes plura, & quidem mortalia peccata. Ex multiplici capite avaritia poteſt eſſe peccatum mortale; ac primò ſi conſtituas in illa finem ultimum, hoc eſt, ſi es ita diſpoſita, ut ad conſervandam pecuniam nihil ſis curatura Dei, aut Eccleſiæ præcepta. Es diſpoſita præterire ſacrum in die feſto, & operari ſerviliter &c. ut vendas merces &c. quando ita fuiſſes diſpoſita, hìc animus eſt de ſe peccatum mortale, explicandum in confeſſione. Ulterius etiam deberes explicare, quotiès omiſiſti ſacrum &c. Deficiente hoc animo, utique non peccaſti mortaliter in affectu inordinato pecuniæ, ſed quia ex tali affectu ordinariè poſſunt contingere plura peccata, & Confeſſoris eſt, ubi pœnitens non ſe ſufficienter explicat, inquirere ordinaria: ideò duo mihi diſtinctè debes explicare: primò an ex hoc inordinato pecuniæ affectu proceſſeris ad negandum, aut differendum ultrà conveniens, debitas mercedes operariis, vel ita parum provideris domui tuæ, ut inde poſſis argui adminiſtrator infidelis, nam in altero peccaſſes contrà juſtitiam commutativam, in altero contrà diſtributivam: ſecundò: debes explicare, an ex illo affectu inordinato pecuniæ, proceſſeris ad negandam eleemoſinam pauperi conſtituto in extremà neceſſitate, vel etiam pauperi cōſtituto in neceſſitate gravi, aut communi, quando habes de ſuperfluis: nam in his caſibus peccas mortaliter contrà charitatem. Igitur explicà, nùm ad aliquid horum proceſſeris.

6. P. Ego, Pater, quòad primum caput contrà juſtitiam, numquam negavi mercedes operariis. At nec ullus Confeſſor injecit ſcrupulum in differendo; quin imò plurimùm compaſſi ſunt ſcientes me ſentire dolores mortis, dum cogor erogare pecuniam. Plurièṡ eunt, & redeunt operarii, quos dimitto nùnc ſub alio prætextu (verè tamen ex affectu inordinato pecuniæ) ad annos, & ad luſtra differo ſolvere; vix enim mei miniſtri debitum reducunt ad memoriam, ſed fateor, quia ſemper me vident reluctantem. Sed hoc unum ſcio, quòd promptè ſolvo, quotiès judicialiter ſum coacta, licèt nonnulli deſiſtant, quia timent meam potentiam; Alii, quia non habent, unde faciant expenſas judiciarias.

C. Verè es in peſſimo ſtatu, & in die judicii reddes rationem Deo de tot dannis, que tuà culpà, ſentiunt operarii conſumentes indumenta in eundo, & redeundo, differentes providere neceſſaria ſuæ familiæ temporibus opportunis ob defectum ſolutæ mercedis, unde contingit ſæpè, ut diſperdantur familiæ, cum filii non poſſint educari in ſtudiis, vel in artibus. Utinam illorum plures neceſſitas non induxerit ad gravia peccata, quæ omnia imputantur tibi, præſertim ſi diſſipes in conviviis, comædiis &c. egeantque poſteà fideles operarii. Quoniam ad annos, & luſtra dicis te diſtuliſſe mercedes, neceſſaria tibi eſt confeſſio generalis à tempore, quo cæpiſti deficere; Quia non eſt determinatum tempus præciſum, quo peccatur in differendo, non potes accuſare determinatum numerum peccatorum, ſed debes dicere tempus, in quo taliter proceſſiſti, ex illo enim Confeſſor arguet numerum circum circà peccatorum, quæ plus, minuſuè commiſiſti: Addes numerum perſonarum, quas hàc dilatione vexaſti, exprimens quæ tibi videantur gravius, quæ levius vexatæ, habità ratione ſtatus, temporis, & neceſſitatis quorumcunque, referens quidem te pro doctrinà univerſali ad Theologos; at pro caſu particulari hic, & nùnc ſequens magis dictamen propriæ conſcientiæ: nàm vera Theologia docet utique in generali ſolutionem poſſe v. g. per menſem differri, & Confeſſor id in confeſſionali ritè docebit. At ut particulariter cognoſcis hanc dilationem præjudicare plurimùm Creditori; nec innuis Confeſſario, qui propterèa conſulit juxtà doctrinam univerſalem, nec aliud poteſt, aut debet conſulere, niſi tu de Creditore aperias, quod oculis tuis vides, & manibus contractas. Porrò ut generalis iſta confeſſio ſit vera; emendato præterito, cavebis futurum.

7. P. Neque Confeſſarii. neque Concionatores inculcant hæc, quæ tamen hodie cognoſco valdè neceſſaria; & ut generalis confeſſio, cui me diſponam citiſſimè, ſit omni ex parte legitima, diſſere de reliquis vitiis capitalibus, quæ accuſavi?

C. De

C. De Invidiâ, poſſunt videri dicta c. 69. n. 3. Circà gulam pariter conſidera, nùm in delectationibus cibi, & potus poſueris finem ultimum, hoc eſt, an parata fueris, ut has obtineres, conculcare Dei legem, & Eccleſiæ præcepta. Ubi animus iſte abſuerit quia de ſe Gula non eſt peccatum mortale, conſiderà, quòd totiès peccaſti mortaliter, ſi comediſti, aut bibiſti; advertens, vel debens advertere, quòd talis cibus, & potus poterat graviter nocere ſanitati, nec non totiès, quotiès peccaſti mortaliter peccato Ebrietatis in bibendo, ſi advertiſti, vel debuiſti advertere, quòd potus te perfectè privaret uſu rationis: tertiò ſi obligata ad jejunia Eccleſiæ illa violaſti, debes accuſare quotiès, & quomodo violaſti: ſi pluriès comedendo, ſed cibos quadrageſimales; quòd ſi violaſti etiam per cibos vetitos, inſuper accuſa, nùm in ovis, & lacticiniis tantùm, an inſuper in carne: quotiès etiam in die hanc, vel illa comederis?

8. P. Quid dices de Acidiâ, quæ ſæpiùs me opprimit, & vi cujus prætermitto ſæpiſſimè orationes, & alia pietatis opera?

C. Acidia eſt tædium laboris circà bona ſpiritualia; & opponitur charitati Dei, proptereà ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Videndum tamen eſt, quomodo tua hæc Acidia ſe habeat: etenim ſi triſtaris; quia labor ille cedit in gloriam Dei, quotiès de hoc doluiſti, totiès peccaſti mortaliter, nec excuſaris ob parvitatem materiæ, quanquam dolueris de recitando ex devotione verſiculo *Gloria Patri* &c. ſi verò non ſub eâ ratione doluiſti, ſed quia tibi moleſtus erat labor, peccaſti etiam peccato Acidiæ, ſed tantùm venialiter in Acidiâ; quòd ſi prætermiſeris opera pietatis præcepta, v. g. recitationem officii, ad quod obligaris, tùnc commiſiſti duo peccata, alterum veniale Acidiæ: quòd fuit cauſa alterius mortalis, nempè, omiſſionis officii; & primum veniale eſt contrà charitatem Dei (quod tamen in confeſſione non teneris explicare) alterum mortale contrà Religionem, quæ obligat ad officium; & circà hoc in confeſſione teneris explicare numerum omiſſionum &c.

CAPUT LXXII.

Concluſio totius operis.

1. **A**Ngelici Theologia eſt veluti circulus, & Corona, quæ in idem terminat, ubi incipit. Et ita S. Doctor ſuam Summam incipiens à Deo, intendebat illam terminare in ipſum Deum, complens illam per quæſtiones de Deo glorificatore poſt judicium, licèt morte præventus, non potuerit complere, ſed illam inabſolutam reliquerit ad tractatum de Pœnitentiâ, quæ debet eſſe complementum noſtræ præſentis vitæ. Studui, prout mihi quidam videtur, tradere doctrinam Moralem in hoc opere juxtà ſenſum Sancti Doctoris; quare legenti non debebit eſſe mirum, ſi unde incepit, terminet opus, quod ad modum circuli, & coronæ, compactum eſt.

2. Igitur, ut adprimum redeamus p. 1. c. 1. n. 9. notatum eſt multa forte repetenda in hoc opere; & addo nùnc multa ſæpius repetita; ſed id primò proceſſit ex naturâ doctrinæ Angelicæ. Hæc utpotè à fundamentis omnia tractans, uti ſuper eodem fundamento multæ ſurgunt menſiones, ita ſuper eàdem ratione fundamentali, Angelicus multas deduxit concluſiones; quòd autem haſce ſtabiliens Angelicus, cogatur pluries repetere principium talis concluſionis, eſt cum grandi ſtudentium fructu: quem, & ego maximum percepi. Extrà ſcholam S. Thomæ ablactatus, firmandæ cuilibet concluſioni, debui ſemper adhibere ſtudiũ in genere. At factus Angelici diſcipulus, video me plurima evidentèr ſtatim deducere, percepto fundamentali principio, quod tamen ut percipiatur, eſt ſæpius inculcandum, cum omnes neque totiès inculcatum percipiant. Exemplo ſit illud axioma Theologicum, quòd *A cauſa prima inimpedibili, & neceſſaria*, ſequi poteſt effectus cauſæ ſecundę impedibilis, & contingens. In hoc tanquam primo fundamento nituntur plura fidei dogmata. S. Doctor illud firmavit in ſuis operibus plus, quàm quadrageſies; ſub variis quidem terminis, ſed ad idem reſpicientibus; ſed ſub iiſdem omninò terminis, relinquendo cætera S. Doctoris opera, quæ fortè non ita erunt ad manus Confeſſori ordinario, ter illud firmat: primò quidem

1. p. q. 14. a. 13. ſibi ſecundo loco obiiciens per hæc formalia verba: *Omnis conditionalis, cujus antecedens eſt neceſſarium abſolutè, conſequens eſt neceſſarium abſolutè* &c. ſecundò idem proponit q. 19. a. 8. pro tertia objectione. Tertiò idem proponit 2. 2. q. 171. a. 6. etiam in tertio argumento, & firmat mirabiliter, reſpondendo, tale principium, ita ut mihi videatur luna clariùs, ob lucem, quam recipit ab Angelico Sole. Cum toties tamen fuerit inculcatum, cæcutivit ad illud. Petrus de Rivo docens Lovanii, quòd *à cauſa inimpedibili, & abſolutè neceſſaria, ſequitur effectus inimpedibilis, & abſolutè neceſſarius*. Illum tamen ad Sixtum IV. detulit Academia Lovanienſis tenaciſſima doctrinæ SS. Aug. & Th. Apoſtolicaque authoritate Petrus coactus fuit ſe retractare.

3. Hinc videt Confeſſor aliquando plurimùm prodeſſe, quòd eadem ſæpiùs repetantur. Mihi verò pænè fuit neceſſarium ob aſſumptam methodum, qui priùs rem volui tractare funditùs; deinde compendio redigere, tertiò tandem, adaptare ad praxim. Ubi verò hæc repetitio faſtidium generet doctioribus, per tranſeant illi, nec malè habeant, quòd ſapientibus, & inſipientibus debitor, me accomodaverim capacitati horum, quibus unicè poteſt ſubveniri per iteratam repetitionem ſæpiùs dictorum.

4. Si quid diſplicui ſemper vertens ſermonem ad Confeſſorem ordinarium, habes jam ex num. 1. quòd Angelici doctrina eſt circulus, & corona, cujus lineæ omnes ducendæ ſunt ad centrum, ſeù finem; quarè ad Confeſſorem ordinarium, cujus inſtructio eſt intenta in hoc opere; omnis concluſio hujus noſtræ Moralis Theologię deducenda erat.

4. D. S. Th. in ſecunda parte tractans de Theologia Morali, poſtquam egit in particulari de virtutibus, & peccatis, ut exerceri poſſunt ab omnibus hominibus, à q. 161. ad finem, adhùc egit de nonnullis ſpecialiter pertinentibus ad aliquos homines, ut ſe obligatum vidit ex Scriptura, quam, uti fundamentum, debet ſibi apponere Theologus quiſque, ſed præcipuè moralis. Ergo conſiderans verba illa 1. Cor. 12. *Diviſiones gratiarum ſunt*, & *Diviſiones operationum ſunt*: & *Diviſiones miniſtrationum ſunt*, cognovit in Eccleſia dividi primò gratias gratis datas, ut prophetiam &c. ſecundò: dividi vitas activam, & contemplativam: tertiò, miniſteria, ſeù officia, & ſtatus, ut Epiſcoporum, Religoſorum &c. de quibus omnibus agit ad complementum Theologiæ Moralis: quarè in compendio doctrinæ Angelicæ videbantur addenda hęc etiam ad plenam Confeſſoris inſtructionem?

M. Gaudeo maximòpere, quòd ex meo labore in hoc opere videam pullulare fructum optatum, qui eſt ex affectu erga doctrinam Angelicam incitare Confeſſores ad indagandum illius ordinem, ac methodum, qua indagata faciliimè percipitur mens S. Doctoris. Et verò tu ita interrogans, videris jam præmiſiſſe lectionem attentam ſecundæ partis, & prævenisti me, qui ſanè volebam innuere totum proceſſum hujuſce partis; At diffuſiùs agere de gratiis gratis datis, de vitis activa, & contemplativa, de officiis, & ſtatibus hominum, non erat mei inſtituti, nam inſtruo Confeſſorem ordinarium, qui ſedet in Confeſſionali audiendæ multitudini, ſeù univerſitati fidelium, non ut dirigat particulares ad finem determinatum; quæ directio indiget ſcientia, & experientia omnimodè majori.

5. Qui verò in hoc opere ſtuduimus ducere circulum, non modo ſcientiæ à S. Th. petitæ, ſed etiam, juxta Rituale adductum p. 1. c. 7. n. 7. circulum prudentiæ petitæ à S. Carolo, reſtat, & hunc ſecundum concludere cum S. Carolo. In inſtitutionibus Seminarii cap. 4. dedit ille aurea monita pro Confeſſoribus ejuſdem Seminarii, quorum plurima videntur mihi congruere cuilibet Confeſſori. Omiſſis igitur, quæ ſpecialiter pertinent ad tales Confeſſores, adducam hic pro complemento operis, quæ generaliter poſſunt omnibus inſervire, ut per hæc adjuncta jam adductis part. 1. cap. 11. ex eodem, Confeſſor inſtructus dici poſſit *fidelis ſervus, & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*.

6 *Confeſſarius illud ſecum reputet, ex ſe, rectaque ſui muneris adminiſtratione, pendere Pænitentium in omni virtute progreſſum.*

7. *Quarè turpe ſibi fore, niſi ita vivat, & in omni vitæ parte, ita ſe gerat, ut ex ipſius vita moribuſque, omnis virtutis, atque officii exempla peti poſſint.*

8. *Pietate, manſuetudine, humilitate, pruden-*

prudentia charitate, officii ſui dignitatem ſuſtineat, authoritatem tueatur.

9. *Vitam, & mores pœnitentis, quantum fieri poſſit, exploratos habeat, ut vel ad officium revocare errantes vel in via Domini incitare ingreſſos poſſit.*

10. *Illud in primis, in iis, quorum confeſſiones audit, efficere ſtudeat, ut eum tanquam parentem ament, ac venerentur; ideòque cum illis benignè agat, præſertim dum confitentur [adhibita tamen ea gravitate, & auctoritate, quam munus, quod gerit, & perſona, quam ſuſtinet, requirit]*

11. *Sic enim maximè ſibi fidem conciliabit, efficietque, ut ejus conſilia ſalutaria, libenti animo, & ſuſcipiant, & exequantur.*

12. *Si cui in confeſſione aliquid occurerit, quamobrem illi neceſſe ſit, longiori temporis ſpatio immorari, nè aſtantibus offenſionis occaſio præbeatur, Confeſſarius hoc in aliud tempus differat, non impoſita illi tunc quidem abſolutione, vel certè, ſi eum tunc abſolvendum judicaverit, ut poſſit ſacram Eucharistiam ſumere, id faciat, petita ab eo venia, ſecum ea de re alio loco agendi.*

13. *Nihil aut ipſe proponat, aut audiat à confitente ad confeſſionem minimè ſpectans ſi autem aliqua inſtitutione quempiam indigere cognoverit, aliud ſibi ad eum inſtituendum tempus eligat.*

14. *Si quos vitæ ſpiritualis amantes compererit, eis vires addat ſuis cohortationibus; piis colloquiis, documentis ſpiritualibus, orationibus, omnique alia ratione juvare conetur; languentes verò, deſides, & a progreſſibus ſpiritualibus abhorrentes, quacunque ratione excitare, & ad meliorem frugem reducere ſtudeat.*

15. *Ut autem Pœnitentibus ope ſua præſto eſſe, ac eos ad vitæ emendationem, ac progreſſum in virtute poſſit excitare, utilia quædam, & ſigillatim cuilibet oppoſita vitio remedia in promptu habeat: maximè verò iis vitiis adverſa, quibus præcipuè obnoxios eſſe novit Pœnitentes.*

16. *Quod ad orationem, ejuſque rationem ſpectat, ſtudeat, quam diligentiſſimè, quibuſcunque rebus poterit, pœnitentes juvare, & quibuſdam regulis inſtruere, cogitetque parùm admodum profecturos, maximiſque fructibus privatum iri, ſi vel nulla, vel non recta ratione orent.*

17. Porrò ad quas unumquenque pro ſuo captu orationes debeat excitare, ex eodem habes p. 1. c. 11. n. 49. & p. 2. c. 30. n. 16. ex S. Thom. conditiones orationis, ut eſſe poſſit efficax.

18. *Imperitos etiam, & in diſcutienda conſcientia minimè exercitatos edoceat, omnemque præſcribat examinis modum, quo illi uti debeant, ejuſque rationem ab iis exigat.*

19. *Moneat omnes, nè unquam ſibi ipſis, culpæ mortalis conſcii ſomnum capere audeant, ſed contractam peccati maculam, ſtatim ſacramentali confeſſione eluant.*

20. *Omnes hoc ſalutari præcepto informet, ut videlicet, in matutina oratione, ſe ipſos Deo Optimo Maximo, deſideria ſua, omnes cogitationes, actiones ejus diei, & verba offerant, ejuſque gloriam ſolam in omnibus rebus ſibi proponant.*

21. Opportunè hic etiam cadunt monita S. Franc. Xaverii, & excipienda non ſolùm propter ejus doctrinam, & ſanctitatem, ſed etiam propter ejus authoritatem Eccleſiaſticam, quippe qui virtutum omnium ſplendore, jam maturus Apoſtolico muneri; ut in ejus feſto dicitur lectione quinta pro Indiis delectus fuit cum Apoſtolici Nuncii poteſtate.

SANCTI FRANCISCI XAVERII

Indorum, & Japonum Apoſtoli toto orbe, zelo Catholicæ Fidei propagandæ celeberrimi;

Ad Confeſſarios graviſſima Admonitio.

De optima Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione.

Ex Turſellino l. 6 Vitæ c. 17. ita prænotato:

SI quando locupletes, atque opulenti negotiatores, Magiſtratus, aut Præſides vitæ ſolutioris, ad Confeſſionem accederent, ante omnia cenſebat, eos ſedulò admonendos, ut ſumpto ſpatio bidui, triduive, intentius in anteactam vitam ſuam inquirentes, delicta omnia (ſi diffiderent memoriæ) mandarent litteris, doloriſque ſenſum contritionemque à Deo ſuppliciter peterent. Inde principio Confeſſionis rationem ab eis exquirendam dicebat munerum, curationumque quibus

præeſſent, negotiorum, quæ tractarent, qua ſedulitate, qua fide in iis ſe gererent, geſſiſſentve. Quippe hiſce percunctationibus explorari facilius poſſe, & quid oporteret reſtitui, quam ſi generatim interrogarentur, nunquid cuiquam reſtituere deberent; quia ad tales interrogationes prorſus abnuere conſueverint, ſeu lucri cupiditate, ſeu rerum inſcitia excœcati: Confeſſionibus deinde eorum exceptis, mentes monitis quibuſdam, ac remediis curandas: *Neque tamen à Confeſſore abſolvendos illicò, ſed poſtea quam ea, quæ deberent, perſolverint*. Itaque Patri Gaſpari de talibus hominibus præcipit in hunc modum. *Confeſſionem non continuò ſequetur abſolutio. Sed biduum, triduumvè dabitur eorum pectoribus certarum rerum meditatione præparandis, ut interim 1. Animarum maculas voluntariis eluant pœnis. 2. Si quid cui debent, reſtituant. 3. Simultatibus, ſi quas habent, depoſitis. 4. Redeant cum inimicis in gratiam. 5. A libidinis conſuetudine. 6. Cæteriſque, quibus impliciti ſunt, flagitiis expediantur. Hæc omnia abſolutionem præcurrunt rectius, quam ſequantur. Namquè iſtiuſmodi homines in ipsâ confeſſione promittunt, ſe cuncta facturos: Poſt abſolutionem fidei datæ immemores promiſſa irrita cadere patiuntur. Proinde elaborandum eſt, ut abſolvendi repræſentent, quod preſtare debent abſoluti &c.* Confitentibus porrò, non feſtinatam, ſed diligentem navandam operam cenſebat, monens, ut præoptarent, confeſſiones paucas ritè factas audire, quam multas temerè properatas. Qui enim confitentes intentius excuti poſſe? quæ eorum odiis, fraudibus, vitiis adhiberi remedia, *niſi per otium curarentur?* an verò dubium eſſe, quin confeſſio una rectè inſtituta, multis curſim peractis præferenda ſit, *Cum præſertim confeſſio aditum aperiat ad ſacroſanctum Eucharistiæ Sacramentum*; Poſtremò monebat Confeſſarios, ut ſumpto ſpatio, in auditas ab ſe Confeſſiones inquirentes, viderent intentius, & quid in delictis aliorum expiandis, ipſi deliquiſſent, & quæcumque in alienis peccaſſent, confeſſionibus expiarent ſuis, eaque delicta in poſterùm ſumma vi corrigere niterentur. Hoc quippè ſtudium, ad rectè, atque utiliter confeſſarii munus obeundum maximo adjumento futurum.

ADDITIONES

AD PRIMAM PARTEM.

CAPUT XL.

Recapitulatio Primæ Partis circa Sacramentum Pœnitentiæ.

1. IN præcedenti editione, poſt explicatam fuſè doctrinam de virtutibus, & vitiis in ſingulari, redegi compendio concluſiones principaliores, quo faciliùs retinerentur memoriæ; ad manuducendum in Confeſſionali Sacerdotem, pro ritè interrogando Pœnitente; multique inſteterunt, ut ampliaretur methodus hæc non ingrata. Omnibus debitor, ſatisfacturus omnium votis, quantum fieri poteſt, eodem tenore concludam hanc primam partem. Quare.

2. Quid eſt Sacramentum Pænitentiæ?

M. Eſt Sacramentum novæ legis inſtitutum à Chriſto ad reconciliandos Fideles lapſos poſt baptiſma.

3. D. Quæ ſunt partes hujus Sacramenti?

M. Duæ ſunt eſſentiales: tertia integralis: Primæ ſunt materia, & forma: ultima eſt ſatisfactio in actu.

4. D. In quo conſiſtit Forma?

M. In illis verbis: *Abſolvo te à peccatis tuis* (reliqua induxit laudabilis conſuetudo Eccleſiæ) Scholaſtici diſputant, an ſufficiant illa: *Abſolvo te*, quid in ſe ſit verum, Deus ſcit: In praxi omnia ſunt dicenda, nè Sacramentum exponatur periculo nullitatis; & quia, quoad valorem Sacramenti, debemus amplecti tutiorem, ut ex Innoc. Theſi damnata.

5. D. Quotuplex eſt materia?

M. Alia eſt remota: alia proxima. Remota

mota eſt triplex, neceſſaria, & ſufficiens, ut peccatum mortale certum, commiſſum poſt Baptiſma, & nondum ritè confeſſum, quod tenemur confiteri, & accipere abſolutionem; 2. neceſſaria, ſed non ſufficiens, ut peccatum mortale dubium quod tenemur confiteri, ſed ſuperillud ſolùm, non poteſt cadere abſolutio, niſi adjungatur certum: 3. ſufficiens, non neceſſaria ut veniale, vel mortale alias ritè confeſſum.

6. D. Quæ eſt materia proxima?

M. Tres actus pœnitentis: Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio, ultima in actu eſt integralis: at in propoſito, eſſentialis: nec abſolvi poteſt, carens propoſitò illam adimplendi.

7. D. Quotuplex eſt Contritio?

M. Duplex: imperfecta, quæ dicitur Attritio; & perfecta, hæc juſtificat ante Sacramentum, ſi ſit cum voto, ideſt, propoſito ſuſcipiendi ſuo tempore Sacramentum. Sanitas intentionaliter exiſtens cauſat realiter ſumptionem medicinæ, quia finis in intentione cauſat media in executione, non è contra: in noſtro caſu ex Dei miſericordia, Sacramentum, qua eſt medium, intentionaliter exiſtens, realiter cauſat gratiam, quæ eſt finis Sacramenti.

8. D. Unde concipitur Attritio?

M. Per Trid. ex duplici motivo: 1. ex metu gehænnæ, & pœnarum (quo nomine venit etiam amiſſio gloriæ) 2. ex turpitudine peccati.

9. D. Quas conditiones habere debet dolor, ut ſufficiat Sacramento?

M. Saltem quatuor: 1. ſit ſupernaturalis [ſufficientiam naturalis damnat Innoc. Theſ. 57.] 2. habeat reſpectum ad Deum: 3. ſit univerſalis: 4. ſuper omnia mala.

10. D. Explica ſingulas, & incipe à p ima?

M. Homo habet duplex lumen alterum rationis naturalis, alterum fidei: actus voluntatis ſubſequens ad primum eſt naturalis: ſubſequens ad ſecundum, eſt ſupernaturalis; Ut ergo dolor ſit talis, regulari debet lumine fidei dictantis Deum eſſe ſummum bonum, ſi eſt Contritio, vel Gehennam imminere peccati, aut peccatum eſſe turpe turpitudine cognita per fidem.

11. D. Explica ſecundam?

M. Qui doleret timens Gehennam ſuis peccatis, non reſpiciens Deum, ſed unicè ſe ipſum, non juſtificaretur, quia non habet reſpectum ad ultimum finem, cui reconcilietur.

12. D. Explica tertiam?

M. Hæc exigitur ſolùm in confeſſione mortalium: Effectus Sacramenti eſt gratia ſanctificans, impotens ſtare cum mortali, ideò adhærens uni, & non retractans, ponit obicem gratiæ, cum qua in hac vita poſſunt ſtare venialia, ideò dolens de uno veniali, non de alio, poteſt recipere effectum Sacramenti; At ſi unum veniale eſſet materia totalis, debeo dolere de illo, ut habeatur materia proxima Sacramenti; alias committo ſacrilegium, quia pono obicem gratiæ.

13. D. Explica quartam.

M. Dolor debet eſſe ſuper omnia mala, hoc eſt, magis diſplicere offenſa Dei, quam cætera mala, mors, Infernus &c., ſed debet eſſe major appretiativè, non intenſivè: Pœnitens ita debet eſſe diſpoſitus, ut habens eligere unum de duobus, offenſam Dei, vel mortem &c., potiùs eligeret mori, quam fœdari. Ita diſpoſitus appretiat Deum magis, quam mortem. Non oportet, quod ſit major intenſivè, vel producat plures effectus ſenſibiles lacrymarum, ſuſpiriorum &c., immo neque tentandus eſt Pœnitens, ut teſtetur particularem dolorem appretiativè, dicendo, ſe paratum mori, infamari &c., nam hæc ſenſibilia magis movent?

14. D. Attritio ſufficitnè huic Sacramento?

M. Abſolutè dico ſufficere; ſed addo Scholaſticos antiquos cum Catechiſmo, nomine Attritionis intellexiſſe amorem initialem Dei propter ſe dilecti conceptum ex metu Gehennæ. Moderni intelligunt ipſum timorem conjunctum ſpei veniæ. Tu vide c. 46. à num. 11.

15. D. Ad quam ex tribus partibus materialibus ſpectat examen conſcientiæ?

M. Ad Confeſſionem: quia, ſine illo, Pænitens exponit ſe periculo tacendi aliquod peccatum: Eſtò dicat omnia, id contingit caſu: quare peccat. Ut examen valeat, debet inſumere tantùm temporis, quantùm homo prudens inſumit in gravi negotio, ut eſt hoc ſalutis.

16. D. Confeſſio debet ne eſſe integra?

M. Utique etiam materialiter: ſed ad minus formaliter. Integritas materialis eſt, dum dico omnia peccata in ſpecie, numero, & circumſtantiis explicatu neceſſariis. Formalis, dum dico omnia, quæ hic, & nunc poſſum dicere, ſine impedimento phyſico, vel morali, cum dolore univerſali, & animo dicendi reliqua ſuo tempore. Confeſſio integra materialiter poteſt eſſe invalida, ſi deficiat dolor. Integra formaliter nequit eſſe invalida; nam in illis tribus conditionibus includuntur omnia requiſita.

17. D. Quod eſt impedimentum phyſicum, vel morale?

M. Phyſicum eſt, ſi v. gr. deficit vox, vel, poſt diligens examen, obliviſcor peccati: Morale, quando prudenter timeo, nè Confeſſor revelet mea peccata &c. non ſufficit timor infamiæ, apud Confeſſorem, quia Confeſſio eſt inſtituta, ut humiliemur, non ut canonizemur.

18. D. Cùm ſit exprimenda ſpecies peccatorum, quomodo hæc diſtinguuntur?

M. Thomiſtæ diſtinguunt ex diverſitate objecti formalis: alii, quia opponuntur diverſis virtutibus, vel eidem per exceſſum, & defectum: alii ex diverſo modo tendendi: Elige, quod placet: juxtà primos delectatio moroſa, & deſiderium, ſunt diverſæ ſpecie, quia objectum formale delectationis eſt Tiria, ut imaginata: objectum deſiderii; Tiria realiter exiſtens, & qua vult realiter frui: Juxtà ſecundos, delectatio opponitur Caſtitati per defectum, quia non habet ordinem ad opus: deſiderium excedit, quia habet ordinem. Juxtà tertios, quia feruntur in objectum diverſo modo. Idem dic de reliquis.

19. D. Quomodo diſtinguuntur numero?

M. Ex quatuor capitibus: 1. ex actibus completis: Sacerdos in mortali audiens confeſſione centum perſonarum, centum ſacrilegia committit, quia complet centum ſacramenta; ſed communicans centum, committit unum, quia eſt unum convivium, cui poſſunt adeſſe centum. Celebrans committit duo, unum in conſecrando, aliud in communicando, quia ſunt actiones completæ diverſæ genere generaliſſimo: Prima eſt in prædicamento Actionis, altera Paſſionis. Habens ſucceſſivè plures copulas, debet explicare numerum: tot enim ſunt peccata, quot copulæ, quia in genere Luxuriæ copula eſt actus completus, non ſic oſculum, & cæteri actus luxurioſi præcedentes: quarè ex hoc capite committit unum peccatum, qui intrà horam, v. gr., pluries oſculatur fœminam. 2. ex interruptione morali: dicitur interrumpi moraliter actus, quando retrahatur formaliter, vel interpretativè formaliter ſi me pœniteat: interpretativè, ſi diverto ad negotium omninò diſparatum: qui ſemel oſculatus fœminam, pœnitet, vel divertit ad audiendam Miſſam: ſi poſt mediam horam, iterùm oſculetur, ſecundò peccat, quia interrumpit moraliter: 3. ex diverſitate objecti materialis: quatuor homicidia committit, qui uno ictu occidit quatuor, & decem ſcandala, quia una actione ſcandalizat decem: 4. ex notabili interruptione temporis.

20. D. Quæ circumſtantiæ ſunt confitendæ?

M. Ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. mutantes ſpeciem. Circà notabiliter aggravantes intra eandem ſpeciem, ex Catech. p. 2. c. 5. n. 40. explicanda eſt quantitas furti. Ex Theſi 58. Innoc. conſuetudo, ſi Confeſſor interroget. Hinc ſit regula generalis explicandas eſſe, quæ, notabiliter variant judicium Confeſſoris.

21. D. S. Thom. 4. d. 16. quæſt. 3 art. 2. quæſt. 5 docet tanquam probabilius eſſe tantum confitendas, quæ mutant ſpeciem?

M. Idem d. 22. quæſt. 1. art. 3. ait alia eſſe confitenda directè, ut peccata, quorum volumus remiſſionem; & quoad hoc docuit non eſſe confitendas ſpecialiter circumſtantias aggravantes, quia non ſunt ſpecialiter abolendæ: nam abolentur cum ipſa ſpecie peccati: Alia ſunt confitenda indirectè, quibus tacitis Confeſſor nequit ſcire modum ſatisfaciendi Pœnitenti, quem debet ſcire taliter, quod aliquando Pœnitens debet illi explicare quædam nullatenùs mala, v. gr., tenetur explicare ſuam infirmitatem Confeſſario, qui pro pœnitentia vellet imponere jejunia: Hinc deducit explicandam eſſe circumſtantiam recidivi indirectè (idem multò magis dic de conſuetudine) quia Confeſſor debet imponere pœnitentiam ſatisfactivam de præterito, & medicinalem in futuro. An verò ſit ſufficienter medicinalis, nequit ſciri, niſi explicet recidivitatem, & conſuetudinem,

nem, vel quantitatem furti &c. Addit, *videtur ſufficere confeſſio* recidivitatis, occaſionis proximæ &c. in generali, *tamen interdùm oportet deſcendere ad ſpecialia, ut Confeſſor viderit opportunum: nec enim poteſt præfigi certa menſura*. Prudenter aliquando dubitat, num validæ fuerint præteritæ confeſſiones, tunc hortatur ad confeſſionem generalem, in qua repetat ſingula. Qui S. Thomæ diſcurſus compendiatur illa generali regula, explicandas eſse circumſtantias mutantes judicium Confeſſoris.

22. D. Quia ſatisfactio eſt pars integralis, abſolvi poterit, qui illam recuſat, ut ſatisfaciat in Purgatorio, ubi pœna eſt gravior?

M. Quidquid non nemo dicat, nequit fieri; primò quia Confeſsor abſolvit à culpa, & ligat ad pœnam, & niſi ſubeat, peccat. 2. eſt pars integralis. & ſacramentum completur in via, quarè hic, debet integrari, quantum poteſt. Si omittat, vel differat ad longum tempus, peccat mortaliter, niſi excuſet materiæ parvitas. Quæcumque pœnitentia pro venialibus eſt parva, & quæcunque pro mortalibus eſt magna: quarè omittens unum *Ave* injunctum pro mortali, peccat mortaliter.

23. D. Poteſt ne imponi ſatisfactio publica?

M. Pro peccatis occultis imponenda occulta, ex c. 7. n. 24. Pro publicis publica, ex Trid. ſeſs. 24. c. 8., & in ſecretam commutare ſolius eſt Epiſcopi. Ubi conſuetudo induxit peccata publica abſolvi à quolibet, memento ſcandalum cauſatum, etiam publicè tolli debere. Maretrix relictura peccatum, ſatisfaciet publicè diſcedendo à domo: Reconcillata Deo per pœnitentiam, non accedet ad Euchariſtiam, niſi anteà Parochus præmonuerit populum de ſua mutatione: Homicida publicus, & reliqui publicè ſatisfacient.

24. D. Tenetur nè ſtatim Confeſsor abſoluere?

M. Ex cap. 7 num. 26. Abſolutio poteſt conferri, differri, & negari. Confert iis, quos prudenter judicet diſpoſitos: negat, ſi judicet indiſpoſitos: Differt, ſi prudenter dubitet eſſe indiſpoſitos. Ex ſecundis plures nominantur, ubi ſuprà. In tertio genere ſunt præcipue Conſuetudinarii. Pro praxi vide Theſes 60. 61. 62. 64. 65. Innocent. XI.

25. D. Abſolutioni poteſt nè apponi conditio?

M. Conditio de futuro invalidat ſacramentum, cujus effectus nequit ſuſpendi. De præſenti, & præterito, in neceſſitate apponitur licitè, extrà neceſſitatem, illicitè, quia variatur ritus ab Eccleſia ſtatutus.

26. D. Sacramentum, & Virtus Pœnitentiæ differunt nè?

M. Utique: ſicut homo, & corpus: Pœnitentiæ Sacramentum eſt compoſitum ex materia, & forma: Virtus dicit partes materiales ſacramenti.

27. D. Quis tenetur ad confeſſionem?

M. S. Thom. ſuppl. quæſt. 6. art. 3. Jure divino tenetur omnis, & ſolus homo Reus peccati mortalis. Circà Eccleſiaſticum eſt duplex opinio: altera vult obligari omnes, etiam Reos ſolorum venialium ex triplici capite: 1. ut quilibet ſe cognoſcat peccatorem: 2. ut reverentius in Paſchate communicet. 3. ut Parocho appareat vultus ſui pecoris, *ne intra gregem lateat lupus*. Altera dicit Eccleſiam determinaſſe annum iis, qui tenentur jure divino, ſcilicèt, Peccatoribus. In hanc propendet S. D obſervans in c. *Omnis utriuſque* dici *debet confiteri omnia peccata*, quod *nequit intelligi de venialibus, quia* hæc *nullus poteſt confiteri omnia*; ſed ſufficit, quod repræſent ſe Parocho, ut immunem à mortali.

28. D. Si confeſſio præcipitur etiam, ut Parochus agnoſcat vultum ſui pecoris, tenebimur ſaltem in Paſcha confiteri Parocho, & Superiori?

M. Ex S. Th. ſuppl. q. 8. in illis verbis: *Agnoſce vultum pecoris tui*, tripliciter habet invigilare Parochus ſuper ſuis Parochianis: 1. agnoſcit *per ſollicitam conſiderationem converſationis exterioris*, an ſciant doctrinam Chriſtianam, obſervent Dei præcepta, ſcandalizent &c. In hoc judicio non ſemper debent credere ſubdito; Sciens à Matre vivere impudicè filiam id negantem, debet ùlteriùs inquirere veritatem. 2. Agnoſcit illos abſolvendo à cenſuris; quid in hoc poſſit, vide cap. 31. Tandem 3. agnoſcit audiendo confeſſiones, & abſolvendo in foro ſacramentali. Unumquodque horum trium poteſt exercere

per alium. Per delegatum conſiderat converſationem exteriorem: Poſt Trid. poteſt committere alia duo Vice Parocho, ſed approbato ſpecialiter ab Epiſcopo ad ſingula: Parochianorum etiam triplex eſt Superior, Parochus, Epiſcopus, & Papa: quarè Parochus agnoſcit vultum ſui pecoris, quando hic confitetur Epiſcopo, vel Papæ: Epiſcopus delegat omnes Confeſſarios ſuæ Diœceſis, & Papa omnes Regulares, ut cap. 9. Parochi autem, *nimis ſolliciti ſcire confeſſiones Subditorum*: art. 4. ad. 3. *iniiciunt damnationis laqeum ſibi & illis*: art. 5. ad 1. *quærunt, quæ ſua, non quæ Jeſu Chriſti, & præſunt gregi, ut paſcuntur, non ut paſcant*.

29. D. Quas pœnas incurrit tranſgrediens præceptum confeſſionis?

M. Canon datus cap. 7. dicit: *Vivens arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & moriens, careat Chriſtiana ſepultura*. Utrum verò ſit ferendæ, vel latæ ſententiæ. Nicolius in Floſculis v. *Paſcha*, affert ſequentes declarationes Sac. Congregationis. 1. Tales *non ſunt ipſo jure interdicti*, ſed interdicendi per ſententiam, ante quàm moriens cum ſigno contritionis, non privatur ſepultura Eccleſiaſtica: 2. poteſt Epiſcopus procedere contrà illum ad excommunicationem: 3. non expedit (nota hoc) ut ſi ibi reſervet hujus omiſſionis peccatum, antequam excommunicet: 4. non poteſt procedere contrà eos, qui tunc communicant (Romæ tamen reſervatur, ut dicam c. 44. num. 16. ex peculiari mandato Papæ) 5. Regulares in Dominica Paſchæ non poſſunt adminiſtrare ſæcularibus Euchariſtiam, quia pro eo die non habent privilegium.

CAPUT XLI.

Colliguntur principaliora circa Juriſdictionem Confeſſoris.

1. D. Cap. 12. art. num. 4. attigiſti quinque neceſſaria Confeſſori, ut validè abſolvat: Sunt Ordo, Juriſdictio, Scientiam, Intentio, & Prolatio formæ: duo ad licitum uſum: Hæc ſunt ſcientia major, & gratia Percipio, hęc duo ſcientiam ex dictis huc uſque: Gratiam, ex Inſtr. Cl. cap. 26. num. 21. In de habeo, Peccatorem ad communicandum, debere ponere ſe in gratia per confeſſionem, quia Trid. ſic præcipit: In reliquis actionibus ad ſacramenta, ex Rituali, *convenit*, non obligatur *confiteri*. Ex quinque primis, nihil explicandum ingerit Ordo. De ſcientia, & forma, ſatis dictum eſt. Circà Intentionem habeo in Inſtr. Cler. cap. 20. num. 11. Reſtat de Juriſdictione: Hæc non videtur exigi ad valorem: Aliàs nemo poteſt, in conſpectu probabilioris, uti juriſdictione probabili, ne exponat ſacramentum periculo nullitatis?

M. Ex. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. *Quia natura, & ratio judicii expoſcit, ut ſententia dumtaxat feratur in Subditos, perſuaſum ſemper in Eccleſia fuit, nullius momenti eſſe abſolutionem, quam Sacerdos profert in eum, in quem non habet juriſdictionem*. Abſolvens præmittit hunc ſyllogiſmum: *Ad valorem requiritur juriſdictio*: Præmiſſa univerſalis, & certè de fide. *Hic, & nunc illam habeo, ergo &c.* Circà hanc poteſt eſſe varietas opinionum, quæ ut non noceret valori, Eccleſia declaravit ſe pro tali etiam caſu conferre juriſdictionem, pro cujus licito uſu, in vim declarationis, ſubſumit; *Ubi natura* caſus inſpecta, juriſdictio eſt tantum probabilis; Eccleſia illam certò confert ex benignitate ulteriori. In iis, quæ jure divino requiruntur ad ſacramenta, non poſſumus ſubſumere ſecundum ſyllogiſmum; ideò imminet periculum nullitatis: Eo ſubſumpto non imminet.

2. D. Unde habes hanc œconomiam Eccleſiæ?

M. Ex pluribus, quæ, ſi non profunt ſingula, ſimul juncta, faciunt rem moraliter certam: 1. ſumma eſt benignitas Eccleſiæ, ſemperque propendens in favorem fidelium: 2. id docent communiter Theologi in facie Superiorum, qui ſciunt hanc doctrinam, & tolerant: quarè hic valet dictum S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. *ex hoc, quod Prælati ſcientes, diſſimulant, videntur annuere*, & 1. 2. quæſt. 97. art. 3. ad 3. volentis conſuetudine abrogari legem Eccleſiaſticam, eſtò ſancitam poteſtate Chriſti, non populi abrogantis; quia Superiores *videntur approbare*, quod conſuetudo introduxit, quoties tolerant.

3. D. Habes ne alia?

M. Omitto plura; & addo unum mihi convincentiſſimum. In cap. *Conſultationibus* de jur. pat. approbatur lex civilis, *Barbarius* de off. Pr. Acta Servi ſunt irrita, quod Imperator ſanciverit nullam eis tribui poſſe juriſdictionem; Barbarius ſervus fugiens à Domino, venit Romam, ubi reputatus liber, electuſque Prætor Aſiæ, fecit multos actus juriſdictionales irritos in vim legis anterioris; At Imperator, nè orirentur in populo turbationes, ſecundò ſtatuit recipi, ut validos tales actus, ubi concurrerent duæ circumſtantiæ: 1. quod incapax juriſdictionis ex lege antiqua, obtineret titulum, qui dicitur coloratus à legitimo Superiore: 2. quod communiter reputetur munitus juriſdictione. Hac lege per Eccleſiam approbata, in caſu; de quo diſputant Doctores, an poſſit abſolvi nec nè, probabiliterque nonnulli ſuſtinent, poſſe, dico validè abſolvi, quia Confeſſor eſt deputatus à Superiore legitimo; & eſtò, ſecundum ſe non poſſet abſolvi, probabilitas facit errorem communem.

4. D. Ex hoc univerſali principio, deduci poſſunt pro praxi plures concluſiones, de duc aliquas?

M. Olim deduxi 1. deciſionem ſequentis caſus. Religioſus Apoſtata, ignotus in alia Diœceſi, per concurſum obtinuit Parochiam vacantem: Res innotuit poſt annos, & conſulius ſteti pro validitate confeſſionum, aliorumque actuum juriſdictionalium. 2. deputatus à Superiore ad confeſſiones, v. gr., per ſemeſtre, ſi continuat ex malitia, peccat, ſed validè abſolvit, quia extat titulus coloratus à Superiore legitimo, cum errore communi. 3. approbatus in una Diœceſi, reputatuſque talis in alia, invalidè abſoluit, quia cum errore non concurrit titulus collatus à Superiore legitimo.

5. D. Sufficit nè communis error ſine titulo?

M. Ita docent aliqui, ſed mihi non placent: Juriſdictio confertur à Superiore, vel expreſsè, ut dum fuit approbata lex civilis; vel tacitè, ut n. 3. Hic primum non habet locum, quia nihil tale exprimunt Sacri Canones pro Eccleſia univerſali, nec exiſtimo ex primi in ſtatutis particularibus. Multò minùs poteſt deduci ex ſecundo, quia huic opinioni contradicunt plurimi, præſertim Canoniſtæ celebriores, quorum eſt interpretari leges doctrinaliter: quare volo tenere certum, dimittere incertum.

6. D. Quid faciendum, ſi Epiſcopus abeſt?

M. In Eccleſia omnia ſunt ordinata: Sede vacante, juriſdictionem confert Vicarius Capitularis: Epiſcopo abſente Vicarius Generalis: In navibus longo itineri deſtinaris, Cappellanus obtinet ab Epiſcopo, à quo diſcendit quouſque non deſcendunt in terram alienæ Diœceſis. Loca nondum ſubjecta Epiſcopo habent Vicarios Apoſt., & Miſſionarios, cum facultatibus neceſſariis. Ubi nec iſti adſint:

7 Nave Venet. vi tempeſtatis appulſa ad Inſulam Americæ Meridionalis, deficientibus ibi Epiſcopis, & Miſſionariis, Cappellanus habens abſolvere navigantes in mari, audivit confeſſiones Incolarum, etiam ubi advenere Miſſionarii, propoſitiſque duobus dubiis Congr. Conc. 1. *An Cappellanus validè adminiſtraverit ſacramentum Pœnitentiæ abſentibus Miſſionariis?* 2. *An illis præſentibus potuerit validè, & in futurum valeat in caſu &c.* 21. Maii 1707. reſpondit: Ad 1. *Affirmativè*: Ad 2. *Negativè*.

8. D. Quid, in confiniis Diœceſeos, ubi eſſet neceſſitas Confeſſorum, & abeſſet Superior?

M. In Diœceſi Poſnan. contingebat Parochos confinium, ob ſolemne feſtum vocari ad aliam, & è contrà; ideò 19. Novemb. 1707. in Congr. Conc. fuit propoſitum triplex dubium: 1. *An Curati unius Diœceſis vocati à Parocho alienæ poſſint in iſta, abſque licentia Epiſcopi, audire confeſſiones tam ſuorum ſubditorum, quàm alienorum.* 2. *An Sacerdos in una Diœceſi approbatus ad confeſſiones vocatus à Parocho alterius, in iſta poſſit audire confeſſiones quorumlibet, abſque Diœceſani approbatione, & quatenùs negativè ad utrumque.* 3. *An, & quomodo ſit conſulendum in prædictis, ſi agatur de magno concurſu populi, & diſtantia Diœceſani pro approbatione.* Reſponditque: *Affirmativè quoad Subditos: Negative*

vè quoad alios: Ad 2. *Negativè*: Ad 3. *Arbitrio, & prudentia Ordinarii*.

9. Ex cap. 9. num. 2. in aliena Diœceſi Regularis nequit audire confeſſiones ſæcularis, etiamſi eſſet ſubditus Epiſcopi, à quo fuit approbatus: v. gr., Confeſſor Romanus cum ſuo Pœnitente adeuns Lauretum, hic nequit illum abſolvere, niſi approbetur ab Epiſcopo Lauretano, quia voluntariè illi ſe ſubdidit Romæ: Parochus ex primo reſponſo poteſt abſolvere ſuum Parochianum, ſed non alium ſuum Pœnitentem; quia ille, non hìc de jure ſubditur. Quoad 3. meo tempore, in confiniis Capuæ, Archiepiſcopus edicto approbavit pro hebdomada concurſus, etiamſi coram ſe non comparerent, omnes alios approbatos à duobus vicinis Neapol., & Averſano.

10. D. Hæreticus habet ne Juriſdictionem?

M. Cap. 17. n. 5. dictum eſt generaliter de excommunicato, ſub quo comprehenditur Hæreticus. De hoc nunc particulariter, nè exiſtimes, quod ſicut Hæreticus ex c. 21. non poteſt abſolvi, ita nec abſolvere. Ad majorem inſtructionem ego priùs dabo fundamentum generale, poſtea applicabo ſingulis ſacramentis.

11. D. Quid adducis in generali?

M. Fagnanus negat omnem juriſdictionem Parochis Leopol. Schiſmaticis, Græcis, qui dicuntur *Popones*, volens, etiam in articulo mortis, ea carere, [niſi ad baptiſma] etiam ſuper Catholico: 1. quia ex Bulla Pauli IV. Prælati omnes hæretici, aut Schiſmatici privantur omni beneficio, & officio, etiam prius quam nominatim excommunicentur. Quia ergo non poſſunt inſtituere Parochos, prædicti Popones, non habent titulum à legitimo Superiore, nec per conſequens juriſdictionem. Secundò, quia diſcuſſo dubio in Congr. Conc. Hæc, cum Papæ conſenſu negavit omnem juriſdictionem in Hæretico, juxta doctrinam S. Th

12. Sed Card. Albitius par. 1. *de Inconſ. fidei* cap. 18., & 19., ad ſecundum reſpondet in Regeſtis Concilii non reperiri hanc deciſionem, ſignum, quod vel non emanavit, vel fuit expuncta, ut contraria communi ſententiæ. [Addo S. Th. ita docuiſſe ante Concil. Conſtant. quando nullus Excommunicatus habebat Juriſdictionem] Occaſione cujuſdam Epiſcopi, qui in examine interrogatus, an Sacerdos nominatìm excommunicatus poſſet abſolvere in articulo mortis, reſpondit affirmativè; fuit excitatum murmur ob doctrinam Fagnani, & dubio delato ad Innoc. XI. Hic juſſit ſupprimi quæſtionem, neque ampliùs dubitari de opinione affirmativa.

13. Ad 2. Oſtendit Bullam Pauli habere locum in Prælatis Occidentalibus, non Orientalibus: Fuiſſe abrogatos contrario uſu antiquos Canones, qui privabant Hæreticos Juriſdictione. Quamvis Epiſcopi Latini ſint ſuffecti Eccleſiis Græcis: nam Eugenius IV., etiam poſt illos, recognovit, ut legitimum Patriarcham Conſtantinoplis, adhùc Schiſmaticum: eoſdem Trid. invitavit ad Synodum, & Gregorius XIII. per Nuncios miſit ad illos novum Kalendarium.

14. Tu, pro notitia pleniori, adverte varias vigere Hæreſes: alii negant omnem Hierarchiam: volunt Chriſtianos pari poteſtate præditos inter ſe, non conſecrari per Characterem intrinſecum in anima, ſed præfici Parochiis per deputationem externam: Alii ſervant gradum Epiſcopalem, & Sacerdotium: Iſti, ut habentes characterem, & valide conficiunt Sacramenta, quæ ad validitatem non exigunt juriſdictionem, qua ex n. 13. carent Occidentales, etiam non excommunicati nominatìm: Quare non poſſunt inſtituere Parochos: & inſtituti, [quia non à legitimo Superiore] ipſi etiam carent juriſdictione, ſed tamen ex num. 12. ſi deficiat Sacerdos Catholicus, moribundus validè, & licitè petit abſolvi: Primi Hæretici conficiunt invalidè, quia ex Inſtr. Cl. cap 32. num. 11. ſecunda poteſtas in corpus Myſticum fundatur ſuper prima in corpus verum Chriſti, qua carent; nec ullam acquirunt juriſdictionem: Eſto habeant primam Tonſuram, nullatenùs abſolvunt ab excommunicatione [ut ex 33. ibid. poteſt inter Catholicos Clericus inſtitutus in Parochum] quia fuit inſtitutus à Superiore non legitimo.

15. D. Quid dicis de juriſdictione in in Baptiſmo?

M. A ſecundis licitè petis, etiam ſolemne, tam tibi, quam aliis, dummodò ſervent debitam materiam, ac formam, ac poſtea ſupplere facias ritus Catholicos, quos omiſerunt: à primis licitè petis pro te in neceſſitate, ſi abſit Catholicus. Infertur ex n. 12. Pro alio petis illicitè: nam ille

ille

ille Miniſter eſt merus Laicus: Abſente Presbytero, adſunt duo Laici: Tu Catholicus, & Miniſter hæreticus: Tu ergo es præferendus: excipe, niſi grave tibi damnum immineat: nam Catholici Prælationem præcipit Eccleſia non obligans cum magno incommodo: Qualis eſſe debeat neceſſitas, deduc ex Rituali ſtatuente Virum præponi Fœminæ, niſi verecundia ſuadeat contrarium; & puerum de utero egredientem baptizat Obſtetrix, non Parochus.

16. D. Poteſtnè Clericari Baptizatus ab Hæretico?

M. Ex c. *Qui in qualibet* 1. qu. 7. *Non permittantur accedere ad militiam Eccleſiaſticam, qui in qualibet ætate* (per conſequens etiam infantili, & ſine peccato) *baptizati ſunt alibi, quam apud Eccleſiam Catholicam*. Apud Grecos dic, ut num. 15.

17. D. Quid dicis de Confirmatione?

M. Epiſcopus Orientalis poteſt confirmare. Græci tribuunt hanc poteſtatem, etiam ſimplici Sacerdoti; unde poſt baptiſma, ſtatim ungunt Chriſmate; Adeò id verum putant etiam Catholici, ut ſcripſerit Archiepiſcopus Montis Regalis, timendum fore ſeditionem, ſi tollatur iſte uſus. At Inquiſitio reſcripſit, ut ſervetur Inſtructio Clemen. VIII. id vetans, quidquid ſit, an Papa poſſit concedere, neſcimus, an, inter Græcos fuerit introductus de illius licentia, quam revocavit Clemens: Adhùc tamen vetuit publicari antiquos taliter unctos deceſſiſſe abſque hoc Sacramento.

18. Quid de Euchariſtia?

M. Semper licitè petis à Parocho Orientali, ex num. 13. Ab Occidentali, ubi ſervatur poteſtas Hierarchica, etiam licitè in articulo mortis, ex num. 12. Negantes Sacramentum Ordinis, quia non conſecrant, neque poſſunt requiri.

19. Quid de Pœnitentia?

M. Sufficienter habes n. 12.

20. D. Quid de Extrema Unctione?

M. Licitè recipis ab Orientali: De Occidentali diſtinguunt: ſi non fuit confeſſus, poteſt recipi ab excommunicato etiam denunciato: negant poſſe recipi, ſi fuit confeſſus. Ego ſpeculativè, ſic arguo: Ex num. 12. à tali Catholicus poteſt recipere Sacramentum Pœnitentiæ, quia, quantùm commodè poteſt, Eccleſia vult in tali articulo providere illius ſaluti, eſtò per tale Sacramentum in voto poſſit ſalvari. Porrò ex S. Th. ſuppl. qu. 30. ar. 1. Extrema Unctio habet vim contra mortale, *& fortè* ait 3. p. q. 9. ar. 3. *primò*, dum fuit confeſſus, *non fuit ſufficienter contritus*, abſque malitia tamen, *ſed devotè, & reverenter accedens, per hoc Sacramentum conſequetur remiſſionem peccati, & gratiam, quæ perficiat charitatem* actualem præcedentem: habitualis enim infunditur cum gratia, ſed actualis imperfecta diſponens ad habitum præcedit, & poſtea perficitur per gratiam. Videant, quomodo ſolvendum ſit hoc argumentum: Ego nihil dico, quia caſus in praxi eſt difficilimus.

21. D. Quid de Ordine?

M. Doctores procedunt cum diſtinctione, ut licitè ordinetur quis ab Orientali; ſecus ab Occidentali; (convenimus omnes validè ordinari à vero Epiſcopo) ſed S. Inquiſitio, ut teſtatur Albitius, omnes indiſtinctè declarat ſuſpenſos, & irregulares, ſi exerceant; abſolvitque à prima, & diſpenſat à ſecunda, ubi abjurant ſchiſma Orientale, vel aliam hæreſim: quare circa Ordines nullus habet juriſdictionẽ, imò nec Epiſcopus verè Catholicus in eos, qui ab iiſdem fuere baptizati ut n. 16.

22. D. Quid de Matrimonio?

M. Ex Inſtr. Cl. cap. 40. n. 33. Parochus excommunicatus denunciatus aſſiſtit matrimonio, quia non exercet juriſdictionem, ſed eſt teſtis qualificatus, licèt in materiis ordinariis, excommunicatus utpotè infamis, nequeat eſſe teſtis: In partibus tamen Occidentis, ubi Trid. eſt publicatum, matrimonium coram Hæretico eſt nullum, quia debet eſſe verus Parochus; nec apud Calviniſtas extat Epiſcopus, qui inſtituat: Apud Anglos adſunt Epiſcopi, ſed ex n. 13. privati officio, & beneficio; unde non poſſunt inſtituere. Pro Catholicis verò S. Sedes ubiq; providet Miſſionarios cum omni jure Parochiali, ad hunc, & alios effectus.

23. D. Poteſtnè Parochus Catholicus aſſiſtere matrimonio Hæretici, & Catholici?

M. S. Inquiſitio reſolvit negativè, quod Albitius intelligit in locis, in quibus hæreſis non graſſatur impunè: Hic enim uſu abrogata eſt lex Eccleſiæ, conſtituens hæreſim impedire matrimonium.

24. D. Poteſtnê horũ nuptias benedicere?

M. Aſſe-

M. Aſſeritur poſſe, ubi ſoli Catholico conjugi, non hæretico miniſtret Euchariſtiam. Equidem benedictio eſt ſacramentalis: At effectus ex opere operantis illi correſpondens eſt generatio, & educatio prolis in laudem Dei. Hunc poteſt petere in omni matrimonio.

25. D. Poteſtnè in loco ſacro ſepelire cadaver Hæretici?

M. S. Inquiſitio, 6. Novembris 1640. hæc ſtatuit: 1. *Notorios, quamvis non denunciatos, non poſſe ſepeliri in Eccleſia Catholica: 2. ſepelientes incurrere excommunicationem: An incidant mandantes*, & ſuadentes funus, adeſſe opiniones: ſecundum *magis tutam, & probabilem incidere: 3. eſſe pollutum locum, in quo cadaver eſt traditum ſepulturæ, non Eccleſiam: 4. Curandam omninò eſſe extumulationem cadaveris, ſaltem ſecreto, ſi non publicè, ut decet. 5. Significandum N. N.* qui procuravit ſepelliri, *& N. N.* qui docuerunt ſepeliri poſſe, *ut conſulant ſuæ conſcientiæ Inſuper dictos N. N. monendos, ut in poſterùm ab hujuſmodi ſcandaloſis conſultationibus abſtineant.*

26 D. Sine ſcandalo Parochus nequit reſiſtere Hæreticis volentibus tumulare intra Eccleſiam?

M. Ex eadem, conſuetudo hæc toleranda eſt per conniventiam, dummodò Catholicus non cooperetur, nec concurrat ad ritus Hæreticorum, aſſociando, vel alio modo.

27. D. Hæc ſunt pro toto Orbe, quæro, an Confeſſor Urbis habeat juriſdictionem in omnes caſus?

M. Vide cap. 10. num. 6., & 7. notans cap. 18. num. 18. differentiam inter Pænitentarios, & reliquos. Addo violationem paupertatis Regularis contra Bullam Clementis VIII. eſſe reſervatam in toto Orbe, niſi, qui accepit, priùs reſtituat: Hac facta, quilibet habens juriſdictionem poteſt abſolvere. Jam ex duplici Edicto SS., eſt duplex peccatum, à quo non poteſt Confeſſor abſolvere Moniales in Urbe (an idem fit in aliis Diœceſibus ipſi videant) primò, ſi excedant taxam ſibi conſtitutam in veſtitione, & profeſſione. 2. ſi de peculio proprio expendant in ſuis officiis. Non licet examinare vim præcepti Papalis: Confeſſor deputatus pro Monialibus antequam incipiat ſuum munus, legat Edicta, & curet obſervari: Pro fœminis ſæcularibus extat Edictum Innocentii XI. confirmatum à Summo, quo, in virtute S. Obedientiæ præcipit omnibus, & ſingulis fœminis Urbis, *nè compareant per vias, loca publica, proprias officinas, multò minùs in Eccleſiis, pectore, aut humeris, aut brachiis detectis: ſed humeros, & pectus operiant uſque ad collum: brachia verò uſque ad pulſus manuum, panno denſo, non tranſparenti: quæ verò poſt ſex dies aſſignatos pro canonicis monitionibus, non obedierint, incidant ipſo facto in excommunicationem reſervatam SS. præter articulum mortis. Et eidem pœnæ ſubjaceat Confeſſor præſumens abſolvere delinquentes.* Pro utroque ſexu eſt reſervata omiſſio præcepti Paſchalis, ſua pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ut dicetur cap. 44.

CAPUT XLII.

Colliguntur, quæ faciunt ad ſequelam Confeſſionis, & Excommunicationis.

1. D. QUæ differentia eſt inter ſigillum confeſſionis, & naturale?

M. Ad primum obligor ex juſtitia, & Religione: illud violans pecco peccato ſacrilegii, & injuſtitiæ; & quidem obligor jure divino; unde *majus*, ex S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. *eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto*. Sigillum naturale obligat ex juſtitia tantum. Sub hoc audita poſſunt licitè aliquando revelari, ex eodem. 16. 1. ſi vergant in damnum publicum, ex juſtitia debet detegere: nam pars ita obligatur ad conſervationem totius. Digitus ſe exponit ictui, ut ſalvet corpus: 2. ſi vergunt in damnum privati: v. gr., Petrus tibi ſub ſecreto committit ſe heri occidiſſe, teneris ex juſtitia cælare, quia damnum præceſſit. Committit ſe cras occiſurum, potes debitis modis revelare Joanni occidendo, & teneris; ſed ex charitate: nam duo imminent, cælare ſecretum, & avertere damnum proximi: ſi ambo non poſſunt impleri, præeminet, quod eſt priùs, jus naturæ; Cùm tenearis ex charitate, hujus regulæ ſunt ſervandæ: Non obligaris ſubvenire proximò cum gravi damno tui, vel alterius. Si dicas Joanni, Patrum medi-

meditari ſuam mortem, reſultat grave damnum, famæ ſaltem, Petri: Equidem ubi patiuntur æque Reus, & Innocens, hic præ illo ſubveniendus eſt, ſed non ſumus in caſu; nam ſalvabis Joannem, ſi, cælata perſona, dicas illi paratas inſidias, eum avertas à tali via, converſatione &c. Hoc modo S. Th. docet, poſſe revelari ſecretum habitum in futurum perſonæ damnum. Si verò damnum præceſſit, neque Judici potes illud aperire.

2. D. Petrus incidit in hæreſim, & pro remedio animæ, extrà confeſſionem, conſulit Theologum, hic tenetur nè denunciare?

M. Caſus ponitur in particulari, ſed pendet ab univerſali, an teneatur ad ſigillum conſultus extra confeſſionem in ordine ad hanc: Et nuper, in reſignatione pinguis beneficii, commiſſa quatuor oculis, ut ſolet dici, ſimonia, Reſignans judicaliter comparuit coram Epiſcopo, depoſitiſque mille aureis (pretium, ut dicebat; ſibi collatum) petiit abſolvi, Epiſcopus carens juridica probatione delicti, volebat examinare ſex Theologos conſultos: Illis recuſantibus, inſtetit, ut S Congreg. eos compelleret; ſed illa reſpondit, ut aliis viis inquireret veritatem, docente Banaez, etiam hoc conſilium cadere ſub ſigillo confeſſionis, ad quod ordinatur; & certè S. Inquiſitio nihil eſt ſollicita, ut tales Theologi denuncient.

3. D. Ad excommunicationem minorem ſequitur nè ineligibilitas.

M. In hoc opere pro Confeſſoribus, tractari præcipuè debent, ſpectantia ad forum conſcientiæ: Alia fori contentioſi ſunt extra ſphæram, ut hæc ineligibilitas. Ex c. *Si celebrat* de Cl. exc. diſtingue vocem activam, qua eligimus, & paſſivam, qua eligimur: primam concedit: de ſecunda ait: *Si fuerit electus, irritanda eſt electio, quia eligitur ad ſuſceptionem* Sacramentorum, *à quorum participatione eſt privatus*. Ergo acquirit jus; at illum poteſt Superior tollere, & debet.

4. D. Cap. 17. num. 3. dictum eſt, peccare mortaliter iſte Clericus, ſi adminiſtrat Sacramenta. Hoc negant Moderni?

M. Canon dicit 1. *Peccat graviter*, *ſi celebrat*; Dicunt peccare, quia communicat: ſed verbum, *celebrat*, ſignificat actionem conſecrandi, non paſſionem communicandi: 2. addit *Peccat conferendo Sacramenta*. Ex 1. 2. q. 88. ar. 2. ad 1. nomen peccati, reſpectu venialis, & mortalis, eſt analogum, primo, & propriè conveniens mortali. Et quia in proprio ſenſu debent accipi verba, niſi locutio aliud exigat, ita intelligo nunc ly *Peccat*, maximè, quia in corpore Juris Canonici, fortè non reperies hoc nomen attributum veniali ſine particula diminuente.

5. D. Poteſtnè ab excommunicatione abſolvi reluctans?

M. Utique, ex S. Thoma ſup. q. 24. a. 2. nam eſt pœna contra Rei voluntatem à Judice inflicta: quarè per ſolam Judicis voluntatem poteſt remitti. E contra peccatum eſt voluntarium peccanti, cujus voluntas, niſi mutetur, ſemper remanet cum reatu. Hæc regula, utpotè generalis, applicari poteſt impedimentis matrimonii, & aliis, quæ incurruntur independenter à noſtra voluntate: Titia: v. gr., peccavit cum Cajo, vult nunc nubere ejus fratri: matrimonium nequit impediri, nec illa vult diſpenſari, Parochus utens hac regula, impetret diſpenſationem invitæ, nè vivant in perpetuo concubinatu.

6. D. Abſolutus ab uno mortali, abſolvitur ab omnibus, eſt nè idem de cenſuris?

M. Non: Ex a. 3. omnia mortalia opponuntur uni gratiæ. Cenſuræ non ita; ideò una excommunicatio poteſt abſolvi ſine alia. Ad praxim addit S. D. *Excommmunicatus pluribus ab uno Judice, ſi abſolvitur ab una, intelligitur abſolvi ab omnibus, niſi exprimat contrarium, vel de una tantùm impetret abſolvi: Si à pluribus, qui abſolvitur ab una, non propter hoc abſolvitur, ab altera, niſi demandet uni abſolutionem, vel confirment.*

7. D. Petrus fecit opus, cui aliqui Doctores dicunt annexam cenſuram: Alii negant: debeo ne tenere illum excommunicatum?

M. Si Doctores variant ex gravi fundamento rationis, non eſt tenendus talis, ex c. *Ut animarum* de conſtit. in 6., quod adduxi cap. 18. num. 11., & prodiit poſt mortem S. Th. fortè ad ſopienda Theologorum diſſidia. Si varient, quia unus ignorat circumſtantiam facti, quam alii norunt, v. gr., aliqui dicant eſſe excommunicatum Cajum occiſorem Seii,

quia

quia ſciunt hujus Clericatum; Alii negant, quia ignorant. S. Thom. quol. 8. a. 14. diſtinguit: vel Judex ſententiavit, vel non: ſi hoc ſecundum, crede illum indemnem, quia dubia ſunt interpretanda in meliorem partem: ſi primum: debes tenere cum Judicibus, qui *ſollicitius quærentes negotium, plenius poſſunt percipere veritatem, eſtò ſint minus periti, quam alii* (nota hoc) *qui conſtituuntur perfunctoriè, & extraordinariè*. Reus tamen in dubio ſe tenebit excommunicatum. Vide cap. 39. num. 9.

CAPUT XLIII.

Recapitulatio Actuum Internorum.

1. D. Quomodo inter ſe differunt hi actus?

M. Differunt ſpecie, ut magis incompletum à minus incompleto. 2. 2. quæſt. 72. art. 7 quarè debes explicare, an fuerit ſola delectatio, an deſiderium, an electio mediorum &c. in qualibet etiam ſpecie, numerum, & circumſtantias debitas.

2. D. Cogitavi de fœmina cum animo tantum delectandi: 2. deſideravi: 3. volui tantum oſculari: 4. fornicatus fui: quot peccata commiſi?

M. Quatuor diſtincta ſpecie incompleta: primi objectum formale fuit fœmina, ut imaginata: ſecundi, ut realiter habenda inchoatè: tertii, ut habita in actu externo incompleto: quarti, ut habita completè.

3. D. In quo conſiſtit peccatum delectationis moroſæ venereæ?

M. Delectatio objecti ſenſibilis poteſt eſſe naturalis, & libidinoſa: prima ex 2. 2. q. 167. art. 8. ad. 1. ſectatur *pulchra, ſuavia, canora, lenia*: ſi ordinem hæc in conveniens levamen naturæ, non pecco: Altera progreditur cauſa *experiendi, noſcendique libidinem*: Natura ordinat actiones magis communes in proprias: nutritionem communem plantis, in animali ordinat ad generationem & delectationem naturalem in animalem, ſeu libidinoſam: quare addit S. Thom. *Inſpectio mulieris ordinatur ad concupiſcendum eam*. Multò magis tactus, maximè diverſi ſexus; ideò ridendus eſt, qui, ex propoſito, abſque neceſſitate tangens fœminam, dicit ſe ſolam experiri delectationem naturalem, non libidinoſam. Hæc de ſe excitatur in appetitu ſenſitivo, nec eſt peccatum, niſi ſit moroſa.

4. D. Quando erit talis?

M. Delectatio non dicitur moroſa, quod v. gr., duret per diem: aliquando enim ita tentantur Sancti: ſed à mora rationis, poſt cujus perfectam advertentiam voluntas complacet ſibi in tali delectatione appetitus ſenſitivi.

5. D. Quomodo voluntas complacet, ſi nullum tunc elicit actum poſitivum.

M. Ex cap. 27. colligis ita ſenſiſſe Molinos dicentem Theſi, præcipuè 17. 24., & 41., nullatenus eſſe reſiſtendum motibus impuris, dummodò poſitivè non conſentiatur, qui è contra in 32. volebat reprimendos eſſe actus humilitatis, petitionis, gratiarum actionis &c. Tu ex 1. 2. q. 77. art. 7. dic, voluntarium eſſe duplex; directum, & indirectum: directum eſt, quando ago: indirectum, quando non ago, obligatus agere: v. g. ſuperveniente cogitatione de fœmina, per voluntatem elicio actum poſitivum complacentiæ, hic actus eſt directè voluntarius: Ex vi ejuſdem cogitationis adverto in me commoveri appetitum ſenſitivum, & non reprimo: quia ad id teneor, illa commotio eſt voluntaria indirectè, & peccatum. Ulteriùs utrumque ſubdiſtinguitur: nam aliud eſt voluntarium in ſe: aliud in cauſa: v. gr. Prævidens, vel debens prævidere, quod ex præſenti motu genitalium, in ſomno ſequetur emiſſio ſeminis, non reprimo talem motum, effectus ſequens in ſomno, eſt voluntarius indirectè in ſua cauſa, & complementum peccati, quod in confeſſione teneor explicare.

6. D. Quomodo probas eſſe reprimendos?

M. Ex 1. 2. q. 74. art. 6. Superior debet reprimere ſubditum, quando tendit ad aliquid inordinatum: Voluntas in homine eſt domina; illique ſubditur appetitus ſenſitivus; ideò reprimendus; & voluntas peccat, ſi non *repellit, tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim, ut attingerunt animum, reſpui debent, ut Auguſtinus dicit*.

7. D. Ergo peccabit Confeſſor audiens haſce materias, quia nutrit, non reprimit?

M. Ex ar. 8. diſtingue *cogitationem fornica-*

nicationis, *& fornicationem cogitatam*: Delectationis de cogitatione *non eſt de genere peccati mortalis*, *ſed quandoque veniale*, *cum inutiliter cogitat*: *quandoque nullum*, *cùm utiliter cogitat volens de ea prædicare*, *vel diſputare*. Erit mortale, ſi ſe exponat periculo proximo volendi poſitive fornicationem, vel motus libidinoſos cogitatos.

8. D. Num. 5. in definitione voluntarii indirecti extat particula illa, quod non agere ſit peccatum, & voluntarium indirectè, quando alias teneor reprimere, nunc explica, quando adſit hæc obligatio reprimendi?

M. Non extat regula generalis ſtabiliens quando non tenear reprimere, ſed ſine peccato poſſim permittere aliquid inordinatum, Hæc adverte: 1. Si, v.gr., Confeſſor permittat motus ſui appetitus ſenſitivi, cum periculo proximo conſenſus, peccat, quia periculum proximum volens, vult formale peccatum. Idem ex Theſ. 62., & 63. Innoc. XI. dic de occaſione proxima. 2. Ad avertendum aliquod publicum malum, vel promovendum aliquod publicum bonum, poteſt permittere Princeps malum grave. Ex 2. 2. quæſt. 10 art. 11. Hæreticorum ritus de ſe mali tolerantur, in quibuſdam Provinciis, nè oriantur ſcandala, & diſſidia publica: Judæi verò ad promovendum publicum fidei bonum: ſunt acerrimi hoſtes noſtræ fidei, & tamen ferunt teſtimonium de ſacris libris: Romæ inſuper teſtantur ſua captivitate implementum prophetiæ Chriſti de ſubverſione Hieroſolymę: Deus omnipotens tollere omne malum, aliqua permittit ex dicto duplici motivo. 3. ad tollendas publicas perturbationes permittuntur meretrices, juxta illud Auguſtini: *Tolle meretrices*, *& turbaveris omnia libidinibus*: illas voluit recludere in loco remoto B Pius V., ſed experimento didicit eſſe permittendas, maximè in Urbe. Vides hæc omnia permitti ob bonum publicum: & c. 41. num. 26. audiſti nolle permitti per conniventiam, quod Hæretici ſepeliant ſuos in Eccleſia Catholica: 4. ex 2. 2. quæſt. 64. art. 7. ob proprium bonum privatum poteſt homo intendere ſui defenſionem, & permittere occiſionem injuſti invaſoris, quando aliter non poteſt evitare mortem. Ratio eſt, quia in tali caſu quo præcepta ligant invaſum: unum eſt conſervandi ſe ipſum: alterum conſervandi proximum, & quia utrumque nequit implere, poteſt permittere omiſſionem præcepti minùs obligantis, & certum eſt minus obligari proximo, quam ſibi ipſi: Quoad motus inordinatos; quos in parte inferiori ſentit Confeſſor, videntur poſſe permitti ob bonum publicum: Si enim teneretur Parochus, vel alius delegatus relinquere munus Confeſſoris, ceſſaret ex magna parte bonum Sacramenti: utrùm verò permitti poſſint aliqua mala gravia, ob minus bonum privatum, nolo decidere: Vide plures Theſes Alexandri VII. & Innoc. XI. Conſidera, an habeant locum, ubi agitur de intentione occidendi, vel de ſola permiſſione. 31. docens: *Regulariter poſſum occidere furem pro reſtitutione unius aurei*, mihi videtur accipienda in hoc ſenſu, ut pro bōno tam modico neque poſſim permittere mortem furis; Ita pariter mihi videtur intelligenda 27. ubi Fautores volunt uti nos poſſe amphybologia, permittendo malum intellectum in audiente.

9. D. Ex num. 5. datur voluntarium in cauſa, quando nam peccabo ponens actionem ad quam ſequitur malum?

M. Ex 1. 2. quæſt 20. art. 5. aliquis effectus ſequitur per ſe ad cauſam, & tunc volens cauſam peccat, etiamsì non conſentiat poſitivè in effectum, quia volens unum alteri conjunctum, vult utrumque. Ita volens delectationem veneream, vult etiam averſionem à Deo conjunctam, eſtò poſitivè non intendat ſe avertere á Deo: Vel, ut in pluribus, non ſequitur talis effectus: Et tunc vel prævidiſti effectum, vel non: ſi primum; volens cauſam, vult effectum: ſi ſecundum, effectus non imputatur tibi: Adverte tamen, quod aliquando effectus provenit ex neceſſitate materiæ: tunc volens cauſam, non intelligitur velle effectum: quia rubigo ſequitur ad materiam cultelli, Artifex fabricans gladium, non dicitur cauſa rubiginis: & in moralibus: voluntariè vacans generationi, eſt cauſa prolis, ſed non peccati Originalis, ut in confeſſione debeat explicare duplex peccatum, quod infecerit animam prolis peccato, quia hoc ſequitur ex neceſſitate naturæ corruptæ: Cæterùm quando ex duobus conjunctis poſſit ſine peccato permitti effectus conſequens, habes in præcedentibus.

10. D. Poteſt nè Maritus permitte-

re uxori, & filiabus, ut vanè ſe ornent?

M. Quando vanus iſte ornatus, & pompæ ſint peccatum mortale, habes cap. 11. à num. 25., nec illum poteſt Paterfamilias permittere ſuis domeſticis, quia ipſe eſt Caput domus, cui ex officio incumbit omnia hæc avertere; nam habet intendere bono familiæ, nec aliud bonum majus exquirit; unde ad iſtum augendum poſſit permittere malum minus; neque habet tollere malum majus, quod nè accidat, poſſit permittere hoc minùs.

11. D. Poſſunt nè in Rep. permitti quædam artes; undè contingunt peccata?

M. Ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 169. art. 2. ad 4. vel artes iſtæ docent aliquid, quo non poteſt homo uti ſine peccato (Talis eſt Aſtrologia Judiciaria) & hæ non poſſunt in Rep. permitti, quia directè præbent occaſionem peccandi: vel ſunt tales, quod earum uſus non eſt peccatum, & ſubdiſtingue: ſi enim Reſpublica eorum artefactis malè utatur, ut in pluribus, de ſe non ſunt illicitæ, ſed extirpandæ ſunt à Civitate per Officium Principis: ſi ut in pluribus non ſit abuſus, poſſunt permitti.

12. D. Poſſunt nè permitti Comœdiæ, & Hiſtriones?

M. Ex eodem quæſt. 168. art. 3. ad 3. ſi Comœdia, & Hiſtrionatus ſcateant verbis, aut factis illicitis, de ſe ſunt peccata mortalia, nec poſſunt permitti, quia id eſſet fovere peccata.

13. D. Permitti poteſt meretricium, quod eſt actus Luxuriæ completus, cur non etiam Comœdiæ cum verbis obſcænis, quæ ſunt actus luxuriæ incompletus?

M. Diſparitas eſt, quia hujuſmodi verba, & facta per alios commiſſa, & ſpectantium oculis repræſentata, excitant libidinem; unde, qui obligatur ex officio prohibere peccata; fovet illa: Meretrix verò permittitur ad ſedandam libidinem excitatam, & Reſpublicæ benè ordinatæ nullum illis permittunt in publico incentidium libidinis, non veſtium ornamenta pretioſa, non rhedam &c.

14. D. Poteſt nè famulus comitans herum permittere, ut vadat ad meretricem, & expectare illum, donec exeat?

M. Aliqui docebant, metu notabilis damni, poſſe à famulo adjuvari ſcienter herum, etiam ſubmiſſis humeris, aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam Virginem, deferre ſcalam, aperire januam, vel quid ſimile, dummodò non intenderet ſtuprationem, ſed permitteret. Putabant hujuſmodi actiones eſſe de ſe indifferentes ideòque intendi poſſe ad evitandum notabile damnum, ſicuti Princeps permittit Meretrices ad finem evitandi libidines turpiores. Sed eſt Theſis damnata ab Innocent. XI.

15. Ut detur regula univerſalis ad dignoſcendum, quæ actiones poſſint permitti, convenio actiones illas in abſtracto conſideratas eſſe indifferentes, ut indifferens eſt ad bonum, & malum, ponere manum in arca domini, pecuniam contrectare, adducere ad ſe &c., quæ tamen, ſi agitur de pecuniis alienis, nunquam ſeparari poſſunt à malitia. Ratio eſt, quia actio nunquam ponitur in abſtracto, ſed in ſingulari.

16. Adde, quod, ex toties dictis, forma, & ultima diſpoſitio ad formam ſunt in eodem genere; cum ergo Virginis ſtupratio ſit intrinſecè mala, tales etiam ſunt prædictæ actiones, utpotè, in genere moris, ultimæ ejus diſpoſitiones ad ſtuprationem, nec ſolum illæ, ſed etiam actio famuli excubantis ad fores, ut herum præmoneat, cum veniet mater virginis &c. Si verò habeat merum officium comitandi, & ad januam expectet, ſicut expectant reliqui ad fores Eccleſiæ, herum audientem Miſſam, tunc actio expectandi ſpecificatur à bono fine faciendi officium famuli, nec eſt intrinſecè mala.

17. D. Poterit hoc modo ut famulus, fœmina virginem aſſocians expectare illam, ad januam viri &c.

M. Fœminæ aſſocianti virginem parentes committunt ſuas vices ad cuſtodiendam illius virginitatem; ideò ax officio tenetur avertere ab illa quidquid præjudicat virginitati. Ad idem tenetur Deputatus Monaſterii, Conſervatorii &c. ad idem Pædagogus Adoleſcentium.

18. D. Famulus ſuſpicans litteras heri à ſe delatas eſſe amatorias, poterit nè illas aperire, ut, quando ſint tales, dimittat famulitium?

M. Deferens litteras amatorias cooperatur peccato, quod eſt intrinſecè malum; ſed ad evitandum peccatum non ſunt facienda

facienda mala; & quia eſt contrà juſtitiam aperire alterius literas, famulus non poteſt uti hoc medio intrinſecè malo, ut certificetur de intentione hæri.

19. D, Confeſſor, ex confeſſione Pœnitentis, cognovit inter ipſum, & ſuam fœminam intercedere impedimentum dirimens ab illis invincibiliter ignoratum; & ſi revelet, agnoſcit eoſdem taliter diſpoſitos, ut velint perſeverare in tali ſtatu?

M. De hoc puncto egi c. 35. nu. 17. Sed adhùc multi exclamant tali doctrina foveri peccata, imò fieri peccata, quæ aliàs non ſunt ob ignorantiam imputabilia: quare ut veritas clariùs appareat, tria faciam: 1. inducam abſurda, quæ indè ſequuntur: 2. firmabo, quid in tali caſu conveniat Confeſſori: 3. an Pœnitens ita diſpoſitus poſſit abſolvi.

20. Quoad primum. Si ratio ſubſiſtit, utpotè univerſalis, dictabit Confeſſorem tacere, quoties extat prædicta ignorantia cum reliquis circumſtantiis: Hinc Confeſſor ita cognoſcens Sacerdotem irregularem poterit tacere, ac permittere, ut continuet exercere ordines, ne, illum admonendo, ſit Reus peccatorum; quæ monitus committet in exercitio: Ignorans verò, rantùm materialiter peccat, ignorantia facti, quæ poteſt eſſe invincibilis. Vel cognoſcit pœnitentem eſſe ordinatum invalidè, poteritque, ſeu debebit permittere, ut continuet celebrare, faciendo per ſe mille idolatrias mareriales, eaſque cauſando in audientibus Miſſam: Vel cognoſcit pœnitentem ita ignorare principaliora myſteria fidei, quæ invincibiliter aliquando poſſunt ignorari, eumque poterit abſolvere. Nemo certè meo videri deglutiet hæc abſurda; quare illa ratio non ſubſiſtit.

21. Quoad 2. Nec verò ſubſiſtit, quia Confeſsor exercet munus Doctoris, & ei ex officio incumbit docere pœnitentem, quæ neceſsaria ſunt ſuo ſtatui: qui ducet ſolùm ex charitate, poterit fortè aliquando id permittere: ſecus, qui docet ex officio, quia obligatur avertere omnem talem ignorantiam.

22. Quoad 3. Pœnitens, ut dignè accedat ad Sacramentum, debet accedere ita diſpoſitus, ut paratus ſit relinquere uxorem, & eos, qui carnis cognatione conjuncti ſunt. Hoc eſt inter illa præcepta, quæ, Auguſtino teſte, debemus habere in præparatione animi, ut percutienti præbere alteram maxillam, furanti pallium, offerre tunicam &c. Debemuſque ita eſse diſpoſiti, ut, ſi proponatur, aut facere contrà Dei præceptum, aut ſeparari à tali fœmina, malit Pœnitens vivere Deo, quam converſari cum fœmina. Niſi taliter diſpoſitus accedat ad Sacramentum, nequit abſolvi: E'contra caſus ſupponit Pœnitentem taliter diſpoſitum, ut nollet relinquere fœminam, ſi agnoſceret illius converſationem eſse cum offenſa Dei. Audiatur S. Th. ſuppl. q. 49. art. 6. *Eſt peccatum mortale, ſi quis in conjuge non attendat, quod conjux eſt, ſed ſolum, quod mulier, paratus idem facere, ſi non eſſet conjux.* Nota ly *paratus*, ſeu diſpoſitus. Vide Inſtr. Cler. c. 37. n. 22. ubi dictum eſt peccari mortaliter, quando conſtituitur ultimus finis in creatura, & tunc conſtitui, quando ſum paratus facere idem, ſi deberet fieri cum offenſa Dei. Adde, quod illa ignorantia impedimenti eſt concomitans, non antecedens, cùm tamen à peccato excuſet hæc ſola, utpotè cauſa actus peccati, ut docet S. Th. 1. 2. quæſt. 76. art. 3.

23. D. In confeſſione generali Eccleſiæ, dicimus: Peccavi nimis *cogitatione*, *verbo*, *& opere*, quid importat ly *cogitatione*?

M. In actibus intellectus nullum eſt peccatum, niſi ſequantur ad imperium voluntatis. Ita error circa fidem non eſt hæreſis, niſi adjuncta ſit pertinacia voluntatis. Ergo peccatum cogitationis eſt, quoties cogitationibus illicitis conſentimus per delectationem moroſam, deſiderium, &c.

CAPUT XLVII.

Compendium Inſtructionis ſuper Præcepto Paſchali, de ordine Clementis XI. edito ab Eminentiſſimo Card. Vicario, de Anno 1708.

D. Inſtructio hæc non habuit locum in principio Operis, cum reliquis generalioribus, quia evulgata poſt primam editionem, turbaſset ordinem antiquum. Eam hic trado, poſt recapitulatam doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ, cujus eſt complementum. Omiſsa Præfatione concluditur 18. §. 6.

1. Dominica quarta, & quintà Quadrageſi-

geſimæ, inter Miſſarum ſolemnia, vel quando eſt populus freqnens, lingua vernacula annuncient c. *Omnis utriuſque*, cum pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, tam vivis, quàm defunctis ipſo facto (ex ſpeciali Edicto in Urbe) incurrenda, reſervata Cardin. Vicario, ultrà mortale peccatum.

2. Adimpleri poteſt à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis incluſivè.

3. In conſcribendo Animarum ſtatu, Parochi notabunt pueros, quibus incipit uſus rationis, ut eos moneant, & inſtruant (per ſe, vel per alios) ad primam confeſſionem: negligentium, eorumqne Parentum nomina deferent in Secretaria, pro remedio opportuno: Interim denegent teſtimonium paupertatis, & illis curent ſuſpendi eleemoſinas. Capaces Communionis inſtruant, ut dignè poſſint ſumere Euchariſtiam in Paſchate proximo, ſi cognoſcunt dignitatem tanti Sacramenti: ad tempus differant incapacibus. non tamen ultrà decimnm quartum annum, quibus in articulo mortis conferent Extremam Unctionem.

4. Parochus pro inſtructione indigens Coadjutore, mittat pueros ad Oratorium S. Franciſci Xaverii; puellas ad Convictrices Infantis Jeſu. Idem commendet Magiſtris Scholæ, qui tenentur docere Doctrinam Chriſtianam: Eos inſtructos, priuſquam recipiat ad hæc Sacramenta, examinabit per ſe ad majorem ſecuritatem.

5. Teneantur communicare in Parochia quicunqne ibi habitant, à die, quo incipit ſtatus Animarum, ut etiam Advenæ commorantes pro majori parte temporis adimplementi: nec ſuffragetur fides alterius: Tunc communicentur etiam Infirmi, eſtò præcedenter communicati.

6. Quilibet Clericus in propria Parochia communicet in Miſſa, Feria quinta Cœnæ Domini. quo prohibentur omnes Miſſæ privatæ: Adſcripti Eccleſiis Collegiatis poterunt communicare in his.

7. Parochi, tempore Paſchali, curabunt per ſe adminiſtrare Euchariſtiam: Receptæ ſyngrapham deponant ad ſnmmum, apud viros, de qnibus nulla ſit ſuſpicio prudens negligentiæ, aut malitiæ: Ultrà proprium Parochum, dans, mutuans, vel recipiens hujuſmodi ſyngraphas, incurrat pœnam Falſarii, & excommunicationem ipſo facto reſervatam Card. Vicario.

8 Nulla Eccleſia, non Parochialis, quantumcumque Privilegiata, diſtribuat hujuſmodi ſyngraphas, ſub pœnis arbitrio ejuſdem, & diſtributæ non attendantur.

9 In adminiſtrando Euchariſtiam obſervetur Rituale: Sacerdotes cum Stola genuflexi, ut etiam Clerici communicent ante Altare: Laici extrà Presbyterium modeſti: Viri, ſi commodè fieri poſſit, ſeparati à fœminis, armis anteà depoſitis?

10. Fœminæ abſque vanis ornamentis, indecentibus ſtatui. Vide 1. part. cap. 11. num. 88.

11. Arceantur ab Euchariſtia Excommunicati, Uſurarii, Concubinarii, Meretrices: Horum famuli publicè cooperantes: Omnes publici Peccatores, & Conjuges, qui diviſim vivunt abſque legitima cauſa: niſi priùs conſtet Parocho, emendaſſe vitam, & ſatisfeciſſe ſcandalo: Si accedant, arceantur, ut indiſpoſiti, eſtò exhibeant fidem confeſſionis: Priùs tamen Parochus curabit ſecretò, ac paternè, monere, ut dent ſigna emendæ, tollantque occaſionem peccati.

12. Fœminis publicè inhoneſtis indicant prohiberi ſub pœna fuſtigationis communionem pro talis ſtatus tempore: Eandem prohibeant cuicunque publico Peccatori: Omnes tamen excipient ad confeſſionem, quo inducant ad veram emendam: In concurſu populi ad Eccleſiam, invitent pro die opportuniore.

13. Parochus invigilet, nè, incepto Animarum ſtatu, ad eludendum præceptnm diſcedat à Parochia. Quomodocunque, à dicto tempore diſcedat, teneatur communicare in prima, exhibendo fidem in ſecunda: Non ita communicantium nnlla valeat excuſatio, niſi quam admittit c. *Omnis utriuſque*.

14. Poſt Dominicam in Albis, collectis ſyngraphis, qui tempore ſuprà indicto, venerunt in hanc Parochiam, attendant fidem primi Parochi, cum qno hìc ſecundus conferat; & ſi, in prima omiſit, ſed communicavit in nova moneatur ſatisfacere primæ: Si recenter venit Romam, ſufficiet fides ſecundæ, niſi venerit in fraudem.

15. Qui

15. Qui neglexerunt communicare, jam peccarunt mortaliter, & incurrerunt interdictum. Ut non excommunicentur, privatim eos moneat Parochus, nec emendantibus, generaliter, Dominica quarta poſt Paſcha, indicat prima vice excommunicationem ferendam.

16. Dominica quinta, indicet ſecundò, & tertio in die Aſcenſionis. A Dominica in Albis, uſque tunc, ſoli Parochi poſſint abſolvere non communicatos. Nemo, etiam Regularis, quantumcunque Privilegiatus, abſolvat. Parochus, vel alius cum licentia expreſſa Card. Vicarii, aut Vices Ger. abſolvens, imponat pœnitentiam proportionatam, & ſi fuit ſcandalum, ut communicent *inter Miſſarum ſolemnia*.

17. Poſt Aſcenſionem, hoc peccatum reſervatur uni Cardinali Vicario, etiam in foro conſcientiæ. Alia indicuntur pro foro externo, quæ omitto.

18. Parochi, & Confeſſores adimpleant præſcripta hujus Inſtructionis affigendæ in Sacriſtia, rationem alias reddituri Deo, & Sanct. Suæ.

19. D. Ex n. 1., & 15. non communicans ſtatim poſt Dominicam in Albis, incurrit interdictum reſervatum Cardinali Vicario; quarè jam non poterit ingredi Eccleſiam, ut abſolvatur?

M. Ex c. *Reſponſo* de ſent. excom. Potes convocare ad Eccleſiam excommunicatos (idem dic de Interdictis) *ut inducas ad correctionem*, dummodo nullum in eis celebretur divinum Officium: Vide numero 12., & applica proportionaliter.

20. D. Interdictum eſt reſervatum Cardin. & n. 15. Parochis, conceditur ſola juriſdictio in peccatum, non in hanc pœnam, à qua tamen abſolvendi ſunt, antequam abſolvantur à peccato?

M. Implicitè conceditur etiam juriſdictio in hanc pœnam, qui concedit aliquid, concedit ea, ſine quibus nequit haberi; quarè concedens abſolvere à peccato, concedit poſſe abſolvere ab Interdicto; quæ abſolutio præcedit.

21. D. Per confeſſionem, & communionem ſacrilegam non ſatisfit præcepto Paſchali: Incurrit nè reſervationem, qui confeſſus, & communicatus ſacrilegè, exhibuit omnem fidē in foro externo, in quo judicatur, ut certum, quod ſatiſfecerit?

M. Hoc dubium torquet plures Confeſſarios, præſertim Adoleſcentium utriuſque ſexus, qui in praxi agnoſcunt innumeros, per annos, ex verecundia tacuiſse turpitudines pueriles; nunc indigent confeſſione generali, pro qua, ſi peccatum eſt reſervatum, neceſſaria eſt juriſdictio Emin. Vicarii. Si tibi contingat caſus, habes Edictum, conſidera verba, ſimulque Doctores, & ſemper tene certum, dimitte incertum.

CAPUT XLV.

Colliguntur nonnulla ſuper Bulla Cænæ.

1. D. Aliqui docent in Bulla non comprehendi Schiſmaticos, & Hæreticos Orientales: Poterunt igitur abſolvi à quocunque, ſi veniant in Occidente?

M. S. Inquiſitio, teſte Albitio p. 1. *de Inconſ. Fid.* c. 10. num. 35. declaravit eos comprehendi. Eſtò non comprehenderentur, in Occidente nequeunt abſolvi, ex c. 9. n. 5. Confeſſor debet habere juriſdictionem, ubi abſolvit.

2. D. Eſtnè reſervata omnis Hæreſis?

M. Alia eſt interna: alia externa: quod Eccleſia non judicat de internis, incurrens primam non eſt excommunicatus, & poteſt abſolvi à quocunque, Si tamen voce, ſcripto, vel alio exteriori ſigno manifeſtetur, jam eſt externa, & ſubjacet Bullæ, quamvis nemini eſſet nota, quod illam protulerim ſolus cubiculo.

3. D. Paſſim in Germania, & Gallia, Epiſcopi abſolvunt, delegantque aliis facultatem abſolvendi?

M. Hic non quæro factum, ſed jus: multi multa faciunt, quæ non jure faciunt, imò faciunt, invalidè: Aliqui putant licere in vim Trid. Sed hoc eſt falſum, ex cap. 19. n. 43. Alii, quia in dictis partibus, circà Hæreticos, ſervatur jus antiquum, non novum introductum erectione S. Tribunalis. Hoc jus novum habet plura capita; & licitè omittitur in iis, ubi accedit ſaltem tacitus Papæ conſenſus, qui in hac Bulla expreſſè declarat contrarium: Alii in vim privilegiorum; ſed Bulla expreſſè annullat omnia in genere, vel in ſpecie conceſſa ſuper caſibus contentis. Et S. Congregatio, referente Nicolio v. *Caſus reſervati*,

ti, declaravit irritam abſolutionem hæreſis collatam in vim privilegiorum Eccleſiæ Gallicanæ: Ipſi viderint, quomodo id faciant; Interim ſcito, circà hæreſim, plura Epiſcopis Galliarum, à Clemente XI. fuiſſe conceſſa, oſtendente Card. de Jamſon, neceſſariam ibi eſſe hanc Oeconomiam. Prò Germanis non eſt meum hìc diffuſiùs quærere, quibus verbis Bulla tollat hanc in individuo facultatem abſolvendi ab hæreſi, firmatam nunc conſued ine immemorabili, & centenaria. Ut Epiſcopi, & Confeſſores omnes liberent ſe à ſcrupulis, imò dubiis graviſſimis, & fundatiſſimis irritæ abſolutionis, breviter innuo modum facillimum ponendi in tutò conſcientiam Confeſſoris, & Pœnitentium. Ad hoc.

4. Scito, per Bullam Cœnæ ſolùm tolli juriſdictionem abſolvendi hæreſim in foro conſcientiæ; non contentioſo, ubi deducta eſt. Ita ex c. *Ut Officium*. de hær. in 6. Communiter Doctores, &, quod majùs, ita decidit S. Inquiſitio, teſte Albitio p.1. *de Inconſt. Fidei* c. 25. n. 35. Igitur Hæretico volenti redire, ut tollatur omnis dubietas abſolutionis, Confeſſor, vel Epiſcopus ſuadeat, ut ſponte comparens, judicialitèr deponat ſuam hæreſim; qua depoſita, judicialitèr abſolutus, poterit abſolvi à quocunque, ut c. 10. nu. 7. Ita procedens ultrà quod, ſibi tollet omne dubium, illud inſuper conſequetur, quod vigente in Actis abiuratione, poſt mortem Epiſcopi, vel Inquiſitoris abſolventis (uterque poteſt abſolvere, & debet abſolvi ab eo, coram quo judicialiter comparentis proceſſus formatur) non poterit moleſtari à Succeſſore; Idem ex eodem motivo curare deberet, quem Papa ipſe ſacramentaliter abſolveret: niſi enim in actis Inquiſitionis conſtet abſolutio, ſemper jure moleſtabitur ad denunciationem teſtium.

5. D. Ego legi librum Hæretici?

M. Valdè diminuta eſt confeſſio. Adhùc non poſſum judicare, an peccaveris; Ut pecces, Bulla exigit legi *ſcienter*. Explica hoc: Si legiſti ſcienter, & abſque auctoritate Sedis Apoſt. ulteriùs explica: qui liber ſit: nam quoad, forum conſcientiæ libri prohibiti ſunt in quadruplici claſſe: primò, alii prohibentur, quia facti ab Hereticis, & continent hęreſim: ſi talis fuit liber à te lectus, ultrà peccatum, es excommunicatus ex hac Bulla: alii ſunt facti ab Hæreticis, & tractant ex profeſſo de Religione: Hi quamvis ſint doctrinæ ſaniſſimæ, prohibentur etiam in hac Bulla: nam Eccleſia non vult hauriri à fonte impuro aquam Chriſtianam: 3. alii etiam auctoris non hæretici ſunt prohibiti *ob hęreſim, vel ſuſpicionem falſi dogmatis*: Qui hos legit, eſt excommunicatus, ſed non in hac Bulla: 4. alii ſunt prohibiti *alio nomine*: hos legere eſt peccatum mortale, ſed non ſubjacet cenſuræ. In hac claſſe continentur libri Hæreſiarcharum, cujuſcumque ſint argumenti, tituli &c., ſi verò ſint Hæreticorum, examinati, & approbati, juxtà Indicem, permittuntur: Explica ergo cujus conditionis ſit liber Auctoris Hæretici à te lectus.

6. D. Ego receptavi, & defendi Hereticum?

M. Bulla prohibet receptari, & defendi Hæreticos, quà tales: ſi ergo receptaſti domi tuæ, & defendiſti Hæreticum à ſuis inimicis, qui volebant illum occidere, defendiſti non ut hæreticum, ſed ut proximum: Si autem receptaſti, ut abſconderes ab Inquiſitione; vel defendiſti, nè ab hujus Miniſtro in ea damnaretur &c, tunc defendiſti, ut hæreticum, & peccaſti contrà hanc Bullam.

7. D. Ego veniens Romam cum ſocio peregrino veniente cauſa devotionis ad loca Sancta, in medio itineris illum, exorta rixa, vulneravi?

M. In hac confeſſione ſunt plurà peccata, & pro Rixa, quæ incipiens à verbis contumelioſis, procedit ad facta: Circa vulnus illatum, explica, num vulneraveris eo fine, ut impedires illum venire Romam, potuiſti enim incipere Rixam hoc animo, qui ſi defuit, non es excommunicatus in hac Bulla prohibente quidèm impedire Romipetas: atsì hoc fine impediantur: Si rixa fuit fortuita, vel ſaltèm non eo fine, tunc immunis es, & ab hac Bulla, ſed explica, num fuerit Clericus, vel Religioſus: nam tunc incidiſti in cap. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. Ulteriùs explica damnum illatum: teneris enim ex juſtitia reficere expenſas curæ, niſi ille remittat. Debes etiam ex juſtitia ſatisfacere pro injuria, te humiliando illi &c., niſi pariter ex abundantia charitatis remittat.

8. D. Quam immunitatis Eccleſiaſticæ violationem reſervat Bulla?

M. Caje-

Digitized by Google

M. Cajetanus diſtinguit immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam, volens hanc competere perſonis; illam rebus. At alii plures contradicunt volentes ſonare idem: Quidquid ſit de hoc: Tria in Eccleſia eximuntur à foro Judicis Laici: 1. perſonæ: 2. bona: 3. loca Incipiendo ab his; Bulla in can 20. vult immunes ab omni in... ne, deſtructione, & occupatione terras omnes, quæ mediatè, vel immediatè ſubiiciuntur Apoſt. Sedi.

9. Locorum verò ſacrorum Immunitatem, extra Bullam Cœnæ, ſervari præcepit Gregorius XIV. ſub excommunicatione reſervata Papæ, prohibens ab illis extrahi quemquam criminoſum, niſi crimen eſſet ex illis, quę ibidem declarat non gaudere immunitate. Et quia plures Prædeceſſores concesſerant nonnullis Principibus alios delinquentes, ipſe revocat indulta ſimilia.

10. Audiſti pluries, hominem, antequam operetur, efformare ſyllogiſmum in Darii, cum altera præmiſſa univerſali, altera particulari; In noſtra materia hìc efformatur, v.g. *Qui eſt Aſſaſſinus, non gaudet Immunitate: ſed Petrus hic, & nunc eſt Aſſaſſinus, ergo*. Et univerſalem ſtabilivit per ſuam legem Gregorius in Conſtit. prædicta: ſecundam reſervavit Epiſcopis; ideò ipſi antequam tradant Reum Curiæ Sæculari, debent judicare, an Petrus hìc, & nunc verè ſit Aſſaſſinus:

11. Memento, quod forma, & ejus diſpoſitio ſunt in eodem genere. Forma eſt ſententia, ſeu judicium Aſſaſſinii: & diſpoſitio eſt ſcientia præcedens: cùm ergo ſententia ſit publica, talis etiam debet eſſe ſcientia: ideò, ut p. 2. Judex damnat eum, qui ex ſcientia publica conſtat eſſe Reus, licèt ex privata eſſe poſſit innocens. Porrò ſcientia publica acquiritur per teſtes idoneos coram Notario legitimo formiter examinatos: quarè, ut Epiſcopus judicet de Aſſaſſinio, debet præcedere ſcientia in ſua Cancellaria: nec enim legitimus eſt Notarius, qui non accepit authoritatem à ſuo Principali.

12. Poſſunt contingere in hoc duo defectus: alter, quod Reus recipiat ſe in loco ſacro cum bonis alienis: alter, quod ſe recipiat animo multiplicandi delicta. His avertendis Eccleſia non debuit ferre legem, ferendam, in iis ſolis caſibus, qui contingunt, ut in pluribus, non ut in paucioribus: Ubi ergo alterum ex illis timetur, eſt recurſus ad Sac. Congregat... Immunitatis, quæ in primo ...iicialiter ſcopo, ut à Debitore reſportata, & con... accipiat bona ſecu... in ſecundo, nè locus ſignet Judici ... delictorum, ut eijciat Reos: Hæc memento, ſi es Confeſſor Judicis.

13. Quoad perſonas: Bulla varias defendit à Canone 9. ad 17. Libertas tamen propriè conſiſtit in eo, quod Clericus non poſſit judicari à Judice incompetente: Circà hoc eſt Canon 15, cujus verba, utpotè univerſalia, comprehendunt omnem Judicem, etiam Eccleſiaſticum: quarè peccat in Bullam Prælatus judicans Clericum alienum in eo, in quo eſt alienus. Porrò, nota illam particulam, *præter Juris diſpoſitionem*, ex cujus conſideratione olim decidi ſequentia dubia.

14. 1. Prælatus ex ſcientia privata ſuſpenderat Clericum: hic exiſtimans ſe innocentem, prætendebat violatam ſuam libertatem: Dixi non ita eſſe, quia non egerat *præter Juris diſpoſitionem*. Prælatis enim propriis conceditur hæc poteſtas in Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. de Refor.

15. 2 Prælatus Regularis incarceravit ſubditum ex ſcientia privata magni ſceleris. Dixi peccaſſe in Bullam, quia id fuerat contrà jus naturæ reſervantis occulta ſoli Deo, & dictantis procedendum ad incarcerationem ex ſcientia publica: Ubi Canones concedunt procedi, *non ſervata juris forma*, loquuntur de jure ſcripto, non naturali.

16. 3. Duo, vel tres jurati affirmaverant coràm Superiore Clericum, eiſdem videntibus commiſiſſe crimen, de quo non laborabat infamia; & Superior puniverat. Dixi factum hoc, non modò *præter*, ſed etiam contrà *Juris* Canonici *diſpoſitionem*, quia in c. *Inquiſitionis* de accuſ. § *Tertiæ*, ſignanter ad hunc caſum reſpondetur, *propter dicta hujuſmodi nullum eſſe puniendum de crimine, ſuper quo non laborat infamia, ſeu non præceſſit clamoſa inſinuatio, quinimò nec recipi debere depoſitiones*; Et § *Quæſiviſti*, ait *propter dicta paucorum*, Judex *non debet reputare infamatum eum, cujus non exiſtit læſa opinio apud bonos, & graves*.

17 4. Judex, receptis quibuſdam libellis anonymis vulgò, *Memoriali ciechi*, crederet ſibi procedendum, dixi, quod inquiditur: [illegible]at Bullam, quia in eodem c. ad- *porrigunt libellionem eorum, qui in occulto cedatur ad inquirendum [illegible]torium, non prorumdem.* [illegible] *contentis co-*

18. Quoad bona, de his loquitur Can. 17. Prohibenturque uſurpari, vel ſequeſtrari. Alii judicant, an comprehendatur patrimonium Clerici: Certum eſt non comprehendi bona, quæ habent obligationem realem Principi, vel privato, fixam, & determinatam: v. g., ſunt quędam Prædia, quæ pro Canone, ſeu Livello ſolvunt Domino loci quartam, vel quintam partem fructuum; ſi Clericus non ſolvit, poteſt Dominus exigere, quia obligatio eſt realis, ſeu Rei, & annexa Prædio. Quælibet alia obligatio, ſive ſolvendi bona, ſive ſubeundi munia Reipub. adjecta Clerico prohibetur in hac Bulla: quarè nec poſſunt taxari, quando aliàs Laici non habent facultates ſufficientes ad expenſas pro neceſſariis ad Rempublicam, etiam, ut hæc includit Clericos: Ubi tamen pro iſtis non ſufficerent bona Laicorum, poteſt haberi recurſus ad Papam, qui cognita Reipub. neceſſitate, concedet taxari Clerum ab Epiſcopo, ſed non à Principe Laico, ut ſubveniat Reipub., cujus pars nobilior eſt Clerus, defendens, & conſervans totum corpus orationibus, ut reliqui tuentur armis, ac virtute politica.

CAPUT XLVI.

Colliguntur nonnulla circà Theſes damnatas.

1. D. INveni librum moralem Theologi Junioris non prohibitum à S. Sede, quæro, an poſſim illum, ſequi, & me per illum dirigere?

M. Aliqui docuerunt cenſendam eſſe probabilem opinionem, ſi decerpatur è libro Auctoris moderno, quouſque non conſtet eſſe rejectam ab Eccleſia: Hæc eſt Theſis damnata ab Alexandro VII. Alii è contrà volebant nos unicè inniti poſſe auctoritati antiquorum docebantque: *Ubi quis invenit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam poſſe illam abſolutè teneri, non reſpiciendo ad Bullas Pontificis.* Hanc pariter damnavit Alex. VIII. Calcanda igitur eſt via Regia, ut medii procedamus inter utramque damnatam: Hujus ultimæ utpotè univerſalis ſenſus propriùs, quem præfert, eſt, teneri poſſe quidquid clarè docuit S. Auguſtinus, nullo habito reſpectu ad Bullas Pontificias. Ex cap. 28. num. 30. [illegible] poteſt regula: alia prima: alia proxima, ſicuti effectuum ſublunarium, alia eſt cauſa prima, ut Sol: alia cauſa proxima, ut planta, v. gr., Auguſtinus ſanæ doctrinæ, quam tradidit, fuit cauſa proxima, quæ tamen nunquam influit, niſi influat cauſa prima: & quia cauſa prima doctrinæ ſanæ eſt Romanus Pontifex; ſine hoc nequit illuminare Auguſtinus: S. Th. 2. 2. q. 10. art. 11. *Standum eſt authoritati Eccleſiæ magis, quam Auguſtini, Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris.* Illud *magis* non tollit omnem authoritatem Auguſtino, ſed oſtendit, ubi concurrunt Auguſtini, & Eccleſiæ authoritas expreſſa, iſtam præferri; Imò totum, quod habet Auguſtinus, dedit Eccleſia; ut hujus authoritas ſit plena; Auguſtini verò participata, ſed multò perfectiùs, quam participent Moderni. Theſis illa univerſalis comprehendit quidquid clarè aliquando ſcripſit Auguſtinus, etiamſi poſteà retractaverit. Quicunque fuerit auctor Theſis prædictæ, certum mihi eſt non prætendiſſe hoc, ſed debuit loqui caſtigatius: nam *ex verbis incautè prolatis incurritur Hæreſis.* Quoad primam: etiam facit ſenſum univerſalem, cui, juxtà Philoſophos æquivalet Cauſalis: Quare ſenſus eſt: Omnis opinio Auctoris moderni quouſque non ſit prohibita, eſt probabilis: Theſis falſiſſima: nam videmus quotidie plura evulgari ſine fundamento, quod requiritur ad probabilitatem opinionis: Si hac nocte Hæreticus evulget novas hæreſes, certè ſequenti die, antequam de illis judicet S. Sedes, nullo modo ſunt accipiendæ, ut probabiles, quod tamen dici deberet in vim Theſis univerſalis. Igitur accipe librum, quemcunque tibi placet etiam Auctoris moderni; ſed cave illum ſequi præciſè per hoc, quod ſit Modernus, & non prohibitus; ſed quia, rationes allatæ videntur convincere, poſt earum diligens examen, & ſtudium.

2. D. In vim primæ damnatæ ab Inn. XI. in adminiſtrandis Sacramentis, relicta

ſiſta probabili, ſequenda eſt tutior: lego tamen aliquos Gloſſatores decreti Innocentiani, volentes adhuc poſſe aliquando practicari probabilem: v. gr., dicunt Confeſſorem poſſe abſolvere Pœnitentem, de cujus dolore habet ſolam probabilitatem: dicunt ab Urbano VIII. prodiiſſe decretum pro Theologis novi Orbis, ut ſi quærerentur in praxi opiniones probabiles favorabiliores Chriſtianis: dicunt probabile eſſe, quod ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficiat Attritio, & quod Pœnitens poſſit cum ea ſola recipere Sacramentum?

M. Nunquam ego credam Auctores Catholicos ita loqui: Filius debet ſemper adhibere Idioma Matris: veriſſimum eſt aliquos procedere minùs cautè; ſed in rei veritate nihil diſcedunt à definitione Pontificia: Si attentè conſideres, videbis *probabile* uſurpari pro eo, quod eſt certum, non metaphſycè, ſed tantùm moraliter, *ut in humanis convenit tali materiæ, putà, cùm probatur per teſtes idoneos*. 2. 2. q. 60. ar. 3. ad 1.

3. Ex 3 diſt. 23. q. 2 ar. 2. q. 3. Certitudo eſt *determinatio intellectus ad unum*: niſi ergo determinetur hoc eſſe verum, homo non eſt certus: ſed determinatio poteſt haberi tripliciter: primò, ex evidentia terminorum: hæc reperitur in primis principiis, quæ ſine diſcurſu innoteſcunt: 2. ex evidentia præmiſſarum: hæc eſt propria ſcientiæ: 3. intellectus determinatur ex imperio voluntatis; & ne in moralibus peccet, dirigitur à prudentia, vel Conſilio, quod eſt donum Spiritus Sancti; & ſi habeat pro motivo veracitatem divinam, eſt fides Theologica: ſi veracitatem hominis, eſt fides humana: ſi duo teſtes uniformes judicialiter confirment, damnant Reum: ſi alia indicia concurrant, poſſunt magis, vel minùs determinare intellectum Judicis, ut affirmet fuiſſe commiſſum.

4. Lumen dictans voluntati motiva determinandi hanc partem potiùs, quam oppoſitam, eſt per virtutem prudentiæ reſidentis in intellectu, ideò reſpicientis verum, quod tamen, utpotè in agibilibus, & contingentibus, aliquando deficit, ſed ut in paucioribus: prudentia enim reſpicit objectum, quod perficit intellectum, qui non perficitur ab eo, quod eſt falſum, ut in pluribus.

5. Junior adhæſi Modernis ſentientibus, poſſe hominem ad libitum ſequi duo contradictoria probabilia in conſpectu probabilioris. Et Theologus, alias magni nominis, ponit Sacerdotem in Confeſſionali, qui audiat à dextris Pœnitentem ſollicitum ſcire: an v. gr. talis contractus ſit uſurarius; & quia inclinat in partem ſeveriorem reputatam, ut probabilem, eam Sacerdos poteſt docere: à ſiniſtris alius interrogat ſuper eodem contracto, quem probabile eſt licere ſaltem probabilitate extrinſeca, & poteſt hanc docere: Caveat tamen, addit, ponere in ſcriptis: nam, ſi communicent invicem Pœnitentes, arguent Confeſſarium inconſtantiæ. Legendo hęc, exclamavi: *Bone Deus*; *Imprudenter fama tunc exponitur periculo, & prudenter exponitur anima?*

6. Dicunt: ubi rationes intrinſecæ reddunt opinionem minùs probabilem, non poſſumus determinare ad hanc ex motivo proprio, ſed ab extraneo: expono me periculo: Si arguam: *ubi rationes magis faciunt pro uſura contractus, poteſt iniri tamquam licitus: talis eſt iſte, ergo &c.* Non ita ſi ſubdo: *quoties hinc inde ſunt opiniones non reprobatę à S. Sede, licitè ſequor, quæ magis placet: circa uſuram hujus contractus, tales ſunt opiniones, ergo &c.* Cum hoc judicio reflexo, volunt certò eſſe licitum, quod ſub directo, ut dubium, exponebat me periculo peccandi. Diſtinguunt dubium poſitivum à negativo: primum eſt: quando inclino ex motivo rationis, vel auctoritatis cum formidine oppoſiti: Secundùm, quando in neutrum inclino.

7. Quidquid ſit de iſta diſtinctione, præmiſſa Syllogiſmi ſubſumpti non eſt certa, quarè, nec concluſio, quæ nequit eſſe certior præmiſſis: Contra ſupponunt plura: ſed audiatur S. Th. quol. 8. ar. 13. *Quis obligatur ad peccatum, ſivè habeat fidem de contrario ejus, quod agit, ſivè opinionem cum aliqua dubitatione:* Paulò poſt: *Si non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, & tamen inducitur in quamdam dubitationem, ex contrarietate opinionum: Si manente tali dubitatione, habet plures Prœbendas, committit ſe periculo, & ſic proculdubio peccat, magis amans beneficium temporale, quam ſalutem.*

8. Erat quæſtio, an Clericus, abſque peccato, poſſit habere plura beneficia: reſpon-

reſpondet S. D. aut extat lex naturalis, Divina, vel humana prohibens, aut non: ſi primum (an extet alibi reſolvit) peccat agens contra legem: ſi ſecundum: ſubdiſtinguit, aut credens ſe non peccare, aliqualiter dubitat ob auctoritatem docentium non poſſe retineri; tunc etiam *procul dubio peccat:* nam ad omnem actum debet dirigi per prudentiam: & ex 1. 2. q. 55. ar. 4. non eſt virtus *opinio ſe habens ad verum, & falſum:* quia virtute *nemo malè utitur*, ut dicit definitio.

9. Hæc ratio S. Th. mihi eſt evidens: alii abundent in ſuo ſenſu [dummodò ad ædificationem, non deſtructionem moralis Chriſtianæ] ſed omnes fugiant probabiliſſimum in caſibus ab Eccleſia prohibitis.

10. Ex c. 14. nu. 7. aliquid eſt malum ſub una circumſtantia, quod non eſt tale ſub alia. Hoc habet locum præcipuè in iis, quæ diriguntur lege humana. Res aliena eſt reſtituenda, ſed conſiderato, quod fuerit præſcripta bona fide, ceſſat obligatio reſtituendi. Matrimonium, de quo num. 2. ſi ſit contrahendum cum motivo ſolùm probabili, quod nullum extet impedimentum, nequit contrahi: ſi ſit contractum, habet duo motiva, quæ certificant Judicem, ut ſtet pro illius validitate. Primum eſt: nemo debet eiici à poſſeſſione, cum ſolo fundamento probabili: Si hoc non ſubſiſtit, corruit pænè omnis juſtitia: Secundum eſt: favor debet ampliari: & hinc Urbanus optimè conſuluit; nam licet unum motivum probabile de ſe non ſufficiat ad operandum, multa ſimul juncta faciunt certitudinem moralem.

11. Reſtat de Attritione: Hanc Moderni dicunt certò ſufficere ad Sacramenta mortuorum; & ego dico eſſe certiſſimum; ſed videamus, quid veniat nomine Attritionis: Antiqui Scholaſtici dicebant ſufficere: at ſub illo nomine intelligebant dolorem conceptum ex metu Gehennæ conjunctum initiali amori Dei propter ſe dilecti: Moderni verò dolorem ortum ex timore ſine ullo amore: in hoc ſenſu recedo ab iſtis ex multiplici capite.

12. Primò: Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. enumerat actus prævios ad juſtificationem: Primus, eſt fides: Secundus, Timor certè non juſtificatur, qui cum ſolis iſtis accedit) Tertius, Spes gloriæ: Quartus initialis amor Dei: Quintus, odium peccati cauſatum ex tali amore: Sextus, propoſitum novæ viæ. Idem priùs docuerat S. Th. 3. par. q. 83. art. 5. Hæ diſpoſitiones enumeratæ à Trid. ſunt remotæ, nam de ultima dicit c. 7. Juſtificationem haberi *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Præpoſitio *per*, importat cauſalitatem: nec alia eſſe poteſt, quam diſpoſitionis ultimæ, quæ debet eſſe ſimul cum forma: Synodus ponit tres actus proprios Charitatis nondum habitualiter exiſtentis, ſed actualiter diſponentis; Primus illis verbis *incipiunt diligere Deum:* Secundus, odium peccati; Nam hoc cauſatur ex Charitate: S. Th. 3. p. q. 85. a. 3. ad 4., quia ejuſdem Charitatis eſt gaudere de bono, & triſtari de malo: 3. voluntaria ſuſceptio gratiæ ex 2. 2. qu. 25. ubi Charitas dicitur diligi Charitate; Et certum eſt actus virtutis ferri ſimul in objectum primarium, & ſecundarium. Quare, amans charitatem, ſimul amat Deum. Ulteriùs, ſolus actus virtuoſus, non vitioſus, aut indifferens diſponit ad Charitatem. Aſſigna ergo, cujus virtutis actus ſit voluntaria ſuſceptio Charitatis?

13. D. Attritio, de qua Trid. ſeſſ. 14. c. 4. conſideratur in ſe, ut ſejuncta ab initiali amore; & dicitur præparare ad gratiam in Sacramento?

M. Synodus loquitur de hac: at nunquam dicit præparare ſufficienter: primum decretum dicebat *ſufficere, cùm v. x poſſet eſſe ſine ullo Dei amore:* ubi hujus particulæ falſitas innotuit, ablata eſt etiam prima: quare nunc decretum damnat ſolos Hæreticos docentes illam Attritionem non eſſe dolorem verum, & utilem, ſed reddere Hypocritam, & magis peccatorem: quarè Synodus non nocet, ſed favet noſtræ opinioni, dum ſubdit Attritionem eſſe *donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti, nondum inhabitantis, ſed moventis:* unde ſic arguo: ultima diſpoſitio eſt ſimul cum gratia, & cum Spiritu Sancto inhabitante; Synodus definit hanc Attritionem eſſe *donum Dei moventis; non inhabitantis:* quarè.

14. D. Aliquis utique amor Dei requiritur, ut Attritio juncta Sacramento juſtificet; ſed non amor benevolentiæ, ſufficit amor concupiſcentiæ, qui eſt ipſa ſpes.

M. Ex 1. 2. qu. 26. art 4. amamus duo, per-

perſonam, cui volumus bonum, & bonum, quod volumus perſonæ: Hic dicitur amor concupiſcentiæ, primus benevolentiæ: Ille ibi dicitur amor ſecundùm quid; Hic ſimpliciter: undè magis amatur perſona, quam bonum volitum perſonæ: quia *propter quod unum quodque tale, illud magis:* ergo ſi amo mihi Deum amore concupiſcentiæ, amo me ſupra Deum: Amor autem præferens creaturam Deo, eſt mortale peccatum: Ideò ruit prima reſponſio; ſed & ſecunda: Spes eſt in iraſcibili: amor in concupiſcibili: Spes roborat amorem contra difficultates pro adeptione boni amati: Quarè ſperans gratiam, priùs amat gratiam [prima enim omnium paſſionum eſt amor] & per conſequens illum, cujus naturam vult participare: amor iſte, quia virtuoſus, debet poni ſub aliqua virtute; non Cardinali, ſed Theologali; & ſola poteſt eſſe Charitas, quæ in Deum inclinat voluntatem, ut eſt concupiſcibilis.

15. D. Amor Dei efficax ſuper omnia ſtatim juſtificat cum ſolo ſacramenti voto; Si ergo hic requiritur ad ſacramenta mortuorum, ad illa peccator accedet jam vivus?

M. Aliqui non percipiunt, quomodo poſſit dari hic amor, & non juſtificare, niſi vialiter. Igitur explico, quid veniat nomine dicti amoris, nempe, actus, qui appretiet Deum præ Creaturis comparativè, ita quod homo ſit diſpoſitus ſub tali actu perdere creata, nè perdat Deum: aliud non intelligo: & dico Deum debere amari hoc modo: Alias peccatur. Juxta S. Th. 1 2. q. 109. ar. 3. ubi ait, homo conſtitutus in puris naturalibus *aliqualiter Deum dilexit, non æqualiter ſibi, vel minus ſe, quia peccaſſet, ergo dilexit Deum ſupra ſe:* ergo amor Dei, nè ſit peccatum, debet ferri in Deum ſuper omnia: cum iſto tamen amore nondum peccator fertur in Deum, ſuper omnia habitualiter [hoc eſt proprium virtutis Charitatis, qua caret ille peccator] Juſtus peccans venialiter diligit Deum ſuper omnia habitualiter, eſto non actualiter, quia talis actus eſt peccatum veniale: E contra peccator eliciens amorem Dei, vel alium actum virtuoſum, fertur actualiter in Deum, non habitualiter; ideò adhùc eſt peccator.

16. Hic amor peccatoris, eſtò efficax modo dicto, & ſuper omnia, non ſtatim juſtificat: Nam S. Th. 2. 2. q. 27. a. 2. diſtinguit amorem Charitatis habitualis ab amore benevolentiæ; Hic eſt ſimplex motus voluntatis; ille addit unionem affectus; & ex Philoſopho benevolentia *eſt principium amicitię*, non eſt amicitia, Addit in 3. diſt. 27. ar. 1. amicitia importat primò concupiſcentiam amati: 2. benevolentiam: 3. beneficentiam 4. concordiam. 5. quietationem in amato: *6. intenſionem quamdam amoris quaſi quendam fervorem*: 7. ſocietatem; Amor à nobis exigitus dicit ſolùm prima duo, & eſt in via ad reliqua. Ideò per illum peccator nondum vivit, licèt habeat quandam operationem vitæ, quia nondum habet gratiam habitualem, quæ eſt cauſa formalis vitæ ſpiritualis. Etiam Embrio ante animam habet aliquam operationem vitalem diſponentem ad vitam, ut animal mortuum habet motum vitalem pro aliquanto temporis. Bellarminus de Pœn. l. 2. c. 14. *Si pænitentes per incboatam dilectionē Dei diſponuntur ad gratiam, non habent remiſſionem peccatorum, ſed neque ſunt ex numero eorum, quos execratur Apoſtolus, dicens, Anathema ijs, qui nec perfectè, nec imperfectè Deum diligunt: dum incipiunt diligere, incipiunt vivere; victuri perfectè, quando perfectè diligent: Pulchrè Auguſtinus, Cathecumenos comparat Embrionibus., qui concepti vivere incipiunt. Arauſicanum à vera charitate diſtinguit amorem imperfectum, quem habente ante remiſſionem peccati, ut Tridentin. à Charitate, quam cap. 7. dicit infundi cum remiſſione*. Hæc Bellarminus conformia S. Th. 2. diſt. 3. qu. 3. ad 1. dicenti: *Actus Charitatis poteſt dici dupliciter, vel qui eſt ex charitate; Hic non eſt, niſi in habente charitatem* habitualem, *vel qui eſt præparativus ad charitatem; Hic poteſt haberi ante charitatem* habitualem: *ſicut facere juſta eſt ante habitum juſtitiæ; cùm habens charitatem diligit Deum propter ſe ipſum ly* propter, *denotat habitudinem finis, & efficientis*; Quarè in juſto Deus eſt cauſa finalis; & efficiens amoris per habitum: *Cùm de carente charitate dicitur*: diligit Deum propter ſe: *ly* propter *denotat habitudinem finis, non efficientis* proximi; Quia talem actum Deus cauſat per auxilium tranſiens. Ex hac S. D. diſtinctione infero, quod, quando Juſtus elicit actum charitatis, Deus dictum juſtum

re uxori, & filiabus, ut vanè ſe ornent?

M. Quando vanus iſte ornatus, & pompæ ſint peccatum mortale, habes cap. 11. à num. 25., nec illum poteſt Paterfamilias permittere ſuis domeſticis, quia ipſe eſt Caput domus, cui ex officio incumbit omnia hæc avertere; nam habet intendere bono familiæ, nec aliud bonum majus exquirit; unde ad iſtum augendum poſſit permittere malum minus; neque habet tollere malum majus, quod nè accidat, poſſit permittere hoc minùs.

11. D. Poſſunt nè in Rep. permitti quædam artes; undè contingunt peccata?

M. Ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 169. art. 2. ad 4. vel artes iſtæ docent aliquid, quo non poteſt homo uti ſine peccato (Talis eſt Aſtrologia Judiciaria) & hæ non poſſunt in Rep. permitti, quia directè præbent occaſionem peccandi: vel ſunt tales, quod earum uſus non eſt peccatum, & ſubdiſtingue: ſi enim Reſpublica eorum artefactis malè utatur, ut in pluribus, de ſe non ſunt illicitæ, ſed extirpandæ ſunt à Civitate per Officium Principis: ſi ut in pluribus non ſit abuſus, poſſunt permitti.

12. D. Poſſunt nè permitti Comædiæ, & Hiſtriones?

M. Ex eodem quæſt. 168. art. 3. ad 3. ſi Comædia, & Hiſtrionatus ſcateant verbis, aut factis illicitis, de ſe ſunt peccata mortalia, nec poſſunt permitti, quia id eſſet fovere peccata.

13. D. Permitti poteſt meretricium, quod eſt actus Luxuriæ completus, cur non etiam Comædiæ cum verbis obſcænis, quæ ſunt actus luxuriæ incompletus?

M. Diſparitas eſt, quia hujuſmodi verba, & facta per alios commiſſa, & ſpectantium oculis repræſentata, excitant libidinem; unde, qui obligatur ex officio prohibere peccata; fovet illa: Meretrix verò permittitur ad ſedandam libidinem excitatam, & Reſpublicæ benè ordinatæ nullum illis permittunt in publico incentidium libidinis, non veſtium ornamenta pretioſa, non rhedam &c.

14. D. Poteſt nè famulus comitans herum permittere, ut vadat ad meretricem, & expectare illum, donec exeat?

M. Aliqui docebant, metu notabilis damni, poſſe à famulo adjuvari ſcienter herum, etiam ſubmiſſis humeris, aſcendere per feneſtram ad ſtuprandam Virginem, deferre ſcalam, aperire januam, vel quid ſimile, dummodò non intenderet ſtuprationem, ſed permitteret. Putabant hujuſmodi actiones eſſe de ſe indifferentes ideòque intendi poſſe ad evitandum notabile damnum, ſicuti Princeps permittit Meretrices ad finem evitandi libidines turpiores. Sed eſt Theſis damnata ab Innocent. XI.

15. Ut detur regula univerſalis ad dignoſcendum, quæ actiones poſſint permitti, convenio actiones illas in abſtracto conſideratas eſſe indifferentes, ut indifferens eſt ad bonum, & malum, ponere manum in arca domini, pecuniam contrectare, adducere ad ſe &c., quæ tamen, ſi agitur de pecuniis alienis, nunquam ſeparari poſſunt à malitia. Ratio eſt, quia actio nunquam ponitur in abſtracto, ſed in ſingulari.

16. Adde, quod, ex toties dictis, forma, & ultima diſpoſitio ad formam ſunt in eodem genere; cum ergo Virginis ſtupratio ſit intrinſecè mala, tales etiam ſunt prædictæ actiones, utpotè, in genere moris, ultimæ ejus diſpoſitiones ad ſtuprationem, nec ſolum illæ, ſed etiam actio famuli excubantis ad fores, ut herum præmoneat, cum veniet mater virginis &c. Si verò habeat merum officium comitandi, & ad januam expectet, ſicut expectant reliqui ad fores Eccleſiæ, herum audientem Miſſam, tunc actio expectandi ſpecificatur à bono fine faciendi officium famuli, nec eſt intrinſecè mala.

17. D. Poterit hoc modo ut famulus, fœmina virginem aſſocians expectare illam, ad januam viri &c.

M. Fœminæ aſſocianti virginem parentes committunt ſuas vices ad cuſtodiendam illius virginitatem; ideò ex officio tenetur avertere ab illa quidquid præjudicat virginitati. Ad idem tenetur Deputatus Monaſterii, Conſervatorii &c. ad idem Pædagogus Adoleſcentium.

18. D. Famulus ſuſpicans litteras heri à ſe delatas eſſe amatorias, poterit nè illas aperire, ut, quando ſint tales, dimittat famulitium?

M. Deferens litteras amatorias cooperatur peccato, quod eſt intrinſecè malum; ſed ad evitandum peccatum non ſunt facienda

Digitized by Google

facienda mala; & quia eſt contrà juſtitiam aperire alterius literas, famulus non poteſt uti hoc medio intrinſecè malo, ut certificetur de intentione hæri.

19. D. Confeſſor, ex confeſſione Pœnitentis, cognovit inter ipſum, & ſuam fœminam intercedere impedimentum dirimens ab illis invincibiliter ignoratum; & ſi revelet, agnoſcit eoſdem taliter diſpoſitos, ut velint perſeverare in tali ſtatu?

M. De hoc puncto egi c. 35. nu. 17. Sed adhùc multi exclamant tali doctrina foveri peccata, imò fieri peccata, quæ aliàs non ſunt ob ignorantiam imputabilia: quare ut veritas clariùs appareat, tria faciam: 1. inducam abſurda, quæ indè ſequuntur: 2. firmabo, quid in tali caſu conveniat Confeſſori: 3. an Pœnitens ita diſpoſitus poſſit abſolvi.

20. Quoad primum. Si ratio ſubſiſtit, utpotè univerſalis, dictabit Confeſſorem tacere, quoties extat prædicta ignorantia cum reliquis circumſtantiis: Hinc Confeſſor ita cognoſcens Sacerdotem irregularem poterit tacere, ac permittere, ut continuet exercere ordines, ne, illum admonendo, ſit Reus peccatorum; quæ monitus committet in exercitio: Ignorans verò, tantùm materialiter peccat, ignorantia facti, quæ poteſt eſſe invincibilis. Vel cognoſcit pœnitentem eſſe ordinatum invalidè, poteritque, ſeu debebit permittere, ut continuet celebrare, faciendo per ſe mille idolatrias materiales, eaſque cauſando in audientibus Miſſam: Vel cognoſcit pœnitentem ita ignorare principaliora myſteria fidei, quæ invincibiliter aliquando poſſunt ignorari, eumque poterit abſolvere. Nemo certè meo videri deglutiet hæc abſurda; quare illa ratio non ſubſiſtit.

21. Quoad 2. Nec verò ſubſiſtit, quia Confeſſor exercet munus Doctoris, & ei ex officio incumbit docere pœnitentem, quæ neceſſaria ſunt ſuo ſtatui: qui ducet ſolùm ex charitate, poterit fortè aliquando id permittere: ſecus, qui docet ex officio, quia obligatur avertere omnem talem ignorantiam.

22. Quoad 3. Pœnitens, ut dignè accedat ad Sacramentum, debet accedere ita diſpoſitus, ut paratus ſit relinquere uxorem, & eos, qui carnis cognatione conjuncti ſunt. Hoc eſt inter illa præcepta, quæ, Auguſtino teſte, debemus habere in præparatione animi, ut percutienti præbere alteram maxillam, furanti pallium, offerre tunicam &c. Debemuſque ita eſse diſpoſiti, ut, ſi proponatur, aut facere contrà Dei præceptum, aut ſeparari à tali fœmina, malit Pœnitens vivere Deo, quam converſari cum fœmina. Niſi taliter diſpoſitus accedat ad Sacramentum, nequit abſolvi: E contra caſus ſupponit Pœnitentem taliter diſpoſitum, ut nollet relinquere fœminam, ſi agnoſceret illius converſationem eſse cum offenſa Dei. Audiatur S. Th. ſuppl. q. 49. art. 6. *Eſt peccatum mortale, ſi quis in conjuge non attendat, quod conjux eſt, ſed ſolùm, quod mulier, paratus idem facere, ſi non eſſet conjux.* Nota ly *paratus*, ſeu diſpoſitus. Vide Inſtr. Cler. c. 37. n. 22. ubi dictum eſt peccari mortaliter, quando conſtituitur ultimus finis in creatura, & tunc conſtitui, quando ſum paratus facere idem, ſi deberet fieri cum offenſa Dei. Adde, quod illa ignorantia impedimenti eſt concomitans, non antecedens, cùm tamen à peccato excuſet hæc ſola, utpotè cauſa actus peccati, ut docet S. Th. 1. 2. quæſt. 76. art. 3.

23. D. In confeſſione generali Eccleſiæ, dicimus: Peccavi nimis *cogitatione, verbo, & opere*, quid importat ly *cogitatione*?

M. In actibus intellectus nullum eſt peccatum, niſi ſequantur ad imperium voluntatis. Ita error circa fidem non eſt hæreſis, niſi adjuncta ſit pertinacia voluntatis. Ergo peccatum cogitationis eſt, quoties cogitationibus illicitis conſentimus per delectationem moroſam, deſiderium, &c.

CAPUT XLVII.

Compendium Inſtructionis ſuper Præcepto Paſchali, de ordine Clementis XI. edito ab Eminentiſſimo Card. Vicario, de Anno 1708.

D. Inſtructio hæc non habuit locum in principio Operis, cum reliquis generalioribus, quia evulgata poſt primam editionem, turbaſset ordinem antiquum. Eam hic trado, poſt recapitulatam doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ, cujus eſt complementum. Omiſſa Præfatione concluditur 18. §. §.

1. Dominica quarta, & quintà Quadra-

15. Qui neglexerunt communicare, jam peccarunt mortaliter, & incurrerunt interdictum. Ut non excommunicentur, privatim eos moneat Parochus, nec emendantibus, generaliter, Dominica quarta poſt Paſcha, indicat prima vice excommunicationem ferendam.

16. Dominica quinta, indicet ſecundò, & tertio in die Aſcenſionis. A Dominica in Albis, uſque tunc, ſoli Parochi poſſint abſolvere non communicatos. Nemo, etiam Regularis, quantumcunque Privilegiatus, abſolvat. Parochus, vel alius cum licentia expreſſa Card. Vicarii, aut Vices Ger. abſolvens, imponat pœnitentiam proportionatam, & ſi fuit ſcandalum, ut communicent *inter Miſſarum ſolemnia*.

17. Poſt Aſcenſionem, hoc peccatum reſervatur uni Cardinali Vicario, etiam in foro conſcientiæ. Alia indicuntur pro foro externo, quæ omitto.

18. Parochi, & Confeſſores adimpleant præſcripta hujus Inſtructionis affigendæ in Sacriſtia, rationem alias reddituri Deo, & Sanct. Suæ.

19. D. Ex n. 1., & 15. non communicans ſtatim poſt Dominicam in Albis, incurrit interdictum reſervatum Cardinali Vicario; quarè jam non poterit ingredi Eccleſiam, ut abſolvatur?

M. Ex c. *Reſponſo* de ſent. excom. Potes convocare ad Eccleſiam excommunicatos (idem dic de Interdictis) *ut inducas ad correctionem*, dummodo nullum in eis celebretur divinum Officium: Vide numero 12., & applica proportionaliter.

20. D. Interdictum eſt reſervatum Cardin. & n. 15. Parochis, conceditur ſola juriſdictio in peccatum, non in hanc pœnam, à qua tamen abſolvendi ſunt, antequam abſolvantur à peccato?

M. Implicitè conceditur etiam juriſdictio in hanc pœnam, qui concedit aliquid, concedit ea, ſine quibus nequit haberi; quarè concedens abſolvere à peccato, concedit poſſe abſolvere ab Interdicto; quæ abſolutio præcedit.

21. D. Per confeſſionem, & communionem ſacrilegam non ſatisfit præcepto Paſchali: Incurrit ne reſervationem, qui confeſſus, & communicatus ſacrilegè, exhibuit omnem fidē in foro externo, in quo judicatur, ut certum, quod ſatisfecerit?

M. Hoc dubium torquet plures Confeſſarios, præſertim Adoleſcentium utriuſque ſexus, qui in praxi agnoſcunt innumeros, per annos, ex verecundia tacuiſse turpitudines pueriles; nunc indigent confeſſione generali, pro qua, ſi peccatum eſt reſervatum, neceſsaria eſt juriſdictio Emin. Vicarii. Si tibi contingat caſus, habes Edictum, conſidera verba, ſimulque Doctores, & ſemper tene certum, dimitte incertum.

CAPUT XLV.

Colliguntur nonnulla ſuper Bulla Cænæ.

1. D. ALiqui docent in Bulla non comprehendi Schiſmaticos, & Hæreticos Orientales: Poterunt igitur abſolvi à quocunque, ſi veniant in Occidente?

M. S. Inquiſitio, teſte Albitio p. 1. *de Inconſt. Fid.* c. 10. num. 35. declaravit eos comprehendi. Eſtò non comprehenderentur, in Occidente nequeunt abſolvi, ex c. 9. n. 5. Confeſſor debet habere juriſdictionem, ubi abſolvit.

2. D. Eſtnè reſervata omnis Hæreſis?

M. Alia eſt interna: alia externa: quod Eccleſia non judicat de internis, incurrens primam non eſt excommunicatus, & poteſt abſolvi à quocunque, Si tamen voce, ſcripto, vel alio exteriori ſigno manifeſtetur, jam eſt externa, & ſubjacet Bullæ, quamvis nemini eſset nota, quod illam protulerim ſolus cubiculo.

3. D. Paſſim in Germania, & Gallia, Epiſcopi abſolvunt, delegantque aliis facultatem abſolvendi?

M. Hic non quæro factum, ſed jus: multi multa faciunt, quæ non jure faciunt, imò faciunt, invalidè: Aliqui putant licere in vim Trid. Sed hoc eſt falſum, ex cap. 19. n. 43. Alii, quia in dictis partibus, circa Hæreticos, ſervatur jus antiquum, non novum introductum erectione S. Tribunalis. Hoc jus novum habet plura capita; & licitè omittitur in iis, ubi accedit ſaltem tacitus Papæ conſenſus, qui in hac Bulla expreſſè declarat contrarium: Alii in vim privilegiorum; ſed Bulla expreſsè annullat omnia in genere, vel in ſpecie conceſsa ſuper caſibus contentis. Et S. Congregatio, referente Nicolio v. *Caſus reſerva-*

ti, declaravit irritam abſolutionem hæreſis collatam in vim privilegiorum Eccleſiæ Gallicanæ: Ipſi viderint, quomodo id faciant; Interim ſcito, circà hæreſim, plura Epiſcopis Galliarum, à Clemente XI. fuiſſe conceſſa, oſtendente Card. de Jamſon, neceſſariam ibi eſſe hanc Oeconomiam. Prò Germanis non eſt meum hìc diffuſiùs quærere, quibus verbis Bulla tollat hanc in individuo facultatem abſolvendi ab hæreſi, firmatam nunc conſued ine immemorabili, & centenaria. Ut Epiſcopi, & Confeſſores omnes liberent ſe à ſcrupulis, imò dubiis graviſſimis, & fundatiſſimis irritæ abſolutionis, breviter innuo modum facillimum ponendi in tutò conſcientiam Confeſſoris, & Pœnitentium. Ad hoc.

4. Scito, per Bullam Cœnæ ſolùm tolli jurisdictionem abſolvendi hæreſim in foro conſcientiæ; non contentioſo, ubi deducta eſt. Ita ex c. *Ut Officium*. de hær. in 6. Communiter Doctores, &, quod majùs, ita decidit S. Inquiſitio, teſte Albitio p. 1. *de Inconſt. Fidei* c. 25. n. 35. Igitur Hæretico volenti redire, ut tollatur omnis dubietas abſolutionis, Confeſſor, vel Epiſcopus ſuadeat, ut ſponté comparens, judicialiter deponat ſuam hæreſim; qua depoſita, judicialiter abſolutus, poterit abſolvi à quocunque, ut c. 10. nu. 7. Ita procedens ultrà quod, ſibi tollet omne dubium, illud inſuper conſequetur, quod vigente in Actis abjuratione, poſt mortem Epiſcopi, vel Inquiſitoris abſolventis (uterque poteſt abſolvere, & debet abſolvi ab eo, coram quo judicialiter comparentis proceſſus formatur) non poterit moleſtari à Succeſſore; Idem ex eodem motivo curare deberet, quem Papa ipſe ſacramentaliter abſolveret: niſi enim in actis Inquiſitionis conſtet abſolutio, ſemper jure moleſtabitur ad denunciationem teſtium.

5. D. Ego legi librum Hæretici?

M. Valdè diminuta eſt confeſſio. Adhùc non poſſum judicare, an peccaveris; Ut pecces, Bulla exigit legi *ſcienter*. Explica hoc: Si legiſti ſcienter, & abſque auctoritate Sedis Apoſt. ulteriùs explica: qui liber ſit: nam quoad forum conſcientiæ libri prohibiti ſunt in quadruplici claſſe: primò, alii prohibentur, quia facti ab Hæreticis, & continent hæreſim: ſi talis fuit liber à te lectus, ultrà peccatum, es excommunicatus ex hac Bulla: alii ſunt facti ab Hæreticis, & tractant ex profeſſo de Religione: Hi quamvis ſint doctrinæ ſaniſſimæ, prohibentur etiam in hac Bulla: nam Eccleſia non vult hauriri à fonte impuro aquam Chriſtianam: 3. alii etiam auctoris non hæretici ſunt prohibiti *ob hæreſim, vel ſuſpicionem falſi dogmatis*: Qui hos legit, eſt excommunicatus, ſed non in hac Bulla: 4. alii ſunt prohibiti *alio nomine*: hos legere eſt peccatum mortale, ſed non ſubjacet cenſuræ. In hac claſſe continentur libri Hæreſiarcharum, cujuſcumque ſint argumenti, tituli &c., ſi verò ſint Hæreticorum, examinati, & approbati, juxtà Indicem, permittuntur: Explica ergo cujus conditionis ſit liber Auctoris Hæretici à te lectus.

6. D. Ego receptavi, & defendi Hereticum?

M. Bulla prohibet receptari, & defendi Hæreticos, quà tales: ſi ergo receptaſti domi tuæ, & defendiſti Hæreticum à ſuis inimicis, qui volebant illum occidere, defendiſti non ut hæreticum, ſed ut proximum: Si autem receptaſti, ut abſconderes ab Inquiſitione, vel defendiſti, nè ab hujus Miniſtro in ea damnaretur &c, tunc defendiſti, ut hæreticum, & peccaſti contrà hanc Bullam.

7. D. Ego veniens Romam cum ſocio peregrino veniente cauſa devotionis ad loca Sancta, in medio itineris illum, exorta rixa, vulneravi?

M. In hac confeſſione ſunt plurà peccata, & pro Rixa, quæ incipiens à verbis contumelioſis, procedit ad facta: Circa vulnus illatum, explica, num vulneraveris eo fine, ut impedires illum venire Romam, potuiſti enim incipere Rixam hoc animo, qui ſi defuit, non es excommunicatus in hac Bulla prohibente quidem impedire Romi petas: atſì hoc fine impediantur: Si rixa fuit tortuita, vel ſaltèm non eo fine, tunc immunis es, & ab hac Bulla, ſed explica, num fuerit Clericus, vel Religioſus: nam tunc incidiſti in cap. *Si quis ſuadente* 17. q. 4. Ulteriùs explica damnum illatum: teneris enim ex juſtitia reficere expenſas curæ, niſi ille remittat. Debes etiam ex juſtitia ſatisfacere pro injuria, te humiliando illi &c., niſi pariter ex abundantia charitatis remittat.

8. D. Quam immunitatis Eccleſiaſticæ violationem reſervat Bulla?

M. Caje-

Digitized by Google

M. Cajetanus diſtinguit immunitatem, & libertatem Eccleſiaſticam, volens hanc competere perſonis; illam rebus. At alii plures contradicunt volentes ſonare idem: Quidquid ſit de hoc: Tria in Eccleſia eximuntur à foro Judicis Laici: 1. perſonæ: 2. bona: 3. loca. Incipiendo ab his; Bulla in can 20. vult immunes ab omni [illegible]ne, deſtructione, & occupatione terras omnes, quæ mediatè, vel immediatè ſubiiciuntur Apoſt. Sedi.

9. Locorum verò ſacrorum immunitatem, extra Bullam Cœnæ, ſervari præcepit Gregorius XIV. ſub excommunicatione reſervata Papæ, prohibens ab illis extrahi quemquam criminoſum, niſi crimen eſſet ex illis, quę ibidem declarat non gaudere immunitate. Et quia plures Prædeceſſores conceſſerant nonnullis Principibus alios delinquentes, ipſe revocat indulta ſimilia.

10. Audiſti pluries, hominem, antequam operetur, efformare ſyllogiſmum in Darii, cum altera præmiſſa univerſali, altera particulari; In noſtra materia hìc efformatur, v. g. *Qui eſt Aſſaſſinus, non gaudet Immunitate: ſed Petrus hìc, & nunc eſt Aſſaſſinus, ergo*. Et univerſalem ſtabilivit per ſuam legem Gregorius in Conſtit. prædicta: ſecundam reſervavit Epiſcopis; ideò ipſi antequam tradant Reum Curiæ Sæculari, debent judicare, an Petrus hìc, & nunc verè ſit Aſſaſſinus.

11. Memento, quod forma, & ejus diſpoſitio ſunt in eodem genere. Forma eſt ſententia, ſeu judicium Aſſaſſinii: & diſpoſitio eſt ſcientia præcedens: cùm ergo ſententia ſit publica, talis etiam debet eſſe ſcientia: ideò, ut p. 2. Judex damnat eum, qui ex ſcientia publica conſtat eſſe Reus, licèt ex privata eſſe poſſit innocens. Porrò ſcientia publica acquiritur per teſtes idoneos coram Notario legitimo formiter examinatos: quarè, ut Epiſcopus judicet de Aſſaſſinio, debet præcedere ſcientia in ſua Cancellaria: nec enim legitimus eſt Notarius, qui non accepit authoritatem à ſuo Principali.

12. Poſſunt contingere in hoc duo defectus: alter, quod Reus recipiat ſe in loco ſacro cum bonis alienis: alter, quod ſe recipiat animo multiplicandi delicta. His avertendis Eccleſia non debuit ferre legem, ferendam, in iis ſolis caſibus, qui contingunt, ut in pluribus, non ut in paucioribus: Ubi ergo alterum ex illis timetur, eſt recurſus ad Sac. Congregati[illegible]pi- Immunitatis, quæ in primo [illegible]ſuicialiter ſcopo, ut à Debitore reſportata, & con- accipiat bona ſecum in ſecundo, nè locus ſignet Judici Sic delictorum, ut eijciat Reos: Hæc memento, ſi es Confeſſor Judicis.

13. Quoad perſonas: Bulla varias defendit à Canone 9. ad 17. Libertas tamen propriè conſiſtit in eo, quod Clericus non poſſit judicari à Judice incompetente: Circà hoc eſt Canon 15, cujus verba, utpotè univerſalia, comprehendunt omnem Judicem, etiam Eccleſiaſticum: quarè peccat in Bullam Prælatus judicans Clericum alienum in eo, in quo eſt alienus. Porrò, nota illam particulam, *præter Juris diſpoſitionem*, ex cujus conſideratione olim decidi ſequentia dubia.

14. 1. Prælatus ex ſcientia privata ſuſpenderat Clericum: hic exiſtimans ſe innocentem, prætendebat violatam ſuam libertatem: Dixi non ita eſſe, quia nòn egerat *præter Juris diſpoſitionem*. Prælatis enim propriis conceditur hæc poteſtas in Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. de Refor.

15. 2 Prælatus Regularis incarceravit ſubditum ex ſcientia privata magni ſceleris. Dixi peccaſſe in Bullam, quia id fuerat contrà jus naturæ reſervantis occulta ſoli Deo, & dictantis procedendum ad incarcerationem ex ſcientia publica: Vbi Canones concedunt procedi, *non ſervata juris forma*, loquuntur de jure ſcripto], non naturali.

16. 3. Duo, vel tres jurati affirmaverant coràm Superiore Clericum, eiſdem videntibus commiſiſſe crimen, de quo non laborabat infamia; & Superior puniverat. Dixi factum hoc, non modò *præter*, ſed etiam contrà *Juris* Canonici *diſpoſitionem*, quia in c. *Inquiſitionis* de accuſ. § *Tertiæ*, ſignanter ad hunc caſum reſpondetur, *propter dicta hujuſmodi nullum eſſe puniendum de crimine, ſuper quo non laborat infamia, ſeu non præceſſit clamoſa inſinuatio, quinimò nec recipi debere depoſitiones*; Et § *Quæſiviſti*, ait *propter dicta paucorum*, Judex *non debet reputare infamatum eum, cujus non exiſtit læſa opinio apud bonos, & graves*.

17 4. Judex, receptis quibuſdam libellis anonymis, vulgò, *Memoriali ciechi*, creſcat ſibi procedendum, dixi, quod inquiditur: obſtat Bullam, quia in eodem c. ad- *porrigunt libellionem eorum, qui in occulto cedatur ad inquirendum ſtorium, non prorumdem.* *contentis co-*

18. Quoad bona, de his loquitur Can. 17. Prohibenturque uſurpari, vel ſequeſtrari. Alii judicant, an comprehendatur patrimonium Clerici: Certum eſt non comprehendi bona, quæ habent obligationem realem Principi, vel privato, fixam, & determinatam: v. g., ſunt quędam Prædia, quæ pro Canone, ſeu Livello ſolvunt Domino loci quartam, vel quintam partem fructuum; ſi Clericus non ſoluit, poteſt Dominus exigere, quia obligatio eſt realis, ſeu Rei, & annexa Prædio. Quælibet alia obligatio, ſive ſolvendi bona, ſive ſubeundi munia Reipub. adjecta Clerico prohibetur in hac Bulla: quarè nec poſſunt taxari, quando aliàs Laici non habent facultates ſufficientes ad expenſas pro neceſſariis ad Rempublicam, etiam, ut hæc includit Clericos: Ubi tamen pro iſtis non ſufficerent bona Laicorum, poteſt haberi recurſus ad Papam, qui cognita Reipub. neceſſitate, concedet taxari Clerum ab Epiſcopo, ſed non à Principe Laico, ut ſubveniat Reipub., cujus pars nobilior eſt Clerus, defendens, & conſervans totum corpus orationibus, ut reliqui tuentur armis, ac virtute politica.

CAPUT XLVI.

Colliguntur nonnulla circà Theſes damnatas.

1. D. INveni librum moralem Theologi Junioris non prohibitum à S. Sede, quæro, an poſſim illum, ſequi, & me per illum dirigere?

M. Aliqui docuerunt cenſendam eſſe probabilem opinionem, ſi decerpatur è libro Auctoris moderno, quouſque non conſtet eſſe rejectam ab Eccleſia: Hæc eſt Theſis damnata ab Alexandro VII. Alii è contrà volebant nos unicè inniti poſſe auctoritati antiquorum docebantque: *Ubi quis invenit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam poſſe illam abſolutè teneri, non reſpiciendo ad Bullas Pontificis.* Hanc pariter damnavit Alex. VIII. Calcanda igitur eſt via Regia, ut medii procedamus inter utramque damnatam: Hujus ultimæ utpotè univerſalis ſenſus propriùs, quem præfert, eſt, teneri poſſe quidquid clarè docuit S. Auguſtinus, nullo habito reſpectu ad Bullas Pontificias. Ex cap. 28. num. 30. Duplex eſſe poteſt regula: alia prima: alia proxima, ſicuti effectuum ſublunarium, alia eſt cauſa prima, ut Sol: alia cauſa proxima, ut planta, v. gr., Auguſtinus ſanæ doctrinæ, quam tradidit, fuit cauſa proxima, quæ tamen nunquam influit, niſi influat cauſa prima: & quia cauſa prima doctrinæ ſanæ eſt Romanus Pontifex; ſine hoc nequit illuminare Auguſtinus: S. Th. 2. 2. q. 10. art. 12. *Standum eſt authoritati Eccleſiæ magis, quam Auguſtini, Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris.* Illud *magis* non tollit omnem authoritatem Auguſtino, ſed oſtendit, ubi concurrunt Auguſtini, & Eccleſiæ authoritas expreſſa, iſtam præferri: Imò totum, quod habet Auguſtinus, dedit Eccleſia; ut hujus authoritas ſit plena: Auguſtini verò participata, ſed multò perfectiùs, quam participent Moderni. Theſis illa univerſalis comprehendit quidquid clarè aliquando ſcripſit Auguſtinus, etiamſi poſteà retractaverit. Quicunque fuerit auctor Theſis prædictæ, certum mihi eſt non prætendiſſe hoc, ſed debuit loqui caſtigatius: nam *ex verbis incautè prolatis incurritur Hæreſis.* Quoad primam: etiam facit ſenſum univerſalem, cui, juxtà Philoſophos æquivalet Cauſalis: Quare ſenſus eſt: Omnis opinio Auctoris moderni quouſque non ſit prohibita, eſt probabilis: Theſis falſiſſima: nam videmus quotidie plura evulgari ſine fundamento, quod requiritur ad probabilitatem opinionis: Si hac nocte Hæreticus evulget novas hæreſes, certè ſequenti die, antequam de illis judicet S. Sedes, nullo modo ſunt accipiendæ, ut probabiles, quod tamen dici deberet in vim Theſis univerſalis. Igitur accipe librum, quemcunque tibi placet etiam Auctoris moderni; ſed cave illum ſequi præcisè per hoc, quod ſit Modernus, & non prohibitus; ſed quia, rationes allatæ videntur convincere, poſt earum diligens examen, & ſtudium.

2. D. In vim primæ damnatæ ab Inn. XI. in adminiſtrandis Sacramentis, relicta

iſta probabili, ſequenda eſt tutior: lego tamen aliquos Gloſſatores decreti Innocentiani, volentes adhùc poſſe aliquando practicari probabilem: v. gr., dicunt Confeſſorem poſſe abſolvere Pœnitentem, de cujus dolore habet ſolam probabilitatem: dicunt ab Urbano VIII. prodiiſſe decretum pro Theologis novi Orbis, ut ſi quererentur in praxi opiniones probabiles favorabiliores Chriſtianis: dicunt probabile eſſe, quod ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficiat Attritio, & quod Pœnitens poſſit cum ea ſola recipere Sacramentum?

M. Nunquam ego credam Auctores Catholicos ita loqui: Filius debet ſemper adhibere Idioma Matris: veriſſimum eſt aliquos procedere minùs cautè; ſed in rei veritate nihil diſcedunt à definitione Pontificia: Si attentè conſideres, videbis *probabile* uſurpari pro eo, quod eſt certum, non metaphſycè, ſed tantùm moraliter, *ut in humanis convenit tali materiæ, putà, cùm probatur per teſtes idoneos*. 2. 2. q. 60. ar. 3. ad 1.

3. Ex 3 diſt. 23. q. 2 ar. 2. q. 3. Certitudo eſt *determinatio intellectus ad unum*: niſi ergo determinetur hoc eſſe verum, homo non eſt certus: ſed determinatio poteſt haberi tripliciter: primò, ex evidentia terminorum: hæc reperitur in primis principiis, quæ ſine diſcurſu innoteſcunt: 2. ex evidentia præmiſſarum: hæc eſt propria ſcientiæ: 3. intellectus determinatur ex imperio voluntatis; & ne in moralibus peccet, dirigitur à prudentia, vel Conſilio, quod eſt donum Spiritus Sancti; & ſi habeat pro motivo veracitatem divinam, eſt fides Theologica: ſi veracitatem hominis, eſt fides humana: ſi duo teſtes uniformes judicialiter confirment, damnant Reum: ſi alia indicia concurrant, poſſunt magis, vel minus determinare intellectum Judicis, ut affirmet fuiſſe commiſſum.

4. Lumen dictans voluntati motiva determinandi hanc partem potiùs, quam oppoſitam, eſt per virtutem prudentiæ reſidentis in intellectu, ideò reſpicientis verum, quod tamen, utpotè in agibilibus, & contingentibus, aliquando deficit, ſed ut in paucioribus: prudentia enim reſpicit objectum, quod perficit intellectum, qui non perficitur ab eo, quod eſt falſum, ut in pluribus.

5. Junior adhæſi Modernis ſentientibus, poſſe hominem ad libitum ſequi duo contradictoria probabilia in conſpectu probabilioris. Et Theologus, alias magni nominis, ponit Sacerdotem in Confeſſionali, qui audiat à dextris Pœnitentem ſollicitum ſcire: an v. gr. talis contractus ſit uſurarius; & quia inclinat in partem ſeveriorem reputatam, ut probabilem, eam Sacerdos poteſt docere: à ſiniſtris alius interrogat ſuper eodem contracto, quem probabile eſt licere ſaltem probabilitate extrinſeca, & poteſt hanc docere: Caveat tamen, addit, ponere in ſcriptis: nam, ſi communicent invicem Pœnitentes, arguent Confeſſarium inconſtantiæ. Legendo hæc, exclamavi: *Bone Deus; Imprudenter fama tunc exponitur periculo, & prudenter exponitur anima?*

6. Dicunt: ubi rationes intrinſecæ reddunt opinionem minùs probabilem, non poſſumus determinare ad hanc ex motivo proprio, ſed ab extraneo: expono me periculo: Si arguam: *ubi rationes magis faciunt pro uſura contractus, poteſt iniri tamquam licitus: talis eſt iſte, ergo &c.* Non ita ſi ſubdo: *quoties hinc inde ſunt opiniones non reprobatę à S. Sede, licitè ſequor, quæ magis placet: circa uſuram hujus contractus, tales ſunt opiniones, ergo &c.* Cum hoc judicio reflexo, volunt certò eſſe licitum, quod ſub directo, ut dubium, exponebat me periculo peccandi. Diſtinguunt dubium poſitivum à negativo: primum eſt: quando inclino ex motivo rationis, vel auctoritatis cum formidine oppoſiti: Secundùm, quando in neutrum inclino.

7. Quidquid ſit de iſta diſtinctione, præmiſſa Syllogiſmi ſubſumpti non eſt certa, quarè, nec concluſio, quæ nequit eſſe certior præmiſſis: Contra ſupponunt plura: ſed audiatur S. Th. quol. 8. ar. 13. *Quis obligatur ad peccatum, ſivè habeat fidem de contrario ejus, quod agit, ſivè opinionem cum aliqua dubitatione:* Paulò poſt: *Si non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem, & tamen inducitur in quamdam dubitationem, ex contrarietate opinionum: Si manente tali dubitatione, habet plures Præbendas, committit ſe periculo, & ſic proculdubio peccat, magis amans beneficium temporale, quam ſalutem.*

8. Erat quæſtio, an Clericus, abſque peccato, poſſit habere plura beneficia: reſpon-

Digitized by Google

reſpondet S. D. aut extat lex naturalis, Divina, vel humana prohibens, aut non: ſi primum (an extet alibi reſolvit) peccat agens contra legem: ſi ſecundum: ſubdiſtinguit, aut credens ſe non peccare, aliqualiter dubitat ob auctoritatem docentium non poſſe retineri; tunc etiam *procul dubio peccat:* nam ad omnem actum debet dirigi per prudentiam: & ex 1. 2. q. 55. ar. 4. non eſt virtus *opinio ſe habens ad verum, & falſum:* quia virtute *nemo malè utitur*, ut dicit definitio.

9. Hæc ratio S. Th. mihi eſt evidens: alii abundent in ſuo ſenſu [dummodò ad ædificationem, non deſtructionem moralis Chriſtianæ] ſed omnes fugiant probabiliſſimum in caſibus ab Eccleſia prohibitis.

10. Ex c. 14. nu. 7. aliquid eſt malum ſub una circumſtantia, quod non eſt tale ſub alia. Hoc habet locum præcipuè in iis, quæ diriguntur lege humana. Res aliena eſt reſtituenda, ſed conſiderato, quod fuerit præſcripta bona fide, ceſſat obligatio reſtituendi. Matrimonium, de quo num. 2. ſi ſit contrahendum cum motivo ſolùm probabili, quod nullum extet impedimentum, nequit contrahi: ſi ſit contractum, habet duo motiva, quæ certificant Judicem, ut ſtet pro illius validitate. Primum eſt: nemo debet eiici à poſſeſſione, cum ſolo fundamento probabili: Si hoc non ſubſiſtit, corruit pænè omnis juſtitia: Secundum eſt: favor debet ampliari: & hinc Urbanus optimè conſuluit; nam licet unum motivum probabile de ſe non ſufficiat ad operandum, multa ſimul juncta faciunt certitudinem moralem.

11. Reſtat de Attritione: Hanc Moderni dicunt certò ſufficere ad Sacramenta mortuorum; & ego dico eſſe certiſſimum, ſed videamus, quid veniat nomine Attritionis: Antiqui Scholaſtici dicebant ſufficere: at ſub illo nomine intelligebant dolorem conceptum ex metu Gehennæ conjunctum initiali amori Dei propter ſe dilecti: Moderni verò dolorem ortum ex timore ſine ullo amore: In hoc ſenſu recedo ab iſtis ex multiplici capite.

12. Primò: Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. enumerat actus prævios ad juſtificationem: Primus, eſt fides: Secundus, Timor certè non juſtificatur, qui cum ſolis iſtis acceditt] Tertius, Spes gloriæ: Quartus initialis amor Dei: Quintus, odium peccati cauſatum ex tali amore: Sextus, propoſitum novæ viæ. Idem priùs docuerat S. Th. 3. par. q. 83. art. 5. Hæ diſpoſitiones enumeratæ à Trid. ſunt remotæ, nam de ultima dicit c. 7. Juſtificationem haberi *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Præpoſitio *per*, importat cauſalitatem: nec alia eſſe poteſt, quam diſpoſitionis ultimæ, quæ debet eſſe ſimul cum forma: Synodus ponit tres actus proprios Charitatis nondum habitualiter exiſtentis, ſed actualiter diſponentis; Primus illis verbis *incipiunt diligere Deum:* Secundus, odium peccati; Nam hoc cauſatur ex Charitate: S. Th. 3. p. q. 85. a. 3. ad 4., quia ejuſdem Charitatis eſt gaudere de bono, & triſtari de malo: 3. voluntaria ſuſceptio gratiæ ex 2. 2. qu. 25. ubi Charitas dicitur diligi Charitate; Et certum eſt actus virtutis ferri ſimul in objectum primarium, & ſecundarium. Quare, amans charitatem, ſimul amat Deum. Ulteriùs, ſolus actus virtuoſus, non vitioſus, aut indifferens diſponit ad Charitatem. Aſſigna ergo, cujus virtutis actus ſit voluntaria ſuſceptio Charitatis?

13. D. Attritio, de qua Trid. ſeſſ. 14. c. 4. conſideratur in ſe, ut ſejuncta ab initiali amore; & dicitur præparare ad gratiam in Sacramento?

M. Synodus loquitur de hac: at nunquam dicit præparare ſufficienter: primum decretum dicebat *ſufficere, cùm v.x poſſet eſſe ſine ullo Dei amore:* ubi hujus particulæ falſitas innotuit, ablata eſt etiam prima: quare nunc decretum damnat ſolos Hereticos docentes illam Attritionem non eſſe dolorem verum, & utilem, ſed reddere Hypocritam, & magis peccatorem: quarè Synodus non nocet, ſed favet noſtræ opinioni, dum ſubdit Attritionem eſſe *donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti, nondum inhabitantis, ſed moventis:* unde ſic arguo: ultima diſpoſitio eſt ſimul cum gratia, & cum Spiritu Sancto inhabitante; Synodus definit hanc Attritionem eſſe *donum Dei moventis; non inhabitantis:* quarè.

14. D. Aliquis utique amor Dei requiritur, ut Attritio juncta Sacramento juſtificet; ſed non amor benevolentiæ, ſufficit amor concupiſcentiæ, qui eſt ipſa ſpes.

M. Ex 1. 2. qu. 26. art 4. amamus duo, per-

perſonam, cui volumus bonum, & bonum, quod volumus perſonæ: Hic dicitur amor concupiſcentiæ, primus benevolentiæ: Ille ibi dicitur amor ſecundùm quid; Hic ſimpliciter: undè magis amatur perſona, quam bonum volitum perſonæ: quia *propter quod unum quodque tale, illud magis:* ergo ſi amo mihi Deum amore concupiſcentiæ, amo me ſupra Deum: Amor autem præferens creaturam Deo, eſt mortale peccatum: Ideò ruit prima reſponſio; ſed & ſecunda: Spes eſt in iraſcibili: amor in concupiſcibili: Spes roborat amorem contra difficultates pro adeptione boni amati: Quarè ſperans gratiam, priùs amat gratiam [prima enim omnium paſſionum eſt amor] & per conſequens illum, cujus naturam vult participare: amor ille, quia virtuoſus, debet poni ſub aliqua virtute; non Cardinali, ſed Theologali; & ſola poteſt eſſe Charitas, quæ in Deum inclinat voluntatem, ùt eſt concupiſcibilis.

15. D. Amor Dei efficax ſuper omnia ſtatim juſtificat cum ſolo ſacramenti voto; Si ergo hic requiritur ad ſacramenta mortuorum, ad illa peccator accedet jam vivus?

M. Aliqui non percipiunt, quomodo poſſit dari hic amor, & non juſtificare, niſi vialiter. Igitur explico, quid veniat nomine dicti amoris, nempe, actus, qui appretiet Deum præ Creaturis comparativè, ita quod homo ſit diſpoſitus ſub tali actu perdere creata, nè perdat Deum: aliud non intelligo: & dico Deum debere amari hoc modo: Alias peccatur. Juxta S. Th. 1. 2. q. 109. ar. 3. ubi ait, homo conſtitutus in puris naturalibus *aliqualiter Deum dilexit, non æqualiter ſibi, vel minus ſe, quia peccaſſet, ergo dilexit Deum ſupra ſe:* ergo amor Dei, nè ſit peccatum, debet ferri in Deum ſuper omnia: cum iſto tamen amore nondum peccator fertur in Deum, ſuper omnia habitualiter [hoc eſt proprium virtutis Charitatis, qua caret ille peccator] Juſtus peccans venialiter diligit Deum ſuper omnia habitualiter, eſto non actualiter, quia talis actus eſt peccatum veniale: E contra peccator eliciens amorem Dei, vel alium actum virtuoſum, fertur actualiter in Deum, non habitualiter; ideò adhùc eſt peccator.

16. Hic amor peccatoris, eſtò efficax modo dicto, & ſuper omnia, non ſtatim juſtificat: Nam S. Th. 2. 2. q. 27. a. 2. diſtinguit amorem Charitatis habitualis ab amore benevolentiæ; Hic eſt ſimplex motus voluntatis; ille addit unionem affectus; & ex Philoſopho benevolentia *eſt principium amicitiæ*, non eſt amicitia, Addit in 3. diſt. 27. ar. 1. amicitia importat primò concupiſcentiam amati: 2. benevolentiam: 3. beneficentiam: 4. concordiam. 5. quietationem in amato: *6. intenſionem quamdam amoris quaſi quendam fervorem:* 7. ſocietatem; Amor à nobis exigitus dicit ſolùm prima duo, & eſt in via ad reliqua. Ideò per illum peccator nondum vivit, licèt habeat quandam operationem vitæ, quia nondum habet gratiam habitualem, quæ eſt cauſa formalis vitæ ſpiritualis. Etiam Embrio ante animam habet aliquam operationem vitalem diſponentem ad vitam, ut animal mortuum habet motum vitalem pro aliquanto temporis. Bellarminus de Pœn. l. 2. c. 14. *Si pænitentes per incboatam dilectionē Dei diſponuntur ad gratiam, non babent remiſſionem peccatorum, ſed neque ſunt ex numero eorum, quos execratur Apoſtolus, dicens, Anathema ijs, qui nec perfectè, nec imperfectè Deum diligunt: dum incipiunt diligere, incipiunt vivere; victuri perfectè, quando perfectè diligent: Pulchrè Auguſtinus, Cathecumenos comparat Embrionibus., qui concepti vivere incipiunt. Arauſicanum à vera charitate diſtinguit amorem imperfectum, quem habente ante remiſſionem peccati, ut Tridentin. à Charitate, quam cap. 7. dicit infundi cum remiſſione.* Hæc Bellarminus conformia S. Th. 2. diſt. 3. qu. 3. ad 1. dicenti: *Actus Charitatis poteſt dici dupliciter, vel qui eſt ex charitate; Hìc non eſt, niſi in babente charitatem* habitualem, *vel qui eſt præparativus ad charitatem; Hìc poteſt baberi ante charitatem* habitualem: *ſicut facere juſta eſt ante habitum juſtitiæ; cùm habens charitatem diligit Deum propter ſe ipſum ly* propter, *denotat habitudinem finis, & efficientis;* Quarè in juſto Deus eſt cauſa finalis; & efficiens amoris per habitum: *Cùm de carente charitate dicitur*: diligit Deum propter ſe: *ly* propter *denotat habitudnem finis, non efficientis* proximi; Quia talem actum Deus cauſat per auxilium tranſiens. Ex hac S. D. diſtinctione infero, quod, quando Juſtus elicit actum charitatis, Deus dictum juſtum

ſtum inhabitans, elicit eundem actum in duplici genere cauſæ 1. in genere cauſæ finalis, quia Deus eſt finis proximus, & ultimus talis actus, hominiſque illum operantis: 2. in genere cauſæ efficientis, mediante habitu charitatis. Idem contingit in eo, qui ponit actum charitatis, ut diſpoſitionem ultimam ad gratiam, juxtà principia Scholæ Thomiſticæ docentis ultimam diſpoſitionem ad formam præcedere ad ipſam formam in genere cauſæ materialis: ſubſequi verò in genere cauſæ efficientis, quia in hoc ultima diſpoſitio cauſatur à forma, ut octavus gradus diſponens ad ignem A', cauſatur ab ipſo igne A. Actus autem charitatis elicitus à Peccatore, dependet à Deo, in uno tantùm genere cauſæ, ſcilicet finalis. Deus enim eſt finis prædicti actus, & quidem appretiatus ſuper omnia: nam alioquin actus præponens, vel æquans creaturam Deo eſt peccatum mortale. Diſtinctio hæc ſolvit omnia, quæ in contrarium afferri poſſunt.

17. D. Theologus inſignis in noviſſima profundi Operis editione contrà neceſſitatem hanc amoris Dei propter ſe dilecti congerit plura: 1. *hanc Sententiam fore pernicioſiſſimam animabus*: eſſet enim neceſſarius hic amor neceſſitate medii: Quarè damnaretur ignorans invincibiliter hoc præceptum. 2. ſufficientiam formidoloſæ, ut ait, Attritionis firmari Cathalogo Auctorum pro illa ſtantium paucos ante annos evulgato: 3. Quia Defenſores amoris ita deprimunt Attritionem, ut conſentiant Hæreticis: 4. quia in lege gratiæ facilior eſt reddita ſalus; quarè debet eſſe minor obligatio amandi Deum?

M. Hujus Doctoris mihi ex multiplici capite ſuſpiciendi ſcripta, cum S. Auguſtino, ita lego, ut non putem verum, quia ſcripſit, ſed quæ innixus rationi ſcripſit: Videamus, an adductæ probent: Scio multos horruiſſe cenſuram illam *pernicioſiſſimæ animabus* injuſtam opinioni amoris: at meum non eſt quærere id; *Parcendum, ſi quandoque bonus dormitet Homerus* (Utor verbis, quibus ipſe c. 3. art. 2. num. 18. excuſat Auguſtinum). Sicut lapſis neceſſarium eſt neceſſitate medii Sacramentum in re, vel in voto, ita amor tenens ſe ex parte materiæ; nec putes inde multos damnari. Ipſe diſtinguit ignorantiam: ſpeculativam à practica; Theologi etiam primarii ſpeculativè ignorant, num ad id requiratur amor Dei, ſed in praxi etiam magis Idiotæ præparant ſe per odium peccati, quod ex n. 12. eſt actus charitatis diſponentis ad habitum. Juſtificatur per voluntariam gratiæ ſuſceptionem, quæ ibidem eſt actus charitatis ultimò diſponentis ad habitum; Ideò ſimul exiſtens cum habitu.

18. Ad 2. Ille Cathalogus non probat: Solæ traditiones ſunt efficaces, quas à Chriſto, vel à Spiritu Sancto Apoſtoli ſacceperunt, & Cathalogum ſuum Author incipit à Sæculo decimo tertio; In eo congerit ſuprà 40. Doctores in favorem formidoloſæ Attritionis; Sed pro ea ſunt pauci, & ſoli moderni: nemo negat ſufficere ad ſacramenta mortuorum Attritionem conceptam metu Gehennæ, ut principio remoto, ex 2. 2. quæſt. 19. a 7., & Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. enumerante hunc timorem poſt fidem, & aſſignante voluntariam gratiæ ſuſceptione pro diſpoſitione ultima.

19. Ad 3. Quidquid Hæretici blaterent contra honeſtatem Attritionis, ego ſentio cum Trid., & Alex. VIII. ore, & corde: Duo diſtinguo: 1. an ſufficiat timor: 2. modus, quo concurrit timor; Aliqui Catholici firmant primum, ſed non ſufficienter explicant ſecundum, more Patrum, qui etiam dederunt neceſſitatem gratiæ efficacis: at non explicant in quo ſita ſit efficacia, num ſit ab intrinſeco, vel habeatur per ſcientiam mediam. Modum attritionis explicant Scholaſtici; alius ſic, alius autem ſic; nec Hæreticis adhæret, qui explicat minus rectè. Tu diſtingue actum Charitatis diſponentem ad habitum, & actum productum ab habitu, videbiſque Theſes tantum damnari, aſſerentes neceſſitatem ſecundi ad ſacramenta mortuorum.

20. Ad 4. Eſt falſum in lege gratiæ dari præcepta leviora: Audi Auguſtinum: *Præcepta minora erant data Judæo, quem adhuc timore alligari oportebat, & majora populo, quem charitate liberari convenerat, ab eo, qui novit congruentem ſuis temporibus exhibere medicinam. Nec mirum, quod majora dantur propter Regnum Cœlorum, & minora propter Regnum terrenum*. S. Th. 1. 2. quæſt. 107. diſtinguit opera externa, & interna: quoad prima, dicit legem Moyſi graviorem: quoad ſecunda, & modum operandi promptè, ac delectabiliter; (Quod intendit lex nova) eſſe difficillimam non habenti virtutem; & illud Io: ſ.

cujus

cujus mandata gravia non ſunt, ex Auguſti. [illegible] *gravia non ſunt amanti*; *Non amanti ſunt gravia*: Nam *amor omnia ſæva, & immania facit facilia, & propè nulla*: Quare lex nova lapſis præcipiens pænitentiam, non deſtruxit jus naturæ dictans amicitiam renovari per actus benevolentiæ, ſed addidit confeſſionem valdè gravem non amanti; Sed amans æſtimat propè Nullam.

21. Probo idem ulteriùs: Nulla virtus introducitur, niſi per actus ſimiles diſponentes, ut etiam ita debeat introduci Charitas. Vide S. Th. qu. 74. qui qu. 51. idem firmaverat de omni habitu. Imò art. 3. dicit non poſſe introduci per unicum actum, niſi ſit magnæ virtutis, ut *quandoque medicina fortis ſtatim inducit ſanitatem*; Ideò dicimus ex frequentatis actibus generari habitum, etiam infundi, quatenùs aliqui actus habent diſponere, quia *qui creavit te ſine te, non juſtificat te ſine te:* Nec enim de ſpinis colligimus uvas: Scio ſimul cum charitate infundi omnes habitus, etiamſi horum actus nullus fuerit exercitus: at infunduntur diſponente ſaltem actu charitatis.

22. Deus, per Sacramentum, & gratiam non deſtruxit Jus naturale exigens benevolentiam in reconciliatione amicorum ſed perficit, quatenùs elevavit Sacramenta, ut ſimul cum illis producatur gratia per actus benevolentiæ non ita perfectos, ut parvus ignis conjunctus Soli æſtivo producit faciliùs calorem in aqua: Lex vetus nihil dabat, quo poſſet actus amoris imperfectior producere voluntariam gratiæ ſuſceptionem.

23. Hæc circa rationes præcipuas Auctoris concludentis num. 39. negari à ſe neceſſitatem amoris expliciti, & formalis: Nam ſi ſermo ſit *de ſe virtualiter talis*, *vix erit in quo diſcrepemus*: Nam peccatum excluditur per propoſitum ſervandi Decalogum obligantem diligere Deum ſuper omnia: formali tamen amore carent pueri, & Rudes edocti ſufficere metum Gehennæ, qui recipiunt fructum, *ob probabilem ignorantiam*.

24. Sed iſto amore virtuali multum modificatur opinio contraria: ex Inſt. Cl. c. 20. num. 11. unum dicitur virtualiter aliud, quando producitur ab illo, & eſt virtus illius; in homine eſt virtualiter ignis, quia eſt calor virtus ignis: ergo ſi convenimus ad juſtificationem, requiri amorem virtualem, iſte debet fuiſſe proctus ab actuali præcedente, à quo cæteri actus habeant vim producendi voluntariam gratiæ ſuſceptionem:

25. Nec ego dixerim actus præcedentes juſtificationem eſſe omnes elicitive à Charitate; ſufficit eſſe imperativè; proprii Charitatis ſunt amor in concupiſcibili præcedens ſpem (qui tamen eſt actus ſecundarius reſpiciens Deum, ut bonum ſibi) 2. amor initialis; 3. odium peccati; 4. voluntaria ſuſceptio gratiæ, quæ eſt ultima diſpoſitio; 5. propoſitum ſervandi Decalogum, quos actus, ſi neges eſſe Charitatis, aſſigna cujus ſint virtutis?

26. Equidem pueri, & Rudes, ſpeculativè ignorant quid ſit voluntaria ſuſceptio gratiæ, & quis amor Dei requiratur; ſed verè in praxi ponunt hos actus, nec ſine iſtis juſtificantur: Quod verò addit recipere fructum Sacramenti *ob probabilem ignorantiam* difficile mihi eſt: nam amor Dei cum dolore eſt materia proxima Sacramenti determinata à Chriſto ad juſtificandum. Nec ulla ignorantia facit Sacramentum, ubi deeſt propria materia.

27. Ulteriùs nulla ignorantia poteſt me convertere ad finem ultimum, niſi ſe convertat voluntas recedendo à ſe ipſa, ut fine ultimo, qualiter per peccatum mortale conſtituerat, & accedendo ad verum finem ultimum, ad quem accedimus affectibus cordis, non paſſibus corporis. Et hæc ſufficiant ſuper materia, quam Alex. VII. reliquit utrinque diſputabilem, & contrarias opiniones incenſurabiles.

28. Tandèm concludamus argumento, quod vulgus ipſum capere poſſit. Nemo juſtificatur, niſi priùs recitet orationem Dominicam; & dico, *recitet*, non quidem ore, ſed ſaltem corde; Id non negant Adverſarii volentes ad juſtificationem concurrere ſpem, quæ, utpotè præcedens influit: Orationis autem prima petitio, ſpei interpres, eſt: *Sanctificetur nomen tuum.* Porrò, ut ex Catech. dictum eſt in Inſtr. Cl. c. 8. à num. 3. hæc vult glorificationem Dei in omnibus, & ſuper omnia: ſimiliter nemo juſtificatur, niſi velit ſervare Decalogum, in cujus primo præcepto jubemur amare Deum, ut finem ultimum, amandum præ omnibus, & ſuper omnia. Cùm hæc nullus neget, ego quidem exiſtimo tales eſſe actus imperfectos Charitatis

tis nondum habitæ, ſed (ſi cætera neceſſaria ponantur) ſubſequenter habendæ, & influentis in juſtificationem, non ut cauſa efficiens, quæ ut cauſet, debet realiter præexiſtere, ſed ut finis *quo* attingens finem *cui*, ſecundum quod eſt in intentione; qui actus nequeunt eſſe ſpei: hæc enim eſt in iraſcibili, & amor omnis, ut talis, eſt in concupiſcibili. Ad hos, alioſque diverſarum virtutum a Trid. ſeſſ. 6.cap.6. enumeratos ſubſequitur amor initialis Dei; & in hujus virtute odium peccati, quod etiam eſt actus formalis charitatis. Ultimò voluntaria ſuſceptio gratiæ in genere cauſæ materialis prior juſtificatione, ſed poſterior in genere cauſæ efficientis, & realiter ſimul coæxiſtens juſtificationi pro eodem inſtanti. Hæc ego, & nihil ulteriùs exigo; ideòque his contradicens, ut me impugnet, debet probare, aliquid ex prædictis non requiri, vel ſaltem, ad juſtificationem, quæ eſt acceſſus ad Deum affectibus cordis, ſufficere purum receſſum à creatura: (nihil aliud eſt Attritio formidoloſa, quam receſſus à pœna) nec requiri acceſſum ad finem ultimum; Si enim concedant exigi prædictos actus; at negent poſſe dici actus amoris Dei ſuper omnia, erit quæſtio de voce, à qua longiſſimè abſum; & adhùc probavi auctoritate D. A. actus illos eſſe proprios Charitatis, nec tribui poſſe alteri virtuti.

29. D. Quid importat damnatio tertiæ Theſis?

M. Author volebat, generaliter loquendo, operari prudenter eum, qui, in operando ſequitur judicium probabile, cujuſcumque probabilitatis etiam tenuis; & jure; nec enim poteſt Prudentia æquè reſpicere bonum, & malum intellectus; nam opinio ſe habet æquè ad verum, & falſum. Aliqui dicunt damnatam tenuem probabilitatem, quæ *vix meretur tale nomen*, & *verè eſt improbabilis*. Mihi non placet modificatio, quia Theſis damnatur in proprio ſenſu: quarè damnatur probabilitas, quæ, propriè ſit talis. Meo igitur videri damnatur, qui diceret; *Sequor hanc opinionem, quia eſt probabilis* (cauſalis enim æquipollet univerſali) cùm tenuiter probabile. Hunc modum operandi Papa tollere voluit è medio, ut dicam; *Sequar hanc opinionem, quia habet rationes &c.* ſed non merè, *quia eſt probabilis*.

29. Alia, quæ poſſunt conſiderari circa Theſes prohibitas, habes ſuis locis.

CAPUT XLVII.

Interrogationes faciendæ Pænitentibus.

1. PRincipale hujus Operis intentum eſt manuducere Confeſſarios, ut ritè ſuum triplex munus exerceant: Nec Medicus curat, niſi ritè interroget infirmum, Judex Reum, Doctor diſcipulum imperitum. Dico imperitum &c. quare non omnes interroga, ſed tantùm, quos prudenter dubitas deficere ignorantia, verecundia, & malitia. Cæterùm, memento illud c. 1. de pæn. diſt. 6 *Diligens inquiſitor, & ſubtilis inveſtigator debet inveſtigare ſapienter, quaſi aſtutè*, ut c. 7. n. 9.

2. Pœnitens inſtructior, indè poterit examinare ſuam conſcientiam, maximè ad confeſſionem generalem; ideò etiam fient interrogationes, non juxta methodum ſcientificam S. Th., ſed juxta quod, communiter homines ſe examinant, ſuper Decalogo, vitiis capitalibus, cujuſque ſtatu &c.

3. Aliqua debent peti ante confeſſionem, ut ſi fecit examen, ſcit myſteria fidei &c. Id adverte in Hoſpitalibus, ubi infirmus obligatur ſtatim communicare; Si autem in confeſſione detegit ignorantiam, ex vi Sigilli non potes manifeſtare Miniſtris, ut differatur communio; Meliùs ergo eſt priùs inquirere hæc generalia.

Circa primum Præceptum.

4. Omne Præceptum Decalogi eſt ſimul affirmativum, & negativum: Super utroque interroga diſtinctè: Hoc primum amplectitur quatuor virtutes, Fidem, Spem, Charitatem, & Religionem; Ideò ordinatè ſuper negativo. Interrog. num. fuerit infidelis, & in qua ſpecie: Num Apoſtata, quæ eſt circumſtantia aggravans; Si Hæreticus, quam hæreſim tenuit, ut des pœnitentiam proportionatam, injungendo actus fidei contrarios hæreſi profeſſæ: an fuerit Hæreticorum defenſor, Fautor, & Receptator: an ſcienter legerit, retinuerit, impreſſerit, vel defenderit eorum libros continentes Hæreſim, vel tractantes de Religione, ex profeſſo.

5. An reddiderit ſe ſuſpectum de Hære-

ſi;

ſi; Etsi ulteriùs judices Pęnitentem ſuper hoc interrogandum, vide ſingulos caſus p. 2. cap. 6. Si docuit Theſim aliquam prohibitam; Et quia ex tali doctrina poteſt reddi ſuſpectus de fide. Vide 1. decreta ſuper Theſibus; poſteà dirige, & admone Pœnitentem, ut cap. 29.

6. Super affirmativo fidei: Inter. ſi ſuo tempore elicuit actus Fidei internos: Si externos: Si denunciavit reos, quoties obligatur: ubi verò Pœnitens eſt reus, hortare, ut compareat ſpontè, ſed numquam obliga; Nemo enim tenetur revelare ſuam turpitudinem: Si edictum ſciens omiſit per menſem denunciare: nam eſt excommunicatus.

7. In omni autem præcepto affirmativo ſit regula generalis, quod interroges, ad ſubſtantiam Sacramenti, quando obligat per ſe, non per accidens, vide c. 38. n. 16.

8. Interrog. de donis correſpondentibus, Intellectu, & Scientia, vitiiſque oppoſitis, Cæcitate mentis, Hebetudine ſenſus, & Ignorantia. Præceptum affirmativum circa dona obligat addiſcere articulos fidei neceſſarios. ergo Inter. ſi adivit Doctrinam Chriſtianam ſuo tempore, apud Magiſtros, Parentes, vel Parochos: ubi defecit; Int. vices, ut habeas numerum peccatorum hujus ignorantiæ: Nam affirmativum addiſcendi involvit negativum non ignorandi; ut affirmativum reſtituendi involuit negativum non retinendi aliena: quare peccas, quotiès potens addiſcere non addiſcis.

9. Multi puerorum, & Adoleſcentium in Luxuria prætexunt ignorantiam invincibilem, hæc utique excuſat, ſi detur. Sed ſi fodias parietem, videbis abominationem. Ex Inſtr. Cl. c. 9. n. 31. Homo utpotè diſcurſivus, antequam operetur, debet, & poteſt quærere finem operis a parentibus, Magiſtris, Parocho, vel Confeſſario, à quibus habet dirigi ad ſalutem.

10. Ita pretexentes modeſtè Int. ſi à dictis quæſierint, ad quem finem natura inſtituerit actus impudicos; quare ignorantia eſt culpabilis, ſi non quæſierunt.

11. Int. ſi voluit eſſe cæcus mente, vel ſenſu habes: quia noluit ſcire, aut penetrare articulos neceſſarios ad ſalutem.

12. Circà negatiuvm Spei, Int. ſi deſperavit, vel præſumpſit: ſi principaliter ſperavit in homine: quoad affirmativum, ſi fecit actus Spei recitando Orationem Dominicam &c. ſi neglexit addiſcere, ut n. 8.

13. Charitas, qua præcipuè colitur Deus, reſpicit Deum, & proximum, cadit tamen ſub primo præcepto Decalogi, ut fertur in Deum, ſed ne cogar plura bis repetere, conſiderabo hìc ambo.

14. Int. ſi odio habuit Deum, juxta triplicem odii ſpeciem: ſi deſideravit, vel gaviſus fuit de extrinſeca ejus inhonoratione, vel triſtatus fuit de glorificatione. Adverte dari etiam poſſe odium de bonis intrinſecis, quatenus poſſet deſiderare, quod non eſſet Deus: At nimis enormia, nunquam pete, niſi omninò ſit neceſſe.

14 Circa proximi odium Int. eadem: Adde, ſi voluit malum corporale, intrinſecum, ut mortem, vel extrinſecum infama &c. ſi ad hoc poſuit media, ut Sicarios, quot, & quoties. Et quia tunc renovavit pluries odium, Int. quoties in die, hebdomada, menſe &c. Si voluit malum ſpirituale, quod damnetur, excommunicetur &c.

15. Int. de Acidia, ſi habuit tædium boni divini, ut de concione, Miſſa Breviario, &c. Si enim hæc diſplicuerunt, quia acedunt in Dei gloriam, eſt mortale inexcuſabile ob parvitatem materiæ. Secus Acidia eſt venialis, licet aliunde pecces mortaliter, ſi ex tædio tui incommodi deſeras opus præceptum.

16. Circà Invidiam Int. ſi apprehendens ex bono proximi diminui tuam excellentiam triſtatus fuiſti de tali bono v. gr. quod Petrus minor te in ætate, ante te fuerit conſtitutus in dignitate. Si triſtaris te non habere, & ſimul illum habere, ſunt duo actus; & in ſecundo ſtat peccatum. Int. etiam, ſi ad finem bonum, aſſumpſiſti, ut medium, hanc triſtitiam malam v. gr. ob finem habendæ hæreditatis triſtatus fuiſti de vita patris &c.

17 Int. ſi diſcordavit a proximo. Aliud eſt habere actum poſitivum concordandi (hoc cadit ſub præcepto affirmativo) Aliud poſitivè diſcordare (hoc cadit ſub negativo). Item diſcordamus intellectu, & voluntate. In hac reſidens charitas exigit concordiam. In multis, quoad intellectum, ſine peccato multi di-

ſcor-

ſcondant: Fides prohibet diſcordare in intellectu, quoad ea, quæ ut à Deo revelata, per Eccleſiam Catholicam proponuntur: Int. ergo, ſi taliter in obſequium Chriſti captivavit intellectum. Et ſcitò fuiſſe ſcriptum: *Ad debitam obedientiam Conſt. App.* contra Janſenii Theſes, *non requiri, quod quis, interius, ut hæreticum damnet ſenſum quinque Theſium, ſed ſatis eſſe, ut te neatur obſequioſum ſilentium*. Volebant diſcordari poſſe ab Eccleſia corde, licet non ore; ſed in Bulla *Vineam Domini* ſtatuitur: *Obedientiæ, quæ Conſtit. contra Janſenium debetur, minimè ſatisfieri illo obſequioſo ſilentio, ſed ſenſum libri Janſeniani, quem verba præ ſe ferunt quinque Theſium, debere damnari, ut hæreticum, non ore ſolum, ſed & corde*.

18. Int. ſi, per voluntatem diſcordavit, quoad ea in quibus tenetur eam ſubjicere filius patri, Religioſus Prelato ſubditus Principi &c. Si a Papa, ut Chriſti Vicario, per ſchiſma, poſitivè, ac pertinaciter nolens ei obedire, vel repugnavit communicare cæteris Eccleſiæ membris, in ſpectantibus ad unitatem fidei. Cætera verò peccata, quæ S. Th. dicit oppoſita charitati, conſequentia diſcordiam, quia in actu lædunt juſtitiam, cum de hac erit ſermo diſquireſa Pœnitente.

19. Int. de ſcandalo, quod habet locum in omni peccato publico: quanquam pateat ſolis perfectis, quia eſt per accidens, ſi non patiuntur ſpirituale damnum, ad quod de ſe inducit omne peccatum. Int. numerum ſcandalizatorum, ut ſi tenens concubinam extra domum, ſcandalizat viciniam, quæ videt eum frequenter accedere, ſi locum, civitatem &c. Int. ſi ſcandalum fuit Puſillorum, v. g. in vigilia non jejunas, occupatus labore incompatibili: Vicinus neſciens laborem, ſcandalizatur: hoc eſt ſcandalum Puſillorum: teneris jejunare, non quidem ex præcepto Eccleſiæ, ſed jure naturali, ad tollendum ſcandalum, quo uſque non notifices vicino laborem; & ſi non credit provenit ex ſua malitia, eſtque ſcandalum Phariſeorum, quod eſt peccatum accipienti ruinæ occaſionem, non danti.

20. Quoad affirmativum charitatis in Deum, Int. ſi tempore debito amavit Deum: Et quia tenetur per ſe, (non ſolum per accidens) ad actus perfectos, ſempè, ad voluntariam ſuſceptionem aut conſervationem gratiæ, ac donorum, hoc ipſo, quod peccator, ſe juſtificavit, aut juſtus, ne Deum offenderet, reſtitit tentationibus peccandi ſatisfecit huic præcepto, ut c. 38. n. 16. Qui verò per decennium perſeveravit in peccato, ſi explicat tempus, jam declarat numerum circum circa omiſſionum contra hoc præceptum.

21. Quoad Charitatem in proximum, teneris eodem tempore illum diligere ad vitam æternam, ſed ſi poſitivè, non excludis, illum includis: Idem enim actus tendit ſimul in objectum primarium, & ſecundarium: imò non verè amas Deum, ſi excludis poſitivè proximum. Quia tamen ſi vera Charitas eſt, otioſa non eſt, teneris etiam providere de mediis neceſſariis: 1. ad vitam æternam: 2. ad temporalem: quoad 1. Int. ſi videns infantem moribundum ſine baptiſmo, omiſit baptizare, ob periculum mortis ſibi imminens: nã peccavit mortaliter: non ita, ſi erat adultus, potens ſibi ſubvenire per baptiſmum flaminis: ſi verò tenebatur ex officio, ut Parochus, teneturetiam Adulto per ſe, vel per alium, quia Paſtor debet ponere animam ſuam pro ovibus ſuis; & ſolum poteſt ſugere, quando Tyrannus quærit tollere ſuam vitam, non ovium ſalutem æternam.

22. Int. quoad ſex primas eleemoſinas ſpirituales, quæ omnes dirigendæ ſunt juxta præceptum de correctione fraterna; quarè dicta de hac, applica cæteris: Obligat autem, quando probabiliter ſperatur fructus, ſi adſint reliquæ circumſtantiæ pro actu virtuoſo. Int. ergo, ſi ſperans fructum docuiſti ignorantem, monuiſti peccantem &c. Cum hac diſtinctione inter correctionem fraternam, & cæteras, quod defectus, ſub iſtis cadentes poſſunt eſſe aliis noti, quibus ex officio incumbat ſublevare miſeriam: Talis eſt ignorantia Fidei &c. Correctio autem obligat, ſi peccavit in te frater tuus, nec potes publicare, niſi juxta præceptum Chriſti; ergo Int. ſi omiſit, quando ſperabat fructum, vel non ſperans adhuc correxit non Superior: tunc enim quæſivit ſe, non fratrem ſuum.

23. Quoad corporales: Int. de ſingulis: Extrema neceſſitas poteſt eſſe in primis duabus; & tunc teneris ſub mortali providere de neceſſariis etiam tuo ſtatui, dum-

dummodò abundent individuo tuo, vel tuorum, quibus debes primò providere, ut natura de alimento per nutritivam providet ſibi, deinde aliis per generativam; & eſt neceſſitas extrema, ſi pro tali die pauper non habeat, quod comedat, vel bibat. Quoad alias quatuor, eſſe poterit gravis, vel gravior: Eſſet gravior neceſſitas fœminæ honeſtæ; ſi habens, unde vivat, non haberet veſtes, ut in die feſto, prodiret ad miſſam &c. Int. ſi ad providendum tali, pepercit uni ferculo in ſua menſa, ſi abſtinuit uno die à ludis, ut ex pecunia ludo exponenda ſubveniret: ſi omiſit audire unam comœdiam, quo ſeptem Julios mercedis erogaret in talem eleemoſinam &c. Ad aliquid minus, ex præcepto tenetur in gravi, qualis eſt illa Hoſpitalium &c. ſed tamen adhuc tenetur ſub mortali, etiamſi non eſſet omninò ſuperfluum ſtatui; hoc tenetur erogare in neceſſitate communi, qualis eſt Religioſorum Mendicantium, & pauperum per urbes victitantium. Doce pœnitentem, *non poſſe in his punctualiter accipi, quod fieri poteſt*, ſed melius eſſe ſuperabundare, cum Chriſto detur, quod pauperi datur.

24. Circa Religionem, qua Deus colitur, juxta primi præcepti partem negativam, Int. ſi uſus fuit aliqua ſuperſtitione, ac 1. generaliter iis, quarum fit mentio p. 2. c. 6. n. 4. & 5. vel ſciat alios feciſſe, quia obligatur denunciare: quia verò ſunt plures, & diverſæ ſpecie ſuperſtitiones, quarum nomina non facilè habebis, fac explicare quod opus geſſerit: ſic enim ſufficit ad confeſſionem. nec ego particulariter indico eas: Ubi prudentia ſuggeſſerit interrogandum pœnitentem, lege ubi ſupra. 2. quia ſuperſtitio habet etiam colere Deum modo indebito, ſeù modis ab Eccleſia prohibitis per legem, vel conſuetudinem, Int. ubi opus ſit, num in Miſſa, Officio, publicis orationibus, in cultu B. Virginis, aliorumque Dei Servorum, adhibuerit aliquid contra Canones, communemque conſuetudinem. Hic eſt latus campus interrogandi: præſertim mulierculas confidentes in numero Orationum, fingentes novas preces cum nominibus Angelorum incognitis: Vide quot ſuperſtitioſa Trid. damnavit in Miſſa, quot Urbanus in cultu Dei Servorum publico (non tamen privato, ita enim potes orare illum, quem credis ſalvum) quot in Officio divino prohibuit Pius V., & alii Pontifices: quot preces S. Annæ, B. Virg. &c. Vide Indicem librorum prohibitorum. Huc ſpectant ritus Hæreticorum, Deo, & Chriſto.

25. Eſt etiam ſuperſtitio, ſi cultus Deo debitus tribuatur creaturæ: Int. ergo ſi coluit Mahumettum, maximè in Meſquitis per actus externos, quanquam internè crediderit eſſe falſum Prophetam. Declaret in hoc ſpeciem, & numerum actionum exercitarum: Si dœmones invocavit expreſsè, vel tacitè: Hoc ultimum fit, quando ad aliquem effectum inducit cauſas omninò diſparatas, etiamſi proteſtetur ſe nolle communicare dœmoni, quia eſt proteſtatio contra factum; ut, ſi per verba Scripturæ ligavit canem, per monetam, quæ dicitur *Clemens*, curavit eryſipelam &c. ſi obſervavit aſtra, ſomnia, ſortes, & alia, ut inde prænoſceret futura, maximè, quæ pendent ex libera hominum voluntate.

26. Ulterius, quoad partem negativam hujus præcepti de Religione, Int. ſi tentavit Deum expreſsè, vel tacitè, volens experiri, an poſſit, vel velit aliquid facere: ſi commiſit ſacrilegium, & in qua ſpecie: ſi ſimoniam, in qua facies etiam explicare ſpeciem, ad effectum, ut videas, an incurrerit excommunicationem reſervatam.

27. Præceptum negativum Religionis violatur etiam per abuſum ſacramentorum, & ſacramentalium, Int. igitur, ſi ſuſcepit ad malum finem, quæ, quoties, & ad quem: ſi cum debitis requiſitis jure tam divino, quam Eccleſiæ.

28. Pars affirmativa præcepti Religionis, pro tempore, loco, aliiſque circumſtantiis obligat ad actus proprios prædictæ virtutis, de quibus vide S. Th. 2. 2. q. 82. ad 92. ſicut etiam ad ſuſcipienda ſacramenta; ſed ponentur interrogationes ſuper illis in tertio præcepto determinativo illorum.

Circa ſecundum præceptum.

29. Hujus pars negativa prohibet ſpecialiter quatuor ſub mortali: quare 1. Int. ſi pejeravit, & quoties, faciens explicare, an defuit veritas, vel juſtitia. Si joco, cum reſtrictione mentali; aut non habuit animum jurandi aut in promiſſorio mens non correſpondit verbis: omnia enim ſunt peccata mortalia, nec materiæ parvitas excuſat: ſi doloſè juravit contra intentionem

peten.

petentis: ſi habet conſuetudinem jurandi, per quam ſe exponat periculo perjurii: ſi abſque cauſa fecit ſe abſolvere à juramento.

30. Int. ſi ſervavit vota Deo facta ſuo tempore: ſi nimis protraxit indeterminata: ſi vovit illicita, vel impeditiva majoris boni, ut non eſſe Religioſum; licet enim poſſit non fieri, tamen nequit ad id ſe firmare per votum; ſi adimplevit parentum vota, quando tenebatur.

31. Int. ſi blaſphemavit, & quæ ſit blaſphemia, ſimplex, an hæreticalis; in qualibet ſpecie, quoties: ſi habet conſuetudinem blaſphemandi: tunc enim peccat mortaliter, eſtò inadvertenter blaſphemet, quia eſt voluntaria in cauſa.

32. Pro parte affirmativa Int. ſi juravit ſincerè Judici legitimè interroganti: peccat enim duplici peccato, ſi jurat falſum; & ſi omittit exactus, eſt unicum: ſi non juravit coactus reddere famam ei, quem calumniavit, dum vidit Auditores non credere huic reſtitutioni: ſi audiens blaſpemum hæreticalem, omiſit denunciare: ſi tempore debito laudavit Deum: ſi gratias egit de beneficiis acceptis &c.

Circa Tertium.

33. Ut prohibet omne opus ſervile, Int. ſi horum aliquod exercuit: Alia ſunt talia ex omnium conſenſu: Alia non: de aliis diſputatur. De iſtis Int. num dubitans exercuit, quia peccavit ſe exponens periculo peccandi: An exercuit prima, quæ nunquam permittuntur ad utilitatem, ſed ſolum ad vitandum grave damnum, ut piſcatio halecum, ſi currant in die feſto, quam Canones concedunt cum tribus conditionibus: 1. quod quæratur licentia Superioris: 2. quod prius audiatur miſſa: 3. quod decima ſolvatur Eccleſiæ.

34. Int. ſi die feſto fecit actus judiciales ab Eccleſia ſpecialiter prohibitos. Quia tamen hujuſmodi homines non ſunt idiotæ, potes te omninò remittere ad eorum dicta; nec enim peccant ex ignorantia, maximè, quia Superiores invigilant, ne feſta publicè violentur.

35. Circa partem affirmativam, ex multis actibus internis, & externis, qui ſunt Religionis, Chriſtianus in die feſto per ſe obligatur ad ſacrificium Miſſæ, quod Sacerdotes offerunt celebrando, Clerici miniſtrando, cæteri aſſiſtendo. Hinc ſequitur omnes per accidens obligari ad devotionē, orationem, adorationem, &c. ad actus fidei, & ſpei (An verò, ut plures volunt ad actum charitatis perfectum, & declaratum num. 19. tu cogita) Aſſiſtens enim miſſæ conjungitur Sacerdoti in credendo Chriſtum, qui eſt ſecunda Trinitatis perſona incruentè pro ſalute noſtra immolari, in ſperando vitam æternam per hoc ſacrificium, de cujus fructu participat omnis aſſiſtens, in orando per preces ab Eccleſia inſtitutas in eo, quibus, Clerici voce, reſpondens populus *Amen* oſtendit ſed idem petere. Reſpectu autem adorationis exhibentis corpus in cultum Dei, adorat etiam populus aſſiſtens corpore compoſito, habitu decenti &c. Igitur Int. ſi audivit miſſam attentè: Si adfuit prædicationi, quia ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 4. *quilibet tenetur intereſſe Parochiæ prædicationi verbi Dei, ſi commodè fieri poteſt.*

Circa quartum.

36. Quoad partem negativam, Int. ſi parentes, aut Superiores (hi enim omnes iſto præcepto veniunt honorandi) injuriavit, aut maledixit, etiam abſque animo; ſi violavit conſanguineos, vel affines luxuriando, vel percutiendo: Fac explicare gradum, qui ſaltem notabiliter aggravat. Ante omnes Canones, 1. Cor. 5. Paulus exhorruit, quod Filiaſter peccaret cum noverca, dixitque nec inter Gentiles ita peccari: ſi deriſit, ſi movit ſeditionem, aut rebellavit in patriam &c.

37. Quoad affirmativam: ſi obedivit parentibus: ſi eiſdem in neceſſitate ſubvenit etiam temporaliter: ſi poſt mortem legata eorum implevit; ſi moribundis providit de ſacramentis, aut de Notario volentibus condere teſtamentum: ſi volens inire matrimonium, quæſivit eorum conſenſum. Hic exquirendus eſt etiam pro ſolemni voto Caſtitatis; At non obligamur ita ſtrictè illis adhærere, quia vocatis ad illud a Spiritu Sancto, ſemper irrationabiliter ſe opponunt: Ad matrimonium inclinat natura, & ſæpè cæca paſſio; unde tunc non videntur damna familiæ reſultantia; ideò ponendum eſt ſub conſideratione parentum immunium à paſſione; Peccatque mortaliter, ſi nubat contra eorum

rum

Digitized by Google

rum voluntatem rationabilem, (ſed matrimonium eſt validum) ſecus, ſi diſſentiat irrationabiliter: tunc enim ſufficit petiiſſe conſenſum.

38. Int. ſi in reliquis, ubi tenebatur, obedivit parentibus, aliiſque Superioribus, præſertim Eccleſiaſticis maximè in non legendis, nec retinendis libris prohibitis. Vide c. 45. n. 5. ſi tributa, & gabellas juſtas ſolvit Principi; ſi ſervavit leges, & conſuetudines locorum obligantes in conſcientia, diſtinguendo inter præcepta, & leges, ut c. 38. n. 9.

Circa quintum.

39. Pars affirmativa præcipit actus charitatis ergà vitam proximi, de quibus à n. 20. circa negativam Int. ſi incarceravit, vulneravit, mutilavit, occidit carens poteſtate publica, vel injuſtè: ſi uxorem in adulterio deprehenſam, quod lex civilis relinquit impunè, ſed non Deus, ſi ſuffocavit infantem in lecto, procuravit abortum maximè animatum, dedit venena ſterilitatis: ſi commiſit duellum, aut ſolum aſpiciendo in illud influxit: ſi dedit operam rei illicitæ, ex qua contigit homcidium, vel dans operam licitæ, omiſit prudentiam debitam, ne contingeret, quando timebatur.

Circa ſextum.

40. Suppone prius dicta c. 7. & 20. & dicenda p. 2. c. 50. num. 3. deinde, quoad partem negativam præſertim puellas, & adoleſcentes, cautè Int. ſi habuit cogitationes inhoneſtas: ſi, eis inſurgentibus munivit ſe ſigno Crucis &c. ſi eas durare advertens, non curavit reprimere, ſed complacuit in tali imaginatione, jam eſt delectatio moroſa, quanquam vellet potiùs mori, quam explere opus: ſi deſideravit actum externum: ſi hunc intendit: (Intentio ſupra deſiderium dicit ordinem ad ponenda aliqua media indeterminatè) ſi elegit medium aliquod particulare ad conſequendum opus intentum; & hoc medium aliàs eſt illicitum, ut leno &c ſi proceſſit ad oſcula, tactus &c.

41. Quia ſæpè contingit pœnitentem explicare unam copulam, & tamen innumera peccata commiſit, per circumſtantias Inter. *quis* peccavit, ſi liber, uxoratus &c. *cum quo* peccavit, ſi cum virgine, uxorata, Moniali &c. *quid* peccavit: ſi tactus, oſcula &c. *ubi* peccavit; ſi in Eccleſia, vel etiam in Confeſſionali Sacerdos; In quo eſt duplex ſacrilegium, & obligatio denunciandi. *quibus auxiliis*; ſi ad vincendam fæminam nobilem miſit lænas, munera, literas &c. quot, & quoties miſit: In id incumbens per hebdomadas, & fortè per menſes, replicavit deſideria &c. quorum numerus explicandus eſt ſaltem circumcircà, quoties in die, in hebdomada &c. Imò ſi Miniſtri turpitudinis eſſent ſacri, debet explicari, quia eſt ſacrilegium aterius ſpeciei: *Cur* peccavit: ſi ad dehoneſtandam Virginis familiam &c. *Quomodò*: ſi naturaliter, vel innaturaliter &c. *Quando*: ſi tempore, quo ivit ad peccandum, fuere ſcandalizati; ſi domus, vicinia, locus &c. ex circumſtantia etiam feſti poteſt aggravari taliter peccatum, quod Confeſſoris judicium mutetur. Ecce Pœnitens rudis explicuit unam copulam, quæ fuit conjuncta tot peccatis.

42. Int. ſi habet conſuetudinem, maximè inveteratam: quia tunc differenda eſt abſolutio, quam aliqui prætendunt poſſe conferri poſt paucos dies: Tu ne alliges tempori, ſed fervori, & induſtriæ qua Pœnitens, per actus contrarios, ſatagit tollere conſuetudinem, & habitum; quid enim, ſi Dominica in Albis, ne a Parocho notetur, Pœnitens dicat ſe abſtinuiſſe à meretricibus per dies quindecim, quibus, jure humano, prohibentur meretrices?

43. Int. ſuper occaſione proxima, quam poteſt habere, licet rariſſimè peccet, ut qui ſuſtentaret ſuis ſumptibus fœminam Januæ, ubi ex Urbe divertit tantum ſemel in anno. Ut ergo dignoſcas, num ſit talis, Int. ſi ſuſtentat ſuis expenſis, ſi liberum habeat ingreſſum ad illam, vel clavem domi &c. In hoc caſu occaſio eſt voluntaria, & cave, ne illum abſolvas, etiamſi prætexat mille ſcandala, quæ ſequerentur, niſi communicaret, etiamſi eſſet Monialis, quæ cum aliis in die Paſchæ deberet ſatisfacere præcepto Communionis: Quia verò dicet occaſionem eſſe involuntariam, ut hoc diſcernas, Int. ex quo capite, non poſſit ſeparari, ſi quia eſt filius familias non debens relinquere domum paternam, vel Clauſtralis impotens exire à Monaſter. utique tunc eſt involuntaria, & nota, quod

aliud eſt oriri ſcandalum, ſi dimittat fœminam: aliud eſt oriri ſcandalum, ſi, cum fœmina domi, retenta, non communicet: Hoc ſecundum nequit fieri. Primum poterit reddere occaſionem involuntariam, ſi adhibeantur media, quæ tunc adhiberi poſſunt: v. gr. Petrus, in articulo mortis confitetur, Parocho concubinam eſſe fæminam cum quâ vivit, ſed ab omnibus reputatam uxorem, abſolvi nequit, niſi dimittat: quia in dimettendo, extat ſcandalum, evitabitur, ſi occultè ineatur matrimonium ad legitimandos filios &c. hoc nequit iniri, quando fœmina jam eſſet maritata, debet tunc, ante quam abſolvas Petrum, exire domo, ſub aliquo prætextu, deponi apud Matronam prudentem &c. vides hinc tolli omne ſcandalum, & omnem occaſionem Petro; quarè poterit abſolvi: Neque filius familias cogendus eſt fugere à domo patris, quia læderet jus paternum: quare involuntaria eſt illi occaſio proxima ancillæ, cum qua ſæpè peccat; ſed voluntarium eſt, admittere in cubiculo ſolam ſine teſte &c. Igitur tollat hanc voluntarietatem, ut ſolus nunquam tractet cum ſola; & tunc abſolve prima, vel altera vice, ſi nunquam fuit admonitus: Ubi rediens, dicet adhuc tractaſſe cum ſola, nihilque peccatorum diminuiſſe notabiliter; occaſio proxima jam eſt voluntaria, non quoad habitationem, ſed quoad tractare ſolum cum ſola; ideò nequit abſolvi: At ſervus peccans cum filia heri, debet exire domo, etiamſi prætexat non habere alias, unde vivat; Equidem ſuſtentatio vitæ præcepta eſt jure naturæ præcedente omnem occaſionem; ſed nunquam oſtendet, ſe aliunde non poſſe invenire victum neceſſarium ad vitæ ſuſtentationem pro die illo; & adhuc melius eſt mori, quam ſe exponere proximo peccandi periculo.

44. Si dorminendo paſſus fuit immunditiam, Int. unde provenerit: ſi ex delectatione moroſa venereorum præcedente, eſt complementum peccati mortalis, explicanda Confeſſori, cui aperiri debet omne mortale completum: ſi tamen ante cubitum pœnituiſti per confeſſionem, vel contritionem, nihil habet amplius peccati, quia non amplius eſt voluntaria in ſua cauſa: ſi ex ſtudio turpium, ut prædices, vel reſolvas caſus in confeſſione occurrentes, abſque delectatione in objecto libidinoſo, non eſt mortalis, ut neque, ſi provenit ex abundantia cibi, & potus: ſi ex debilitate complexionis; *unde quidam*, ait S. Th. 3. p. qu. 80. art. 7. *patiuntur etiam vigilando* & ex Philoſophis, qui veſperi bibunt aquam, facilius patiuntur &c. In omnibus his caſibus, Inter. cauſam, quia ſi hæc eſt mortalis, etiam immunditia erit mortale.

45. Quoad partem affirmativam Int. ſi coniux debitum negavit comparti petenti: nam eſt mortale contra juſtitiam; ex quo inter conjuges oriuntur odia, contentiones, & mille alia peccata: ſi ſcivit vas ſuum poſſidere in ſanctificatione. Hoc ut contingat, adverte actum matrimonialem, ut omni prorſus careat culpa veniali, non poſſe exerceri ob ſolam delectationem, vel aliud motivum, ſed ob hæc duo tantùm: 1. ad gignendos filios, 2. ad ſatisfaciendum comparti petenti formaliter, vel virtualiter: Tu tamen Confeſſor cave à nimio zelo volendi conjuges ſanctos, & liberos à quacunque venialiſſima culpa: Ad hanc puritatem, niſi ſingulariter vocet Spiritus Sanct., eris offendiculum tibi, & pœnitentibus: multi enim ſpiritu incipiunt, & carne conſumantur.

Circa ſeptimum.

46. Pars affirmativa præcipit actus charitatis, de quibus à num. 20. Circa negativam Int. ſi habet rem alienam, faciens diſtinguere, ſi habet bona, vel mala fide, ac docens, quid in utroque caſu ſit reſtituendum: Si prætendat fuiſſe præſcriptam, dic poſſeſſorem malæ fidei non præſcribere: Ubi fuit bona fides, Inter. ſi eſt res mobilis, vel immobilis, præſcriptibilis, vel impræſcriptibilis: ſi tempus debitum præceſſit ad uſucapionem, vel præſcriptionem: Impotens ex te decidere, mitte ad alios, præſertim Juriſtas.

47. Ubi habetur mala fide, Int. tempus, ut inde cognoſcas numerum circumcirca peccatorum, quia reſtitutio implicat negativum non retinendi aliena: quare peccat toties, quoties commodè potens non reſtituit: Int. quantitatem rei alienæ, quia hæc habebit mutare tuum judicium.

48. Int. qualiter influxit in furtum: ſi jubendo, conſulendo &c. Hoc eſt neceſſe, ut ordines reſtitutionem, quam debet facere

cere 1. habens furtum: 2. imperans: 3. exequens &c. Ubi plures concurrunt, obliga ſingulos in ſolidum, ita tamen, quod uno reſtituente, alii teneantur ad iſtum pro ſua rata, non ad dominum. Int. ſi laudavit taliter, quod induxerit ad furtum, vel retinuit à reſtitutione furem, quia tunc tenetur.

49. Int. ſi furatus fuit ſacrum de ſacro, ſi non ſacrum de ſacro, ſi ſacrum de non ſacro, quoties fuit furatus: & ſi prima vice materiam ſufficientem ad mortale: nam in ſequentibus ſemper peccat mortaliter, eſto in materia parva, quam ſi primò accepit, Inter. ſuper intentione.

50. Int. ſi fuit Rapina, quæ ſemper eſt mortale ob gravem injuriam perſonæ illatam, eſtò rapias unum quadrantem; & fac ſatisfacere, non ſolum pro re, ſed & pro injuria. Ex p. 2. c. 25. num. 9. eſt Rapina, ſi Nobilis non ſolvat merces, aut Creditores, ergo Inter. ſi tempore ſtatuto ſolvit, nec excuſa impotentiam, ſi provenit, quia inſumit in ludis, meretricibus &c. Unde Creditores ſepè reducuntur in maximas anguſtias.

51. Int. ſi contra Bullam Clementis VIII. de paupertate accepit a Religioſis, quia non potes abſolvere, niſi prius de facto reſtituat: ſi pro gratia, vel juſtitia obtenta à Sede Apoſt. nam & eſt excommunicatus, & tenetur dare pauperibus: ſi beneficium obtinuit ſimoniacè, quia tunc accipit fructus, ut fur.

52. Int. quoad commutationes voluntarias, ſi emendo, & vendendo, doloſè proceſſit: ſi volenti pannum v. gr. Hollandicum ſuppoſuit Venetum etiam in ſuo pretio, quia non eſt contractus ubi fit contra emtis voluntatem: ſi vinum lymphatum vendidit pro puro: ſi occultavit vitium rei vendens: dilata ſolutione, ob tempus auxit pretium: ſi volens ſervare granum ad Martium, in Novembri vendidit juxtà Martii pretium, quia debet detrahere, quantum oporteret expendere pro mutatione, horreo &c. ſi auxit pretium legale: ſi in morali finxit ſupremum ad ſuum beneplacitum: quia hoc poteſt excedere medium in quinque, vel ſex pro centenario: Si carius vendidit, quia res erat utilis Emptori: poteſt enim augere, ſi ſit ſibi damnoſum alienare; non ſi utile illi habere.

53. Int. ſi mutuavit ob ſpem recompenſationis, quia eſt uſura mentalis: ſi deduxit in pactum obligationes gratitudinis; nam peccavit mortaliter ponens ſub debito rigoroſo juſtitiæ, quod ſolum debetur ex convenientia: ſi fecit aliud quodcunque pactum, extra lucrum ceſſans: & damnum emergens: ſi obligans ad lucrum ceſſans tu Mercator, conſideras lucrum integrum ex negotio proveniens, non detractis expenſis, & periculis: ſi apponens pœnam Mutuatario, niſi reddat infra tot dies, exigis illam, ſciens abſque culpa diſtuliſſe: nam pœna non habet locum, ſi deeſt culpa: ſi accipiens pignus fructiferum, non computaſti fructus in ſortem: ſi palliaſti mutuum, nomine venditionis, cambii, ſocietatis, aliorumque contractuum. Porrò in facti contingentia, prius lege Decretales Pii V. & Sixti V. advertens omni jure cautum contractus intelligi juxta conſuetudinem loci toleratam a Sede Apoſt. & ad duas regulas à Sylveſtro poſitas v. *Uſura*: 1. quod nunquam permittas obligari accipientem ad ſolvendum aliquid, ratione temporis: 2. quod ex aliis capitibus non nimis gravetur pro intereſſe: Cæterum in hac materia Theologus conſulat prius viros expertos, & probos.

Circà octavum.

44. Pars negativa prohibet peccata verborum, & affirmativa præcipit locutionem virtuoſam, quæ ſub mortali obligat in judicio, vel ubi quis detraxit, aut calumniavit, ideò utrumque ſimul tracto: Igitur Int. ſi deriſit, ſuſurravit, maledixit ex animo: ſi contendit verbis: infamando vel calumniando; quod harum genus protulit, & quoties: ſi falſum dixit, aut verum occultum, quia per affirmativam tunc tenetur retractare, jurando etiam ſe fuiſſe mendacem, ubi falſa protulit: ſi contendens verbis venit ad verbera: ſi juridicè interrogatus depoſuit falſum, peccavit dupliciter: peccato omiſſionis, quia tacuit verum; & commiſſionis, quia dixit falſum: ſi non reſpondit, peccavit mortaliter peccato omiſſionis: Super quo nuper fuit diſputatum, an expediret tolli juramentum a Reis in cauſa ſanguinis: Alii affirmabant quia vix eſt, qui non pejeret; quare lex fovet occaſionem pejerandi, cum ferè ſemper veritas habeatur ex tormentis, non ex virtute. Nihil univerſaliter fuit deciſum, ſed legem abſtulerunt aliqui Principes ſupremi,

ad quos ſolos ſpectat: nam Judex inferior debet ſequi legem.

55. Int. ſi verbo cordis, temerè judicavit de proximo, exactè petens indicia: nec enim ſufficit videre Religioſum ingredi domum meretricis, ut judices ire ad peccandum: Int. tempus, an publicè intraverit, vel occultè, ſociatus, an ſolus &c. Ubi conſtat fuiſſe judicatum temerè, obliga ad reſtitutionem (eſtò ſolum intra ſe judicaverit) quæ fit formando bonum conceptum de illo. Si fuit ſuſpicio tc meraria, de ſe non eſt mortale, ob imperfectionem actus, niſi perſona ſit talis, cujus famæ reſultet grave damnum ex tali ſuſpicione.

56. Circà ultimum duplex præceptum nihil addo: trahes ſufficienter interrogatoria ſuper utroque ex dictis ſuper ſexto, & ſeptimo: Fac ſemper explicare quis ſit actus internus: ſi deliberatus: ex deliberatis autem, ſi delectatio moroſa, deſiderium, intentio, vel electio; quarè habeto præ manibus dicta c. 31.

De Vitiis Capitalibus, eorum Filiabus, & primò de Superbia.

57. Hæc eſt appetitus inordinatus proprię excellentiæ, ut non vult ſubjici ſuo Superiori: quarè ad convenienter interrogandum, requi' prius, cui ſubjiciatur: ſi marito uxor: filius patri: Vaſſallus Principi: homo Deo &c Singulos appoſitè Int. quo ad Deum: ſi judicavit aliquod bonum habere à ſe, vel primò datum ſibi ex meritis, ſi ob ſuum honorem ambivit bona, præſertim Eccleſiæ, vel quorum ſe cognoſcebat indignum: ſi quæſivit viis illicitis, adulatione, pecunia &c. ſi præſumpſit ſupra vires: v.g. curavit medicinæ imperitus vel Juriſprudentiam ignorans judicavit, vel Confeſſor indoctus abſolvit: ſi ex curioſitate audivit peccata pœnitentium; ſi legit libros prohibitos ut c. 45. n. 5 ſi didicit à Magiſtris, quæ vel à quibus prohibebantur, ut ſortilegia, vel ab excommunicatis & in quo his communicavit incivilibus, in ſacris, in crimine &c. ſi habens remedia tutiora, voluit ſuper infirmo experiri minus probabilia. Int. ſi ingratus deſpexit beneficia collata ſibi, vel proximo, ſi benefactori fuit injurius, vel etiam ingratus, quia potuit peccare mortaliter, ut 2.2. q. 106. ſi in judicando defecit aliquo ex modis explicatis p. 2 c. 19. n. 1 præſertim uſurpando jurisdictionem Eccleſiæ, quia tunc incidit in Bullam Cęnę, ſi judicavit juxta minus probabilem: ſi injuſtè ob pecuniam: ultra peccatum, tenetur erogare pauperibus. Juxta aliquos non poteſt vendere ſententiam uſtam, quam tenetur dare, ſed bene injuſtam, quam tenetur non dare; ſed contra, quia hanc tenetur non dare.

58. Int. ſi adulatus fuit. In hoc mortale poteſt fieri tripliciter: Relege 2. 2. qu. 115. & applica Pœnitenti: ſi deriſit, & quem, patrem, principem, Deum &c. ſi ſacramenta, ſacram Scripturam modis prohibitis a Trid. ſeſſ. 4. Si pro gloria, vel honore mundano paratus fuit tranſgredi præcepta Dei, quia tunc poſuit finem ultimum in creatura: ſi ſe jactavit de mortali. Hæc de Superbia, ejuſque Filiabus:

De Avaritia.

59. Int. ſi fuit paratus tranſgredi leges, ut lucraretur: ſi reſtituit, quæ debet: ſi ſolvit Creditores in termino: ſi mercenarios præſertim familia gravatos: ſi cum his fuit pactus mercedem conſueta minorem, & conſenſerunt compulſi egeſtate, vel timore non inveniendi alium: ſi de ſuo exercitio fecit eleemoſinas, ut n. 20. Si prodidit terras hoſtibus: ſi ſciens proditionem alterius non revelavit: at revelavit audita in confeſſione, vel aliqua ſecreta Infidelibus, in damnum Reip. Chriſtianæ (quod eſt contra Bullam Cœnæ,) ſi compoſuit libellos famoſos, præſertim contra Prælatos: ſi revelavit, quæ habuit ſub ſigillo naturali: Si fraudavit gabellas juſtas obligantes in conſcientia: ſi fecit fraudem cæteris legibus, & contractibus: ſi falſificavit pondera, menſuras, inſtrumenta, Bullas, Cedulas, &c. eſtò per antidatam unius dieis; undè graviſſima oriuntur damna; ſi monetam, ſigillum &c. ſi ſubreptitiè, aut obreptitiè obtinuit beneficium; (vltra peccatum, gratia eſt nulla, & furatur fructus) ſi, ob inquietitudinem mentis, omiſit neceſſaria ſua officii; Si accepit perſonam hominum, moximè in rebus Eccleſiaſticis eligens ad illas conſanguineum affinem &c. non magis habi'em, ſi elegit dignum omiſſo digniore, peccavit, ſed non tenetur revocare; Aliis modis compenſet injuſtè rejectum; Si indignum, tenetur etiam revocare poſſe: Dicitur autem indignus, qui habet impedimen-

tum

tum canonicum, ut excommunicatus, irregularis &c. Si ſectatus eſt turpe lucrum (tale dicitur, quod provenit ex cauſa in honeſta, vel per Eccleſiam improbata) quarè Int. ſi commiſit ſimoniam, vendendo Sacramenta, ſacramentalia, vel ſpiritualibus annexa, quæ, & quotiès (annexa eſt excommunicatio, ſi committatur in Ordine, Beneficio, & ingreſſu Religionis) Si rejecit lucrum à Trident. prohibitum in collatione Ordinum, in Examinibus, & in celebratione Miſſarum, conformiter etiam ad Bullam Vrbani VIII., & in reliquis ſervavit taxam Innocentii XI. Notabiſque differentiam locutionis in damnando lucro: ſi enim dicit illud ſimoniacum, obligabis pœnitentem diſtribuere pauperibus, & admonebis de nullitate gratiæ impetratæ. Reſpectu Clerici eſt etiam turpe lucrum, quod oritur ex negotiis ſæcularibus; ergo, ubi oportet, Int. ſuper iſtis, habens præ manibus ſacros Canones, & petens tempus à Pœnitente conſulendi peritos. Reſpectu Sæcularis negotiatio, ex 2. 2. q. 77. ar. 4. *habet quandam turpitudinem*, ſed honeſtatur, ſi fiat, ad ſuſtentationem Reipublic. familiæ, aut ad eleemoſinas errogandas. Hæc ſuper Avaritia, & Filiabus.

De Luxuria.

60. Sufficienter habes à n. 40.

De Gula.

61. Int., ſi comedit, aut bibit ob ſolam voluptatem, quia eſt veniale: ſi cum gravi damno ſalutis corporalis, eſt mortale: ſi ſe ingurgitavit, aliaſque ſpecies gulæ, ut 2. 2. quæſt. 148. ar. 4. Si ſe debilitavit in ludo, vel fœminis ad eum finem, nè jejunaret diebus præceptis: Aliqui excuſant hunc à peccato contra jejunium; ſed univerſaliter S. Thom. 1. 2. quæſt. 77. ar. 7. ad 3. ait: *infirmitas corporis excuſat, ſi eſt involuntaria*: non, ſi eſt voluntaria, ut non excuſat paſſio *infirmitas animæ*, ita nec ebrietas, infirmitas corporalis. Ergò in hoc caſu, ultra ludi, & luxuriæ peccata; Int. quantum temporis permanſerit in tali voluntate: nam quouſque non retractat, violatio jejunii eſt voluntaria in cauſa; ideò Inter. ſi notabiliter horam jejunii prævenit: ſi comedit cibos quadrageſimales, quia eſt unicum peccatum, eſtò comedat decies in die: ſi cibos Paſchales: nam, (quia hoc eſt præceptum negativum) peccat totiès quoties. Diſpenſatum in carnibus; Int. ſi fecit ſe diſpenſare ob grave damnum; Aliàs nulla eſt diſpenſatio: nam Eccleſia deobligat ſolùm, ubi ſequitur magnum incommodum: ſi accepit licentiam à Parocho, & aliis per Eccleſiam deputatis: eſtò enim ſit evidens infirmitas, debet obtinere licentiam, ſi commodè poteſt, ad exercitium obedientiæ: ſi diſpenſatus comedit carnes ſalubres, quia ſolùm pro his datur licentia: ſi diſpenſatus in qualitate, jejunavit in quantitatè, comedens unica tantùm vice, ubi commodè potuit. Int. ſi prævidens amiſſionem perfectam uſus rationis, ſe inebriavit, & peccata, quæ tunc commiſit, utpotè voluntaria in cauſa: ſi alios, & quot induxit ad ebrietatem: ſi eſt habituatus, vel in occaſione proxima.

De Ira.

62. Eſt appetitus inordinatus vindictæ: In tota latitudine ſua non eſt mortalis, quia poſſum 1. peccare, appetendo nimis anxiè juſtam pœnam: 2. pœnam injuſtam: 3. pœnam juſtam, ſed exigendam à me, non à poteſtate publica: In primo caſu Ira eſt venialis: In reliquis de genere ſuo eſt mortalis. Int. ſi offerente inimico ſatisfactionem congruam noluit reconciliari: ſi, etiam ſine ſatisfactione, dedit pacem, ubi periclitabatur honeſtas filiarum &c. per ſe, non per Judices, exegit, aut voluit exigere vindictam; quanto tempore ſtetit in hoc propoſito, & quotiès renovavit: & ſi inimicus erat Clericus, Affinis, vel Conſanguineus: ſi negavit inimico ſigna communia &c.

63. De Invidia, & Accidia vide n. 15. & 16.

Circà Eccleſiæ Præcepta.

64. Super primo. Int. ut num. 35. Ulteriùs: ſi audivit Miſſam integram ab uno Sacerdote: ſi attentè per modum orationis, non colloquendo cum ſociis &c. ſuper ſecundo, ut num. 61. ſuper tertio: ſi, ut c. 8. fuit ritè confeſſus, præmiſſo diligenti examine, accuſatis ſpecie, numero, & circumſtantiis neceſſariis peccatorum: ſi ſuper his habuit debitum dolorem, ſaltèm Attritionis, & propoſitum: ſi adimplevit pænitentiam: ſi fuit ſacrilegè confeſſus, inſtante præcepto Eccleſiæ commiſit ſacrilegium, & tranſgreſſus eſt præceptum: In Urbe nequit abſolvi, ut c. 44. num. 16. Super quarto: ſi communicavit dignè in Paſch. &c. ut ſuper tertio. Super quinto; ſi ſolvit decimas juxtà conſuetudines locorum. Super ſexto, Int. ſi contrhaxit matrimonium tempore indebito, vel dum perſonis prohibitis; Alibi habes impedimenta impedientia, & dirimentia: qui contrahit cum primis peccat, ſed matrimonium eſt validum: ſi cum ſecundis contrhaxit, quia matrimonium eſt irritum: Int. ſi, ante diſpenſationem petiit, vel reddidit debitum conjugi, etiam invincibiliter ignoranti; quia peccavit totiès, quotiès: non excuſat metus infamiæ, aut mortis: illa enim copula eſt fornicaria, & intrinſecè mala. Hæc generaliter pro omnibus, deſcendendo jam ad ſtatus particulares.

Pueros doli capaces.

65. Int. ſi manè, ac veſperi recitet Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam: ſi die feſto devotè audiat Miſſam: ſi ſuo tempore confiteatur, & adimpleat pœnitentiam: ſi ex verecundia, confitens tacuit mortale: ſi dignè communicavit: ſi mentitus fuit, præſertim perniciosè: ſi juravit, maledixit, deriſit: ſi fecit furta: ſi obedivit: ſi frequentavit Doctrinam Chriſtianam: ſi fugit Scholam: ſi, veniendo ad uſum rationis, meminit feciſſe actus fidei, ſpei, & charitatis. Ut hæc elicias, Int. ſi præcedenter fuerat inſtructus de Symbolo, & Oratione Dominica: Tunc enim ſatisfecit fidei, & ſpei. Quoad charitatem verò, primum, ad quod tunc puer cogitat, eſt amare ſe ipſum; ſi ergo bona ſibi propoſita ſic voluit, quod poſitivè voluiſſet, quamvis divina lex prohiberet, omiſit debitum actum charitatis, & peccavit mortaliter; ſi è contra voluit ſubordinatè ad Deum, ita quod noluiſſet, ubi eſſet prohibitum à lege divina, tunc amavit Deum ſuper omnia, poſuitque pro fine ultimo, non ſe, ſed Deum; fecitque debitum actum charitatis in Deum, & in ſe ipſum: ſi verò amavit ſibi bona, non advertens, an vellet, vel nollet, ſi Deus prohiberet, etiam peccavit mortaliter, quia tenetur habere actum poſitivum amandi ſe ſubordinatè ad Deum: ſi verò non meminit; Int. conjecturas; unde probabiliter arguas, an ſatisfecerit: In Chriſtiano piè educato, gratia, quam citò poteſt, exit in ſuum actum: Dubia ſubiiciat clavibus. Int. ſi fecit, quæ erubeſceret nota fieri parentibus, aut Magiſtris; & ſi affirmat, fac exprimere, quæ ſint, ut cognoſcas peccata, nec edoceas peccare; ſi negat, doce nihil unquam facere ex ſuggeſtum à ſociis, quod antea non audiat Confeſſorem, vel parentes. Vide Inſtr. Cl. c. 9. n. 31.

Scholares.

66. Int. ſi ſtudet diſciplinæ ſibi deputatæ à parentibus, qui ſæpè vivunt miſerrimè, ut alant filios in ſtudiis: ſi agit cum malis ſociis, & quæ: ſi exemplo ſcandalizat: ſi portavit arma vetita: ſi abutitur privilegiis Scholarium: ſi honorat Magiſtros, cum æquale non poſſit reddere.

Magiſtros.

67. Int. ſi laureatus fuit, vel docuit ad malum finem: ſi artes prohibitas, vel perſonis prohibitis, ut Medicinam Clerico: ſi ſalariatus ab Eccleſia, vel Reipub. exegit aliquid à Scholaribus. Ex 2. 2. qu. 100. art. 3. ad 3. eſt ſimonia, ſi Doctor inſtitutus ab Eccleſia, pro pauperibus, accipit ad dandas vacationes extraordinarias: ſi fecit profeſſionem fidei præſcriptam à Pio IV. Si laureavit ignorantes, maximè ob lucrum. Nota periculum: Beneficia Eccleſiæ potiora ſunt danda laureatis, & antiquiores præferuntur

tur cæteris paribus: quarè laureans ignorantem, dat inhabili jus ad beneficia; ſi ſervavit juramenta præſtita Univerſitati, & hujus leges: ſi notabiliter neglexit profectum Scholarium &c. ſi graviter verberavit &c.

Medicos.

68. Int. ſi laureandus fecit juramentum Pii V., & poſteà ſervavit; admonendo infirmum de confeſſione &c. ſi ignorans exercuit, ſi agnoſcens non poſſe curare ſe ſolo, neglexit vocare doctiorem: ſi curavit juxtà opinionem minùs probabilem, ſi prolongavit infirmitatem; ſi, ut ſanaret, conſuluit peccatum: ſi viſitavit ſuo tempore infirmum; ſi gratis curavit pauperes; deficiens in hoc violat juramentum, quod præſtant; ſi habet partes cum Aromatariis; ideòque multiplicat medicamenta. Hic tenetur reſtituere, quia damnificat. Int. etiam de Luxuria, maximè, ſi, ut Chirurgus, medetur fœminis, nec abſolvas eum, cui hoc exercitium eſt occaſio proxima peccatorum: Hujus æternæ ſaluti nihil melius eſt, quam conſulere matrimonium.

Aromatarios.

69. Int. ſi, juxta ordinem Medici compoſuit medicamenta: ſi dedit vetuſta, & inefficacia pro novis, & efficacioribus, nociva: tunc tenetur ad damna; ſi vendidit venena ſterilitatis, vel alia, probabiliter judicans emi ad malum finem; ſi deficiente verò ſyrupo, miſcuit aquam, vel alium liquorem à Medico non ordinatum; ſi alteravit pretium ſupra rigoroſum; ſi fraudavit in pondere, vel menſura. Super his ultimis Int. quemlibet venditorem: quod ſi habeat pondera, & menſuras falſas, eſt in occaſione proxima, nec abſolvi poteſt, niſi priùs abjiciat.

Proxenetas.

70. Int. ſi propoſuit contractus uſurarios, vel aliter injuſtos; ſi ſuper his dedit conſilium; ſi Emptori dixit rem valere pluris, & Venditori minoris; retinuitque ſibi exceſſum.

Artifices.

71. Generaliter omnes interrogari poſſunt: ſi exercuit artem de ſe prohibitam, vel; ut in pluribus periculoſam; ſi aſſumpſit notas alterius, v. gratia, vendidit equum, ut de tali grege, cùm ſit inferioris, pannum ut Hollandicum, cùm ſit Venetus &c. In his caſibus, vel exigit pretium panni Hollandici; & peccat contra juſtitiam, teneturque reſtituere exceſſum; ſi verò dixit eſſe Hollandicum, ſed exegit pretium Veneti, poterit invalidus eſſe contractus, ubi deſit voluntas contrahentis omninò determinati ad Hollandicum: ſi mentitus fuit, vel pejeravit: ſi in officina admiſit ſimiles perſonas, aut detractores &c. Vel fœminas inhoneſtas, aut veſtitas contra dicta cap. 41. num. 37. ſi fecit uſuras, monopolium, vel contractum Mohatra: ſi rem cariùs vendit, quia utilis eſt ementi: ſi vendens ad credentiam, ex dilatione temporis, auget pretium. Sed quia ſinguli habere poſſunt vitia ſpecialia ideo.

72. Tabernarios; ſi pro puro vino dedit lymphatum, pretio puri; ſi conſervandum lymphavit, nam citò evaneſcit; ſi dedit vitioſas vecturas Itinerantibus; ſi aluit Meretrices, vel tenuit ludos illicitos; ſi cum culpa perdidit depoſita; Macellarios, ſi dedit unam carnem pro alia; Piſtores, ſi malè coxit panem, quod etiam nocet ſanitati; Sutores, ſi ſibi retinuit fruſta pannorum, ſi fecit veſtes inhoneſtas, ſi ſua culpa illas malè fuit; Argentarios, ſi loco argenti dedit alchimiam, ſi cudit monetam, ſi compoſuit, vel adhibuit aquam, cui immerſa minùs juſto emit lapidem pretioſum, vel è contra pluris vendidit; Laboratores agrorum, ſi *fecit*, ut dicunt, *terram nigram*, hoc eſt, malè coluit terram; Damnificat dominum, & tenetur reſtituere, quantum, arbitrio prudentis, cultura fructificaſſet; ſi contrà artem potavit vites, ut in anno ſequenti magis ſibi fructificarent, ſi permiſit ſuas beſtias nocere agro aliorum, ſi amicis dedit, vel permiſit fructus domini; Miniſtros vendentium: ſi emit res furto ablatas, ſi oblatas ſibi viliori pretio, ita, quod potuerit prudenter ſuſpicari de furto; ſi dixit Emptori

ptori mercem valere pluris, & ſibi retinuit exceſſum; ſi obedivit hero jubenti miſcere aquam vino, lacti &c. uti ponderibus, & menſuris falſis; Vectores mercium; Si cuſtodivit, ut rem propriam, ſi mutavit bonam in malam, ſi vehens vinum, aliofque liquores, accepit ſibi, & amicis, ſuppleuitque aqua, maximè impura viarum; Famulos, ſi notabiliter neglexit ſervitium heri, ſi publicavit ejus occultos defectus, ſi diviſit filium à Patre, uxorem à Marito &c. ſi obedivit in peccato, ut eſt deferre literas amatorias metrici, aſſiſtere illi, dum peccat, nè detegatur à marito, tenere ſcalas, dum aſcendit ad ſtuprandum &c. quæ omnia ſunt intrinſecè mala. Birruarios, ſi fecit relationem falſam, ſi ſuppoſuit arma in domo alicujus, ut poſſet illum carcerare; ſi ob pecuniam, dimiſit dignum carceratione; ſi tenuit manum furi; ſi neglexit noctu vigilare Urbem, ſi veroſimiliter judicans in una parte committendum delictum divertit ad aliam remotam, nè impediret &c.

Oeconomos.

73. Int. ſi adminiſtravit fideliter bona principalis, ſi hujus utilitatem quæſivit, ut propriam, ſi habens emere pro domino, ad emendum minori pretio, noluit vagari per officinas, & empturus pro ſe, ſubvertit Urbem, ut minùs ſolvat, quia recipit mercedem, ut quærat utilitatem domini, ſi, contrà hujus rationabilem voluntatem concedit debitoribus dilationem, quę ſolùm concedi poteſt à domino; ſi cum Mercatore pactus eſt frequentare ſuam officinam, ubi donet ſibi veſtem, carnes &c. quarum pretio gravat dominum, Mercator nolens perdere; ſi appropriavit ſibi ejus bona præſertim bona pupilli, ſi in ſuam utilitatem convertit pecuniam à domino acceptam pro ſolvendis debitis &c.

Cauſidicos.

74. Int. ſi patrocinatus eſt cauſam injuſtam, ſi de injuſtitia neglexit monere clientem, ſi clientis injuſtitiam revelavit parti adverſæ, quia facit contrà juſtitiam, ſecreta ſibi commiſſa publicando, præſertim inimico; ſi mercedem ſolito majorem exegit à Cliente, ſi præſtit patrocinium pauperi, ad quod tenetur ſub mortali, ſicut ad alia miſericordiæ opera; *pro locorum, temporum, & quarumcunque rerum opportunitatibus*, ut ait S. Auguſtinus, cujus locutionis proprium ſenſum ſi habeas explicare, vide par. 2. cap. 71. ſi cum Cliente pactus eſt de quota litis, ſi advocavit ignorans, ſi quæſivit dilationes frivolas, ſi litem amiſit ex ſua gravi negligentia; ſi Clientem induxit dicere falſum, maximè cum juramento, ſi produxit inſtrumenta falſa, ſi prætermittens merita causæ reſpexit ſolùm ad ordinem judiciarium. In hoc peccant Advocati, Judices, Conſiliarii, & ipſi Principes fatentes ſententiam ex meritis fuiſſe injuſtiſſimam, ſed proceſſum juridicè: In iſtis caſibus admonendus eſt Princeps, ut pro ſua poteſtate provideat. Prætexit juſtitiam, ſed verè violat, qui cauſatur ordinem judicarium ita exigere. Hic nunquam exigit ſententiam injuſtam.

Conjugatos.

75. Int. ſi contraxit cum impedimento Impediente, aut dirimente; in hoc ſecundo caſu peccavit contrahens, & inſuper quoties exercet actum aliquem conjugalem, ſive completum, ſive incompletum; neç à peccato excuſat metus infamiæ, aut mortis: nam quilibet actus eſt fornicarius, & intrinſecè malus: In ſecundo autem ſacrilegè peccavit, dum contraxit, ſed in reddendo non peccat, uti nec in petendo, niſi habeat votum Caſtitatis, quia tunc poteſt reddere, non petere; ſi contraxit ligatus cenſura: tunc enim peccavit in contrahendo; ſi conſumavit ante benedictionem, non eſt mortale, quia Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. *hortatur*, non præcipit, nè ante benedictionem cohabitent; ſi comparti exigenti debitum negavit, vel ad illud ſe reddidit impotentem; ſi non obtulit conjiciens probabile periculum incontinentiæ; ſi ob ſolàm voluptatem exercuit, eſt ſolùm veniale, ſicut in multis aliis caſibus; ſi exercens cogitavit aliam; ſi exercuit contra naturam: ſi uxorem ſævè tractavit, aut delinquentem fraternè non corripuit; ſi ab illa diſceſſit abſque licentia, præſertim ad longum tempus; ſi adulter exegit debitum; ſi Uxor curam domus graviter neglexit; ſi obedivit Viro; ſi ſe ornavit inhoneſtè, aut ſupra facultates; ſi bona diſtribuit, etiam ad eleemoſi-

nas,

nas, invito rationabiliter Viro, quia non eſt domina; ſi marito ſuppoſuit ſpurium ex adulterio ſibi natum: tenetur enim inducere ad Religionem, & reſarcire legitimis conſumpta in hujus favorem.

Patres familias.

76. Int. ſi per ſe, vel per Magiſtrum ita inſtruxit infantes, ut venientes ad uſum rationis, poſſent elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis; ſi juxtà ſtatum præſtavit alimenta; ſi providit infirmis; ſi applicuit ſcientiæ, vel arti juxtà ſtatum; ſi dotavit filias, & providit maſculis: ſi induxit ſervare præcepta Dei, & Eccleſiæ; ſi ſervis fuit abuſus ad malum, mittendo per ipſos ad meretrices munera, litteras &c. jubendo verberare &c. Ultrà proprium peccatum ſcandalizat, & facit peccare Servos; ſi angariavit, ita quod implere nequiverint præcepta Dei, & Eccleſiæ: Olim correxi nonnullos, qui malebant ſervire domino Hæretico, quam Catholico; reſponderunt ab illius ſervitio vacare, ut audirent Miſſam, toto mane dierum feſtorum; E'contra Catholicus prætexens, ut cum ipſo Miſſam audirent, plerumque tamen tunc mittebat ad alia ſervitia.

Familiam.

77. Int. ſi obedivit domino in licitis, vel illicitis, in dicendo Amaſiæ horam, vigilando, ne tunc maritus adveniat, ſternendo lectum &c., quæ omnia ſunt intrinſecè mala: ſi emendo, vel vendendo fraudavit de parte pretii, quod Romæ dicitur *facere Agreſtam*; ſi Patris familias ſecreta revelavit; ſi ſeminavit zizania inter ſocios, vel coram Domino impoſuit calumnias; ſi ad riſum inducturus pueros locutus fuit, vel operatus obſcæne; unde excitavit ad libidinem: Virgines verò, ſi fecit amorem, & quibus verbis; & an conjunctis deſiderio, vel moroſæ delectationi. Et ſi de conſenſu parentum fecit amorem, an ad finem matrimonii, an cum Juvene paris conditionis; alias eſt deceptio: an abſque periculo tam in ſe, quam incomparte: Plebis familiam Int. ſi provocavit ad ſaxa; ſi ad hoc collegit turmas, & quot pro parte; ſi in illis vulneravit Clericos, quia eſt excommunicatus, vel periculo ſe expoſuit &c.

Dominos temporales.

78. Int. ſi judicavit, aut væxavit Clericos; ſi damnavit injuſtè, vel denegavit juſtitiam petenti; ſi gabellas, aut collectas injuſtas impoſuit; ſi appropriavit ſibi bona Communitatis, aut privatorum, quæ in duplici tantùm caſu ex S. Thoma tangi poſſunt ob delictum, vel ob publicam neceſſitatem; & in hoc caſu taxare debet ſingulos (non unicum) proportionaliter; ſi diviſit populos, ut ipſe dominetur; ſi ambivit dilatare dominium. Olim Teologus Aſſentator ſui Principis ſcripſit in conſcientia obligari ad repetendum omne dominium, quod ante decem ſæcula poſſederant Prædeceſſores. Peſſimèque ceſſit Impugnatori. Tu ſcito juriſdictiones transferri donatione, præſcriptione, aliiſque modis, quibus transferuntur cætera bona: Juſtas autem belli cauſas, vide p. 2. c. 14. n. 11.

79. Int. ſi volens ſe vindicare Clericis, aggravavit conſanguineos, amicos, aut familiam: ſi bandivit: aut incarceravit injuſtè; ſi prohibuit aliquem teſtari; ſi ob intereſſe toleravit Uſurarios, meretrices &c. hæreticos &c. Plura mala tolerari poſſunt ad vitandum majùs, vel ad promovendum majus bonum publicum, ſed nunquam ob lucrum privatum; ſi coegit fœminas nubere, aut ingredi Monaſterium; ſi negavit audire Pupillos, & pauperes. Peccat mortaliter: nam tenetur per ſe, vel per Miniſtros ad audientiam publicam, vel rejecit Memorialia pauperum; ſi nimis ſe occupavit in ludis, pompis, venatione &c. ſi ſolvit ſua debita. Peccat multò magis quam ſubditus, quem per viam juſtitiæ poſſum cogere: contra Principem nihil juvat, & familiæ deſtruuntur: ſi ſervavit fidem, etiam hoſti ſervandam: Cuilibet eſt turpe nunc promittere, nunc diſpromittere; multò magis Principi; ſi permiſit duella in ſuis terris: ſi Patronus Eccleſiarum poſtpoſuit digniores, reſiſtentes ſuis cupiditatibus: ſi violavit immunitatem perſonarum, ſeu locorum; ſi elegit Officiales dignos &c.

Prin-

Principis Officiales.

80. Int. Judicem: ſi certò ſciens Innocentiam Rei damnavit, ſecundùm acta, & probata inſufficienter. Ex 2. 2. quæſt. 67. ar. 2. Judex debet judicare ſecundùm acta, & ſufficienter probata, non juxtà ſcientiam privatam, ſed, ut ſufficienter probentur, quando ipſe certò ſcit contrarium, debet priùs deponere officium Judicis, & aſſumere perſonam teſtis, ubi hoc prodeſſe poſſit innocenti; & peccat, ſi non deponat: ſi ſervavit ordinem juris; (At vide num. 74.) ſi nimis exactè ſervavit illium, reſpectu, maximè perſonarum ignorantium jura, ut ſunt viduæ, pupilli, miſerabiles &c. quos in contractibus cum potentiore, ſubiicit legi invincibiliter ignoratæ; imò veroſimiliter judicat fuiſſe deceptos: ſi cognoſcens juſtitiam pauperis, cauſam protrhaxit in longum, ſub variis prætextibus, ſed in veritate, nè judicaret contra potentem; ſi torturavit ſine indiciis juridicis; ſi negavir Advocatum pauperi; ſi cum damno interpoſuit ſuam authoritatem, in contractibus pupillorum, & mulierum: Conſiliarios: ſi conſenſit Principi in malum, aut in damnum tertii; ſi conſenſit in ſtatuta iniqua, vel contra Eccleſiam: Notarios, ſi fecit falſa inſtrumenta, vel adſtitit, etiam per ſolam antidatam; ſi poſuit in Protocollis, & locis à Principe deſtinatis: nam inde ſequuntur plura damna: ſi informavit rudes de damno, quod ſibi provenit in cedendo alicui juri: ſi Notarius Epiſcopi petiit aliquid contra Trident., & in aliis materiis contra Bullam Innocentianam: Reos: ſi ſe defendit caluminosè: ſi mediis aliis illicitis: ſi ſciens in juſtitiam ſuæ cauſæ adhùc litigavit, vel appellavit frivolè: ſi tacuit veritatem Judici legitimè interroganti: ſi adduxit teſtes pretio emptos, quia ad ſummum poteſt iſtis ſolvere ſuſtentationem.

Clericos.

81. Int. ſi notatus cenſura, vel antè tempus, aut contra Bullam Innocent. XII. ſuſcepit Ordines: aut exercuit, vel ſaltèm in peccato mortali; ſi contra Edictum, quod profert Epiſcopus in ipſa ordinatione: ſi contra diſpoſitionem Trident., & Canonum: ſi conſtitutus in ſacris ſatisfecit ſuæ triplici obligationi: ſi ſe immiſcuit negotiis ſæcularibus: ſi Sacerdos celebravit aliquotiès in anno: ſi tempore debito: ſi obſervavit Rubricas: ſi ante Miſſam recitavit Matutinum; quod ſecundùm aliquos eſt mortale: ſi obſervavit decreta de celebratione Miſſarum: ſi nimis diſtulit ſatisfacere oneribus: ſi conſcius peccati mortalis, & obligatus celebrare cum ſola contritione, quam primum fuit confeſſus &c. Beneficiatos: ſi quæſivit beneficium principaliter ob lucrum temporale: ſi habuit plura incompatibilia ſine diſpenſatione: ſi diſtribuit fructus, ut 2. 2. quæſt. 185. ar. 7. cum Commento: ſi quotidiè recitavit Officium: alias peccat contra juſtitiam; & tenetur reſtituere, ut in Inſtr. Cler. cap. 15. num. 7., ſi recitavit voluntariè diſtractus, aut in Choro, ex ſe ſolo: nam tenetur eodem modo; ſi obtinuit ſimoniacè; ſi conſumpſit fructus inhoneſtè; ſi conſumpſit aliquos in utilitatem ſuæ Eccleſiæ: Dolebat Gregorius XV. à quibuſdam erigi Romæ Templa ſumptuoſa, dum in partibus beneficia vetuſtate corruunt, indigentque utenſilibus ad ſacra facienda: ſi alienavit bona ſine cauſa, & debita ſolemnitate: ſi ſuas vices locavit pro annuo cenſu: ſi obligatus reſidere, non reſidet; ſi, cùm tenetur, antè profeſſionem fidei, accepit fructus, quos non facit ſuos.

Parochos.

82. Int. ſi habet Rituale, alioſque Libos à Trident., & Superiore præſcriptos; ſi promptè adminiſtrat Sacramenta ſuo tempore; ſi in feſtis docet Doctrinam Chriſtianam; ſi prædicat per ſe,

juxtà

juxtà præſcriptum Epiſcopi; & impeditus, per ſubſtitutum: ſi conſervat reverenter Euchariſtiam: ſi celebrat pro populo; ſi tollit ſcandala Parochiæ; ſi viſitat infirmos; ſi ſublevat pauperes de propriis, ubi poteſt, vel, ſi non poteſt; commendat ditioribus; ſi Plebi annunciat Feſta, & Jejunia; ſi, dum ſe abſentat à Parochia, obſervat, quæ mandat Trid. ſeſſ.24.c.1.

Regulares.

83. Int. ſi obſervat vota, & præcepta Religionis: nam peccat mortaliter, omittens, quæ indicuntur per verbum, *præcipere*, aut æquipollens; ſi accepit licentiam à Superiore confitendi externo; ſi regulam eſtò non obligantem ad mortale, tranſgreditur ex contemptu, vel cum ſcandalo: ſi tranſgreditur, prævidens ſuo exemplo relaxari poſſe à cæteris religionem in ſubſtantialibus: ut enim peccat mortaliter furans acinum uvæ, prævidens ab aliis devaſtandam ſuo exemplo vineam, ita prævidens peſſumdandum Communitatis bonum in materia gravi: ſi obſervavit decreta Pontificia de reformatione &c. Quoad paupertatem; ſi retinuit aliquid, ut proprium: ſi diſpoſuit abſque licentia Superioris expreſſa, vel tacita: Quælibet Religio habet votum paupertatis, & æquè abdicat proprium, ſed in diſponendo, alia eſt laxior, alia ſtrictior: Illius Superior poteſt concedere ad uſum quædam, quæ nequit iſta concedere: ſi diſpoſuit de ijs, quæ nunc concedi non poſſunt à Superiore. Apoſtoli emiſerant votum paupertatis, & diſponebant plura, ex licentia interpetativa S. Petri, ſæpè diſtantis per longa locorum intervalla. Sed nunc viget Bulla *de Largitione munerum*, & aliæ de bonis Monaſterii: Nota, quod Religioſus, eſtò non habeat dominium, habet tamen quoddam jus particulare læſum ab uſurpante bona per Superiorem alteri conceſſa: Igitur int. ſi furatus eſt è Cella alterius, vel è publica officina: In primo caſu fecit duplicem injuriam, Communitati, & Privato: ſi accepit conciones, alia ſcripta &c. Quoad votum obedientiæ: ſi renuit obedire Superiori legitimo præcipienti *In virtute ſanctæ Obedientiæ*, vel æquipollenter: Ut ſcias quando violet votum, quære priùs quomodo ſuæ Conſtitutiones explicent violationem hujus voti (ordinariè video explicari per talem particulam, vel ſimilem) Quoad votum Caſtitatis vide n. 40.; & ſis oculatior cum Regularibus, & propter votum, &, quia magis frequentant Sacramenta; ideò, ſi aſſueſcant, ſunt in majori periculo multiplicandi alia ſacrilegia.

84. Quoad alia generaliter, poteſt cadere Religioſus æquè, ac Sæcularis; aliqua tamen peccata ſunt illi frequentiora: Igitur int. ſi odio habuit fratrem, ſi invidit ſi amoris communia ſigna exhibuit; ſi injecit manus violentas; ſi reſpiciens ad carnem Superior elegit non digniores, ſed qui eſſent amici, nationales &c. Superior, ut membrum principale corporis myſtici, eligens utilem ſibi, eligit utilem membro, ſed non toti corpori: reſpiciat ad ſe, ſed magis ad Communitatem ſi fovet, aut patitur ab aliis foveri partialitates: ſi benedicit ore, & maledicit corde, expectans tempus Capitulorum, ut opprimat irreparabiliter adverſarium: ſi hujus feſtucam videns non conſiderat trabem ſuam: ſi revelavit defectus occultos: Non nemo docet Religioſum cedere juri, quod habet, ut fraternè corripiatur: Meo videri præceptum Chriſti obligat non peccantem, ſed videntem peccare: Quidquid igitur ego cedam, videns debet obedire Chriſto: ſi fecit conventiculas ad detrahendum fratri, maximè Superiori: ſi operatus eſt juxtà inſtitutum. Aliquis pro victu in ſæculo portaſſet pondus diei, & æſtus, factuſque Religioſus, nec digitum vult movere, contentus nihil agere, contra regulam, prætexens, nè laboret, modò infirmitates, & modò aliorum exemptiones &c.

Moniales.

85. Ultra jam dicta de Religoſis; Int. ſi violavit clauſuram, etiam aſcendendo ſupra tectum: ſi frequentavit Chorum: ſi ab illo aliquoties impedita recitavit per ſe Officium; ſi frequentavit crates, maximè, cum ſcandalo, & contra ordinem Superioris: ſi allocuta eſt Religioſum prohibitum eccedere: Hos ſolos afficit

·it prohibitio, ſed Monialis cooperatur peccato illorum, ſi frequentavit colloquia Sæcularium, quærens, an fuerit cum periculo propriæ pudicitiæ, vel alienæ; quod ſi reſpondeat neſcire, jam ſe expoſuit periculo: ſi converſata eſt inhoneſtè cum educanda, vel cum alia Moniali: in iſto caſu eſt duplex ſacrilegium: ſi cum Sacerdote in confeſſionali: tunc reſultat obligatio denunciandi: ſi contrà Edictum Clementis XI. expendit in ingreſſu, & profeſſione, vel in Officiis &c. Hæc, & ſimilia poterit quærere Confeſſor proportionatè ad cujuſque ſtatum, pro qualitate, ætate, ſexu, & diſpoſitione Pænitentium.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX RERUM MEMORABILIUM

PRIMÆ PARTIS.

A

ABſolutionis Sacerdotalis virtus 9. 14. qui ſint illius capaces 21. 26. illi preces adjunctæ qualitèr recitandæ. Epiſcopus punit deficientem in illis 21. 30. Invalida eſt abſolutio approbati, ſed non dum habentis juriſdictionem, uti; & injuſtè reprobati 27. 12. A venialibus abſolvere priùs licebat cuilibet Sacerdoti; nunc non licet 26. 3. quibus in caſibus differenda ſit Abſolutio ex S. Carolo. 31. à n. 19. ubi uſque ad n. 41. habes multos caſus in particulari elucidatos. Ut ſit valida, ex parte Miniſtri requiritur quatuor, quòd ſit Sacerdos, habeat juriſdictionem, intentionem, & proferat formam 36. 4. Vide verbo *Confeſſor*, & *Pœnitentia*. Propoſitiones prohibitæ circa Abſolutionem. 47. 6. nunquam poteſt ſimulari. 47. 5.

Actus interni Animæ noſtræ dantur. 127. 2. & ſeqq. principaliter ſunt quatuor Simplex Complacentia, Deſiderium, Intentio, & Electio. 128. 3. eorum duplex principium, intrinſecum, & extrinſecum: utriuſque differentia 132. 1. Actuum virtuoſorum alii perfecti, & alii imperfecti. 133. 2. etiam in linea Donorum 133. 3. Hi ſunt præambula (nè litigatur de nomine) ad actus perfectos donorum; & eſſe poſſunt in peccatore ibid. Actuum bonorum extrinſecum principium Deus per ſuam gratiam. 133. 4.

Amare eſt velle bonum, & Odire velle malum. 128. 2. Amare, & Odire ſunt genera; quare quid ulteriùs faciat Pœnitens, ut peccati ſpeciem explicet in confeſſione. 128. 2.

Annus diſcretionis quando incipiat. 22. 5. Deus in illo amandus ibid. & ideò etiam credendum tunc, & ſperandum in Deum, ſine qua fide, & ſpe nequit amari.

Appetitus hominis duplex: Intellectivus, qui dicitur Voluntas, & ſenſitivus. 130. 2. Hujus duæ Potentiæ Iraſcibilis, & Concupiſcibilis; objectum utriuſque. 130. 3. Utriuſque actus vocantur Paſſiones, & quare? ibid.

In Articulo mortis, multa retrahunt ab amore Dei, ſine quo nequit eſſe vera pœnitentia. 10. 17. quomodo conferenda tunc abſolutio. 21. 27. ſeqq. 2. Attritionem pro ſacramentis mortuorum volui ſemper ego conjunctam initiali amori Dei. 40. 3. Vide *Dolor*, *Confeſſio* &c.

1. *Attentè perlegas*, *& accuratè obſerves*; hæc verba quid importent. 27. 13

Ab Authoritate locus infirmiſſimus. 159. 10.

B

BArtoli cautela in reſpondendo, quam debeat imitari Confeſſor. 153. 10.

Beatitudines ſunt actus perfecti Donorum. 133. 3.

Benedictio, ſeù Abſolutio Generalis, quæ datur Confratribus SS. Trinitatis importat participationem ſuffragiorum Ordinis, & dari poteſt in Anno Sancto. 102. 24.

Bullæ Cœnæ Canones. 69. & ſeqq. in quarto non comprehenditur ſurripiens bona Hæreticorum. 70. 11. in ſeptimo comprehenditur mittens ad Hæreticos, quæ dicuntur *Avviſi* ordinariè plena mendaciis, in damnum Religionis Chriſtianæ. 71. 17. qui Princeps non includatur in octavo. 71. 19. in decimo includitur vexans accedentem ad Urbem, ſi ad id vexet: ſecùs ſi caſu. 71. 24. Hæc Bulla tollit facultatem Epiſcopiſà Tridentino conceſſam. 74. 43. excommunicatur abſolvens à cenſuris in illa contentis ibid. 44. quæ ignorantia excuſet. 74. 45. ab omnibus debet haberi, legi, & percipi. 74. 45

C

Canones antiqui Pœnitentiales dantur. 47. & ſeq. non ſemper juxtà eos regulandus Pœnitens 58.1. ſæpiùs enunciandi, non injungendi, 59.5. quare relaverit notitiam illorum S. Carolus. 59. 6.
Cardinalis Caſanate affectus in doctrinam literalem S. Thomæ. 126. 8.
Ex Charitate tenemur proximo in ejus vera neceſſitate, non quando voluntariè in illa perſeverat; & explicatur exemplis. 46. 3.
S Caroli monita recepta in Diœceſi Romana. 29. 1. illa redegit in Rituale Romanum Paulus V. 29. 1. datur eorum ſumma. ibid. & ſeqq. S. Caroli oratio pro Confeſſoribus. 30. 12.
Caſtitas non admittit parvitatem materiæ. 148. 6.
Caſus, quos in Italiâ, extra Urbem, Privilegiati non poſſunt abſolvere. 25. 6. Papales reſervantur ratione cenſuræ duo, ratione ſui, & quæ hæc ſint. 26. 7. quid importet reſervari ratione cenſuræ 26.7. Caſuum Conferentiæ ſunt conſilium Peritorum. 27. 14.
Catechiſmus Romanus ſæpè legendus. 14. 1.
Cauſa univerſalis influit in particularem motum, ut actu hæc cauſet. 133.4. etiam in particularem contingentem, cui propterea non tollit potentialitatem ad utrumlibet. 133. 5. quod probatur ex illo principio, *Concluſio ſequitur debiliorem partem*. 134. 5.
Cautio quid ſit. 23.12.
Cenſurarum, Irregularitatum, & aliarum pœnarum Eccleſiaſticarum Catalogus, à pag. 74. & ſeqq.
Circumſtantiæ peccati conſiderandæ à Pœnitente. 7. 7. circumſtantia notabiliter aggravans in furto, ex Catechiſmo aperienda in confeſſione. 16. 10. quæ ex ſui ratione opponuntur alteri virtuti, aut eidem per exceſſum, vel defectum, transferunt in aliam ſpeciem. 137. 10. ſuas in peccatis conſiderabit Confeſſor, & dantur p. 138. 11. differiturque particulariter de illis in ſeqq. Notabiliter aggravantes aperiendæ in confeſſione, ſi variant notabiliter judicium Confeſſoris. 140. 20.
Claves duæ: altera ſcientiæ: altera ligandi, & ſolvendi. 8. 11. & ſeqq. Prima confert poteſtatem judicandi. 9.16.
Collatio ſerotina in jejunio introducta, ex conſuetudine. 154. 12.
Complacentia: Vide *Delectatio*.
Conditio de futuro invalidat ſacramentum; non ita conditio de præſenti, & præterito. 45. 3. Hæ ultimæ conditiones, etiam licitè apponuntur ad evitandum majus malum; explicatur, quòd nam ſit hoc malum. 46. 5.
In Concionatoribus quid exigendum ab Epiſcopis. 2. 4.
De confeſſione decretum Lateranenſe. 21. 1. & ſeqq. quare non ſatisfacimus præcepto Eccleſiæ per confeſſionem voluntariè nullam. 22.7. de conſilio Sacerdotis differri poteſt ultra tempus Paſchale. 22. 10. nequit fieri in domo privata. 25. 3. confeſſiones audiendi licentiâ quiſque debet uti juxtà limitationem Ordinarii. 29. 3. ad confeſſionem generalem qui inducendi. 31. 15. & quomodo in illa tractandi. 160. 13. Confeſſionis ſexdecim conditiones. 40. 4. duplex illius integritas materialis, & formalis explicatur, 41. 5. Vide *Sacramentum Pœnitentiæ*; *Sigillum*.
Confeſſor quomodo dignoſcatur moveri ſtipendio. 1. 1. peccata, quibus ſe exponit, ſi in ſufficiens velit audire confeſſiones. 1. 2. ejus ſcientia debet eſſe Theorica, & practica. 2. 4. univerſalis; at quæ magis ſcienda ſint in Urbe. 2. 4. debet eſſe, qualis Juriſtarum. 3. 6. qui ſit malus ſibi, non aliis. 2. 1. damna mali Confeſſoris. 4. 2. utilitates boni. 4. 3. habeat bonitatem, & ſcientiam, ſed præcipuè bonitatem. 5. 11. 29. 6. indoctus quando abſolvat invalidè q. ando illicitè, quando licitè, 9. 16. qualiter peccet nolens audire pœnitentem. 19. 10. ubi, & qualiter debeat audire. 19. 11. & ſeqq. 30. 9. quid inculcet pœnitenti. 19. 17. de quibus illum interroget. 20. 19. cautus in interrogando juniores. 20. 20. ſibi non applicet pœnitentias pecuniarias 20. 24. pro peccatis occultis non det pœnitentias publicas 21. 25. quando præcipuè adſiſtet Confeſſionali. 30. 7. Regularis ad infirmos vocatus conveniat cum Parocho. 30. 8. preparet ſe oratione 30. 11. Confeſſor ſtabilis eſt conſulendus. 30. 12. Exerceat officium Judicis, Medici, & Doctoris. 35. 2. adaptet ſe capacitati Pœnitentium. 35. 4. ut licitè abſolvat, eſſe debet in gratia. 36. 8. Confeſſor excommunicatus, & vitandus, ut carens juriſdictione, omninò invalidè abſolvit, etiamſi pœnitens invincibiliter ignoret excommunicationem. Toleratus in neceſſita-

Digitized by Google

ceſſitate abſolvit validè Pœnitentem, eſtò ſciat excommunicationem, extrà neceſſitatem invalidè abſolvit ex defectu Pœnitentis cooperantis peccato Confeſſoris 36. 9. Vide: *Abſolutio: Sacramentum Pænitentiæ* &c.
Conjugalis actus in Eccleſia exercitus eſt peccatum mortale. 149. 7.
Ex Conſcientia erronea, vel dubia operans, quòd de ſe non eſt mortale, peccat mortaliter. 149. 4. qui habitus illi efformandæ concurrant. 157. 1. quid ſit, & quotuplex 157. 2. 3. quam ex illis poſſim ſequi vide in ſeqq.
Conſenſus communis timoratorum magni faciendus. 147. 5.
Conſilium eſt inquiſitio mediorum ad finem. 129. 20.
Conſolatio ſpiritus quid importet. 4. 6.
Conſtitutiones Prædicatorum, uti, & Regularium aliæ complures de ſe non obligant ad culpam. 153. 8.
Conſuetudinarius eſt, qui peccat ex habitu. 97. 2. an explicare debeat conſuetudinem, vide 98. 4. ordinariè debet probari. ibid.
Conſuetudo poteſt eſſe voluntaria directè, & indirectè, qui termini explicantur. 98. 4. an idem ſit cum exerciti, videndum apud Canoniſtas. 98. 8. nequit tollere legem divinam, & naturalem. 154. 12. quando tollat humanam, & datur regula dignoſcendi, an ſit uſus, an abuſus. ibid. recitare officium diſtractè eſt abuſus. ibid. quas leges humanas tollere poſſit. 154. 13. quotuplex. 155. 14.
Ex Contemptu peccans peccat mortaliter, nec excuſatur ob parvitatem materiæ; & quando dicatur quis operari ex contemptu. Regula S. Thomæ. 150. 10
Contractus illicitos exercenti abſolutio neganda, niſi priùs reſcindat. 33. 39.
Contritio duplex, perfecta, & imperfecta: illa juſtificat ante abſolutionem, ſed cum voto abſolutionis. 7. 10. Vis hujus explicanda populo, ut poſſit ſemper elicere. 15. 8. ut ſit perfectiſſima, debet eſſe ſuper omnia appretiativè, & intenſivè, ſed eſt vera, & efficax, eſtò non ſit ſuper omnia intenſivè; tamen debemus eniti ad hanc intenſionem. 15. 8. non poteſt reprobari à Deo. 16. 8. includit dolorem, & propoſitum; utrumque ſuper omnia ſaltèm appretiativè: ſenſibilis, & per quid reddatur talis: univerſalis, & per quid talis: ſupernaturalis; & quomodo talis dignoſcatur. 39. 3. ferotina ſufficit ad confeſſionem ſequentis dei, ſi hæc procedit in virtute illius. 40. 3.
Credere actu, & ſcire ſunt duo diverſa: ad illud tenemur præcepto affirmativo Fidei, ad hoc negativo doni ſcientiæ 142. 4.
Crudelitas eſt peccatum oppoſitum dono Spiritus Sancti, ſcilicèt, Pietati. 136. 8. ubi ex errore citatur Sanctus Thom. a. 12. cum ſit a. 2.

D

Damna, quæ Peccator incurrit, enumerantur. 8. 11. quæ reparentur per gratiam ſanctificantem, & quæ per ſacramentalem. 8. 12.
Decretalium volumen collectum ex caſibus, quos Epiſcopi verentes per ſe decidere, mittebant ad Sedem Apoſtolicam. 37. 11.
Delectatio eſt ſimplex complacentia de objecto cogitato abſque ordine ad opus. 128. 4. ſequitur naturam actus: 128. 5. quare de actu conjugali eſt licita maritatis abſque periculo ulteriori, ſed illicita viduis, & ſponſis de futuro; & ratio: ibid. de re malà, quia prohibità, non eſt peccatum. 128. 6. unde dicatur delectatio moroſa. 128. 5. in delectatione moroſà contra Caſtitatem explicandæ ſunt circumſtantiæ ſubjecti, & objecti. 129. 7.
Deſiderium eſt actus tenendus ad opus. 129. 8. de re mala tantum, quia prohibità, eſt malum. ibid.
Diſcretio quid ſit. 22. 22.
Doctor, qui ex profeſſo, & diffusè rem tractat, pluris faciendus. 126. 1. ad quid adhibendi, qui Moralem compendio redegerunt. ibid.
Dolor peccatorum debet eſſe univerſalis in motivo ſaltèm. 7. 7. convenit dolere particularitèr de ſingulis. ibid. 15. 8. 33. 42. erit motivum univerſale, ſi doleat ob metum gehennæ: ſed particulare, ſi doleat ob turpitudinem peccati contra determinatam virtutem. Ratio. 39. 3. Doloris motivum pro ſacramento nequit eſſe pœna temporalis. ibid. Doloris efficaciam interrumpens novo peccato, ut abſolvatur validè, novum dolorem debet elicere. 39. 3. Vide: *Contritio, Sacramentum Pænitentiæ* &c.
Dona Spiritus Sancti ſeptem. 132. 2.
In Dubiis melior eſt conditio poſſidentis, et in Dubiis tutior pars eſt eligenda, quomodo intelligatur. 158. 9.

Ele-

Digitized by Google

E

ELectio, eſt mediorum in finem. 129. 10. eligere parato duo mala, poſſum ſuadere minus: non ita, ſi non eſt paratus ad utrumque. 46. 3.
Eleemoſina qualis eſſe debeat, ut proſit. 7. 6. eleemoſinis Deo ſatisfaciendum. 7. 8.
Emendare futura quid importet. 7. 6. Emendatus eſt notabilitèr, qui prius peccans quadrageſiès in menſe, nùnc peccat quater tantùm. 98. 4.
Epiſcopi à quibus cenſuris, & quos abſolvere poſſint, & à qua Irregularitate diſpenſare. 95. ut Doctores à Deo Eccleſiæ dati, maximè ſunt conſulendi Confeſſario. 146. 2.
Epiſtola Eminentiſ. Cardinalis de Carpineo Confeſſoribus Urbis. 27. 17. ſeqq.
Erubeſcientia in confitendo diminuit aliquid pœnæ temporalis. 10. 19.
Examinatorum Urbis methodus. 1. 3. eorum prudentia. 35. 1.
2. Examen conſcientiæ ad confeſſionem præexigitur, & quare 16. 10. Confeſſio erit ſacrilega, ſi ſit nimis remiſſum. ibid. quantum in eo temporis ponendum 31. 15. præmittendum, ne quis ſe exponat periculo omittendi peccata. 40. 4.
Euchariſtiam aliqui dicunt non poſſe prohiberi ob venialia, ſed convincuntur. 61. 4.
Excommunicationis effectus. 9. 15. duplex, major, & minor: hæc incurritur ob veniale peccatum, & quando. 60. 3. major infligitur ob mortale peccatum contumaciæ quid ſuper hoc dicant Tridentinum, & Angelicus. 64. 14. differentia inter excommunicationem nullam, & injuſtam. 63. 12. quando incurratur ſtatìm commiſſo delicto. 63. 13. propoſitiones circa illam prohibitæ. 64. 16. prohibitæ circa illius abſolutionem. 69. 23. pœnæ abſolventis abſque legitima facultate. 64. 24. 97. 7. excommunicatio à jure, niſi reſervetur, poteſt abſolvi per quemcunque Confeſſorem. 95. 1. nulla reſervatur pro articulo mortis 95. 2. quid præmittendum ab eo, qui petit abſolvi. 95. 2. Occultam, ſi grave ſcandalum immineat, abſolvet Confeſſor; ſed indirectè pœnitens remanebit abſolutus 96. 3. & quomodo tùnc procedet Confeſſor. ibid.
Excommunicati poſt Martinum V. juriſdictione non privantur, niſi ſint vitandi. 61. 5. adminiſtrantes ſacramenta committunt duplex peccatum explicandum in confeſſione. 61. 5. quando cum illo communicans incurrat majorem excommunicationem. 62. 7. 8. quando nullam. 62. 9. qualitèr in uno loco poſſimus communicare cum excommunicato in alio. 63. 10.

F

FIdelitas pertinet ad veracitatem. 22. 7. Fides confeſſionis relinquenda infirmo, etiam ſi confiteatur ſacrilegè, dummodò non ſimulet confeſſionem. 26. 8.
Finis prævalere ſemper debet mediis. 46. 4. 5. finem ultimum conſtituens in creaturis peccat mortaliter; nèc in hoc excuſat materiæ parvitas. 150. 9.
Flagellat Deus quinque modis. 6. 5.
Fœminæ honoratiores cum quanto periculo ſe accuſant de peccatis contrà Caſtitatem; niſi ſubveniat Confeſſoris prudentia. 128. 3.
Forma naturalitèr introducitur mediantibus diſpoſitionibus. 8. 13.
Fructus Spiritus Sancti ſunt actus perfecti Donorum. 133. 4.

G

GRatiæ neceſſitas ex Catechiſmo. 133. 4. major poſt peccatum primi hominis. 134. 6. illuminato intellectu, adhùc requiritur gratia ex parte voluntatis. 134. 6.

H

HÆreſis in Jubilæo non poteſt abſolvi, & decretum ſuper hoc. 96. 5.
Hæreticus ut dicatur Chriſtianus, quid requiritur. 69. 3. Hæretici naufragantis bona ſurripiens non incidit in Bullam Cœnæ. 70. 22.

I

IGnorantia quænàm excuſet ab incurſu cenſuræ. 63. 11. Ignorantia, Inadvertentia, & Error quomodo diſtinguantur. 141. 1. Ignorantia Juris eſt, ſi ignoro præmiſſam univerſalem ſyllogiſmi operabilis. Ignorantia facti eſt, ſi ignoro particularem. 141. 2. ignorantia invincibilis, quando adſit. 143. 8. non eſt peccatum. ibid. poteſt dari dè myſteriis Fidei, ſed quando, & in quibus. 143. 8. an dari poſſit invincibilis ignorantia Juris natu-

naturæ. 143. 10. ubi extat regula S. Th. poteſt dari talis circà jus divinum. 144. 12. & Eccleſiæ. 144. 14.

Ignorantia facti, non Juris excuſat, hoc adagium quomodo intelligendum. 144. 15. Ignorans aliquid eſſe peccatum, quod ſi ſciret, adhùc faceret, an admonendus à Confeſſore. 145. 17. Ignorantia vincibilis neceſſariorum ad ſalutem eſt peccatum contra donum Scientiæ. 145. 18. peccatum beſtiale. 146. 19. ex ignorantia, ſeu inadvertentia ſemiplena operans peccat venialiter. 147. 4.

Impedimenta nonnulla referuntur, per quorum aliqua confeſſio adhuc eſt integra, & per alia non eſt. 41. 4.

Indulgentia delet pœnam debitam peccato jam deleto quoad maculam. 44. 12. Differentia inter plenariam, ad tempus, & Jubilæum. 45. 13. illam Papa concedit ex plena poteſtatè à Chriſto ſibi tradita. 99. 1. ad Indulgentias acquirendas Confeſſor incitabit Pœnitentem. 99. 2. innuuntur conceſſæ Confratribus Sanct. Trinitatis recognitæ à Sede Apoſtolicà. 100. 5. & ſeqq. quid faciendum, ut illas conſequatur. 101. 23. quid reſpondeat Confeſſor, ubi petitur, quæ pro illà conſequēda ſint faciendæ orationes. 101. 23. illam lucraturus ponet opera cum ordine indicato quoad ſubſtantiam. 102. 25. declaratur clauſula quædam apponi ſolita in Indulgentiis, ex S. Congrgatione. 102. 26. ad Indulgentias pro defunctis excitandus Pœnitens. 102. 27. Privilegiati Altaris Indulgentia quot Miſſas exigat, & dubia ſuper hoc declarata per S. Congregationem. ibid.

Injuria de ſe venialis jacta in patrem à filio, redditur peccatum mortale, ob gravem irreverentiam. 149. 5.

Injuſtè approbans, & reprobans Confeſſores, peccat contra Juſtitiam. 27. 12.

Inſtructiones variæ à S. Carolo, traditæ quibus Confeſſor debet dirigere Pœnitentes. 34. 49. Inſtructionum aliæ ſunt authoritativæ, aliæ doctrinales, & in quo differant. 35. 50.

Intellectus hominis in quo differat ab Angelico. 149. 4. Intellectus etiam vocatur habitus primorum principiorum ſpeculabilium 151. 4. Intellectus, Donum Spiritus Sancti, eſt habitus judicans de myſteriis Fidei, & legibus divinis. 152. 5.

Intentio de abſolvendo eſt faciendi, quod facit Eccleſia, hoc eſt, faciendi ſacramentum, ſed non producendi effectum ſacramenti. 36. 7. eſt voluntas circa finē. 129. 9.

SS. JOANNIS de Matha, & FOELICSI Valeſii breve elogium ex Bulla Innocentii XI. 100. 2.

P. Joſephus de Monier laudatur. 100. 5.

Ex Ira procedens opus, v. gr. blaſpemia, non eſt peccatum, ſi blaſphemans prorumpat in verba imaginata, non conſiderans eorum ſignificationem; ſecus eſt peccatum, eſtò in ira commiſſum. 131. 7.

Jubilæi formula priùs conſideranda, ut ſciat Sacerdos, quæ poſſit abſolvere. 68. 21. datur hæc formula. 96. 4.

Judex debet judicare ſecundum leges, & rationes petitas è viſceribus legis. 146. 1.

Judicium authoritativum, & doctrinale quomodo differant. 9. 16. triplex haberi poteſt de re, de perſona, & de remedio applicando, quomodo in quolibet procedendum. 146. 2.

Juriſdictio ad abſolvendum, ordinaria, & delegata. 36. 5.

Ad Juſtificationem Tridentinum, requirit treſdecim diſpoſitiones, quarum ultima eſt voluntaria ſuſceptio gratiæ, & donorum. 11. 1. & ſeqq. omnes in Pœnitente curabit Confeſſor. 12. 16.

L

LEx humana eſt imago naturalis impreſſæ in nobis à Deo. 135. 5. Legum notitia Confeſſori neceſſaria. 152. 6. datur legis definitio. 468. 6. qualitèr promulgetur. 152. 7. illam interpretatur, qui condit. ib. 6. diſtinguitur à præcepto, & quomodo. 153. 7. Tam Realis, quam Pœnalis, & Mixta poſſunt in conſcientia obligare: An autem obligent de facto, nequit dari regula. 153. 8. lex, & præceptum diverſimodè obligant. 153. 9. legibus loci, an Peregrinus teneatur, nequit determinari generaliter, datur regula ad dignoſcendum, quibus teneatur, & quibus non: 154. 11. Alia lex obligat per ſe, alia per accidens, quæ diſtinctio eſt maximè attendenda Confeſſori. 155. 16. Confeſſor quas primariò teneatur ſcire. 156. 17. Vide *Conſuetudo*.

Libertatis Eccleſiaſticæ, violatores, quid præmittere debeant, ut abſolvantur 95. 2.

Libri à Confeſſore legendi. 37. 11.

Luxuria contra naturam eſt peccatum in Spiritum Sanctum. 137. 8.

M

EX Magiſtro Sententiarum hauſere Theologi. 5. 1.
Materiæ parvitas diminuit peccatum, de illa Theologi antiqui non tractarunt fugientes omne peccatum ex plena delibe- ratione. 147. 5. datur regula generalis, quæ peccata excuſari poſſint à mortali ob parvitatem materiæ. 147. 6. quædam enumerantur, quæ non admittunt. 148. 6. quæ peccata contra legem humanam admittant parvitatem materiæ. 148. 8. quæ ſit materiæ parvitas nequit generaliter definiri. 149. 9.
Matrimonium qui contraxit cum impedimento dirimente occulto, potius quam reddere, debet ſuſtinere mortem, & excommunicationem. 63. 12. etiam dum expectatur Apoſtolica diſpenſatio; & hujus ratio. 67. 14. qua obtenta, renovandus eſt mutuus conſenſus, ſed, nè prodatur crimen, innuitur modus renovandi. ibid.
Medicus debet relinquere curam infirmi, quando in tertia die non videt fidem confeſſionis. 26. 8. Jurat hoc: quare delinquens dupliciter peccat. ibid.
Mendacium in confeſſione, quando invalidet ſacramentum. 10. 20.
Meritum de condigno, & de congruo, explicantur. 42. 8.

N

NIcolai Antonii Cuggiò zelus, & labor. 64 15.

O

OBſtinatio eſt peccatum in Spiritum Sanctum. 137. 8.
Occaſio proxima eſt, in qua quis poſitus ſæpè peccat. 32. 29. quando differenda in iis abſolutio. ibid. eſt duplex voluntaria, & involuntaria, & quomodo in illa conſtituti Pœnitentes tractandi. 32. 30. Occaſio proxima ratione particularis perſonæ quomodo tollenda. 33. 31. & ſeqq. occaſioni proximæ peccandi ſe exponit. 98. 5. ita ſe exponere eſt peccatum eſtò non ſequatur peccatum, cui me expono. ibid.
Odire eſt velle malum, quod eſt genus habens ſub ſe plures ſpecies. 127. 2.
Operans benè utitur bono ſyllogiſmo: At operans malè utitur ſyllogiſmo quatuor terminorum. 150. 2. quilibet ad operandum movetur ſyllogiſmo cum prima pre miſſa univerſali, & ſecunda particulari. 146. 3.
Ex Opere operato qualiter in ſacramentis conferatur gratia major uni, quam alteri. 4. 7.
Opus mortuum, & mortificatum qualiter differant. 59. elicitum ſine charitate, licèt bonum, non eſt ſatisfactorium. 7. 6. qualiter aliquod opus de ſe ſatisfactorium, debeat præcedere confeſſionem. 19. 15. Operis boni fructus triplex, Meritum, Impetratio, & Satisfactio: Ultiman duo funditur in primo. 42. 7. Utiliſſimum eſt opus bonum à peccatore factum. ibid.
Orare qualitèr poſſimus, vel non poſſimus pro excommunicatis. 61. 6.
Ornatus vanus fœminarum quando ſit peccatum mortale. 31. 24. & ſeqq.

P

PArochi obligatio ad explicandum Pœnitentiæ Sacramentum. 14. 2. 15. 5.
Paſſiones Animæ in iis præſertim moderandæ, qui frequentant ſacramenta. 130. 1. ſunt cum immutatione corporis. 130. 4. ſunt undecim, & referuntur. 130. 4. ſex pertinent ad Iraſcibilem, quinque ad Concupiſcibilem. 131. 5. de ſe non ſunt peccata, ſed à Deo inſertæ, ut nobis auxilientur ab bonum. 131. 6. quando ſint peccata. ibid. ſunt genera; ideò ulterius in confeſſione perquirende ſpecies. 132. 8.
Remedium ad illarum moderationem. ibid.
Pax quid importet. 4. 4.
Peccator petens confeſſionem, & moriens ante Confeſſoris adventum, juvandus Eccleſiæ ſuffragiis. 10. 17.
Peccati mortalis reatus, quoad culpam, non dimittitur poſt hanc vitam, ſed ſolùm quoad pœnam. Venialis reatus quoad culpam dimittitur etiam poſt hanc vitam per actus ferventis charitatis. 10. 18. leviora venialia dimittuntur, dicendo *Confiteor*, ſi adjungatur alicui diſplicentiæ. 10. 19. peccati macula ſemel dimiſſa, non ampliùs redit. 11. 22. Peccatum dubium materia neceſſaria, non ſufficiens Sacramenti. 39. 1. aliquid eſt peccatum ſub una circumſtantia, quod non eſt ſub alia, & declaratur. 45. 3. peccatum externum confitens fatetur & actus internos, non è contra. 128. 3. ordina-

dinariè, non ſemper contingit, quia concupiſcentia trahit voluntatem. 130. 2. omiſſionis, & commiſſionis diſtinguuntur ſpecie, ideò particularitèr explicanda. 135. 3. mortale eſt contra legem charitatis: veniale præter. 135. 4. ex qua ratione peccata ſpecie diſtinguuntur. 136. 7. etiam peccata contra dona Spiritus Sancti. 136. 8. hæc ſunt, quæ Philoſophus dixit beſtialia. ibid. diſtinctio numerica peccati unde habeatur. 137. 9. dicitur mortale ex ſuo genere, quod opponitur charitati, vel mediis neceſſariis ad conſervandam charitatem. 136. 6 ex genere ſuo mortale, quotupliciter poſſit reddi veniale. 147. 4. & ſeqq. de ſe veniale, ſi inde prævideatur grave damnum ſit mortale. 149. 6. ſicut ſi ad illud adhibeam media ſub mortali prohibita. 150. 2. Peccati Philoſophici inſubſiſtentia ex ratione adducta. 122. 2.

Peregrini. vide *Lex*.

Periculum proximum explicatur. 97. 2. illi ſe exponens peccat eadem peccati ſpecie, cui ſe exponit. 98. 6. etiamſi non ſequatur peccatum. ibid.

S. Philippi Nerii Congregationis ſtudium in audiendis confeſſionibus. 5. 10. Sanctus ſuis unicè voluit prælegi textum Doctoris Angelici. 126. 2.

Pœnitentia quid ſit. 5. 2. duplex, interior, & exterior: hæc eſt ſacramentum: illa virtus. ibid. poſt pœnitentiam adhùc poſſumus peccare, & fundamenta opinionis contrariæ. 6. 3. an poſſit eſſe de uno peccato ſine alio. 6. 4. quæ ſit digna pœnitentia. 6. 6. poſt pœnitentiam non ſtatim accedendum ad communionem 7. 8. Pœnitentia falſa quæ. 7. 8. veræ pœnitentiæ ſpecies. 7. 9. nulli deneganda in fine vitæ, ſed non differenda tunc. 10. 17. Pœnitentiæ virtus ex Catechiſmo eſt, qua *unius Dei cauſa* dolemus de peccatis, & *ad Deum nos ex animo convertimus* &c. 14. 3. quid importet; ibid 15. 4. Ut virtus eſt habitus inclinans ad dolendum de peccato &c. elicit actus perfectos: imperfecti autem ſunt per actuale auxilium Dei ante habitum. 38. 13.

Pœnitentiæ ſacramenti effectus. 4. 3. cura ponenda in eo explicando. 5. 9. tres illius partes. 7. 7. remittit indirectè peccata inculpabilitèr oblita. 10. 19. dogmata circa illud à Tridentino ſtabilita. 11. & ſeq. non differendum. 14. 2. eſt reiterabile. 15. 5. illius effectus. 15. 6. ejus Miniſter, Sacerdos habens juriſdictionem. 17. 11. qualis eligendus, ibid. *hu-*
maniſſimis verbis tractet Pœnitentem 16. 19. illius cauſæ à Rituali aſſignatæ. 18. 2. 4. 4. Pœnitentia, & Euchariſtia quarlitèr conſulenda. Pœnitentibus. 20. 23. circa hujus adminiſtrationem decreta Clementis X. 23. 2. & ſeqq. Patentes Eminentiſſimi Vicarii. 25. 2. ſeqq. diſtinguitur à virtute, ut totum à parte. 38. 13. remota materia illius, peccata. 39. 1. materia proxima, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. 39. 2. De ſingulis vide ſuo loco, inſtitutum ad ſublevandam infirmitatem: quarè conſuetudo ut tollatur, indiget majoribus fletibus 98. 4. præcipitur nobis jure divino, & Eccleſiaſtico. 103. 2. & reducitur ad primum Decalogi præceptum. 103. 3. quando teneamur ad illud. 103. 4. illud uno anno omittens tenetur quam primùm in ſequenti. 103. 5. Violatio hujus præcepti opponitur religioni. 104. 6. facieus confeſſionem voluntariè nullam non ſatiſfacit. 104. 7. Pœnæ contra violantes. 104. 8. Vide *Abſolutio*, *Confeſſio*, *Contritio*, *Sacramentum* &c.

Pœnitentia ſolemnis eſt unica. 6. 3. ſub mortali tenemur adimplere pœnitentiam nobis impoſitam. 9. 15. Vide *Satisfactio*.

Præceptum de ſe obligat ſub mortali, non ita lex. 153. 9. pauciſſima ſunt præcepta pro tota Chriſtianitate, & quæ. ibid. quomodò dignoſcitur à lege. 153. 10. Circa Probabiliſſimum quomodo ſe gerat Confeſſor. 159. 10.

Propoſitiones in materia morum prohibitæ à Romanis Pontificibus dantur, cum unica ratione, ob quam apparent dignæ prohiberi. 104. & ſeqq. ordinariè damnantur in proprio verborum ſenſu. 125. 2. quomodò dicantur in praxim deduci, ut quis violet præceptum illas non reducendi. 125. 3. ſciens ab alio ſuſtineri propoſitionem prohibitam, quomodò dignoſcet, an teneatur illum denunciare. 125. 4.

Pueri ante uſum rationis benedicendi; & ſuo tempore inſtruendi ad ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. 30. 14.

R.

Ationi adductæ, ob quam innuitur propoſitiones prohibitas potuiſſe damnari, non eſt fidendum, quia Pontifex magis movetur à Spiritu Sancto, quam à ratione. 105. 2. ratione utuntur aliqui, ſicut pelle Sutores. 147. 5.

Digitized by Google

Recidivus eſt, qui relabitur in eadem ex infirmitate. 130. 2. quæ huic applicanda remedia. 130. 3.

Regularium integritas teſtanda à Superioribus Epiſcopo juxtà Conſtitutiones cujuſque Ordinis. 26. 11. Privilegiati, quos in particulari caſus non poſſint abſolvere. 68. 20. & ſeqq. privilegiis uti non poſſunt, quæ ante decretum Clementis non erant in uſu 68. 20. nec ab iis, à quibus non poteſt abſolvere Major Pœnitentiarius; & aſſignantur. ibid. neque caſus dubiè contentos in Bulla Cœnæ. 97. 7.

Reſervatio caſuum quam ſit conveniens. 64. 1. eſt reſtrictio juriſdictionis &c. 65. 2. Inſtructio Sacræ Pœnitentiariæ, pro Sacerdote, ad quem accedit Pœnitens cum caſu reſervato. 65. 4. & ſeqq. inferior Sacerdos, ad quem Pœnitens accedit cum reſervatis, ubi ſcandalum immineat, audiat omnia peccata, & abſolvat: unde remaneat directè abſolutus à non reſervatis, & indirectè à reſervatis. 66. 14. confitens invalidè reſervata Superiori non ampliùs tenetur comparere, ſed confitens invalidè cum delegatis, iterum tenetur comparere, ſi vult abſolvi. 67. 15. dubitans de reſervatione an poſſit abſolvere. 67. 16. reſervatus caſus ratione cenſuræ, ſi extrà ſacramentum tollatur cenſura, poteſt abſolvi à quocunque. 67. 17. reſervatum committens in una Diœceſi, utrum in alia poſſit abſolvi. ibid. reſervata non eſt excommunicatio Papalis, niſi exprimatur. 68. 19. Vide: *Caſus*.

Rituale Romanum ſummi faciendum. 18. 1.

Romana Eccleſia tenax dogmatum; non ita diſciplinæ: Græca è contra, & proptereà erravit. 59. 4.

S

Sacerdos ligat primò ad pœnitentiam: ſecundò per excommunicationem. 9. 15.

Sacramentorum formis, quæ verba poſſint addi, quæ detrahi. 45. 2. Proferendæ graviter. ibid.

Sanctificatio noſtra non eſt ſine diſpoſitione prævia. 8. 13. ultima diſpoſitio ad illam voluntaria ſuſceptio gratiæ. 9. 13.

Satisfaciendum Deo per remiſſionem injuriarium proximo. 7. 9. quid veniat nomine Satisfactionis. 17. 12. ſacramentalis nequit expleri per alium. 17. 12. non poſſumus illam recuſare, prætextu ſatisfaciendi Deo Purgatoric. 42. 6. remittit pænam ex opere operato. ibid. ordinariè Pœnitens non eſt audiendus, niſi præcedentem adimpleverit, commodè pôtens adimplere. ibid. facta in peccato mortali ſatisfacit obligationi contractę à Pœnitente cum Confeſſore, ſed non remittit pœnam Purgatorii debitam peccato, pro quo fuerat impoſita. 42. 7. tria ſatisfactionis opera, Jeiunium, Oratio, Eleemoſina: primum includit ſecundum, & tertium utrumque: 43. 9. illam prudenter injungat Confeſſor. 43. 10. recenſentur aliquæ omninò imponendæ. 43. 10. Hortandi, non obligandi fideles à Confeſſore privato ad antiquas pœnitentias. 43. 11. publicam pro peccato publico in ſecretam ſolus mutare poteſt Epiſcopus. 43. 10. non imponenda levis pro peccatis gravibus. 58. 1. aptanda ut medicina, cujus tantùm ſumitur, quantùm confert. 59. 2. ut prudenter injungatur, extat ſimilitudo S. Aug. 59. 4. hodiè pro occultis peccatis non eſt injungenda publica. 59. 5. ubi excommunicatus abſolvitur, imponenda, quam præcipiunt Canones. 69. 22.

Sauli diſpoſitiones, ut fieret Paulus: credidit tria prima myſteria, virtutem baptiſmi, & voluntariè ſuſcepit gratiam. 9. 13.

Scandalo qualiter obviandum, ubi communicaturus peccator occultus accedit cum reſervatis; examinantur plures caſus. 66. 14.

Scientia quædam requiritur in Confeſſore, ut validè abſolvat: quædam, ut licitè: quædam ut perfectius: non poteſt determinari, quæ ſit præcisè neceſſaria; ſtudendum habere quam maximam. 37. 10. tria illam acquirendi media. 37. 11. cum gravamine pœnitentis non poſſumus uti ſcientia in confeſſione habita, eſtò non revelaretur perſona. 42. 5.

Scire tenetur Chriſtianus, quæ ſunt Fidei, & univerſalia Juris præcepta. 141. 4. Orationem Dominicam. 142. 4. virtutem Pœnitentiæ. 142. 6. ſacramentum Euchariſtiæ. 142. 7. Decalogum. 143. 9. præcepta Juris divini. 144. 11. & Eccleſiæ. Decretum ſuper hoc S. Cong. 144. 13. Confeſſor debet ſcire, an hic, & nunc actio ex genere ſuo ſit peccatum. 146. 3.

Scriptura Sacra eſt verbum Dei. 8. 13.

Scrupulum quomodo agnoſcat Confeſſor. 160.

160. 12. quomodò medebitur ſcrupuloſis. 160. 13.
Serenum quid ſit. 4. 5.
Sigillum confeſſionis quid importet. 41. 5. obligat, eſtò ſacrilegia ſit confeſſio, non tamen ſi confeſſio ſimuletur. ibid. pœna violantis ſigillum. 67. 4.
Signa tria conjectandi, quando Pœnitens ſit imparatus. 30. 13.
Simulare dicimur, quando cum eo, quem loquimur, utimur aliis ſignis ab uſitatis, ut non intelligat. 47. 5.
Societas Jeſu ſub excommunicatione prohibuit docere opinionem admittentem materiæ parvitatem in peccatis contra Caſtitatem, & illam deducere in praxim; quanti ſit faciendum hoc judicium. 148. 6.
Status quatuor maximè conſiderandi in Pœnitente, *Recidivi*, *Conſuetudinarii*, *Conſtituti in occaſione proxima*, & *Conſtituti in periculo proximo*: & qui ſint hi. 97. 1. & ſeqq. propoſitiones prohibitæ circa hujuſmodi ſtatus. 99. 8.
Studendum nobis hoc ordine, ut primò diſcamus doctrinam Eccleſiæ: ſecundò: Doctorum ab Eccleſia approbatorum poſitivè: tertiò: permiſſorum. 126. 1.
Superior ſit indulgentior in concedendo ſubditis, quòd alteri confiteantur. 21. 11.
Supernaturalis: dicitur actus, ſi dirigatur lumine fidei. 39. 3.
Synderesis dirigit præmiſſam univerſalem ſyllogiſmi operabilis. 151. 3. eſt habitus primorum principiorum practicorum. 151. 4.

T

SAncti Thomæ operibus qualitèr ſtudendum. 25. ejus rationes, principia plurium concluſionum. 3. 9. Eccleſia orat intelligere, quod docuit. 38. 21. ejus doctrinam ſequendam præceperunt plures Academiæ. 126. 2. illum in Theologia Morali ſequitur etiam ſchola Scoti. 126. 3. quid faciat, qui non percipit ejus textum. 126. 3.
Timorem gehennæ, ſine reſpectu ad Deum plures jam Eccleſiæ damnarunt, ut inſufficientem ſacramento Pœnitentiæ. 40. 2.
Tolerantia duplex, permiſſiva, & approbativa: hæc requiritur in Principe, ut tollat vim legis. 155. 13.
Tridentinum oſtendit neceſſitatem motionis in voluntate, poſt excitationem intellectus. 134. 6. collectum ad damnandos errores Hæreticorum, non opiniones Catholicorum. 140. 20.

V

VEndens rem pretio currenti, quod ſcit cras ex lege diminuendum an peccet. 152. 6.
Verecundia eſt juſta cauſa, ut Superior concedat ſubdito licentiam confitendi alteri. 22. 11.
Eminentiſs. Vicarius, in ſuis Patentibus Confeſſionum, non tollit privilegia Regularium. 25. 6.
Virtutes invicem ſunt connexæ, & cum charitate: in peccatore nulla eſt plenè perfecta. 133. 3. Enumerantur quatordecim, quæ nos obligant ſub mortali. 136. 6.
Univoca prius definiuntur, deinde dividuntur: Analoga è contra. 134. 1.
Voluntas, & movet ſe, & movetur à Deo. 132. 2.
Volitum nihil, quin præcognitum. 160. 15.
Vota qualitèr commutanda. 31. 17. quæ in vim Bullæ Siſtinæ commutare non poſſunt Regulares Privilegiati. 68. 20.
Uſurpare & furari quomodo differant. 70. 37.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
SECUNDÆ PARTIS.

A

ABortus eſt homicidium. 221. 16. ſubjacet excommunicationi, ſi fœtus ſit animatus: quomodò id dignoſcatur; in Urbe poteſt abſolvi à quolibet Confeſſore. 221. 16.

Abſolvere à peccato omiſſionis contrà fidem poteſt quilibet Confeſſor. 180. 1. qui poſſint abſolvere à peccato commiſſionis. 180. 2. & ſeqq.

Abſtinentia quid ſit 285. 3. quomodò verſetur circà potum 285. 4. ejus actus ibid. 5. vitia oppoſita. 288. 1.

Academia Caſuum apud Patres Societatis Jeſu, utilis Theorcæ, & praxi. 357. 1.

Acceptio perſonarum eſt peccatum oppoſitum per defectum Juſtitiæ Diſtributivæ. 213. 11. eſt mortale de naturà ſuà 213. 12. eſt genus. ibid. 14.

* Accuſator quid faciat, ut juſtè accuſet. 224. 3.

Acidia quid, & quotuplex. 193. 2. vitium capitale, cujus dantur filiæ. 194. 3.

Adjuratio, Religionis actus quid ſit, & qualitèr de illa differendum. 254. 14. qui poſſint adjurari. 254. 15.

Adulatio quid ſit. 274. 3.

Adoratio quid ſit. 241. 2. per ſe non obligat ſub mortali. 241. 3.

Adulterium quid ſit: ad illud reducitur peccatum ſponſæ de futuro. 305. 4.

Advocatus quomodò procedere debeat. 226. 8.

Æquivocatio an liceat. 272. 3. an pro illa ſint exempla in ſcripturà. 272. 4.

Affabilitas quid ſit. 274. 1. ejus actus. ibid. 2. vitia illi oppoſita. 274. 3.

Amare Deum ſi anima prætendat, abſque ordine ad beatitudinem, quomodò ſe gerat Confeſſor 187. 3. Amandus Deus ſuper omnia, & in omnibus. 187. 4. Amanda anima noſtra, volendo illi beatitudinem, & ut convivat Deo. 188. 6. amandus proximus, volendo illi beatitudinem. 188. 7. amandum corpus noſtrum, ut comparticeps beatitudinis. 188. 8. Amari, quæ creaturæ poſſint, ut finis proximus: quæ tantum ut medium. 281. 12.

Ambitio quid ſit. 280. 9. an mortale peccatum. 281. 11.

Amicitia triplex, Utilis, Delectabilis, & Honeſta. Hæc ultima perfecta: primæ imperfectæ: ſed amant amicum propter ſe, nec illum ordinant in bonum proprium, ſed benè amorem, quo amicus amatur. 187. 5.

Amor benevolentiæ in Deum ſolus non juſtificat. 189. 2.

Apoſtaſia quotuplex. 174. 7. Apoſtaſia à fide eſt circumſtantia aggravans. ibid.

Appendere aliquid ſacrum ad collum, qualitèr liceat. 255. 4.

Artificiata, ut talia, nullam habent virtutem, quare demoni tribuendum, ſi quid producunt. 256. 5.

Aſcenſionis ovum an naturalitèr habeat talem proprietatem. 256. 5. per Aſtra, quæ futura poſſimus congnoſcere, & quomodo: textus ad hoc S. Th. 257. 8.

Aſtrologus ubi fortuitos eventus prædicit, dæmon ſe immiſcet. 258. 8.

Aſtutia per exceſſum oppoſita Eubuliæ, quid. 205. 3.

S. Athanaſius non æquivocavit. 275. 4.

Avaritia quid, & quando mortale peccatum. 275. 7. ejus filiæ. 275. 8.

Audacia per exceſſum oppoſita Fortitudini, quid. 279. 16. de ſe non eſt mortale peccatum. Ibid. 16. 17e

B

AD Baptiſmum, ut ſit actus Religionis, quid requiratur. 249. 3.

Beatitudo correſpondens dono Intellectus, & Scientię. 173. 7. dono Timoris. 184. 8. dono Sapientię. 193. 2. dono Conſilii. 203. 8.

dono Pietatis. 276. 2. dono Fortitudinis. 279. 19.
Bellum quid, an & quando liceat. 197. 11. non licet Clericis, & quare. 197. 11.
Bibliothecæ Angelica, & Caſanattea in Urbe. 323. 21.
Blanditia quid ſit. 274. 3.
Blaſphemia quid, & quotuplex. 175. 8. Hæreticalis quomodò diſtinguatur ab hereſi. 175. 9. ut ſit mortale peccatum ſufficit advertere ad ſignificatum. 175. 10. Blaſphemia Cordis, Oris, & Operis. 175. 11. dantur blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, & cui ſingulæ opponantur. 175. 12.
Bonitas vitæ habet maximè locum in diſtribuendis Eccleſiæ bonis. 211. 3.

C

Cambium ſiccum prohibitum jure naturæ, civili, & Eccleſiaſtico. 236. 2. Decretalis Pii V. ſuper Cambia. 237. 6.
Cardinalium S. Congregationis de Propagandà Fide benignitas, in excipiendis, & decidendis dubiis Miſſionariorum. 198. 16.
Caſti aptiores ad cognoſcendum futura in ſomniis. 258. 9. caſtitas habetur à Deo. 301. 2. periculum Confeſſoris circà illam. 301. 2. legat proptereà ſæpè Bullas contrà ſollicitantes. ibid. quæ circà illam ſpecialitèr ſcire debeat examinandus ad confeſſiones. 302. à num. 1. ad 6. cautela in tractando de illà ex Cathechiſmo. 301. 3.
Circà Cenſuras, quæ ſpecialitèr ſcire debeat examinandus ad confeſſiones. 354. n. 1. ad 28.
Circà Cenſus Decretalis Pii V. 234. 9.
Certitudo quæ neceſſaria judicio 208. 6. ubi non adeſt, quid faciendum. 204. 8.
Charitatis nomine quid veniat 186. 2. quatuor charitate diligenda, ut objecta materialia. 186. 3. formale charitatis objectum Dei bonitas habens nos beatificare. 187. 3. charitate diliguntur charitas, virtutes, gratia &c. 188. 9. ejus actus interni. 189. 2. 189. 4. in quæ materialia objecta explicitè tendere debeat. 189. 3. Actus externi. 190. 5. ad quos obligamur ex præcepto. 190. 6. & ſeqq. vitia oppoſita charitati Dei. 193. 1. oppoſita charitati proximi. 194. 4. oppoſita contrariè Beneficentiæ, actui externo Charitatis, involvunt injuſtitiam 198. 14
Clementia quid 312. 10. quam regulam ſervet. 313. 11. an obliget ſub mortali. 313. 13.
Cæcitas mentis oppoſita dono Intellectus quid ſit. 176. 13.
Commendatio potentiorum qualitèr attendenda in providendis beneficiis. 212. 5.
Compenſatio occulta qualitèr liceat. 215. 3.
Confeſſio ut ſit actus Religionis, quid requirat. 249. 4. non exigit procedere ab actu perfecto charitatis. 186. 2. ſimulans confeſſionem an cælandus. 353. 42.
Confeſſor non potens habere à Pœnitente numerum peccatorum, hauriat circumcircà. 169. 21. Caroli V. Confeſſor voluit, ut ille ſe accuſaret de peccatis, quæ committebat, ut Princeps. 203. 7. omittens obligare ad reſtitutionem, ex ex culpà, tenetur ipſe reſtituere, quomodo me debitur, ſi deficiat. 219. 5. 6. ex Auguſtino qualiter ſe debeat gerere in eradicandis vitiis. 300. 11. an debeat ſcire caſus difficiliores circà impedimenta matrimonii. 303. 9. quomodo ſe geret agnoſcens impedimentum occultum in confeſſione. 303. 10. quanta ejus eſſe debeat humilitas. 317. 6. 7. quibus debeat ſtudere. 320. 3. 4. pauper quomodo ſtudeat. 323. 21. quas præſertim virtutes exerceat. 324. 26. quid maximè legat, dum eſt in Exercitiis. 350. 45. ſcientia, & prudentia illi neceſſaria. 357. 1. Inſtruitur circà praxim. 357. ad finem operis neceſſaria illi ſcientia virtutum omnium Cardinalium. 276. 1. ejus inclinatio in dandis pœnitentiis. 312. 10. an debeat illas dare infrà condignum. 313. 12.
Conſanguinei Prælati ex S. Thomà præferendi cæteris paribus. 211. 4.
Conſcientia formatur per plures habitus. 1. 1.
Conſervatio ſpeciei bonum majus conſervatione individui. 302. 1.
Conſilii, quod eſt Donum, tres actus proprii, conſulere, judicare, præcipere. 203. 8.
Contentio quid ſit: eſt mortale peccatum ex ſuo genere. 196. 9.
Continentia quid ſit. 310. 2.
Contemptus pertinet ad Superbiam. 318. 10.
Contractus, in quibus, aliquid accipiens tenetur erogare pauperibus. 192. 12. circà contractum Societatis Decretalis Sixti V. 235. 15.
Contumelia quid ſit. 227. 2. quando ſuſtinenda. ibid.

Dd 4 Cor-

Correctio Fraterna quando ſit in præcepto. 191. 11. Miſericordia.
Credendi ratio eſt, quia Deus revelavit Eccleſiæ &c. 167. 15. tenemur credere omnia revelata, ſaltèm implicitè: quid importet credere implicitè, & explicitè. 168. 16. quæ credenda neceſſitate medii, & quæ neceſſitate præcepti. 168. 19. 20. alii. 169. 22.
Crudelitas oppoſita Vindicationi diſtincta à Crudelitate oppoſità Clementiæ. 271. 8. opponitur etiam Manſuetudini, & quomodò diſtinguatur à Severitate, & Feritate. 314. 17. quid ſit, ut opponitur dono Pietatis, ſive ut feritas. 276. 4.
Curioſitas quid ſit. 321. 6. an ſit mortale peccatum. 322. 12.

D

Dæmonis invocatio expreſſa, & tacita, quando ſit. 256. 3. cognoſcit quædam futura ab Angelo bono 258. 8. ad aliquid eſt utilis. 316. 3.
Damnum emergens, & lucrum ceſſans quid. 230. 8. an exigi poſſint in mutuo. 231. 13.
Debiti ratio diverſa conſtituit diverſam virtutem. 207. 5.
Delectatio qualitèr quærenda. 284. 3. in matrimonio quærenda propter ſolos gignendos filios. ib. delectatio Tactus ordinata ad conſervationem ſpecii, & ideò major delectatione guſtus 302. 1.
Denunciatio ſuſpectorum de fide ex præcepto affirmativo Eccleſiæ. 177. 5. denunciandi etiam complices, & conſaguinei. 178. 5. ommittens denunciare, poſt triginta dies incidit in excommunicationem reſervatam. 178. 5.
Deriſio quid ſit. 227. 7.
Deſiderare eſt actus imperfectus charitatis. 186. 2.
Deſperatio quid ſit; ſequitur ad ſyllogiſmum quatuor terminorum. 185. 3.
Determinare ſyllogiſmo practico media ad finem virtutis naturalis eſt Prudentiæ. Doni Conſilii eſt determinare media ad finem virtutis Theologicæ, vel etiam Cardinalis infuſæ. 200. 1.
Detractio quid ſit. 227. 4. quotupliciter committatur. 227. 5. detrahens patri an violet Pietatem. 267. 11.
Devotio primus actus internus Religionis. 238. 5. an obligemur ad illum. 238. 6.
Dignior quis dicatur pro conſequendis bonis communibus. 211. 3. dignior etiam eligi debet ad beneficia extrà concurſum. 212. 7. etiam inter Regulares: mala, quæ aliter proveniunt. ibid. 8.
Diſciplina Eccleſiaſtica quæ ſit, quam ſcire debet Confeſſor. 253. 45. 46.
Diſcordia quid. 196. 8. mortale peccatum de ſe, & diviſum in alias ſpecies. ibid.
Diſpenſator guravitèr peccat ex S. Thomà. 213. 14.
Diſtinctionem ſpecificam facit terminus ad quem, non à quo. 260. 5.
Divinatio quid ſit. 255. 3. ſpecies ejus 257. 8.
Doctores ultimò approbati ab Eccleſià. 286. 8. Doctor debet ſcire fundamenta concluſionum. 327. 2.
Dolor putativus non ſufficit ad confeſſionem. 351. 3.
Dolus, peccatum oppoſitum per exceſſum Syneſi, & Gnome, quid ſit. 205. 4.
S. Dominici Humilitas. 315. 3.
Donationes factæ Judicibus &c. non ſuſtinetur. S. Auguſtini dictum. 226. 8.
In lineà Donorum actus perfecti, & imperfecti. 238. 4. Donorum correſpondentia Virtutibus. Fructibus, Beatitudinibus, ac Petitionibus Dominicis. 285. 7.
In Dubio an quis teneantur ad jejunium, Superior poteſt diſpenſare, & ita in reliquis. 287. 12.
Duellum quid ſit: ſemper eſt mortale peccatum. 197. 12.
Dulia quid. 269. 7. an obliget de ſe. 269. 8. an ex præcepto Eccleſiæ. 269. 9.

E

Ebrietas quid: eſt de ſe peccatum mortale. 289. 5. primà vice 289. an liceat pro ſalute corporis. 300. 8. Ebrius an peccet in actionibus inordinatis, quas tunc facit. 300. 9.
Eleemoſina pauperi data, ut oret pro nobis, non eſt in pretium. 262. 19. quando ad illam obligemur. 191. 12. an fieri poſſit de illicitè acquiſitis. ib. Clericus de bonis Eccleſiaſticis tenetur ad illas ex juſtitià. 192. 13.
Epicheja quid. 207. 3. ſub ſe habet plures ſpecies. 208. 4. ejus actus. 208. 5.
Epiſcopi ſunt Doctores nobis à Deo conſtituti. 303. 8.

Eubulia conſiliatur de mediis. 201. 2. virtus annexa Prudentiæ. ibid.
Euchariſtiam ſumere, ut ſit actus Religionis, quid requiritur. 250. 5. quid ut percipiatur fructus illius. 250. 5.
Eventus ſequens an ſit peccatum reſpectu ponentis cauſam. 300. 9.
Eunuchus violans Caſtitatem peccat contrà naturam. 306. 9.
Eutrapelia quid 324. 24. quam regulam ſervet. 324. 25. non obligat ſub mortali. 324. 6. peccata illi oppoſita ib. 27.
Examinandus ignorans doctrinam Chriſtianam eſt inexcuſabilis ab editâ Inſtructione pro ordinandis. 320. 3. plures illius defectus in reſpondendo examini. 253. 45. examinandus ad confeſſiones, quid ſpecialitèr debeat ſcire circà Virtutes Theologicas. 326. à n. 1. ad 69. quid circà Reſtitutionem. 331. à num. 1. ad 41. quid circà peccata oppoſita Juſtitię Commutativę. 335. à. num. 1. ad 29. quid actus Religionis. 337. à num. 1. ad 14. quid circà peccata per defectum oppoſita Religioni. 338. à num. 1. ad 52. quid circà Temperantiam. 347. à n. 1. ad 23. quid circà Sacramentum Pœnitentiæ, juxtà examen S. Caroli 348. à n. 1. ad 47. quid ulteriùs juxtà communem examinis formam. 350. à num. 1. ad 54. quid circà Cenſuras. 354. à n. 1. ad 28.

F

FAma, & Honor quomodo differant. 227. 4.
Feſtorum obſervantia quid importet. 243. 12. obligat ſub mortali 244. 13.
De Fide ubi agat S. Th. 166. 4. Confeſſor debet primariò ſcire de actu, non de Habitu. 166. 5. duplex Fidei actus internus, & externus ib. eſt meritorius, & Confeſſor prudentèr imponit illum pro pœnitentiâ 166. 7. illum præcedens volito dicitur pia affectio. 166. 8. ad hanc obligamur per accidens. 167. 10. ad juſtificationem non ſufficit fides latè dicta. 167. 12. requirit evidentiam, quòd Deus ſit locutus 167. 13. quinque ſigna hujus. ib. particularis revelatio non creditur fide Theologicà. 167. 14. nèc unus articulus abſque alio. 168. 15. unde fidei præceptum hauriatur 168. 17. etiam per accidens, & quando teneamur ad actum Fidei. 172. 23. etiam Catechumeni. 169. 24. & ſeqq. cur tempus ad illum Eccleſia non determinavit. 170. 31. quæ damna, ſi illam theſim 17. non damnaſſet Innocentius. 170. 31. de actu externo extat præceptum affirmativum, & negativum. 171. 1. quando nos obliget primum. 170. 2. qui per ſe teneantur ex præcepto Eccleſiæ ad externam profeſſionem. 171. 4. qui per. accidens. 172. 5. peccata per ſe oppoſita actui interno. 173. 2. quædam illi oppoſita ex Eccleſiæ ſtatuto. 177. 2. in fide dubius eſt infidelis. 174. 4.
Filii ex thoro furtivo cur ordinariè naſcantur imperfecti. 284. 3.
Finem præcipiens, præcipit ſimul media. 167. 10. finis omnium hominum eſt gloria Dei per ſalutem animæ propriæ. 206. 11.
Fœminæ qualitèr poſſint ſe ornare. 326. 31.
Fornicatio ſimplex quid ſit. 305. 3.
Fortitudo quid, & qualis. 276. 3. 4. ejus materia. 277. 5. actus. 277. 6. an ejus ſit ſe morti exponere, ut ſubveniatur peſte infectis. 277. 7. an pati exilium &c. propter fidem. ibid. 8. an exponere ſe morti militando. ibid. 9. an fortis delectetur in ſuo actu. 278. 10. partes integrales. 278. 11. an obliget ad ſuum actum. 278. 12. ut Donum quid. 279. 18. an hoc donum obliget ad ſuum actum 279. 19. peccata oppoſita Dono. 279. 20. virtutes annexę. 280. 1.
S. Franciſci humilitas. 316. 4.
Fraterna correctio non prę mittenda in delictis Sancti Officii. 178. 5.
Fraus oppoſita Syneſi, & Gnome quid. 205. 5. oppoſita Juſtitię, quid. 228. 2. quotuplicitèr committatur. 229. 3. eſtò non lędam ſuprà dimidium. 229. 5. quid ſit facere in fraudem. 287. 10. Fraudis, & Inſidiarum differentia. 197 11.
Fructus rerum in triplici genere. 216. 11.
Fructus Spiritus Sancti correſpondens dono Intellectus, & Scientię. 173. 7. dono Timoris. 184. 8. dono Sapientię. 193. 2. dono Conſilii. 204. 8. dono Pietatis. 276. 3. dono Fortitudinis. 279. 19.
Furtum quid ſit. 222. 1. quotuplicitèr committatur. ibid. 2. 3. quando ſit ſacrilegium. ibid. 4. de ſe eſt peccatum mortale. 223. 10.

Digitized by Google

G

Genus dum dicitur, quid colligat Confeſſor; 285. 1.
Gnome, & Syneſi differentia; 201. 2. habet judicare de mediis per cauſas altiores: eſt virtus annexa Prudentiæ. 201. 2.
Gratiam, vel juſtitiam, etiam temporalem, impetrans ab Apoſtolicâ Sede, non poteſt retinere, ſi quid accipit pro impetrandâ. 192. 12.
Gratitudo quid ſit. 271. 4. ejus actus. ib. 5. vitia illi oppoſita. ib. 6.
Gula de ſe non eſt peccatum mortale. 288. 2. ejus ſpecies. 289. 3. filiæ. 289. 4.

H

Hæreſis quid ſit. 174. 3. diſtinguitur in plures ſpecies. 174. 6. quomodo diſtinguatur à blaſphemiâ hæreticali 175. 9. committi poteſt inſtanti. ib. Interna non eſt reſervata. 181. 4.
Hebetudo ſenſus oppoſita dono Intellectus, in quo conſiſtat. 176. 13.
Hiſtriones an peccent. 324. 28.
Homicidium, & occiſio qualiter differant 220. 3. hominis occiſio licet ſoli Principi, quando vita eſt damnoſa publico. 220. 4. in ſui defenſionem privatus nequit illam intendere, ſed ad ſummum permittere, & quando. 220. 5. non ad defenſionem aliarum rerum. 220. 6. homicidium non prævisum cauſans, an peccet. 220. 7. nemo poteſt ſe occidere. 221. 8.
Honeſtas, pars integralis Temperantiæ quid ſit. 294. 6.
Honor an expeti poſſit. 280. 2. qui verus, & qui falſus. 281. 10.
Humilitas quid. 315. 2. an debeamus ſubiicere nos omnibus, & quomodo. 315. 3. an, & quando ſub mortali obliget. 316. 5. gradus aſſignati à S. Benedicto. 317. 6.
Hyperdulia quid ſit. 269. 7.
Hypocriſis quid ſit. 273. 9. an de ſe peccatum mortale. ib. 10.

I

Reverendiſſ. Pater Jacobus Riccius quantùm profuerit Confeſſoribus. 357. 2.
Janſenſium fœminarum ſuperſtitio. 258. 9. fortium diviſio licita. 258. 11.
Jejunium actus Abſtinentiæ. 285. 5. ad quid præceptum lege naturæ. 286. 5. ex lege Eccleſiæ duo importat præcepta. ibi. 6. negativum eſt principale 286. 7. deobligatus ab ovis tenetur ad unicam comeſtionem ib. & ad hanc tenetur deobligatus à carne juxtà declarationem. ib. qualiter unica comeſtio cadat ſub præcepto affirmativo. 286. 8. permiſſa collatio ſerotina. ib. comedens carnes, & lacticinia peccat totiès, quotiès. 286. 9. an peccet comedens ante meridiem. 287. 11. qui teneantur jejunare. ib. 12. & ſeqq. diſpenſatus à carne, an poſſit comedere quaſcunque carnes. 287. 15.
Ignorare aliquid eſſe peccatum, quod re verà eſt, quale damnum inferat. 305. 13.
Immodeſtia quid ſit. 324. 13.
Immunditia nocturna quandò imputetur peccato. 300. 9. an poſſit permitti. 307. 11. an impediat communionem. 308. 12.
Impaviditas oppoſita Fortitudini. 278. 15.
De Impedimento dirimente matrimonii certus, neque poteſt petere, neque reddere: dubius poteſt reddere, non petere. 303. 10. Vide: Matrimonium.
Impietas quid. 267. 10. habet actus ſpecie diverſos. 268. 14. de ſe eſt peccatum mortale. ib. 15.
Inanis gloria quid. 281. 13. an ſit vitium capitale. 281. 14. ejus filiæ. 281. 15.
Incarceratio, an, & quando liceat. 221. 11.
Inceſtus quid. 306. 6. an gradus in eo explicandi. ibid.
Inconſideratio peccatum oppoſitum per defectum Syneſi, & Gnome. 204. 4.
Inconſtantia per defectum oppoſita Prudentiæ in ſuo actu. 204. 5.
Incontinentia quid ſit. 310. 2.
Ingratitudo, & ejus actus, 271. 6.
Injuria ex charitate remittenda. 215. 4.
Injuſtæ acceptioni rerum cooperatur quis novem modis, qui explicantur. 217. 14.
Inobedientia quid ſit. 270. 16. includit ſuperbiam. 318. 11.
S. Inquiſitionis Edictum de revelandis delictis ad ipſum ſpectantibus. 179. 1. & ſeqq.
Inſenſibilitas quid ſit. 305. 1.

Inſi-

Inſidiæ licent in bello. 197. 11.
Inſinuationis, denunciationis, & accuſationis differentia. 224. 3.
Inſtruct. pro ordinandis conſulenda ignoranti doctrinam Chriſtianam. 337. 25.
Intellectus Donum quid judicet. 172. 2. in Juſto ejus actus præcedit actum Fidei: In peccatore præcedit actus in lineà Doni imperfectus. 172. 3. extat preceptum habendi hos actus 173. 4. ſed obligat per accidens. ib. 5.
Invidia quid 195. 6. eſt vitium capitale, danturq; filiæ. 196. 7.
Ira Manſuetudini oppoſita quid. 311. 6. an de ſe peccatum mortale. ib. 7.
Judex quid faciat ut juſtè judicet. 224. 2. Judicis, Rei, Accuſatoris, Advocati, ac Teſtis peccata de ſe ſunt mortalia. 226. 9.
Judicium duplex, per connaturalitatem, & rationis inquiſitionem: explicatur differentia. 165. 3. Pontifex eſt infallibilis in ſecundo. 166. 3. Confeſſor in dirigendo debet uti ſecundo; ſed optimum erit habere, & primum. ib. Judicium quid ſit. 208. 6. quam certitudinem exigat. 208. 6. ejus à ſuſpicione differentia. 209. 7. Temerarium eſt mortale peccatum. ib. ubi deeſt certitudo, quomodo ſe geret homo in judicando. 209. 8. duæ judiciii conditiones. 209. 9. ad actum judicii tenetur habens juriſdictionem. 210. 10.
Juramentum de ſolvendis uſuris an ſervandum. 231. 15. quid ſit juramentum. 251. 2. quæ, & quot conditiones, & quid ſingulæ importent. 252. 3. quomodo accipiendum, quando intelligitur diverſimodè. 252. 6. an liceat jurare per creaturas. 252. 7. an teneamur exequi, quod juravimus. 253. 9. Promiſſorii duplex veritas. ib. ſervandum, niſi ſit vinculum iniquitatis. 253. 9. an jurans Graſſatori pecuniam teneatur mittere; quid ſi juret eum cælare Principem. ib. quid ſi juret non ingredi Religionem. ib. an liceat jurare ſine animo jurandi, ſe obligandi, aut exequendi. 253. 10. quando deobligemur ſervare, quod licitè juravimus. 253. 11 an obligemur aliquando jurare. 254. 12. an poſſit relaxari: Epiſcopus relaxat in dubio. 254. 13. Promiſſorium obligat juxtà leges. 261. 9. obligatione perſonali. ib. quando pejeret jurans ex habitu. ibid.
Jus in re, & Jus ad rem. 215. 2.
Jus quid ſit, & quotuplicitèr dicatur. 206. 2. & ſeqq.
Juſtitia eſt in voluntate. 206. 1. quotuplex ſit. 207. 6. Legalis in quibus ſit: eſt maximè in Confeſſore. 207. 3. an ſub ſe habeat plures ſpecies. 208. 4. ejus actus judicium authoritativum. 208. 5. Peccata illi oppoſita non habent nomen, ſed explicantur. 210. 11. Diſtributiva ſervat proportionem Geometricam. 211. 1. quæ bona diſtribuat. 211. 2. dividit illa in bonum Reipublicæ; & quid per hoc intelligatur. 211. 3. quas circumſtantias conſideret. 211. 4. qui obligetur ad illius actum. 213. 9. Peccatum illi oppoſitum per exceſſum non habet nomen: qui peccent illud. 213. 10. Vindidicativa qualitèr differat à Diſtributivà. 214. 1. Commutativæ peccatum oppoſitum per exceſſum in quo conſiſtat. 218. 1. diſtinctio oppoſitorum per defectum. 218. 2. in iis ultrà damnum conſideranda eſt injuria. 218. 2. ſunt de ſe mortalia, & quando tranſeant in aliam ſpeciem. 221. 12. 13. Juſtitia in pœnis habet latitudinem, ſicuti pretium morale. 312. 10.

L

LAus Dei quid ſit. 238. 8.
Leges diverſas violans, quæ tendunt ad eundem finem, committit unicum peccatum. 236. 3.
Libelli Anonymi in vim poſſit Superior. 225. 4. Author, ſi calumnietur detegendus, & caſtigandus. ibid.
Liberalitas quid ſit. 274. 4. ejus actus. 275. 5.
Libros prohibitos legens quid incurrrat. 321. 8.
Litigium quomodò à Contentione diſtinctum. 274. 3.
Locutiones in fide ſuſpectas Eccleſia prohibet. 178. 6.
Loth ebrius qui peccaverit. 300. 9.
Lovanienſis Academia tenaciſſima SS. Auguſtini, & Thomæ. 380. 2.
Ludi quales eſſe debeant. 325. 29.
Luxuria quid. 305. 1. quotuplex. 305. 2. eſt peccatum mortale. 308. 5. ejus filiæ. 309. 6.

M

MAgnanimitas ut integralis pars Fortitudinis, in quo conſiſtat. 278. 11. in quo ut pars potentialis. 279. 1. tendit in magnos honores. 280. 2. ejus proprietates 280. 5. an obliget ſub mortali. 280. 6. vitia illi oppoſita. 280. 7.

Magni-

Magnificentia quid ſit. 282. 17. vitia illi oppoſita. 282. 18.
Maledictio quid ſit. 227. 8.
Manſuetudo quid ſit. 310. 3. an obliget ſub mortali. 311. 4. quàm grave poſſit eſſe vitium illi oppoſitum per defectum. 311. 5.
Materiæ parvitatem an admittant peccata contrà Fidem. 178. 7. an Deſperatio 185. 3. an Præſumptio 185. 4. an Acidia. 194. 2. an cætera peccata charitati oppoſita. 200. 21. an Judicium temerarium. 209. 7. an Acceptio perſonarum 213. 13. An, & quæ peccata Juſtitiæ Commutativæ oppoſita. 221. 14. An Rapina, furtum, & Sacrilegium. 223. 11. an Reſtitutionis omiſſio. 218. 18. an peccata, Judicis &c. 226. 10. an peccata, quæ verbo committuntur extrà judicium contrà Juſtitiam. 228. 10. an peccata in commutationibus voluntariis 232. 18. an præceptum audiendi ſacrum. 242. 8. An obſervantia feſtorum. 244. 14. an Votum. 246. 4. an inſuſceptione ſacramentorum. 250. 10. an in juramento. 252. 4. an peccata per exceſſum oppoſita Religioni. 259. 14. an Tentatio Dei. 260. 4. an Sacrilegium. 261. 8. an Simonia. 265. 27. an Impietas 268. 16. an Inobedientia. 270. 17. an omiſſio Fortitudinis 278. 14. an peccata Fortitudini oppoſita. 278. 15. an Jejunium. 287. 14. an Ebrietas. 289. 5. an Luxuria. 309. 6. an Superbia. 318. 12. an lectio librorum prohibitorum. 322. 13.
Matrimonium in præcepto multitudini, non ſingulis. 302. 1. quid ſit. 302. 3. B. Virginis cum S. Joſeph. ſpiritualitèr, non carnalitèr perfectius. ib. quæ perſonæ ſint legitimæ ad illud. 302. 4. impedimenta illud dirimentia lege naturæ. 303. 5. lege divinà. ib. 6. lege Eccleſiæ. 303. 7. lex civilis nequit conſtituere impedimenta. 302. 4. impedientia. 303. 8. ſi dubitetur, an horum aliquod ceſſaverit, recurrendum ad Epiſcopum. 303. 8. an ſimplex Confeſſor debeat ſcire caſus circà hæc impedimenta. ib. 9. ordinatum etiam in remedium concupiſcentiæ. 304. 12.
Medicus quomodò procedat. 226. 8.
Memoria hominum labilis. 327. 2.
Mendacium quotuplex. 273. 7.
Menſuræ ſtabiliendæ à Principe. Utens falſis peccat contrà Juſtitiam Legalem. 230. 9.
Mercator an poſſit ſupponere unam mercem pro aliâ. 230. 9. an vitioſam. 230. 10.
Miſericordia dicit duos actus. 190. 4. diſtinguitur à charitate, ſed illi ſubordinatur. ibid. quando, & quomodò tenemur ad actum Miſericordiæ in nos. 190. 9. quando, & quomodò in proximum ad actus externos. 191. 10. 11. Vide *Eleemoſina*.
Moderamen inculpatæ tutelæ quid importet. 220. 5.
Modeſtia quid ſit, ejuſque ſpecies. 323. 19. quam regulam ſervet. 323. 21. an obliget ſub mortali. ib. 22. peccata illi oppoſita. 324. 23. Modeſtia in ornatu quæ ſit. 325. 30.
Ex Mæcenatum defectu ſcientiæ non vigent. 325. 28.
Mollities oppoſita Perſeverantiæ quid ſit. 283. 6.
Monialium Confeſſor qualitèr Affabilis eſſe debeat. 274. 2.
Muſici ad delectandum innocentiſſimi, 325. 28.
Mutilatio membrorum quando liceat. 221. 9.
Mutui, & Commodati differentia. 216. 12. quæ cadant ſub contractu Mutui. 230. 12.
Myſterii multiplicatio in Sacrâ Scripturâ non facit æquivocationem. 272. 4.

N

IN neceſſitate extremâ conſumens, quod ab alio accepit, non tenetur reſtituere. 223. 6.
Negligentia peccatum oppoſitum per defectum Prudentiæ, quatenùs exigit ſollicitudinem in exequendo. 204. 6.
Negotiatio an ſit licita. 230. 11
Nimia lenitas, peccatum oppoſitum per defectum Manſuetudini 314. 15. de ſe non eſt mortale. ib. 16.

O

OBedientia quid ſit. 269. 10. an ſemper illam violet peccans mortalitèr. ibid. 11. an obliget ſub mortali. 270. 12.
Oblatio ad altare quando non poſſit recipi ex illicitè acquiſitis. 191. 12. Oblatio quid ſit. 243. 11. an teneamur ad illam. ib. jus illas percipiendi eſt ſpirituale. ib.
Obſervantia quid ſit. 268. 1. an ſpecie multiplex. 268. 2. quos per illam colamus. ib. 3. peccata illi oppoſita. 269. 5. quę illius partes. ibid. Obſervantia vana quid, & quotuplex. 259. 12.
Odium eſt genus habens ſub ſe plures ſpecies. 193. 1. ſit. 195. 5.

Om-

Omnem quid ſit. 258. 10.
Opera in naturę commodum à Juſto facta ſunt meritoria. 187. 4.
Oratio ſecundus actus internus Religionis. 238. 7. quid ſit ib. 8. importat duos actus, & an teneamur ad utrumque 239. 10. 11. an debeat eſſe vocalis, vel mentalis. 239. 12. Attenta ſit ita, quòd mens elevata sit in Deum. 240. 13. pro quibus orandum. 240. 14. an petenda sint temporalia. 240. 15. quas conditiones debet habere, ut sit efficax ad impetrandum. 240. 16. quid in eà cavendum, nè reddatur ſuperſtitioſa. 258. 4. sine jejunio non ſemper efficax. 288. 20. orationis tempore vacanſtum ab actu conjugali. 304. 12.
Ad Ordinis ſacramentum, ut sit actus Religionis, quid requiratur. 250. 8.
Ordinandi ad titulum Miſſionis juramentum de non intrando Religionem, an liceat. 253. 9.
Ornatus vanus an sit peccatum. 325. 30. 31. an illum vendere poſſint artifices. 326. 32.
Oſcula non licent. 308. 2. quando sint libidinoſa. ib. 3. quare non liceant extrà matrimonium. 308. 4.

P

PArocho ex juſtitia debentur oblationes: illas poteſt dimittere, ſed non jus percipiendi. 243. 11. quando teneatur offerre ſacrificium pro ovibus. 233. 3.
Patientia quid ſit. 282. 2. non poteſt haberi ſine charitate. 283. 3. an obligemur ad ejus actum. ibid. quàm ſit neceſſaria. ibid. 4.
SS. Patres, Angelici exemplo, colendi: ab iis haurienda Moralis. 281. 14. 15.
Patres ſtudioſi cur ordinariè generènt filios ſtolidos. 284. 3.
Pecunia, quæ cràs minùs valebit, an hodie poſſit expendi pretio currenti. 230. 10.
Ob periculum aliqua prohibentur. 236. 4. 5.
Periurum an ſit ſacrilegium. 261. 9.
Pertinacia requiſita ad hæreſim quid importet. 174. 3. quomodo Confeſſor procedat cùm allegante ignorantiam invincibilem definitionis Eccleſiæ. 174. 5. quid ſit, ut opponitur Perſeverantiæ. 283. 6. diligentia Confeſſoris in hàc eradicandà. 283. 6.
Philotimia tendit in mediocres honores. 280. 3.
Petrus de Rivo quid retractare coactus ab Apoſtolicà Sede. 380. 2.
Pietatis Virtus quid ſit. 266. 3. quæ ob jecta reſpiciat. 266. 4. habes duos actus. 267. 5. an habeat plures ſpecies. ib. 6. an de ſe obliget ſub mortali. 267. 7. an lex humana determinet ad aliquos actus illius. 267. 8. peccata illi oppoſita per exceſſum, & defectum. 267. 9. violatur etiam peccatis contrà Caſtitatem 267. 13. Pietatis Donum quid ſit. 276. 2. peccata illi oppoſita. 276. 4.
Pœnam intendere, ut malam patienti; eſt odiſſe. 214. 2. ſolus Princeps poteſt inferre pœnam ad bonum commune. 214. 3.
Ad Pœnitentiæ ſacramentum, ut ſit actus Religionis; quid requiratur. 250. 6.
Pœnitentis dicto, pro ſe, & contrà ſe ſtandum in confeſſione, & quomodò. 223. 5. Pœnitentiæ à Confeſſore imponendæ violantibus virtutem Fidei. 181. 7. peccantibus contrà Virtutem Spei 185. 5. violantibus Charitatem. 200. 22. contrà Prudentiam. 206. 11. contrà Juſtitiam legalem. 210. 14. contrà Juſtitiam Diſtributivam. 214. 17. contrà Juſtitiam commutativam, lædendo proximum in vità. 222. 17. lædendo in bonis fortunæ. 223. 14. lædendo famam in judicio. 226. 13. lædendo famam extrà judicium. 228. 12. lędendo proximū in commutationibus voluntariis. 232. 21. omittenti actus internos Religionis. 241. 18. omittenti actus externos. 244. 17. violanti vota. 248. 14. omittenti ſuſcipere ſacramenta. 251. 14. violanti Religionem per exceſſum. 259. 16. violanti per defectum. 261. 31. violanti virtutem Pietatis. 268. 19. violanti Obedientiam, & Obſervantiam 270. 20. violanti Veracitatem. 274. 72. violanti Affabilitatem, & Liberalitatem. 275. 9. violanti Magnanimitatem, & Magnificentiam 282. 19. violanti præceptum Jejunii 288. 20. peccanti contrà Abſtinentiam, & Sobrietatem. 300. 11. peccanti contrà Caſtitatem 309. 9. peccanti per Superbiam. 318. 14. violanti Studioſitatem. 322. 16.
Poſſeſſor bonæ, aut malæ fidei quis dicatur. 216. 9. quid teneantur reddere ſinguli. ib. 10.
Potus quid ſit. 287. 13.
Præcepta nùm multiplicanda: ſingulare dictum S. Auguſtini. 270. 15.
Præcipitatio per defectum oppoſita Syneſi, & Gnome, quid ſit. 204. 4.
Præſumptio duplex ut oppoſita Fidei quid ſit. 185. 4. oritur ex ſuperbià. 185. 4. quid ſit, ut opponitur Magnanimitati. 185. 4.

Digitized by Google

280. 8. qualitèr tractandi Præſumptuoſi. 185. 5.
Pretium rei quando poſſit augeri. 229. 4. 7. duplex, aliud legale, aliud morale: hoc eſt triplex. 229. 6.
Princeps in judicando quotupliciter peccet 209. 9. eſt diſpenſator, non dominus. 247. 8. an, & quando reis ad mortem debeat concedere tempus pro ſacramentis. 314. 14. quas artes debeat prohibere. 326. 32. nunquam judicat in propriâ causâ. 214. 4. in rapiendo peccat gravius aliis. 223. 9.
Prodigalitas quid ſit. 275. 6.
Proportio, ſeù Æqualitas Arithmetica, & Geometrica. quid ſit. 211. 1.
Propoſitiones prohibitæ circà fidem, & peccata oppoſita. 181. 8. circà Spem, & Timorem. 186. 6. circà Charitatem. 199. 19. circà Prudentiam. 205. 9. circà Juſtitiam legalem. 211. 12. circà Diſtributivam. 213. 15. circà Reſtitutionem. 218. 19. circà peccata in vitâ proximi. 221. 15. circà peccata in rem proximi. 223. 12. circà peccata, quæ verbo committuntur in judicio contrà proximum. 226. 11. circà peccata, quæ verbo extrà judicium committuntur contrà proximum. 228. 11. circà peccata in commutationibus voluntariis 232. 19. circà actus internos Religionis 240. 17. circà actus externos Religionis. 244. 15. circà Votum. 348. 12. circà ſuſceptionem Sacramentorum. 251. 12. circà Juramentum. 254. 16. circà ſacrilegium. 266. 30. circà Pietatem. 268. 18. circà Obedientiam. 270. 18. circà Veracitatem. 274. 11. circà Jejunium 288. 19. circà Gulam. 300. 10. circà Probabiliſſimum, & actum conjugalem. 305. 13. circà Studioſitatem. 334. 15. laudantur, qui addiſcunt illas memoritèr. 322. 41.
Prudentiæ quid competat. 201. 1. quomodo. ib. 2. ejus actus. 201. 2. conditiones, ut actus ſit perfectus. 202. 3. commendantur Confeſſori à Rituali. ib. eſt genus Virtutis, & dantur ſpecies. 192. 4. an obliget ad ſuum actum 203. 5. an ſub mortali. 203. 6. obligat per accidens. ib. 7. Prudentia carnis peccatum oppoſitum per exceſſum. 205. 6.
Pudicitia quid ſit. 308. 1. quid regulet. 308. 2.
Puſillanimitas quid ſit. 282. 16.

R

Rapina quid ſit, & quotuplex. 223. 8. 9. eſt mortale peccatum. 223. 10.
Raptus quid ſit. 306. 7.
Regularis Superior peccat permittendo gravia delicta ſubditi amici, & caſtigando levia in illo, cujus non ſperat ſuffragium. 225. 5. an teneatur offerre ſacrificium pro ſubditis. 233. 4.
Religio quid. 237. 2. poteſt præcipere actus omnium virtutum ib. an ſit virtus Theologica. 238. 3. ejus actus interni. 238. 5. externi. 241. 1.
Religioſo, qui diù vixit purus, graviſſimum ſe detegere, ſi quando labatur ex fragilitate. 338. 1. bonus quanti factus à Pio V. 237. 6.
Reſervationi an, & quæ peccata contrà fidem ſint ſubjecta. 180. 1. 2. 3. 4. an Deſperatio 185. 3. an Præſumptio ibid. 4. an peccata contrà Charitatem. 199. 20. an peccata contrà Prudentiam. 205. 10. an peccata contrà Juſtitiam legalem. 210. 13. an peccata contrà Juſtitiam Diſtributivam. 213. 16. an peccata in vitam proximi. 221. 16. an peccata in rem proximi. 223. 13. an peccata verborum in judicio contrà proximum. 226. 12. an peccata extrà judicium contrà proximum 228. 11. an peccata in commutationibus voluntariis. 232. 20. an peccata in actibus externis Religionis. 244. 16. an violatio voti 248. 13. an omiſſio ſacramentorum. 251. 13. an peccata per exceſſum oppoſita Religioni. 259. 15. an eidem oppoſita per defectum. 265. 28. an Inobedientia. 270. 19.
Reſtitutio quid ſit. 215. 4. obligat ſemper & ad ſemper ib. 5. quomodò reſtituendum, quando idem nequit reſtitui. ib. 6. quomodo impedientes alteri conſecutionem rei. 216. 7. ejus radices. ib. 8. perdens commodatum abſque culpà, non tenetur reſtituere, ſed benè perdens mutuum. 216. 12. qui reſtituere teneantur ex re acceptà. ib. qui ex acceptione injuſtà 217. 13. quo ordine reſtituendum, ubi plures obligantur. 217. 15. impoſita, ut pœna debetur poſt ſententiam Judicis. 218. 16. obligat ſub mortali. 218. 17.
Reſtrictio mentalis nùm aliquando liceat. 272. 3. an pro illà ſint exempla in Scripturâ. 272. 4.
Revereri filium an pater teneatur. 267. 12.
Reus quomodo procedat in judicio. 225. 5.

Digitized by Google

an poſſit fugere. ibid.
Rixa quid ſit, & quando peccatum. 211. 4.
Ruralis Eccleſia quomodo providenda. 211. 4.
Ruſtici qualiter incitandi ad amorem Dei. 188. 9.

S

Sacerdotis inordinata cupiditas audiendi confeſſiones retunditur dicto S. Auguſtini. 195. 7. an teneatur celebrare. 242. 5. quid obſervare celebrando. ib. 10. an ſine paramentis poſſit celebrare ut conſecret pro Viatico. ib. ut conferat ſacramenta, qualitèr eſſe debeat in gratiâ. 250. 5. impotens ſibi providere libros, quid faciat. 323. 21. adeſſe, qui celebret cum faſce peccatorum, Author non credit. 338. 1.
Sacramentalia quot ſint: ſumere illa eſt actus Religonis: quid requiritur, ut dignè ſumantur. 251. 11.
Sacrificium quid ſit. 241. 4. ad illud tenemur omnes, & quomodò. 242. 5. quando, ex præcepto Eccleſiæ teneamur illi adſiſtere. ib. 6.
Sacrilegium quid, & quotuplex. 260. 6. de ſe eſt peccatum mortale. 261. 7.
Sævitia quid ſit: opponitur dono Pietatis. 314. 17.
Sanctorum invocatio ſub quâ virtute præcipiatur. 269. 9.
Sapiens dominabitur aſtris; quomodo intelligatur ex S. Th. 257. 8.
Sapientiæ Donum quid ſit, & qui actus ejus. 193. 1.
Satisfactio impoſita in Bullâ Cœnæ quid importet. 218. 20.
Scandalum quid ſit. 198. 15. ſcandalo inducens ad furandum, non tenetur reſtituere. ib. & 217. 13. eſt genus. ibid.
Schiſma quid ſit: de ſe eſt peccatum mortale: an ſemper conjungatur hæreſi. 196. 10.
Scientiæ donum quid ſit. 173. 6. ſcientias addiſcere non eſt de ſe malum, ſed ob periculum. 321. 8.
Seditio quid ſit, & quando mortale peccatum. 198. 13.
Servitium Eccleſiæ non perſona eſt conſideranda in diſtribuendis Eccleſiæ bonis. 211. 4.
Severitas quid ſit. 314. 17.
Sicarius non poteſt ſibi retinere quod ſolvitur ob homicidium. 192. 12.
Simonia quid. 262. 10. importat contractum onerosum. ib. 11. an pecunia poſſit accipi pro ſacramentis ib. 12. quid, ſi aliàs nollet Sacerdos baptizare. 262. 13. qualiter pecuniam exigat abſolvens ab excommunicatione. ibid. 14. qualitèr detur impedituro conſecutionem beneficii. ib. 15. qualitèr pro matrimonio. ib. 16. an pro actibus ſpiritualibus ibid. 17. an ex officio adminiſtrans ſacramenta &c. poſſit illa denegare, ſi denegetur ſtipendium. 262. 18. Actus, qui requirunt miſſionem pretio non ſubjacent, quoad laborem. 263. 20. pro ingreſſu Monaſterii nequit dari pecunia, neque pro gradu Religionis. 263. 21. quomodo vendi poſſint annexa ſpiritualibus. 263. 22. quæ ſpiritualia poſſint commutari. 264. 23. an ſuperior poſſit conferre beneficium: ob ſervitia ſibi præſtita, vel ad preces. 264. 24. quotuplex ſit. 264. 25. 26. de ſe peccatum mortale. 264. 26.
Simulatio quid ſit. 273. 8.
Sobrietas quid ſit. 288. 17. an obliget ſub mortali. 288. 18. vitia illi oppoſita. 289. 5.
Societas Jeſu amantiſſima Caſtitatis prohibet doceri, quòd ex parvitate materiæ reddatur veniale peccatum contrà illam. 309. 6. ejus Superiores immediatè adminiſtrant ſacramenta ſubditis. 233. 4.
In ſolidum quis dicatur obligatus. 217. 15.
Sollicitatus in confeſſione, quomodo ſe gerret denunciando. 178. 5.
Sollicitudo temporalium, & Sollicitudo futurorum quid ſint. 205. 7. 8.
Ex Somniis quid poſſimus prænoſcere. 258. 9. neque credendum; neque diſcredendum illis. ibid.
Somnus quare non ſit peccatum, cum impediat uſum rationis. 300. 7.
Sortium divinatio qualitèr licita. 258. 11.
In ſpecie non modo, ſed & in diverſo genere conſtituunt peccatum Agens, & Patiens. 306. 9.
Spes firmat deſiderium. 181. 2. Theologica reſpicit quatuor cauſas. ib. 3. quando, & ad quos actus Spei teneamur. 182. 4. 5. ex præcepto Eccleſiæ tenemur per accidens. ib. 6.
Status dari nequit, in quo Deus, ametur abſque Spe, & Timore. 184. 1.
Stipendium à quo dandum Judici, Advocato, ac Teſti. 226. 8.
Studioſitas quid ſit. 319. 2. quam regulam ſervet. ibid. 3. an obliget ſub mortali. 320. 4. peccata illi oppoſita. 321. 5. quando peccatur in ſtudendo. 321. 6. & ſeqq.
Stultitia, peccatum contrà donum Sapien-

pientiæ quid ſit. 199. 18.

Stuprum quid ſit. 306. 5. eſt tale, quamvis puella conſentiat, & quomodò. ib.

Sublunaria habent vim cauſandi, & ex naturà proprià, & ex motu cœlorum. 256. 5.

Superbia quid ſit. 317. 9. quomodò diſtinguatur ab Inobedientia. 318. 10. importat contemptum. ib. Superbiæ ſpecies. 318. 13.

Superiores vix ſe accuſant de peccatis omiſſionis in gubernio. 203. 7. quid conſiderabunt in providendo bonis Reipublicæ. 211. 4. quid faciant ſubditis ſibi caris. 212. 6

Superſtitio quid ſit: Regula S. Auguſtini ad cognoſcendum, quando cultus ſit ſuperſtitioſus. 255. 2. in quibuſdam habet locum ſimplicitas fœminarum objurganda, ſed, ubi eſt peccatum mortale, reus denunciandus. 257. 5. ſpecies ſuperſtitionis. ib. 6. an ſit reſervata in Urbe. 257. 6.

Suſpicio quid ſit. 209. 7. de ſe non eſt peccatum mortale, niſi quando graviter nocet. ibid.

Suſurratio quid ſit. 227. 6.

Syneſi à Gnome differentia. 201. 2. judicat de mediis per cauſas ordinarias. Virtus annexa Prudentiæ. 201. 2.

T

Tallionis pœna quæ ſit. 225. 4.

Temperantia quid ſit. 283. 2. quam regulam ſervet. ib. 3. an obliget. 284. 4. vitia illi oppoſita. ibid. 5. partes integrales. 284. 6. Donum correſpondens eſt Timor Dei. 285. 7.

Tentatio Dei quid ſit. 259. 2. de ſe peccatum mortale. 260. 3. an habeat diverſas 270. 5.

Teſtis quomodò procedat in judicio. 225. 6. an ſuprà duos, vel tres exigi poſſint. 225. 7.

Theologia Moralis utilitèr in compendium redacta. 227. 2.

S. Thomæ doctrina veluti circulus. 379. 1. quam ſæpè firmet illud principium: *A causà inimpedibili, & neceſſaria ſequi poteſt effectus impedibilis, & contingens*. 379. 3.

Timor quintuplex, & quilibet explicatur. 182. 1. & ſeqq. Servilis eſt bonus, ſi excludit voluntatem peccandi, quam non excludit dicens: *Dalco ex metu gehennæ, ſed, ſi hæc non eſſet, non dolerem*. 183. 3. quomodo reſpiciat principalitèr malum. ib. ad actum hujus timoris obligamur per accidens. 183. 4. qui ſit timor filialis. ib. 5. Initialis eſt mixtus ex utroque. ib. 6. quæ perfectio requiratur in timore juſtificante. 184. 7. mundanus opponitur Fortitudini. 278. 15. Timor coercet etiam beſtias. 301. 2.

V

Venereus actus ut ſit bonus, requirat. 302. 2. an omni culpà vacet inter conjuges. 303. 10. an vacet culpà petitus ad evitandum propriam incontinentiam. 304. 12.

Veraeitas quid ſit. 272. 2. ejus actus. 273. 5. vitia illi oppoſita. ib. 6.

Verba ex ſe nullam habent virtutem, ſed ex dœmone. 256. 5.

Verberatio an, & quando liceat. 221. 10.

Verecundia pars integralis Temperantiæ quid ſit. 284. 6.

Vindicatio eſſe poteſt in privata, ſed non quoad actum externum. 214. 4. quid ſit, & quomodo diſtinguatur à Juſtitià Vindicativà. 271. 7. vitia illi oppoſita 271. 8.

Virtutes quinque annexæ Juſtitiæ, ut hæc habet debitum rigoroſum. 237. 1. Retribuentes quomodo diſtinguatur ab aliis 271. 1. quæ ſint. 271. 3. diviſivæ Temperantiæ quomodò diſtinguantur. 285. 3.

Voluntaria ſuſceptio gratiæ eſt actus charitatis. 189. 2.

Votum quid ſit. 245. 2. an ſub voto cadere poſſit matrimonium. 245. 2. obligat ſub mortali facere ſaltèm, quod poſſum. 245. 3. qui vovit virginitatem, ſi amiſit illam, adhùc obligatur, ad quod poteſt. ib. duplex. 246. 5. Violatio ſolemnis etiam explicanda ſpecialitèr in confeſſione. 246. 6. quis poſſit vovere. 247. 7. poteſt irritari, diſpenſari, & commutari; quomodo hæc diſtinguantur. ibid. in dubio, an adſit cauſa, quid faciendum. 247. 9. an violatum uno die, reponendum ſit in alio. 248. 10. an ad vota incitare debeat Confeſſor. 248. 11. votum cui ſit grave jugum ibid. an differri poſſit adimpletio. 248. 4.

Uſura quid ſit, & quando ſit 230. 12. an ſit uſura mutuare cum ſpe. 231. 14. eſt peccatum, exigere illam, non ſolvere. 231. 15.

Index

Digitized by Google

INDEX ADDICTIONUM.

Abſolutus ab hæreſi judicialiter à quo abſolvendus ſacramentaliter pag. 398. 4. cui differenda 411. 42. diminuens notabiliter peccata abſolvendus. 412. 43. etiam hæreticus poteſt abſolvere Catholicum. 388 14.

Actus Virtuoſi ſoli diſponunt ad Charitatem 405. 21. non tamen hanc præſupponunt 405. 25. interni differunt ſpecie 392. 1. quidam aſſignantur intrinſecè mali. 392. 2.

Agreſtam facere contrà Juſtitiam. 419. 77.

Amans Deum ſimul amat proximum. 408. 21.

Amor concupiſcentiæ talis eſt ſecundum quid 402. 14. præferens creaturam Deo eſt peccatum ibid. omnis amor eſt in concupiſcibili 403. 15. Amor Dei ſuper omnia quid dicat ibid. Amari poteſt Deus actualiter non habitualiter ibid. eligi poteſt ſine habitu Charitatis. 403. 16. opinioni; de Amore cenſura inuſta 404. 17. facit præcepta levia. 405. 20. quomodo conjiciatur fuiſſe in primo uſu rationis. 416. 65.

Amicitia ſupra benevolentiam dicit plura. 403. 16. per benevolentiam renovatur 405. 22.

Aquæ potus debilitat ad immunditiam. 412. 44.

Attritio an ſufficienter diſponat. 402. 13. eſt donum Dei nondum inhabitantis ibid. bona 404. 19. undè concipitur ibid. ſi ſit cum initiali amore Dei ſufficit ad ſacramenta mortuorum. 383. 14. item 402. 11.

S. Auguſtini doctrina eſt cauſa particularis 400. 1. malè inſimulatus oſcitantiæ 526.

Authoris moderni opinio an cenſenda probabilis 515. 1. exponitur non nemo ſuper Theſi prima Innoc. XI. 516. 2.

B

Baptiſmus poteſt conferri ab Hæretico ſed baptizatus eſt irregularis. 389. 15.

Bellarmini opinio de neceſſitate amoris Dei ad juſtificationem. 403. 16.

Bona Clerici realiter obligata Laico non ſunt immunia. 400. 18.

Bulla Cœnæ revocat privilegia conceſſa in genere, vel in ſpecie 398. 4. excommunicat judicantem Clericos præter Jus naturale, & Canonicum. 399. 15.

C

Caſus reſervati in urbe. 390. 17.

Cauſalis æquipollet univerſali. 406. 29.

Certum tene, incertum dimitte 397. 21. morale quid 401. 2. triplex. 401. 3.

Charitas amatur charitate 402. 12. non obligat proximum cum gravi danno 390. 1. ejus violationem qualiter confiteatur peccator longi temporis 408. 20. ſi eſt otioſa non eſt. 408. 21.

Clericus qualiter tuetur Remp. 400. 18.

Cogitatione peccare quid. 394. 11.

Comædiæ an permittendæ. 394. 12.

Communionis ſingrapham dantis alteri pœna 396. 7. ſacrilega in urbe reſervata. 397. 21.

S. Concilii Congreg. deciſiones ſuper Juriſdictione. 387. 7.

Concluſio non eſt certior præmiſſis 401. 7.

Concubina in articulo mortis removenda 553.

Confeſſor docet ex officio 497. 395. 21. an poſſit audere cum periculo immunditiæ 393. 7. caveat velle Pænitentem nimis ſanctum 412. 45. quando elpirata licentia validè abſoluat 387. 4. quid ſi indiget conſilio 387. 6. quæ contingunt niſi docet ignorantem. 395. 20.

Confeſſionis deobligatio an obliget juſtum 385. 27. pœna negligentis 386. 29. an neceſſaria peccatori ut conferat ſa- ſacramenta. 386. 2.

Confirmatio an conferri poſſit ab Hæretico. 389. 17.

Conjux quando mortale cognoſcere propriam uxorem 395. 22. ſeparati an communicandi. 396. 11.

Correctio fraterna quando obliget 408. 22.

Cultus Dei ſervorū quis prohibitus 409. 24.

D

Super Decalogo interrogationes 531. & 406. 1. & ſeqq.

Denunciandus an conſulens Theologum extra confeſſionem in ordinè ad hanc 391. 1.

Ad Deum accedimus affectibus cordis. 465. 27

Dolor de peccatis ut ſufficiat Sacramento 283. 9.

Dominium qualiter trasferatur 419. 78.

E

Eccleſia nō iudicat de internis 397. 2. cō-

cor-

cordandum etiam corde. 408. 17.
Enormia ordinariè non interroganda. 407. 14.
Epiſcopi judicant diliƈtum, quod non gaudet immunitate. 399. 12.
Error communis an conferat juriſdiƈtionem. 387. 5.
Extrema unƈtio an poſſit accipi ab Hæretico. 389. 19.
Famulus quando poſſit permittere peccatum heri. 394. 16.

F

Favor ampliandus. 402. 10.
Finis operis quęrendus à puero an tequam operetur. 407. 9. ſi non quęrit ignorat culpabiliter. ibid.
Fornicationis cogitatio, & fornicatio cogitata quid diverſum. 284. 18. de furto quando prudenter ſuſpicandum. 417. 72.

G

Gratia non eſt otioſa. 416. 65.
Grave preceptum quomodo ſit leve. 404. 20.

H

Habitus introducitur per ſimiles aƈtus 465 21.
Herefis interna non eſt reſervata 397. 2. Externa in vim privilegiorum nequit abſolui. 395. 3.
Hereticum Receptans quando excommunicetur 398. 6. an privetur juriſdiƈtione. 434. ad eorum ritus non poteſt cooperari. 389. 23. 24.

I

Iejunio an liberetur qui ad hoc fatigatur. 415. 61.
Ignorantia ſpeculativa & praƈtica 404. 17. eſſentialium an faciat validum Sacramentum. 405. 26. ignorantiam Pœnitentis an Confeſſor debeat removere. 395. 20. an concomitans excuſet. 395. 22.
Immunditia noƈturna an peccatum. 412. 44.
Immunitatis Eccleſiaſticæ violatiò quæ reſervata. 398. 7.
Inceſtus in primo gradu horribilis. 410. 36.
Ineligibilitas an pęna excommunicationis minoris. 391. 3.
Integritas confeſſionis duplex. 387. 16. quę illam impediant. 384. 17.
Interdiƈtus an admittendus in Eccleſiam. 397. 15. incurritur ipſo facto in Vrbe à violante pręceptum Paſcalè. 397. 17.
Interrogationes faciendę infirmis Hoſpitalium ante confeſſionem. 406. 3. ſuper primo Decalogi precepto. ibid. ſpe 406. 4. charitate ibid. eleemoſinis. 408. 21. Religione. 409. 24. ſecundo pręcepto. 409. 29. tertio 410. 33. quarto, & quinto 410. 36. ſexto 411. 39. occaſione proxima. 411. 43. ſeptimo 412. 46. oƈtavo 413. 44. de ſuperbia ibid. Gula 415. 61. Jra 415. 62. ſuper Eccleſię pręceptis 416. 64. Puerorum 416. 65. Scholarium. 416. 66. magiſtri ibid. medici. 416. 68. Aromatarii ibid. Proxenetę. 417. 70. Artificum ſingulorum ibid. Conjugum. 418. 75. Patris familias. 419. 76. Principis. 419. 78. officialium 420. 80. Clerici 420. 81. Parochi. 420. 82. Regularis. 420. 83. monialis. 421. 85.
Invitus an poſſit abſolui a peccato, Cenſura vel diſpenſari ab impedimento. 391. 5.
Judex ne damnet innocentem dimittit Reum 420. 80. dirigitur etiam motiuis extrinſecis. 402. 10. illi eſto minus doƈto credendum. 392. 7.
Juriſdiƈtio eſſentialiter requiſita pro abſolutione. 388. 14. in locis infidelium à quo habetur. 387. 7. in confinis diverſę Diœceſis ibid. an illam habeat Hereticus. 387. 10.
Juſtificationis dicit receſſum & acceſſum 402. 12. pręmittenda Oratio Dominica & Decalogus. 405. 28. venialiter peccantis finis. 403. 15.

L

Lex ponitur ut in pluribus 399. 12. lex Barbarius approbata ab Eccleſia 387. 3. qui ordinariè ignorent. 420. 80.
Licentia non jeiunandi ſine cauſa eſt nulla 415. 61. cum cauſa manifeſta eſt quęrenda. ibid.
Literas alienas aperire illicitum. 394. 18.
Loci ratione quid faciendum ubi timentur mala majora. 399. 12.
Lucri turpis & ſimoniaci differentia. 414. 19.
Lumen duplex in homine. 283. 10.
Luxurię incitativa an permittenda. 394. 13. an de illa dari poſſit ignorantia invincibilis; 407. 9.

Ma-

M

Malum ſub una circumſtantia eſt bonum ſub alia 402. 10. nequit ob bonum privatum permitti abeo, qui tenetur prohibere. 419. 79.
Matrimonium an celebrari poſſit coram Heretico 389. 22. an coram Catholico inter Catholicum & Hereticum ibid. nolentibus conjugibus diſpenſari quid faciat Parochus. 391. 5. invito patre an poſſit conthai à filio. 410. 37.
Meretrix permittenda. 393. 8.
Molinos Theſes prohibitę, volebat reprimi inſpirationes, non tentationes 392. 5.

N

Neceſſitas quotuplex 409. 23. qualiter providenda ibid. publica cauſa quis gravet bona Clerici. 400. 18.
Negotiatio an licita. 414. 59.
Notarii Laici ex proceſſu an Epiſcopus poſſit judicare. 399. 11.

O

Obedientię votum quando violetur 421. 83.
Occaſio proxima filii & famuli diverſa. 411. 43. pondera, & menſurę falſę ſunt voluntaria. 417. 69.
Odium peccati actus charitatis. 402. 12.
Oeconomus peccat non vagans pro utilitate domini. 418. 73.
Operatio in lege diſtinguenda interna & externa. 404. 29.
Opinionem docentis Confeſſorem non teneri docere Penitentem impedimenta quę ignorat invicibiliter, damna. 395. 20.
Ordo an poſſit accipi ab Hęretico. 389. 21.
Ornatus Vanus in Urbe prohibitus ſub Excommunicatione reſervata. 390. 27.

P

Panis malè coctus nocet ſanitati 417. 72.
Parentibus quando ſubveniendum. 410. 37.
Parocho de ſollicito audire ſuorum Confeſſiones dictum S. Thomę 385. 28. in alia Diœceſi abſoluit ſubditum 387. 9. an poſſit benedicere matrimonium Catholicę & Heretici. 389. 24. quando per ſe miniſtrabit Euchariſtiam 396. 7. quando poſſit fugere. 408. 21.
Parochia in qua communicandum. 396. 3.
Pars ſe exponit ut ſaluet totum. 399. 1.
Paſtor debet animam ponere pro ovibus. 408. 21.
Pax danda inimico ſi periclitentur filię. 415. 62.
Peccata reſervata in Urbe. 397. 21.
Per præpoſitio quid denotet. 402. 12.
Permitti malum quando poſſit. 393. 8. an vanus ornatus uxori 394. 10. an artes, ex quibus in Republica ſequitur peccatum ibid.
Pedagogus ex officio tuetur adoleſcentem. 394. 17.
Pænitentiæ Sacramentum petens debet eſſe diſpoſitus 395. 22. eſt indiſpoſitus qui non eſt paratus dimittere uxorem. 395. 22.
A poſſeſſione nemo illegitimè turbandus. 402. 10.
Præcepta quædam habenda in præparatione animi. 395. 22. Paſcale quando explicandum Populo 395. 1. implendum ibid. pæna violantis ibid. in urbe eſt reſervatum 397. 19. majora quomodo reddantur levia. 404. 20.
Prædicationi tenemur adeſſe. 410. 35.
Prælatus ſciens & tolerans conſentit 386. 2. Orientalis habet juriſdictionem eſto hæreticus, non occidentalis. 388. 13.
Præter juris diſpoſitionem quid importet 339. 13.
Princeps peccat volens ſolum ordinem judiciarium. 418. 74. ejus peccata 419. 78. officialium 420. 80. debet extirpare artes pernicioſas. 394. 11.
Probabile quomodo aliqui accipiant 401. 2. quid de illa prohibeat tertia Theſis Innoc. XI. 406. 29. an poſſint doceri contradictoria probabilia 401. 5. doctrina S. Thom. ſuper probabili. ibid.
Propter quod unum quodque tale, illud magis. 403. 14.
Propter in charitate quid dicat 525.
Proteſtatio contra factum quando. 403. 16.
Prudentia reſpicit verum, ut in pluribus. 399. 12. 401. 4. non utrunque contra dictorium. 406. 29.

Ra-

R

RApina facit non ſolvens mercedem 413. 50.
Romipetam lædens quando excommunicatur. 398. 7.
Rudes an diſponant ſe ad ſacramenta per amorem Dei. 405. 26.

S

SAcramenta quæ validè conficiat Hæreticus. 388. 13.
Satisfactio an publica imponenda. 384. 23.
Scandalum Puſillorum & Phariſeorum 408. 19.
Sepultura Eccleſiaſtica an danda hæretico. 390. 25.
Sigillum confeſſionis & naturale ut differant. 391. 2.
Spes ſupponit amorem. 403. 15. 16.
Subreptio non dat jus. 414. 59.
Subditi bona quando poſſit accipere Princeps. 419. 58.
Suſceptio voluntaria gratiæ actus charitatis. 403. 14. 15.
Suſpendi quando quis poſſit. 339. 14.

T

Tactus naturalis & libidinoſus ut differant. 392. 3.
Terram nigram facere injuſtum. 417. 72.
S. Thomas an doceat poſſe taceri circumſtantias aggravantes. 384. 21.
Tractare ſolum cum ſola eſt occaſio voluntaria. 412. 43.
Traditio quæ efficax. 404. 18.
Tridentini verba dicunt Attritionem diſponere ſed non dicit ſufficienter diſponere. 402. 13.
Turpitudinem ſuam nemo tenetur revelare. 407. 6.

V

VIrginis pudicitiam ſervare ex officio tenetur fœmina aſſocians. 394. 17.
Virtualiter quando unum ſit aliud. 405. 24.
Voluntarium directum, & indirectum 392. 5. in ſe & in cauſa. ibid.
Voluntas volens antecedens vult conſequens. 393. 9. & 402. 11.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google